DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

Fr. Michael, Prior Cartusiæ,

in festo B. Lanuini, Conf., anno 1905.

IMPRIMATUR

Tornaci, 24ª Maii 1905.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.







DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS


FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

SERMONES DE TEMPORE (Pars prima)

TORNACI

[illegible]

MDCCCCV



SERMONES DE TEMPORE


BONORV̄ OPERV̄ GLORI
OSVS EST FRVCTVS.
D. DIONYSIVS CARTHVSIEN

D. DIONYSII

CARTUSIANI

SERMONES DE TEMPORE

TAM AD SÆCULARES QUAM AD RELIGIOSOS

CUM ENARRATIONIBUS

EPISTOLARUM ET EVANGELIORUM

DOMINICALIUM

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL MDXXXIII, MDXXXVII, MDXLII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ILLUSTRISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO, D. HERMANNO DE WEDA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, LEGATOQUE NATO, PADERBORNENSIS QUOQUE ECCLESIÆ ADMINISTRATORI, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUCI, ETC., DOMINO SUO CLEMENTISSIMO, F. PETRUS BLOMEVENNA LEYDENSIS, CARTUSIÆ COLONIENSIS PRIOR, ET CIRCA RHENUM VISITATOR, SESE ET MONASTERIUM SUUM COMMENDAT.

QUUM nullus ante te fuerit episcoporum, Reverendissime Pater, quorum tu cathedram tenes, qui erga monasterium nostrum non singulari affectus sit pietate, idque propterea, aut quia episcoporum est religionem amare, aut quia monasterii hujus nostri olim fundator exstitit Archiepiscopus Coloniensis : quum, inquam, illorum (ut dixi) fuerit nemo qui non magis pater quam dominus a nobis coli maluerit, nos in omnes veneratione, dilectione ac observantia proni, non aliter pro illis atque pro patribus filii etiamnum orantes, Altissimo juge orationum offerimus holocaustum. Hæc non idcirco insinuamus gratiæ tuæ, Reverendissime Pater, quod minus aut benevolentiæ aut favoris tibi quam antecessoribus tuis acceptum referamus, quippe qui erga nos semper clementissimus, multos etiam superiorum Patrum exsuperasti ; sed ut quam singulari, majorique erga Reverendissimam Paternitatem tuam dilectione quam dici queat, simus capti, gratiam tuam non lateat. Quare (ut est filiorum amantium) id unum oramus, ne subdola cujuspiam interveniente lingua, quod in aulis principum nonnunquam assolet, a tua gratia tuave dilectione efficiamur alieni, minusque habeamur commendati : quod sane tristissimum foret, utpote filiis erga dilectissimum tantumque patrem. Laudes tuas ac beneficia omnibus evulgari, tuaque in nos merita, noster erga te (hoc est filiorum erga patrem) exposceret zelus ac devotio, nisi hæc tanta forent, ut mox ubi inciperemus, aut vires nobis succumberent, aut deficeret tempus. Quocirca, ne diu Reverendissimam Paternitatem tuam moremur, clementiam in te unam efferimus, quam quum in omnes, tum in subditos præcipue manifestas, quos tanta pace et tranquillitate gubernare non desinis, ut non immerito princeps pacis dici queas. Permulta sunt quæ revera principem ornant, licet non eadem omnia ecclesiasticum. Porro, clementiam qua tu enites, nemo est qui non probet, qui non cupiat, qui non exoptet. Quis hanc in principe non dicat laudatissimam? Quis in episcopo non ducat exosculandam? Hac virtute tua nescio profecto quis antecessorum tuorum te potuerit superare : adeo benigne recipis omnes, audis,

affaris, nemini non dulcis ac mitis. Prætereo hic quod subditorum tuorum quorumdam infidelitatem atque seditionem, hæreticorum quoque impietatem adeo prudenter castigasti, adeoque clementer in errantes animadvertisti, ut illis magis libeat in te amare clementiam quam formidare potestatem, imo liberius patri obediant amanti, quam obtemperent dure ferienti. Itaque quod alii igne et gladio, tu ut patriam ab hæreticis serves immunem, dum id fieri visum est clementiori facis animadversione. Unde nunc, Reverendissime Pater, quam non pœnitendo consilio factum sit, quod olim a tot comitibus in dominum, in principem, in tutorem ac patrem patriæ sis optatus! Sentiebatur nimirum tunc haud parum profutura modestia, benignitas, humanitas atque prudentia tua, quam sibi in dominam tot proceres unanimi consilio deligebant. Nec ipsos sane fefellit opinio. Siquidem animi integritate, mansuetudine, æquanimitate, et id genus reliquis dotibus, diœcesim ita gubernasti, ut a nemine (quod optimi est principis, pientissimique episcopi) non ameris. Nemo bonus tibi mortem (quod tyrannis quibusdam usu venit) optavit unquam. Atque utinam possemus te semper servare immortalem. Quapropter, quum haud secus atque patrem, nec minus quam filii te amemus omnes, gratulamur haud vulgariter pietati tuæ, atque a cunctis te amari impendio lætamur. Nihil nobis tristius tua posset morte nuntiari, pro cujus salute incolumitateque preces Deo mittimus indesinenter. Itaque laudent alii potentiam, alii divitias commendent, nonnulli mirentur dignitatum infulas, alii stemmatum prædicent antiquitatem : nos clementiam in te efferimus solam. Hæc enim dulcissima est subditis, hæc prælatos ornat maxime, hac a belluis distamus. Quid enim in principe turpius, quid magis habetur exosum, præsertim in episcopo, quam tyrannis aut crudelitas? Hanc exsecrantur omnes, præsertim quum adeo nobilis sit creatura homo, adeo præstans, ut modestia, mansuetudine atque clementia et libentius regi et suavius duci malit, quam austeritate. Itaque, quum ad gloriam tuam nihil virtutum harum Reverendissimæ Paternitati tuæ desit, amas, custodis et propugnas subditorum tranquillitatem, patriæ pacem, vicinorumque amicitiam. Ceterum nos interim ad decus tuum perpetuum, nostræque fidei erga te monumentum, quum aliud nequeamus, has Dionysii nostri, viri cum primis et doctissimi et Deo devotissimi, lucubrationes in Epistolas et Evangelia, atque ejusdem de Tempore sermones, sacræ Scripturæ auctoritate refertos, Reverendissimæ Amplitudini tuæ dedicamus. Nam qui monasterii nostri pater, tutor atque fundator es, quid mirum si studiorum quoque nostrorum sis patronus? Congruere autem maxime putamus Reverendissimæ Paternitati tuæ, quæ pastores et rectores, tum doctos et idoneos, tum per se ipsos residentes, singulis Ecclesiis præfici jampridem mandaverat, Dionysii nostri in Epistolas et Evangelia, quos scripsit varios, sermonibus patrocinari : quippe qui nihil nisi pium, nihil nisi christianum, nihil denique nisi germane catholicum, imo nihil nisi sacra Scriptura (quam admodum feliciter, nec minus copiose citat) ubique confirmatum producit, atque genuinum, quem Spiritus Sanctus loquitur, sensum Scripturæ ostendit. Hunc diœcesis tuæ pastoribus legendum suadeas ; juxta hujus elucidationem, sacram Scripturam jubeas prædicari. Hoc si fecerint, secura sit Reverendissima Paternitas tua gregem tibi commissum non aliter atque pie et christiane erudiri, ac plebem tuam sub jugo Domini, sub obedientia tua, in pace et tranquillitate, quod maxime

cupis, dirigi. Id confidimus, id rogamus omnes, ut Reverendissima Paternitate tua quidquid ditioni tuæ fuerit subjectum, in vera fide, quam plantaverunt Apostoli, confirmarunt martyres, testati sunt quotquot fuerunt Sancti, confirmes atque conserves. Quomodo enim ab ea recedemus, aut quomodo relinquemus fidem quam universa per omnes nationes suscepit Ecclesia? imo cui Christus per se, per Apostolos, per sanctos episcopos (quorum plerique in cathedra tua sederunt) signis et prodigiis testimonium præbuit? Non decet parvitatem nostram Reverendissimæ Paternitati tuæ consulere. Verumtamen quis tacere posset, quod nemini (proh dolor) non nimis est manifestum? Ubicumque enim admissa fuerit hæreticorum damnata perversitas, ibi protinus caritas in Deum, pietates erga pauperes, justitia erga proximos, obedientia, pax et tranquillitas populi, et omnes bonæ jacent disciplinæ; multoque enormiores introducunt abusus, quam invenerunt, furore, libidine et egestate omnia miscentes. Nam obganniant licet hæretici, nihil mali habet Ecclesia (modo usus sit castus, integer atque sincerus) explodendum. Pia enim et honesta sunt omnia, atque piissime instituta : fiat modo ut piissime quoque ab omnibus serventur. Corrigantur delicta, tollantur abusus; fides et Ecclesiæ ritus maneant. Hæc liberius fortasse suggerimus, propterea quod ea non ingrata putamus Reverendissimæ Paternitati tuæ, utpote quæ suapte etiam cura atque vigilantia contra hæreticorum insidias (quas nullo in loco non moliuntur) se murum opponat. Hunc autem idcirco auctorem Reverendissimæ Paternitati tuæ dedicamus, quo consilia pia, catholicamque eruditionem, nihilque non solidum et christianum habeas adversus seductores, quæ prædicatoribus diœcesis tuæ administres. Hinc postremo nihil ab hæreticis metuemus, si e regione tantum Episcopum, tantum Principem adeptus fuerit patronum. Non tamen solum hunc librum, verum nos quoque multo magis gratiæ tuæ commendamus, optantes ut quemadmodum multis nunc annis Reverendissimæ Paternitatis tuæ experti sumus clementiam, ita hanc in eadem virtute perstantem sentiamus perpetuam atque immortalem. Valeat Reverendissima Paternitas tua. Ex Cartusia tua Agrippinensi, decimo septimo calendas Februarias, anno a Christo nato, millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

PRÆFATIO

IN SERMONES AD SÆCULARES

LABIA *sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Malach. II, 7.

In his verbis breviter tangitur, quid ad sacerdotum, præsertim curatorum, spectet officium, quid item ad gregem eis commissum pertineat. Ad sacerdotes namque animarum curam habentes præcipue pertinet subditos illuminare, hoc est de necessariis ad salutem instruere, insinuando eis quid agere debeant, quid vitare, ut inter verum et falsum, inter bonum et malum vere discernant, veritati virtutibusque insistant, falsa et vitiosa devitent, atque hac via ad beatitudinem perducantur æternam. Dum ergo sacerdos plebem suam sic erudit, labia ejus custodiunt scientiam : id est, in subditorum cordibus eam conservat, hortando illos ne divinæ legis notitiam evangelicamque doctrinam obliviscantur, sed potius implere conentur quod de viro justo scriptum est : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *Ps.* I, 2. Hinc sanctis Apostolis et in eorum persona cunctis prælatis ait Salvator : Vos estis lux mundi. *Matth.* V, 14.

Denique ad subditos pertinet legem de ore sacerdotis requirere, id est, divinæ *Malach.* II, 7. legis præcepta ac documenta a suo pastore investigare ac discere, atque in omni perplexitate et ambiguitate ab ipso informationem exposcere : quia sacerdos qui præest, angelus, id est præco verbi Dei, et nuntius Regis æterni est; ideo obligatur voluntatem, præcepta et testimonia Regis ac Domini sui populo propalare, sicut Deus unicuique jubet prælato : Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et *Is.* LVIII, 1. annuntia populo meo scelera eorum. Paulus quoque apostolus cuilibet præcipit sacerdoti animarum curam sortito : Prædica verbum; insta opportune, importune; *II Tim.* IV, 2. argue, obsecra, increpa in omni patientia. Unde de sacerdotibus et prælatis non ita agentibus in Isaia habetur : Canes muti sunt, non valentes latrare, id est contra *Is.* LVI, 10. vitia prædicare; qui videntes commissas sibi oviculas ab infernalibus lupis invadi ac devorari, non debite renituntur, non reclamant, sed silent, sicut loquitur Christus : Mercenarius, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et fugit, id est, *Joann.* X, 12. sub silentio se abscondit, secundum Gregorium.

Sacerdotibus ergo curatis, scientia legis divinæ, notitia Scripturarum, eruditio competens et ad officii eorum exsecutionem condignam sufficiens, valde in primis est necessaria. Nempe ut Filius Dei ait : Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in *Matth.* XV, 14. foveam cadunt. Idcirco quum Isaias Judæorum ruinam ac destructionem prænun-

Is. LVI, 10. tiasset, causam assignans, mox addidit : Speculatores ejus cæci omnes; ipsi pastores
11. ignoraverunt intelligentiam, videntes vana et dormientes, id est, curiosa, inutilia et
caduca adspicientes ac quærentes, seque negligenter habentes. Ex his constat quam
necessaria sit sacerdotibus curatis scientia Scripturarum. Propter quod in Decreto,
distinctione tricesima septima, asseritur : Imperitia sacerdotibus semper est fugienda,
quia quum per ignorantiam cæcati aliis ducatum præbere cœperint, simul in foveam
cadunt; ideo ignorantiam maxime debent abjicere. Sed et S. Leo Papa testatur : Si
in laicis intolerabilis est ignorantia, quanto magis in his qui præsunt nec excusatione
est digna nec venia? Hinc in Toletano concilio legitur : Ignorantia mater cunctorum
errorum, sacerdotibus maxime est vitanda, qui docendi officium in Dei populo
susceperunt. Sacerdotes enim legere sacram Scripturam tenentur, dicente Apostolo :
I *Tim.* IV, Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Sciant ergo sacerdotes Scripturas sacras et
13. canones, quantum videlicet ad eorum pertinet statum, et omne opus eorum in
prædicatione et doctrina consistat; cunctos quoque ædificent tam fidei scientia quam
operum disciplina. Hinc etiam ait Chrysostomus : Sapientem esse oportet atque
perspicacem in omnibus sacerdotem, et mille (ut dicitur) oculos ex omni parte
habentem, ut non solum sibi, sed et populo vivat ac videat. Unde per Osee prophe-
Osee IV, 6. tam loquitur Deus : Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio
fungaris mihi, id est, sacerdotali officio indignum te arbitror.

Sacerdotes ergo, præsertim pastores, textum et expositiones sacræ Scripturæ
debent quotidie legere, sermones ac libros devotionales theologicosque revolvere, et
eorum quæ scire tenentur sibi notitiam incorporare, ut divinorum notitia sint
repleti, in moralibus eruditi, in cunctis discreti. Nec ideo ita facere debent, ut docti
reputentur, aut ab hominibus honorentur, aut carnalia commoda consequantur, sed
ut in primis purgent, corrigant, illustrent perficiantque se ipsos, deinde sibi com-
I *Cor.* VIII, 1. missos. Non enim sufficit scientia sola, quæ inflat, imo necessaria est scientia
Jacob. IV, caritate formata ac bonis operibus decorata. Nam ut Jacobus apostolus ait, scienti
17. et non facienti, peccatum est illi. Qui enim impie vivit, nec juxta præcepta ac
documenta Scripturæ sinceriter conversatur, indignus est alios docere ac prædicare,
Ps. XLIX, 16. quemadmodum scriptum est : Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias
meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Unde qui in mortali peccato se
esse cognoscit, aut probabiliter putat, aut merito sciret, quamvis damnabiliter ex
sua negligentia non advertat; quotiescumque prædicat, præsumptuose atque inju-
ste agit, quia indignus est prædicare qui operibus sacram Scripturam impugnat,
et contra ordinem caritatis procedit : caritas quippe incipit a se ipsa, quoniam sicut
post Deum homo tenetur potissimum diligere semetipsum, ita ipsos actus caritatis
tenetur sibi ipsi impendere priusquam proximis, purgando, emendando et dirigendo
in primis se ipsum. Hinc talis quoties prædicat, peccat mortaliter, prout S. Thomas
super quartum Sententiarum probat. Idcirco sanctus asserit Hieronymus : Utere
lectione divina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora
agendo : Scriptura enim speculum est fœda ostendens. Idem ait S. Gregorius :
Scriptura (inquiens) sacra quasi speculum quoddam mentis oculis opponatur, ut ibi
interna nostra facies videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus; ibi
sentimus quantum proficimus, quantumve a profectu distamus.

Itaque sacerdos curatus assuescat libris divinis insistere, Scripturarum intelligentiam discere, sicut ait Hieronymus : Sint divinæ Scripturæ semper in manibus, et mente jugiter revolvantur ; nec tibi putes sufficere mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci. Ut enim beatus testatur Isidorus : Quanto plus quis in sacris Eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. Postremo, teste Gregorio, omnem scientiam et doctrinam sacra Scriptura transcendit : nam vera prædicat, et ad patriam cœlestem invitat ; a terrenis desideriis revocat, et Dei amore legentem inflammat.

Quum ergo hæc ita se habeant, intendo ad Dei honorem et animarum salutem, epistolas et evangelia dominicis diebus ac festis Sanctorum occurrentia, breviter (quantum fons pietatis Spiritus Sanctus concesserit) explanare, annectendo sermones : et primo de Tempore, deinde de Sanctis, agere hoc conabor, quemadmodum etiam diu atque frequenter a multis carissimis sum rogatus.

PRÆFATIO

IN SERMONES AD RELIGIOSOS

FRATRES *sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis vestræ Jesum.* Hebr. III, 1.

Quamvis hæc verba sanctus Apostolus ad universos protulerit Christianos sub persona et nomine Hebræorum (omnes etenim Christiani, cœlestis vocationis, id est evangelicæ prædicationis atque internæ inspirationis ad cœlestem beatitudinem invitantis, exstant participes), nihilo minus verba ista ad religiosos et monachos specialiter dirigi possunt. Ipsi namque specialiter sancti vocantur, utpote non solum per regenerationem Baptismi sanctificati, sed et ideo, quia per votum solenne consecrati, oblati et dedicati sunt Deo, præ communi quoque populo spiritualius conversantur, atque in sanctitate et justitia Domino jugiter ministrare conantur, si tamen vere et digne religiosi ac monachi nuncupantur. Denique cœlestis vocationis præcipue sunt consortes, quia a Rege cœlorum ad angelicæ vitæ imitationem beatitudinisque supernæ vocati sunt claritatem, ut tanto gloriosiores ac sublimiores exsistant in cœlis, quanto præ ceteris spiritualiores ac custoditiores fuerint nunc in
Matth. XIX, 29, 21. terris. Eis enim Christus in Evangelio repromisit centuplum, et vitam æternam ac thesaurum in cœlo. Idcirco eos hortatur Apostolus, ut apostolum atque pontificem suæ confessionis Jesum, quem Dei Filium confitentur, et cui religiosam ac sanctam professi sunt vitam, considerent, ejus sequendo vestigia, et pensando verba quæ
Joann. XII, 26. dixit : Qui mihi ministrat, me sequatur; itemque : Qui vult venire post me, abneget
Luc. IX, 23. semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Dicitur autem Christus
I *Tim.* II, 5. secundum quod homo, Dei ac hominum mediator, apostolus, id est nuntius desuper
Joann. VIII, 42. missus, ac Dei Patris legatus, sicut in Evangelio protestatur : A me ipso non veni,
Ephes. V, 2. sed ille me misit. Ipse quoque est pontifex, utpote summus sacerdos, qui obtulit
II *Cor.* V, 19. semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, reconcilians Deo genus humanum, et verbo ac opere ostendit ac fecit hominibus pontem seu viam eundi ac pertingendi ad Deum.

Joann. III, 34. Præterea, Dominus noster Jesus Christus totius perfectionis exemplar, qui gratiam non ad mensuram, sed quodammodo infinitam accepit, plenus fuit omni virtute ac perfectione, donisque gratiæ tam gratum facientis quam gratis datæ; et fuit in eo utriusque potestatis plenitudo, ita quod fuit sacerdos et rex, pontifex et imperator, apostolus et propheta, prædicator et pastor. Fuit item in eo tam activæ quam contemplativæ vitæ perfectio : sic et monasticæ ac solitariæ seu eremiticæ conver-

sationis formam monstravit, exempla exhibuit, consilia dedit, eamdemque ipse implevit plenissime, in summa paupertate, castitate ac obedientia vivendo in sæculo isto, in tantum ut dixerit : Filius hominis non habet ubi caput reclinet; et denuo : *Matth.* VIII, 20.
Descendi (inquit) de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus *Joann.* VI, 38.
qui misit me. Matri quoque ac ejus ministris subditus fuit. *Luc.* II, 51.

Quum itaque nullus Christianorum valeat Christum in omnibus imitari, aut ejus perfectioni æquari, ideo quilibet debet ipsum potissimum considerare in his in quibus ex sua vocatione ipsum imitari tenetur. Unde prælati et prædicatores debent perpendere quam instanter ac fervide Christus Dominus prædicavit, et delinquentes corripuit, quam caritative, juste ac fructuose præfuit suis discipulis, in quibus nihil dissimulavit. Porro religiosi debent semper adspicere in quanta paupertate, puritate, obedientia, in quanta humilitate, mansuetudine, patientia vixerit in hoc mundo, quam frequenter fugerit turbas, imo et suos quoque discipulos reliquerit, ut oraret seorsum : non quod abstractione tali aut solitudine fuerit egens (quippe cujus tanta fuit perfectio, quod nec solitudine adjuvari, nec publico poterat impediri), sed ut præberet exemplum, et omnis perfectionis ac diversæ conversationis traderet formam.

Itaque, postquam auxiliante ac operante Spiritu Sancto, complevi sermones de Tempore et de Sanctis cum expositionibus epistolarum et evangeliorum tempori ac Sanctis assignatorum, prout sæcularium statui potius potest competere, propono nunc, Deo agente, ad ejus honorem aliquos de Tempore et Sanctis sermones componere, prout religiosis utriusque sexus magis præstante Domino poterit forsitan deservire ad elucidandum qualis religiosorum debet esse vita, quamque custodita, timorata, fructuosa ac pura [1].

[1] Coloniensium editionum secuti ordinem, omnes simul de Tempore sermones, sive ad sæculares sive ad religiosos, ut majori Lectoris utilitati consulatur, typis mandamus.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SCIENTES TEMPUS, QUIA HORA EST, ETC. Rom. XIII, 11-14.

QUAMVIS totum tempus evangelicæ legis sit tempus caritatis et gratiæ, in quo cunctis virtutibus insistere debet populus christianus, specialiter tamen tempus Adventus et Quadragesimæ dicitur tempus devotionis et pietatis ac etiam pœnitentiæ, in quo universi fideles a vanitatibus sæculi et peccatis singulariter abstinere, devotioni atque operibus misericordiæ ac pœnitentiæ vacare tenentur, sicque ad gratiam abundantiorem ac spiritualem lætitiam mentes suas disponere, ut sacratissimis festis nativitatis ac resurrectionis Christi digne intersint. Ideo epistola ista in prima Adventus dominica congrue in Missæ officio legitur. In qua plane epistola beatissimus Paulus apostolus ad opera pœnitentiæ, ad exercitia pietatis ac devotionis ardenter nos exhortatur, dicendo :

Scientes tempus, id est, quale sit tempus evangelicæ legis pensantes, quod est tempus acceptabile et salubre, in quo Deus maximam gratiam hominibus contulit, et misereri ac parcere, exaudire et dona gratiæ impertiri singulariter est paratus, potissimum propter meritum passionis Christi, imo et totius conversationis suæ sanctissimæ in hoc mundo. Tota namque conversatio Christi et passio nobis meritoria fuit, quia ad nostram salutem Christus eas ex caritate ardentissima ordinavit. Idcirco de tempore isto dicit Dominus apud Isaiam : In tempore accepto exaudivi (Is. XLIX, 8.) A te, et in die salutis auxiliatus sum tui; et Apostolus : Ecce (inquit) nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. (II Cor. VI, 2.) Hoc ergo scientes, dicimus et hortamur, *quia hora est jam nos de somno surgere,* id est, de torpore et negligentia, de otio et obdormitione in vitiis, ad diligentiam virtuosam, ad caritatis fervorem, ad strenuam operum bonorum exsecutionem ascendere. Hinc alibi monet Apostolus : Surge, qui dormis, id est, in vitiis torpes, et exsurge a mortuis. (Ephes. V, 14.) Christus quoque in Evan- B gelio loquitur : Vigilate itaque, quia nescitis quando Dominus veniet : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane : ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes, id est acediosos et imparatos. (Marc. XIII, 35, 36.)

Et merito agere sic debemus propter præmii propinquitatem. Ideo subditur : *Nunc enim propior,* id est propinquior, nobis *est nostra salus,* id est vera atque æterna felicitas : quia per Christi passionem salutis janua est aperta, quæ tempore legis Mosaicæ exstitit clausa præsertim C propter originale peccatum, quod Christi passione deletum est; *quam quum credidimus,* id est quam tempore veteris Testamenti, quando passio Christi credebatur futura, sicut nunc creditur facta. Idcirco tunc sancti descenderunt in limbum inferni, et differebantur a plena salute et gloria. Hinc loquitur Jacob patriarcha : Descendam ad filium meum lugens in infernum. (Gen. XXXVII, 35.)

Nox præcessit, id est, tempus veteris

Testamenti, in quo omnia erant obscura, A præteriit. Tunc enim fuit obscuritas figurarum legalium atque prophetalium visionum, quæ in novo Testamento patescunt et exponuntur. In cujus signum, spiritum Matth. xxvii, 51. Christo tradente, velum templi scissum est a summo usque deorsum. Vel, « nox præcessit », id est, tempus ignorantiæ atque perfidiæ usque ad evangelicæ legis prædicationem in toto mundo duravit, gentibus idola ubique colentibus. Unde ait aposto- Act. xvii, 30. lus Paulus : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant. *Dies autem appropinquavit,* id est, tempus evangelicæ legis jam venit et præsens est, in quo evangelicæ legis claritas fulget, et Christi doctrina mentes illuminat, splendor gratiæ micat. Vel, « dies appropinquavit », dies videlicet æternitatis seu beati- Ps. lxxxiii, 11. tudo cœlestis, de qua cantamus : Melior est dies una in atriis tuis super millia. Hæc dies appropinquavit, quia ut tactum est, Christus devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna cœlorum.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, id est actus vitiosos, qui quantum ad suam inordinationem et obliquitatem, sunt nihil et tenebræ, et ex ignorantiæ tenebris oriuntur, quoniam teste Philosopho, omnis peccans est ignorans : nam quamvis in universali judicet recte, non tamen in particulari. Itaque opera tenebrarum quæ fecimus, per veram pœnitentiam abjiciamus ; præsentia repellamus non consentiendo suggestionibus pravis, juxta illud Eccli. xxi, 2. Ecclesiastici : Quasi a facie colubri fuge peccata. Tobias quoque dixit filio suo : Tob. iv, 6. Cave ne aliquando consentias peccato. Et futura opera tenebrarum præcaveamus, implentes quod in Ecclesiastico scribitur : Eccli. xxi, 1. Fili, peccasti? ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare ut tibi dimittantur. *Et induamur arma lucis,* id est, virtutibus et donis Spiritus Sancti animas nostras spiritualiter vestiamus, ornemus et contra tenebrarum opera muniamus, quem- Ephes. vi, 13. admodum alibi ait Apostolus : Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Quamvis autem virtutes istæ de quibus nunc sermo est, et dona, sint habitus infusi, non per exercitium acquisiti, his tamen dicimur nos vestire, in quantum ad earum infusionem nos præparamus, Deum rogantes ut eas nos induat, vel in quantum actibus earum insistimus. De his indumentis in Apocalypsi legitur : Beatus Apoc. xvi, 15. qui custodit vestimenta sua ne ambulet nudus.

Sicut in die, id est tempore gratiæ isto B quo vivimus, *honeste ambulemus,* id est, virtuose et reverenter coram Deo, et exemplariter coram hominibus, prout ait Salvator, Sic luceat lux vestra coram ho- Matth. v, 16. minibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est : hoc est, ut nullum scandalizemus, nemini dantes ullam offensionem, ut non II Cor. vi, 3. vituperetur ministerium nostrum ; prout ad Romanos docet Apostolus, Quæ pacis Rom. xiv, 19. sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus. Thessalonicensi- C bus quoque scribens : Honeste (inquit) I Thess. iv, 12. ambuletis ad eos qui foris sunt.

Non in comessationibus et ebrietatibus, id est, vitia gulæ vitemus, videlicet lauta, luxuriosa atque frequentia convivia, fercula, pocula. Qui enim amat vinum et pin- Cf. Prov. xxi, 17; xx, 1. guia, non erit sapiens. Et iterum Salomon ait : Luxuriosa res vinum, et tumultuosa Ibid. xx, 1. ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens. Christus quoque in Evangelio jubet : Videte ne graventur corda vestra Luc. xxi, 34. crapula vel ebrietate, vel curis hujus sæ- D culi. *Non in cubilibus,* id est voluptatibus carnis et diuturnis dormitionibus atque pigritiis, juxta illud : Væ qui dormitis in Amos vi, 1, 4. lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. *Et impudicitiis,* id est lascivis osculis, tactibus, atque similibus meretriciis blandimentis ac vitiis carnis, in quibus est maxima turpitudo, inverecundia et excæcatio mentis, secundum quod in Osee habetur : Fornicatio et ebrietas auferunt cor. Osee iv, 11. Hæc namque sunt bestialia vitia. *Non in contentione et æmulatione,* id est lite et

invidentia. Imo omnia hæc peccata pror- A
sus cavete. Nam ut in Canonica sua Jaco-
Jacob. III, 16. bus ait apostolus : Ubi zelus et contentio,
ibi inconstantia et omne opus pravum. In
Prov. XX, 3. Proverbiis quoque asseritur : Honor est
homini qui separat se a contentionibus.
Atque ad Timotheum scribit Apostolus :
II *Tim.* II, 14. Noli verbis contendere, ad nihil enim utile
est, nisi ad subversionem audientium. Hinc
Matth. V, 9. ait Salvator : Beati pacifici, quoniam filii
Dei vocabuntur. Quemadmodum ergo pa-
cifici sunt beati, quoniam Dei filii vocabun-
tur; sic contentiosi et invidiosi sunt mise- B
ri, quoniam filii diaboli vocabuntur. Ideo
dixit Propheta : Posui ori meo custodiam, *Ps.* XXXVIII, 2.
dum consisteret peccator adversum me.

Sed induimini Dominum Jesum Christum, id est, imitatione suæ conversationis spiritualiter vos vestite, ornate, et contra æstum concupiscentiarum ac frigora vitiorum, videlicet contra acediam atque invidiam ac inordinatam tristitiam, vos ipsos protegite. De hujusmodi indutione scri-
ptum est : Induit me Dominus vestimento *Is.* LXI, 10.
salutis, et indumento justitiæ circumdedit
me. Unde et rursus ait Apostolus : Induite *Ephes.* IV, 24.
novum hominem qui secundum Deum cre-
atus est.

SERMO PRIMUS

DE TENEBRIS PECCATORUM ABJICIENDIS, VIRTUTUMQUE LUCE ASSUMENDA.

ABJICIAMUS *opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Rom. XIII, 12. C

In his verbis ad duo nos hortatur Apostolus. Primum est, ut a peccatis nos expurgemus ac præservemus, quum ait : Abjiciamus opera tenebrarum. Secundum est, ut virtutibus decoremur ac muniamur, dum subdit : Et induamur arma lucis. Hæ namque sunt duæ partes justitiæ, quas
Ps. XXXVI, 27. tangit Psalmista dicendo : Declina a malo,
et fac bonum. Primo enim oportet a peccato averti, purgari ac abstinere, et deinceps gratiam Dei ac virtutes suscipere, et in eis proficere. Nec solum abjicere debe- D
mus opera tenebrarum, sed etiam omissiones operum bonorum, præsertim eorum ad quæ tenemur. Denique opera tenebrarum non solum sunt exteriora opera mala, sed et actus interiores vitiosi, ut cogitationes illicitæ, affectiones iniquæ; pravæ locutiones, sicut detractio, murmuratio, seminatio discordiæ, atque similia. Opera enim tenebrarum sunt universa peccata mortalia, quæ recte tenebrarum opera appellantur, et summe vitanda ac fugienda sunt :

Primo, quia Deo, qui summa, vera et pura lux est, maxime contrariantur ac displicent. Deus quippe est ineffabilis pulchritudo et puritas; peccata vero sunt turpitudines et immunditiæ maximæ. Ideo
Moyses ait : Aversatur Dominus omnem *Deut.* XXV, 16.
impietatem. Et iterum dicit Scriptura :
Deus odit iniquitatem. *Judith* V, 21.

Secundo, quoniam per peccata a Patre luminum separamur, et dissimiles atque
odibiles ei efficimur. Propterea Salomon *Ps.* V, 7.
contestatur : Longe est Dominus ab im- *Prov.* XV, 29.
piis; et iterum : Abominabile Domino cor *Ibid.* XI, 20.
pravum. Idcirco Propheta ait ad Domi-
num : Odisti omnes qui operantur ini- *Ps.* V, 7.
quitatem. In Sapientiæ quoque libro scri-
ptum est : Odio sunt Deo impius et impi- *Sap.* XIV, 9.
etas ejus.

Tertio, quoniam per peccata efficimur miseri et spiritualiter mortui, etiam in præsenti. Quum enim beatitudo rationalis creaturæ consistat in unione et assimilatione sua ad proprium creatorem, eo ipso quo peccando a Deo avertimur, distamus ac separamur, miseri prorsus efficimur;

et tanto sunt homines miseriores, quo amplius peccant, quo magis ad libitum temporaliter prosperantur, carnaliter delicianJob xxi, 9. tur, honoribus extolluntur, ita quod virga Ps. LXXX, 13. Dei non est super eos, sed propriis adinventionibus dimittuntur, atque in desideriis proprii cordis ire sinuntur. Porro electos suos Deus retrahit a peccatis variis modis, videlicet : per adversa, per inspirationem internam, per subtractionem materiæ et occasionis seu opportunitatis peccandi, per angelicam suggestionem, per exhortationem et informationem humaProv. XIV, 34. nam. Hinc in Proverbiis scribitur : Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. Insuper quum caritas Dei sit vita animæ, sicut anima est vita corporis sui, per hoc quod peccatum mortale caritatem Dei tollit ab anima, spiritualiter eam ocSap. I, 11. cidit, juxta illud : Os quod mentitur, ocIbid. 12. cidit animam; itemque : Injustitia, mortis est acquisitio. De taliter mortuis ait Matth. VIII, 22. Salvator : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Quarto, quoniam peccatum est summa De Divin. nom. c. IV. vilitas hominis. Omnis etenim creatura in quantum est, aliquid participat divinæ bonitatis, perfectionis ac dignitatis, imo et divinæ pulchritudinis, ut divinus Dionysius docet. Hinc bonum et verum ac unum convertibilia sunt cum ente, similiter pulchrum. Hinc etiam omnis creatura aliqualiter assimilatur Creatori. Peccator autem in quantum peccator, non solum nil habet ac nihil participat bonitatis, perfectionis, dignitatis ac pulchritudinis, imo ab his omnibus cadit ac deficit, atque oppositis horum impletur, puta malitia, imperfectione, vilitate, deformitate seu turpitudine ac dissimilitudine. Unde in quantum peccator, merito malus, falsus, vanus, divisus, vilis, deformis, ac Deo dissimilis nuncupatur. Peccando etiam est Deo creatori ingratus, infidelis, rebellis ac odiosus : quod est maxima vilitas. Idcirco peccator indignus est pane quo vescitur, aere quem respirat, terra quam calcat, imo omnium creaturarum ministerio, adminiculo atque

A consortio. Ideo in die judicii contra iniquos pugnabit pro Creatore orbis terrarum, imo universitas creaturarum. Sap. v, 21.

Præterea aliæ multæ et magnæ sunt causæ cur opera tenebrarum debeamus abjicere : quia per ea membra ac servi diaboli reddimur, jugo impietatis subjicimur, donis gratiæ in præsenti bonisque gloriæ in futuro privamur, æternis quoque deputamur suppliciis. Idcirco omnes iniqui vere et infeliciter stulti sunt, qui pro brevi et vili delectatione peccati tot mala B inferunt sibi, tam irrationabiliter agunt, tam viles se faciunt, tot periculis se exponunt. Carent equidem dono sapientiæ, et vitio puerilitatis falluntur pueris similes, imo insipientiores. Nam sicut infantes poma et pira præferunt auro et gemmis, sic ipsi incomparabiliter stultius ista carnalia et caduca præferunt bono incommutabili, summo et infinito, Deo sublimi ac superdignissimo, et spiritualibus donis ipsius. Unde de taliter fatuis Salomon protestatur : Stultorum infinitus est nu- Eccle. I, 15. C merus.

Præterea non sufficit nobis ad salutem, opera tenebrarum abjicere, sed necesse est ut arma lucis, id est virtutes et dona Spiritus Sancti, apprehendamus ac induamus : hæc etenim arma animas nostras decorant, deiformes efficiunt, et Deo gratas, placentes atque amabiles reddunt. His itaque armis indigemus :

Primo, quoniam absque eis animæ nostræ sunt nudæ, pauperes, debiles, vacuæ et deformes : ideo sine his Deo non plaD cent, sed displicent. Pulcherrimæ quippe vestes et veræ divitiæ animarum sunt virtutes, quæ etiam robur et decor sunt animarum nostrarum. Unde Dominus ait : Suadeo tibi emere aurum ignitum, id est Apoc. III, 18. caritatem a Deo precibus impetrare, et ut vestimentis albis, id est virtutibus ceteris quæ simul cum caritate adveniunt et recedunt, induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Hinc carentibus his vestibus dicitur : Quomodo huc intrasti non Matth. XXII, 12. habens vestem nuptialem ? Quum itaque

omnis anima sit sponsa Christi per amorem spiritualem, vel adultera diaboli per amorem carnalem, indigemus his armis lucis, si animæ nostræ Deo placebunt, ejusque sponsæ erunt.

Secundo, indigemus his armis, id est virtutibus, ratione status in quo sumus : siquidem in sæculo isto quasi in campo certaminis positi sumus, in quo campo quasi in medio laqueorum ambulamus, quoniam dæmones quasi quidam latrunculi nostrum obsident iter. Propter quod, *Ephes.* VI, 12. teste Apostolo, non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, scilicet tantum aut principaliter; sed contra aerias potestates, id est dæmones, est nobis principalis luctatio. Quum igitur in hac via ab invisibilibus hostibus, a mundanis hominibus, a motibus carnis ac animæ passionibus graviter ac multipliciter impugnemur, tentemur ac molestemur, nisi virtutibus simus armati, undique lædimur, vitiis sauciamur, tentationibus superamur; quemadmodum si quis in corpore non armatus, in campo seu in acie contra adversarios corporaliter pugnet, diversa atque mortifera vulnera recipit.

Tertio, indigemus his armis lucis, quæ a summa et increata luce infunduntur atque ad eam perducunt, ratione finis ad quem conditi sumus. Creati etenim ad supernaturalem beatitudinem, id est beatificam Dei fruitionem, consistimus : idcirco non nisi per supernaturalia media, ut sunt virtutes theologicæ et infusæ, ac dona Spiritus Sancti, ad eam valemus pertingere. Media nempe fini oportet proportionari. Itaque juxta doctrinam et jussionem S. Pauli, surgamus a somno pigritiæ et peccati, et Domino Deo nostro alacriter serviamus, ferventer adhæreamus, prompte obediamus, quemadmodum in libro Josue habetur : Servite Domino corde perfecto atque verissimo. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter. Et Salomon ait : Usquequo, piger, dormis? Nam ut S. Leo Papa fatetur, non negligentibus, non otio ignaviaque torpentibus provenit regnum

Rom. XIII, 11; *Ephes.* V, 14. — *Josue* XXIV, 14. — *Jer.* XLVIII, 10. — *Prov.* VI, 9.

Dei, sed his utique qui coram Deo timorate et custodite atque sollicite ambulant, pavidi semper ne Deum altissimum et æternum offendant. Propter quod ait Apostolus : Serviamus Deo cum metu et reverentia.

Mich. VI, 8. — *Hebr.* XII, 28.

Præterea possent hic plurima dici de multiplici somno, videlicet somno naturæ, somno culpæ, somno quotidianæ negligentiæ, somno contemplationis supernæ, somno quietis internæ, somno mortis ac somno beatæ fruitionis, de quibus in Scripturis multa dicuntur, et qualiter a somnis tam diversis diversimode sit surgendum; sed brevitati studens dimitto, quia et infra (ut spero) locus inde occurret, et uni epistolæ non nisi unum intendo sermonem annectere.

Postremo, quoniam pro simplicioribus ista scribuntur, qui interdum exemplis magis quam verbis ædificantur, propono exempla inserere. Jamque illud occurrit, quod peccata, quibus dæmonibus deservitur, recte opera tenebrarum vocantur, quia et dæmones tenebrarum principes *Ephes.* VI, 12. nominantur, atque in forma nigerrima apparere solent hominibus, quamvis in propria natura incorporales ac incolorati existant. Nigredo equidem minimum habet de luce, de qua albedo præ ceteris coloribus magis participat : idcirco nigredo tenebrositati spirituum malignorum amplius congruit. Unde quum S. Antonius a spiritu fornicationis diu ac graviter impugnatus fuisset, atque eidem jejuniis, orationibus, lacrimis, vigiliis fortissime restitisset, tandem victus diabolus, S. Antonio in forma nigerrimi turpissimique Æthiopis cum flammeis apparuit oculis, dicens : Ego sum spiritus fornicationis. Cui beatus respondit Antonius : Multum turpis et detestabilis es, ideo te de cetero non timebo.

Legitur quoque in Vitaspatrum, quod quidam sanctus eremita Deum rogavit ut dæmones sibi ostenderet. Cui Deus respondit : Non opus est tibi adspicere dæmones. Et ille dixit : Domine, gratia tua potest me confortare. Tunc Deus aperuit oculos

ejus, viditque dæmones in specie parvorum nigerrimorum Æthiopum aerem adimplentes.

Insuper in libro de Dono timoris narratur : Religiosus quidam in dormitorio cum ceteris monachis jacens, horribiliter cœpit clamare. Conventus ergo surgens atque accurrens, vidit illum fixis oculis ad parietem respicientem, nec quidquam eis loquentem, sed miserabili horrore concussum. Mane a Priore interrogatus cur clamaverit, dixit : Vidi diabolum. Requisitus de forma illius, respondit : Describi perfecte non potest, sed id dico, quod tam terribilis est et pœnosa ad intuendum, quod si esset hic fornax ardens ex parte una, et forma illius ex alia, mal- A lem furnum intrare, quam illum adspicere. Multa leguntur similia. Quod si tam terribile et pœnale est, dæmonem ad momentum videre, quam horrendum pœnalissimumque consistit, ab ipso post hanc vitam torqueri, atque cum ipso in inferis æternaliter habitare, et sine fine ipsum inspicere? Imo si tam terribile et pœnale est, dæmonem unum adspicere, quam terribile ac pœnalissimum erit, innumerabiles dæmones in inferno aut etiam in purgatorio cernere? Timeamus ergo, et opera B tenebrarum infatigabiliter fugiamus, ut post vitam hanc labilem, Regem gloriæ, *Is.* xxxiii, 17. Dominum pulchritudinis atque dulcedinis infinitæ, in decore suo æternaliter feliciterque cernamus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA, ETC. Luc. XXI, 25-33.

SECUNDUM ordinarium Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris ac magistræ, evangelium istud, Erunt signa in sole et luna, quod in Luca habetur, in prima Adventus dominica legitur. Et hoc rationabiliter agitur, quia ut tactum est, tempus Adventus est tempus compunctionis et præcipuæ devotionis, tempus quoque pœnitentiæ et præparationis ad gratiam specialem per quam Christi nativitas digne ac devotissime celebretur. Porro ad omnia ista valde disponit diligens ac profunda consideratio finalis judicii, et eorum quæ in evangelio hoc scribuntur, per quæ ingens timor incutitur menti, et a mundanis vanitatibus abstrahitur homo. *Eccli.* i, 27. Timor autem retrahit hominem a peccatis, et in Dei obsequio efficit diligentem. Propter quod Salomon ait : Per timorem unus- *Prov.* xv, 27. quisque declinat a malo; et iterum : Qui ti- *Eccle.* vii, 19. met Deum, nihil negligit. Christus ergo ad diem judicii nos facere volens paratos, ait :

C *Erunt signa in sole et luna et stellis.* Qualiter intelligendum sit hoc, plenius patet ex eo quod apud Matthæum ait Salvator : Statim autem post tribulationem *Matth.* xxiv, 29. dierum illorum (utpote post persecutionem Antichristi) sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo. Itaque signa quæ erunt in cœlo et luna et stellis, erunt obscurationes eorum supernaturales atque insolitæ, et quod stellæ cadere videbuntur. Sol ergo et luna obscurabuntur, et obscuratio illa erit in D tempore immediate præcedente horam judicii, hoc est descensum Christi ad judicandum. Sicque inter finem persecutionis Antichristi et obscurationem luminarium cœli, erit permodicum tempus, videlicet quadraginta quinque dierum vel circiter, qui dabuntur ad pœnitendum his quos Antichristus seduxit, prout doctores catholici, Haymo, Beda, Albertus, ac alii dicunt : et hoc ex Daniele trahunt. *Dan.* xii, 11, 12.

Denique obscuratio ista solis et lunæ, a doctoribus diversimode explanatur. Sanctus namque Hieronymus sic exponit, quod sol et luna obscurabuntur comparatione lucis majoris : quoniam Christus judex in tanta claritate ad judicium veniet, apparebit ac residebit, ut ejus comparatione alia obscuranda dicantur, quemadmodum sole oriente, stellæ obscurari feruntur, quoniam minus lumen a majori fuscatur. Et istud, secundum Thomam super quartum Sententiarum, verum est, si intelligatur pro ipso momento descensus Christi ad judicandum : in quo momento totum mundum asserit innovandum. Alii vero probabilius dicunt, quod innovatio mundi immediate sequetur judicium, reprobis in infernum detrusis. Durante namque judicio, mundus stabit in igne conflagrationis, qui reprobos involvet, et cum eis in infernum descendet quantum ad id quod caloris et fumositatis in ipso erit, secundum Basilium. In ipsa vero innovatione
Is. xxx, 26. sol et luna septies clariores fient quam ante fuerunt.

Si autem verbum Hieronymi intelligeretur pro tempore præcedente judicium, stare non posset. Unde pro tempore illo quidam dicunt, solem et lunam ac sidera contenebranda ex fumo et vaporibus qui consurgent in altum ex igne conflagrationis. Et hoc Origenes tangit, dicendo : Dicet aliquis, Sicut in magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli, sic in consummatione mundi ab igne qui succendendus est obscurabuntur luminaria cœli. Huic quoque satis concordat quod alii dicunt, quod sol et luna obscurabuntur tunc non in se, sed quantum ad homines, quibus tunc lumen eorum non apparebit, eo quod aliqua corpora opaca inter ea et terram ponentur. Sed et aliqui opinantur, quod luna soli tunc supponetur, quemadmodum tempore passionis dominicæ. Quo concesso, consequens est lunam tunc obscurari hominibus. Semper enim luna pro media obscura est parte, ea videlicet quæ a sole aversa
A est, a quo lumen lunæ in esse ac conservatione dependet. Verumtamen ex sola lunæ positione sub sole, non posset tota terra luce solis privari, propter parvitatem lunæ respectu solis.

Rabanus vero ait : Nihil prohibet intelligi veraciter tunc solem et lunam cum ceteris sideribus lumine suo privari, sicut de sole factum constat tempore dominicæ *Matth.* xxvii, 45.
passionis. Unde et Joel propheta ait : Sol *Joel* ii, 31.
convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini ma-
B gnus et manifestus. Ceterum peracto die judicii et clarescente futuræ gloriæ vita, quum fuerit cœlum novum et terra nova, tunc fiet quod Isaias propheta dicit : Erit *Is.* xxx, 26.
lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter. Ex quo Rabani verbo patet, quod innovatio mundi fiet peracto judicio. Verumtamen principium auctoritatis hujus Rabani intricatum mihi apparet. Quid est enim quod ait, Nil prohibet intelligi solem et lunam ac sidera tunc veraciter lumine suo privari, sicut de sole
C factum est tempore passionis dominicæ ? Tempore siquidem passionis Christi sol non fuit suo lumine quantum ad se seu in se vere privatus ; sed illa eclipsis seu obscuratio solis fuit quantum ad homines, per interpositionem lunæ inter solem et terram, quemadmodum in epistola ad B. Polycarpum divinus Dionysius certissime protestatur.

Insuper, quod stellæ dicuntur de cœlo casuræ, dupliciter potest intelligi : primo, quia per hoc quod obscurabuntur nec ap-
D parebunt, quasi cecidisse videbuntur ; secundo, quoniam tot et tantæ exhalationes scintillationesque igneæ generabuntur atque descendent seu circumferentur in aere, utpote azub seu cometæ, quod illis deficientibus seu apparenter cadentibus, stellæ cadere videbuntur. Ex quibus patet solutio quæstionis quam Origenes curiose movet, dicendo : De stellis quidam dicunt, aut omnes aut plures earum majores esse quam terram : quomodo ergo cadent de cœlo, quum magnitudini earum non suf-

ficiat terra? Præfatæ quoque impressiones seu exhalationes propter siccitatem in aere tunc maxime abundabunt; potius tamen hoc fiet miraculose divina virtute.

Deinde tanguntur in evangelio isto horribilia magna quæ erunt in terra : *Et in terris,* hoc est universis regnis, provinciis, civitatibus, erit *pressura gentium.* Erit quippe in eis pressura duplex, videlicet : spiritualis, quæ est magna angustia cordis; et corporalis, quia tam multi ex propriis locis fugient ob causas sequentes, quod se invicem compriment, præsertim ubi se quasi in loco tutiori collegerint. *Præ confusione sonitus maris et fluctuum.* Ex inundatione namque maris ac fluctuum generabuntur fragores maximi atque horribiles, ita quod homines in insulis et locis maritimis commorantes, potissimum terrebuntur ac fugient. Fugient etiam tunc ex timore terræ motuum, qui tunc vehementissimi creduntur futuri. Tunc ergo ad litteram præsertim implebitur illud
Ps. XCII, 3, 4. in Psalmo : Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum; mirabiles elationes maris. Nam et tunc fortissimi venti creduntur venturi, a quibus et aquæ concitabuntur.

Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione eorum *quæ supervenient universo orbi.* Ex timore namque tunc præsentium malorum pœnalium, scilicet ex signis quæ apparebunt in sole, luna, stellis, in mari ac fluctibus, in terræ motu et ventis, itemque ex præstolatione malorum futurorum in die judicii, scilicet conflagrationis et finalis retributionis in impiis, homines corporaliter spiritualiterque arescent : quoniam sicut jucunditas atque securitas mentem reficiunt, roborant et dilatant, ita tristitia et timor eam dejiciunt, debilitant et constringunt; nec solum in anima faciunt hoc, sed in corpus quoque redundant, ita quod timor et tristitia corpus extenuant, debilitant et exsiccant : sicque homines aridi fient et macri, exsangues et pallidi. Hinc Salomon

A loquitur : Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa; et *Prov.* XVII, 22.
denuo : Sicut tinea nocet vestimento, ita tristitia cordi; secura autem mens quasi juge convivium. *Ibid.* XXV, 20; XV, 15.

Denique quod homines sic pavebunt ac arefient, probat Salvator quasi per locum a majori. *Nam virtutes cœlorum movebuntur.* Quemadmodum magnus Dionysius libro de Angelica hierarchia testatur, per virtutes uno modo intelliguntur angeli unius ordinis specialis, videlicet medius ordo *cap.* XI.
B secundæ hierarchiæ. Et de his quidam istud exponunt, dicentes quod virtutes istæ tunc specialiter movebuntur, quia earum est miracula facere, et tunc ad faciendum operationes ac transmutationes miraculosas præ solito se extendent atque procedent. Alii opinantur, quod angeli isti idcirco virtutes cœlorum vocentur, quia ad eas pertinet corpora movere cœlestia, quod etiam S. Thomas sentire videtur; atque idcirco tunc movendæ sint motu cujusdam admirationis ac reverentiæ, quia a
C suis cessantes officiis circa motum cœlestium, tot mirabilia in cœlestibus cernent. Hinc loquitur Origenes : His accidentibus, consequens est cœlorum rationabiles virtutes stuporem et commotionem aliquam pati ac conturbari, remotas scilicet a primis functionibus (id est officiis) suis. Et si objiciatur, quod admiratio consurgit ex hoc quod effectus conspicitur et causa ignoratur; sed omnes angeli sancti jam ista sciunt futura, quumque evenerint, causam non ignorabunt, ergo nec mirabuntur:
D respondendum, quod causam horum, puta increatam Dei virtutem seu omnipotentiam, plene comprehendere nequeunt, et tunc eam in suis effectibus specialiter ac reverenter mirabuntur. Unde hæc erit admiratio profundæ contemplationis, non caliginosæ ignorationis aut inquisitionis.

Alio modo per « virtutes » intelliguntur universi angelici spiritus, propter potentem eorum idoneitatem ad exsequendum Dei imperium omnemque actum ad ipsos spectantem, juxta illud Psalmi : Benedi- *Ps.* CII, 20.

cite Domino, angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius. Et omnes hi spiritus tunc movebuntur modo prætacto, non metu offensæ aut pœnæ. Porro quod asserit Glossa, Angelicæ potestates tremunt adventum Judicis; et item quod in homilia quadam ait Hieronymus, Si Apostoli reddituri sunt rationem, et sub metu Judicis resurrecturi, quid nos oportet facere? intelligendum est de metu reverentiæ, quæ tunc præcipue apparebit. Nam et de Christo secundum naturam assumptam Isaias prædixit : Replebit eum spiritus timoris Domini. (Is. xi, 3.)

Præterea quadruplex ponitur motus. Primus est motus potestativus, qui est processus ad operationes, potissimum miraculosas et supernaturales : sicque Plato dixit Deum moveri. Imo et S. Dionysius hunc motum Deo attribuit, primo capitulo Angelicæ hierarchiæ dicens : Omnes a Patre moto illuminationes descendunt. Unde sic Deum moveri, non est aliud quam ipsum ad operationem absque sui mutatione procedere. Hoc quoque motu virtutes cœlorum tunc movebuntur, quia per eas imminente judicio multa fient miracula. Secundus est motus reverentialis seu mirativus : et sic omnes angelorum ordines movebuntur. Tertius est motus localis : sic quoque movebuntur tunc omnes, cum Christo ad locum judicii descendendo. Quartus tandem est motus timoris proprie dicti, qui est fuga mali : sic nullus angelorum nec aliquis Beatorum timebit, quum sint beati, impassibiles ac securi.

Hoc loco omittit Lucas quod apud Matthæum habetur, videlicet : Et tunc apparebit signum Filii hominis, id est crux Christi, vel vulnerum sui corporis cicatrices, in cœlo aerio, ubi Christus ad judicandum sedebit. (Matth. xxiv, 30.) De intellectu autem istius verbi in sermone plenius dicam.

Et tunc, utpote cito post signa prætacta, *videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Omnes enim, tam boni quam mali, Christum de cœlo empyreo descendentem videbunt. Nam mortui erunt tunc suscitati, atque ad locum judicii angelorum ministerio ducti. Beati tamen tunc suscitati, illo ministerio non egebunt, quia cum corpore glorificato resurgent. Quemadmodum autem Christus ascendit in nube, juxta illud, Nubes suscepit eum ab oculis eorum; (Act. i, 9.) ita in nube descendet, sicut et angeli tunc Apostolis prædixerunt : Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, sic veniet. (Ibid. 11.) Hinc in Apocalypsi habetur : Ecce venit cum nubibus; et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. (Apoc. i, 7.) Veniet autem Christus « cum potestate magna » : quia secundum suam divinitatem, infinitæ est potestatis atque omnipotens; secundum humanitatem vero assumptam, ipsemet post resurrectionem dixit Apostolis : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (Matth. xxviii, 18.) Omni enim creaturæ prælatus est, et cunctis potentior factus. Veniet quoque « cum potestate magna », quia omnium angelicorum spirituum Beatorumque omnium potentissimo vallatus exercitu. Quemadmodum enim primus Christi adventus fuit in summa paupertate et maxima humilitate, ut judicaretur; ita secundus ejus adventus erit in summa potestate et gloria, quatenus omnia judicet. Denique Christi humanitatem videbunt boni et mali : ejus vero divinitatem soli Beati videbunt visione beatificæ fruitionis; reprobi vero eam videbunt, hoc est, aliquo modo cognoscent, sive per fidem informem, vel per aliquid fidei proportionatum, et per naturalem rationem atque per rerum evidentiam et suæ miseriæ experientiam. Boni autem et electi qui nondum ad beatificam visionem venerunt, nec venient quousque Christus protulerit, Venite, benedicti Patris mei; (Ibid. xxv, 34.) divinitatem Christi tunc videbunt per fidem formatam et per alia dona ac media.

Post tot terribilium pronuntiationem consolatio electorum subjungitur. *His autem fieri incipientibus,* id est prædictis signis secundi adventus, *respicite, et levate capita vestra,* id est, corda exhilara-

* sperate te, et humiliter respirate*, *quoniam appropinquat redemptio vestra,* id est liberatio ab omnibus adversitatibus vitæ præsentis ac salus perpetua. Hæc verba dixit Christus discipulis suis, non pro propria eorum persona, qui jam beati sunt, nec tunc in tribulatione hujus sæculi erunt; sed sub persona justorum ac electorum qui ante prædictorum inchoationem signorum in sæculo isto erunt ac venient, nec ab Antichristo fallentur, vel si quidam eorum ab illo decepti fuerint, pœnitebunt. Hi enim tempore persecutionis Antichristi et circiter, in tribulationibus maximis erunt, videntes Ecclesiam suppeditari, fidem in multis exstingui, constantes in fide ab Antichristo et ejus satellitibus atrocissime undique trucidari. Sed advenientibus signis secundi adventus Christi consummationisque sæculi, testimonio bonæ conscientiæ se ipsos humiliter consolabuntur, eo quod instet perfecta eorum redemptio ac salus æterna, de qua ad Romanos ait Apostolus : Nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. *Rom.* VIII, 23.

Deinde Salvator per exemplum sensibile probat quod dixit. Nam subditur : *Et dixit illis similitudinem* aptam ad intelligentiam prædictorum. *Videte ficulneam et omnes arbores,* id est, considerate in eis quod sequitur. *Quum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.* Et loquitur Christus hic de tempore fructificationis arborum juxta cursum et consuetudinem terræ promissionis, ubi propter regionis calorem citius quam in locis occiduis istis fructificant. *Ita et vos quum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei,* id est plena glorificatio electorum qua in corpore et anima gloriosi consistent. Quamvis namque signa prætacta non ducent in cognitionem judicii quantum ad diem aut horam determinate, quia ut asserit Christus, de die illa et hora nemo scit; ducent tamen in cognitionem judicii quoad propinquum ejus eventum indeterminate. *Marc.* XIII, 32.

Amen, hoc est vere, *dico vobis, quia non præteribit generatio hæc,* id est, genus humanum seu populus Judæorum non auferetur in toto a terra, *donec omnia fiant* quæ dixi futura, quia quum veritas sim, mentiri nec volo nec valeo. *Cœlum et terra transibunt,* id est, esse desinent, non quantum ad esse substantiale ipsorum, sed quantum ad dispositionem et formam accidentalem : nam innovabuntur et alium melioremque modum essendi habebunt. Idcirco in Psalmo habetur : Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, et sicut vestimentum veterascent. In Apocalypsi quoque ait Joannes : Vidi cœlum novum et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit. *Verba autem mea non transibunt,* hoc est, veritas significata per ea certissime prorsus eveniet. *Ps.* CI, 26, 27. *Apoc.* XXI, 1.

SERMO SECUNDUS

DE METUENDISSIMA DISTRICTIONE FINALIS JUDICII.

HORRENDUM *est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. x, 31.

In his verbis sanctus Apostolus compendiosissime tangit ac docet, quam districtum ac metuendum sit Dei judicium quo judicat homines. Et quamvis particulare judicium Dei, quo judicat unumquemque in sua morte, sit valde terribile, maxime tamen est metuendum atque districtum universale judicium Dei, quo in

die novissimo judicaturus est universos. A Et hujus quidem judicii terribilitas summa primo pensatur ex hoc quod tam multa terribilia signa ipsum præcedent, videlicet : obscuratio solis et lunæ ac siderum prout in præcedentibus exstat expositum, pressura gentium, fragor sonituum maris ac fluctuum, arefactio hominum præ timore.

Secundo, idem pensatur ex qualitate seu proprietatibus Judicis summi tunc judicaturi, videlicet Christi, qui est verus Deus et verus homo. Qui judex est summe B et incomparabiliter formidandus. Primo, *Esther* XIII, 9. ratione suæ omnipotentiæ, cui nullus po- *Tob.* XIII, 2. test resistere, quam nullus potest effugere, a qua nullus poterit tunc alium liberare, quemadmodum ipse in Deuteronomio *Deut.* XXXII, 39. ait, Non est qui de manu mea possit eruere. *Jer.* XLIX, 19. Unde apud Jeremiam testatur : Quis similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Hæc consideratio movit beatum Job ad *Job* XXIII, 13, 15. dicendum : Cogitationem Dei nemo avertere potest, et quodcumque voluit, fecit : C idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. — Secundo, ratione sapientiæ suæ, quam nil potest *Eccli.* XXIII, 28. latere, juxta illud Ecclesiastici : Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. *Job* XXXI, 4. Idcirco sanctus Job dixit : Nonne ipse considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat? Hinc innumerabilia vitia quæ nos ipsi non advertimus neque cognoscimus, tunc contra nos quasi de insidiis erumpent, exsurgent, objicienturque D nobis. Propter quod orat Psalmista : *Ps.* XVIII, 13. Ab occultis meis munda me, Domine. Sanctus quoque Gregorius loquitur : Sic Deus vias nostras considerat, ut nec minimæ cogitationes nec minutissima verba, quæ apud nos viluerunt nec reputantur, in ejus judicio indiscussa permaneant. Hinc etiam S. Leo Papa fatetur : Ista est Judicis summi scientia, iste tremendus adspectus ipsius, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum ; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. Et ideo quum ejus sapientia sit talis ac tanta, contra eam nihil valebunt allegationes advocatorum, neque sophismata philosophorum, nec præclarissima eloquia oratorum, neque astutiæ versutorum. Sanctus quoque Hieronymus : Quanti (inquit) elingues et muti feliciores tunc erunt loquacibus et facundis? quanti pastores philosophis? quanti rustici oratoribus? Quanti hebetes tunc præferentur argutiis Ciceronis? — Tertio, summe formidandus est Judex iste ratione suæ justitiæ, quæ non minus magna et infinita est, quam misericordia ejus ; idcirco nullum peccatum deserit impunitum, juxta illud Job : Deus inul- *Job* XXIV, 12. tum abire non patitur. Et videmus quod quanto aliquis judex est justior, tanto plus odit iniquitatem atque districtius ulciscitur eam. Idcirco dies ille judicii erit dies summi rigoris, secundum illud Isaiæ prophetæ : Ecce Dominus Deus ut ignis ve- *Is.* XXX, 27. niet, ardens furor ejus, et gravis ad portandum.

Tertio, etiam pensatur terribilitas divini judicii ex conditione, qualitate et proprietatibus judicandorum, videlicet hominum, qui sunt debiles ac fragiles creaturæ, ad omnia mala proni, et infinitis periculis modo circumdati, atque incerti an amore *Eccle.* IX, 1. sint an odio digni. Si ergo nos ipsos et pericula ac peccata nostra ac ignorantiam rite perpendimus, infinita est nobis ratio formidandi divinum judicium, qui penitus ignoramus an finaliter simus damnandi. Propterea supplicavit Psalmista : Non *Ps.* [illegible] intres in judicium cum servo tuo, Domine. Sanctus quoque Job ait : Non justi- *Job* IX, [illegible] ficatur homo compositus Deo ; si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Et denuo : Deus, [illegible] cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem : quantus ergo ego sum, ut respondeam ei et loquar verbis meis cum eo? Non ergo immoderate aut contumaciter excusemus nos ipsos, quando a superioribus aut a proxi-

mis nostris corripimur. Etiamsi de his quæ nobis objiciuntur conscii nobis non sumus, tamen propter occulta peccata nostra æquanimiter ferre debemus, quoniam per Jeremiam Dominus loquitur : Ecce judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Correpti ergo et etiam castigati, humiliter illud Job fateamur, dicentes ex corde : Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Interdum tamen ad vitandum scandalum proximorum, potest se homo humiliter excusare dum innocens est.

Jer. II, 35.

Job XXXIII, 27.

Quarto, pensatur terribilitas divini judicii ex inflexibilitate Judicis summi et irrevocabilitate suæ sententiæ : quia ut sanctus asserit Augustinus, ille Judex tunc nec gratia, favore seu blanditiis prævenitur, nec misericordia flectitur, nec donis corrumpitur, nec satisfactione aut pœnitentia mitigatur. Ideo nunc agat unusquisque pro se quamdiu locus et tempus est misericordiæ, quia tunc erit locus justitiæ.

Quinto, idem pensatur ex terrifico adspectu Judicis circa iniquos, quibus inæstimabilis pœna erit iratum Judicis cernere vultum, qui impiis per Amos comminatur : Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Unde sanctus Job locutus est Deo : Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei ? Ideo tunc implebitur quod apud Osee legitur : Dicent montibus, Operite nos ; et collibus, Cadite super nos.

Amos II, 13.

Job XIV, 13.

Osee X, 8.

Sexto, idem pensatur ex magnitudine pœnæ quæ reprobis infligetur : quæ erit æterna damnatio, perpetua infernalis ignis perpessio, cum dæmonibus nunquam finienda permansio. Si ergo mors temporalis timetur, quanto magis metuendus est cruciatus ille acerbissimus, incomparabilis et æternus ? De quo pronuntiaturus est Judex : Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Matth. XXV, 41.

Septimo, idem pensatur ex dispositione in qua mundus tunc stabit : quoniam ut

A devotus ait Anselmus, a dextris tunc erunt peccata accusantia ; a sinistris, infinita dæmonum turba ad accusandum promptissima ; subtus, terrendum chaos inferni ; superius, Judex iratus, mundus ardens ; intus, conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu, miser peccator sic deprehensus quo fugiet ? Impossibile erit fugere, intolerabile apparere. Tunc quoque omnes angelici spiritus aderunt, et visibiliter apparebunt, in forma utique reprobis valde terrifica. Quum ergo unius
B angeli apparitio sensibilis, sit fragilitati humanæ tam intolerabilis : quam intolerabile et horrendum erit iniquis, videre tam innumerabilia angelicorum spirituum millia in sensibili forma, instar Judicis reprobis metuenda ? Ecce sanctus Daniel propheta ad apparentem sibi angelum visibiliter dixit : Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et emarcui ; sed et halitus meus intercluditur, et nihil in me remansit virium. Imo ut legitur ibi, sanctus ille Propheta præ visionis
C illius horrore in terram collapsus loqui nequivit, sed vultu terræ adhæsit. Si ergo unius angeli visio justum ita exterruit, dejecit, prostravit : quam inenarrabiliter omnium angelicorum agminum sensibilis visio impios perterrebit ?

Dan. X, 8. 16, 17.

Ibid. 15.

Octavo, idem pensatur ex multitudine eorum qui aderunt : quoniam universum genus humanum omnesque angeli sancti et dæmones cuncti erunt præsentes, et impiorum peccata singulis innotescent, ut omnibus constet justissimum esse Dei ju-
D dicium. Si ergo unicuique intolerabile videtur, si omnia ejus peccata jam coram decem aut viginti hominibus sibi apertissime recitarentur : quam confusibilissimum pœnalissimumque consistet damnandis, quod eorum peccata tot millibus innotescent ? Unde de quodam juvene legitur, quod quum vellet cœnobium intrare, et mater ejus omnibus modis eum niteretur retrahere, illeque diceret, Animam meam volo salvare, tandem religionem ingressus est, et negligenter in ea

vixit. Post aliquot igitur annos, ordinante (A) sic Deo piissimo, vidit in visione quasi se raptum ad Dei judicium, et propter negligentiam suam cum impiis deputatum : inter quos mater ejus damnata eum conspiciens, cœpit exprobrare eidem, dicendo : O fili, et tu ad loca hæc tormentorum venisti ? Ubi est quod dixisti, Animam meam volo salvare ? His in visione visis atque auditis, juvenis ille evigilans et ad se rediens, dixit : Si matris meæ exprobrationem ferre non potui, quomodo in die judicii tam Christi quam angelorum (B) qui aderunt exprobrationem pati potero ? Ex illa itaque die cœpit Frater ille in omnibus se emendare, atque in vigiliis, abstinentiis, orationibus et ceteris sanctis operibus Deo diligentissime ministrare.

Omnia itaque jam prætacta sollicite attendamus, ut cum S. Hieronymo dicere valeamus : Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliud aliquid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis (C) sonare in auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. Ut enim docet Gregorius, præsentis temporis ita est agenda lætitia, ut sequentis judicii amaritudo nunquam recedat a memoria. Unde sanctus abbas Ammon dixit : Cogita sicut clausi in carcere. Interrogant namque : Ubi est judex ? quando veniet ? Et ipsa exspectatione pœnarum suarum plorant. Sic Christianus debet semper esse suspectus, et se objurgare dicendo : Væ mihi ; quomodo stabo ante tribunal Christi, et omnium actuum meorum rationem præstabo ? Hinc quoque abbas Elias dixit : Ego tres res timeo : unam, quando egressura est anima mea de corpore ; aliam, quando præsentandus sum coram Deo ; tertiam, quando de me proferetur sententia. Ex his patet quam vehementer sancti Patres metuebant judicium Dei. Unde quum quidam Patrum vidisset Fratrem quemdam ridentem, ingemiscens dixit : Coram cœlo et terra rationem reddituri sumus totius vitæ nostræ, et tu rides ? Omnis ergo levitas et dissolutio repellatur a nobis, et coram Judice summo omnia intuente, pure atque sollicite conversemur.

SERMO TERTIUS

DE QUADRUPLICI CHRISTI ADVENTU, SPECIALITER DE PRIMO, ET MULTIPLICI EJUS FRUCTU.

L*AUDA et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui.* (D) Zach. II, 10.

Hæc sunt verba unigeniti Filii Dei : in quibus tria tanguntur. Primum est exhortatio Dei ad laudem et gratiarum actionem ac spiritualem lætitiam, quum dicitur : Lauda et lætare, filia Sion. Secundum est causa hujus laudis atque lætitiæ, utpote adventus Filii Dei ad nos, dum subditur : Quia ecce ego venio. Tertium est promissio habitationis Dei in nobis et inter nos, quum subinfertur : Habitabo in medio tui. Denique Sion interpretatur speculatio : ideo filia Sion intelligi potest Ecclesia militans, cœlestia et divina per fidem ac sapientiæ donum contemplans, seu quælibet anima christiana vere devota, quæ per gratiam adoptionis est filia proprii creatoris. Itaque Filius Dei hortatur Ecclesiam et quamlibet personam fidelem, ut Deum Patrem, imo totam superbeatissimam Trinitatem laudet, eique cordialiter regratietur, et in ipso Deo uno ac trino amorose lætetur, quoniam Filius Dei venit ad eam.

Quocirca pensandum, quod quadripar- A
titus est Christi adventus : propter quod per quatuor dominicas celebratur. Primus est adventus in carnem, hoc est ad assumendam humanam naturam, quam Verbum æternum unicus Filius Dei in sua incarnatione ex Virgine benedicta assumpsit, et sibi ipsi in unitate personæ univit, quando Verbum caro factum est, ut *Joann.* I, 14. dicitur apud Joannem, et Isaias prædixit : *Is.* VII, 14. Ecce (inquiens) virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est nobiscum Deus. Secundus ad- B
ventus Christi est in mentem, id est spiritualis et invisibilis adventus ac missio ejus ad animas christifideles, ad quas descendit, venit atque a Deo Patre mittitur, quando dona gratiæ suæ illis infundit, purgando, illuminando inflammandoque *Joann.* XIV, 23. eas. De hoc adventu ait Salvator : Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. De quo etiam adventu scriptum est de ipsa increata Sapientia unico Verbo ac C
Sap. VII, 27. Filio Dei, in libro Sapientiæ : Quum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat; et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituens.

Tertius est adventus in morte : quo Christus in morte singulos visitat, dando eis quod meruerunt. De quo adventu in *Matth.* XXIV, 42. Evangelio protestatur : Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus *Luc.* XII, 37, 44. sit; itemque : Beatus servus quem quum venerit dominus ejus et pulsaverit janu- D
am, invenerit vigilantem. Quartus est adventus ejus ad finale judicium, de quo jam dicta sunt multa; de quo etiam in *Is.* III, 14. Isaia legitur : Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus. De quo Judas apostolus in sua scri- *Judæ* 14, 15. bit Canonica : Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch : Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra Dominum peccatores impii.

Horum quatuor adventuum primus factus est semel in principio ultimæ ætatis mundi, sicut ait Apostolus : Ubi venit ple- *Galat.* IV, 4. nitudo temporis, misit Deus Filium suum. Secundus autem tertiusque adventus fiunt quotidie, et a principio mundi fuerunt, et usque in finem sæculi fient. Semper enim fuerunt, sunt et erunt aliqui boni in mundo, ad quorum animas æterna Sapientia gratiose ac invisibiliter venit aut veniet. Quartus vero adventus non nisi semel futurus est.

Præterea horum quatuor adventuum duo primi sunt caritatis et gratiæ, suavitatis et misericordiæ; suntque adventus hi duo universis, tam malis quam bonis, amabiles, salubres, optabiles. Alii duo adventus sunt justitiæ et rigoris, amabiles justis, formidabiles impiis. Justi etenim et perfecti, qui cum Apostolo dicere possunt, Mihi vivere Christus est, et mori *Philipp.* I, 21. lucrum; et rursus, Quis me liberabit de *Rom.* VII, 24. corpore mortis hujus? cupiunt mori, ut Deo perfecte fruantur in anima. Cupiunt quoque advenire diem judicii ultimi, ut etiam glorificentur in corpore ad gloriam Dei, cum Propheta dicentes : Sitivit in te *Ps.* LXII, 2. anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! Et denuo : Quando veniam, et ap- *Ps.* XLI, 3. parebo ante faciem Dei? Mors autem pec- *Ps.* XXXIII, 22. catorum pessima : quibus restat mors pejor, mors damnationis æternæ, de qua in Apocalypsi asseritur : Incredulis et exse- *Apoc.* XXI, 8. cratis et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda.

Porro de primis duobus adventibus potissimum videtur intelligendum thema inductum. Ecclesia ergo et quilibet veraciter christianus Deum unum ac trinum jugiter debet laudare ac glorificare, atque in ipso cum gratiarum actione lætari de primo Christi adventu, quo venit et nostram sibi naturam hypostatica conjunctione univit, ad suum esse personale, æternum et increatum illam assumens, et

in ipso eam suppositans, quia in hoc summe A apparuit caritas, misericordia, liberalitas atque dignatio Dei ad homines. Ex hoc quoque summa utilitas, maxima salus, multiplex fructus provenit hominibus : siquidem ante Christi adventum totus mundus, dempto populo Judæorum, fuit idololatriæ deditus, dæmonibus subditus, excæcatus, innumerabilibus vitiis sauciatus ; sed per Christi adventum ad unius veri Dei reductus est fidem ac cultum, a dæmonibus liberatus, angelis sociatus, virtutibus adimpletus. Ideo apud B *Is.* XLIX, 6. Isaiam Deus Pater loquitur Christo : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. Hoc est quod *Ps.* LXXI, 17. Psalmista prædixit : Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magni- *Ps.* XXI, 28. ficabunt eum ; itemque, Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Hinc ait S. Bernardus : Dignum est, fratres carissimi, ut tota devotione Domini celebremus adventum, delectati C tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Beatus quoque Ambrosius ait : Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos ; pius venit ad impios, ut nos faceret pios ; humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles.

Denique apud Isaiam et Lucam ipsemet Christus assignat varias causas et utilitates sui adventus primi in mundum, di- *Is.* LXI, 1-3; *Luc.* IV, 18, 19. cendo : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuntiandum, id D est evangelizandum, mansuetis misit me : ut mederer, id est, spiritualiter sanarem, contritos corde, id est veraciter pœnitentes, et prædicarem captivis redemptionem, id est vitiorum vinculis irretitis indulgentiam, et clausis, id est vitiosa consuetudine pressis, apertionem, id est solutionem a tali clausura ; ut prædicarem annum placabilem Domino, id est tempus gratiæ, de *II Cor.* VI, 2. quo scriptum est, Ecce nunc tempus acceptabile ; ut consolarer omnes lugentes laudabili luctu, quibus dixi, Beati qui lu- *Matth.* V, 5. gent, quoniam ipsi consolabuntur, et darem eis coronam pro cinere, id est exaltationem in cœlis pro humiliatione eorum in terris, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Hæc verba sententiosa super Isaiam plenius elucidavi.

Amplius Augustinus ponit tres utilitates adventus Christi : In sæculo (inquiens) isto maligno quid abundat, nisi nasci, laborare et mori ? Hæc sunt mercimonia regionis nostræ, et ad tales merces mercator ille descendit. Et quia omnis mercator dat quod habet, et accipit quod non habet, Christus in ista mercatura dedit et accepit : accepit enim quod hic abundat, videlicet nasci, laborare et mori ; dedit vero renasci, resurgere et in æternum regnare. Iterum venit ad nos negotiator cœlestis, accipere contumeliam et dare honorem, subire mortem et dare vitam, haurire ignominiam et dare gloriam sempiternam.

Quum ergo hæc ita se habeant, grati esse conemur Domino Deo nostro, quod ipse omnipotens Rex regum et Dominus universorum ita et ad peccatores vilissimos venire dignatus est, quod suo adventu tanta beneficia contulit nobis, quod inter homines corporaliter habitare ac conversari dignatus est, atque in cordibus fidelium per dona gratiæ suæ tam amorose ac misericordissime habitare non sprevit. Ejus itaque sequamur vestigia, divina in omnibus observantes præcepta, et Christi caritatem, humilitatem, munditiam, patientiam, infatigabiliter imitemur, perseverantes in bonis operibus usque in finem. Aliter quippe inaniter et ad graviorem nostram damnationem Christiani a Christo vocamur. Nam ut beatissimus ait evangelista Joannes, Qui se dicit in *I Joann.* II, 6. Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Sed ut ait S. Bernardus : Infelices filii Adam, omissis veris et salutaribus studiis, carnalia potius et transitoria quærunt. Quibus assimilabimus

homines generationis istius quos videmus a terrenis rebus et corporalibus consolationibus avelli non posse? Profecto similes sunt his qui mersi periclitantur in aquis, qui nullo modo deserunt quod primo occurrit manibus ipsorum, quidquid sit illud, etiam si eis nequaquam prodesse possit, ut sunt radices herbarum et gramina. Nam si qui ad eos veniant ut subveniant, nonnunquam solent apprehensos involvere secum, in tantum ut nec sibi nec illis possint succurrere. Sic pereunt
Ps. CIII, 25. in hoc mari magno et spatioso, id est in hoc sæculo nequam, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, omittunt solida, utpote interna et spiritualia dona, quibus apprehensis, emergere possent et animas suas salvare. Deo ergo principaliter adhæreamus, et corporalia ad spiritualia ordinemus, de temporalibus rebus non amplius cupientes quam necessarium seu utile nobis est ad bene ac virtuose vivendum, ad Deo placendum, ad æternam sa-
I *Tim.* VI, 8. lutem, ut impleamus illud Apostoli : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus.

Si sic vixerint Christiani, etiam si sint conjugati, religiosis ac eremitis parificantur in meritis. Unde in sexto libro Vitaspatrum narratur, quemadmodum duo sancti Patres ac eremitæ rogaverunt Deum ut ostenderet eis ad quantum profectum virtutum venissent; et venit vox de cœlo, dicens : Ecce in villa Ægypti est quidam sæcularis nomine Eucharistus, cujus uxor vocatur Maria; nondum venistis ad men-

A suram ipsorum. Exsurgentes ergo duo senes illi eremitæ, venerunt ad villam illam, et domum Eucharisti intrantes, dixerunt uxori : Ubi est vir tuus? Respondit illa : Pastor est ovium, et pascit eas. Facto vespere, venit Eucharistus cum ovibus. Vidensque Patres illos, paravit eis mensam; misit quoque aquam in pelvim, ut lavaret pedes eorum. Qui dixerunt : Non gustabimus hic quidquam, nisi indicaveris nobis opera tua. Tunc Eucharistus humiliter dixit : Ego sum pastor ovium, et ista est
B uxor mea. Quum autem eremitæ illi perseverarent rogantes ut omnia denuntiaret eis, et ipse nollet, dixerunt : Deus nos misit ad te. Quo audito, expavit Eucharistus, et dixit : Ecce oves istas habemus a parentibus nostris, et quidquid ex illis Deus donaverit nobis, dividimus in tres partes : unam partem damus pauperibus, aliam expendimus in susceptione peregrinorum, tertiam reservamus ad usum nostrum. Ex quo autem accepi uxorem meam, neque ego pollutus sum, neque illa, sed virgo
C est. Non simul, sed seorsum remoti ab invicem dormimus, et nocte induimus nos saccis, in die autem vestibus nostris; et usque nunc nullus hominum hæc cognovit. His auditis, admirati sunt senes illi eremitæ, et ædificati recesserunt glorificantes Deum. Itaque hoc exemplo discant conjugati ac sæculares omnem avaritiam spernere, et de eo quod habent, pauperibus et peregrinis liberaliter subvenire, ad laudem et gloriam Creatoris omnia tribuentis.

SERMO QUARTUS

DE ORDINE ET PROCESSU FINALIS JUDICII.

ECCE *ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Malach. IV, 5.

D In his verbis duo tanguntur. Primum est promissio Dei de Eliæ adventu, quum dicitur : Ecce ego mittam vobis Eliam

prophetam. Secundum est aliqualis determinatio temporis, quoniam ante secundum Christi adventum seu ante diem judicii veniet. Quamvis enim, ut Christus in *Marc. xiii, 32.* Evangelio edocuit, dies judicii sit angelis hominibusque ignotus, aliqua tamen signa ipsum præcedent, ex quorum præsentia innotescet propinquitas extremi judicii. Sed quia incertum est quando signa illa evenire incipient, de aliquibus quoque signis illis incertum est quamdiu durabunt ; propterea dies judicii vere incertus asseritur. Omnibus vero hinc inde pensatis, videtur difficile explanare quo ordine venient quædam eorum quæ tunc ventura creduntur.

Denique S. Augustinus vicesimo libro de Civitate Dei, capitulo tricesimo, ait : In extremo judicio vel circa illud, has res credimus esse venturas : Eliam Thesbiten, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque remunerationem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem. Quæ C omnia ventura esse credendum est ; sed quibus modis et quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia consequi valet. Existimo tamen eo quo a me commemorata sunt ordine esse ventura. Ex horum tenore verborum patescit, quod Augustinus hæc dicit opinative, non assertive, quoad ordinem fiendorum. Et hoc etiam ait Thomas super quartum Sententiarum, probans ibidem ex Scripturis, quod ista non venient ordine ab Augustino prætacto : siquidem conflagratio mundi per ignem præcedet judicium quantum ad inceptionem illius ignis ; et durante judicio, stabit mundus in illo igne, quemadmodum in Psalmo evidenter prædictum *Ps. xcvi, 3.* est : Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus ; itemque, *Ps. xlix, 3.* Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.

Insuper difficultas videtur præcipua de ordine adventus Eliæ et Antichristi. Com- A muniter enim dicunt doctores, quod ad prædicationem Enoch atque Eliæ Judæi tunc convertentur, Antichristi falsitate detecta. Nam et Christus in Evangelio loquitur : Elias quum venerit, restituet omnia. *Marc. ix, 11.* Malachias quoque propheta prædixit, quod Elias convertet cor patrum ad filios, et cor *Malach. iv, 6.* filiorum ad patres : per quod insinuatur conversio Judæorum, per quam sanctis Patriarchis reconciliabuntur. Nihilo minus dicunt doctores, quod gens Judæorum Antichristo familiarius et copiosissime ad- B hærebit. Unde videtur quod Antichristus venturus ac prædicaturus sit ante Eliæ adventum : aliter Judæi non crederent ei, sed Eliæ. Sed contra hoc rursus objicitur, quia dicunt doctores quod Antichristi persecutio improvise erumpet : quod qualiter verum est, si Elias Antichristum præcedet, et ejus prædicationem ac persecutionem prænuntiabit ? Est itaque advertendum, quod Haymo, Beda, Albertus, Nicolaus de Gorra, ponunt duplicem Antichristi adventum : primum occultum, qui est ejus nativitas et vitæ suæ processus, quousque incipiet Christum aperte blasphemare et Ecclesiam persequi ; et hanc persecutionem, prædicationem et manifestationem Antichristi appellant secundum ejus adventum. Et sentiunt aliqui, quod inter hos duos Antichristi adventus venient Elias et Enoch, et contra Antichristi mox futuri fallacias prædicabunt ; imo per tempus Elias cum Enoch, et Antichristus cum suis, contra se invicem prædicabunt, et tandem Domino permittente, Elias et Enoch D ab Antichristo occidentur ; postmodum, Antichristo occiso et ejus falsitate patefacta, omnes Judæi convertentur ad Christum.

Porro, juxta doctrinam Apostoli in epistola ad Thessalonicenses, Antichristus non veniet, nisi discessio venerit prius, id est *II Thess. ii, 3.* recessus principum ab obedientia Romani imperii, vel particularium Ecclesiarum ab obedientia apostolicæ Sedis. Et tunc maxime abundabit iniquitas, patebitque via adventui Antichristi. Qui quum in primis aliquos sibi attraxerit, incipiet fidem chri-

stianam acerrime persequi, et fideles in A fide constantes atrocissime trucidare; atque innumerabiles populos fallet ac sibi adjunget variis modis, hoc est : per munera, per minas et blandimenta, per tribulationes quas inferet Christianis, in quibus multi deficient; per simulatam sanctitatem, per allegationem Scripturarum fallacem, per mirabilia signa quæ faciet ipse et ejus satellites, quæ ope diaboli fient. *Matth.* XXIV, 21. Hinc sicut Christus prædixit, erit tunc tribulatio talis qualis ab initio mundi non fuit nec erit. Quod etiam in Daniele scriptum est, Gabriele angelo ad Danielem lo- *Dan.* XII, 1. quente : In tempore illo consurget Michael princeps magnus, et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Quemadmodum autem persecutio Antichristi erit crudelissima atque gravissima, sic et brevissima erit : quia per annos tres cum dimidio erit durans quantum ad vehemen- *Matth.* XXIV, 22. tiam suam. Propter quod ait Salvator : Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur.

Deinde, Antichristo occiso, pene omnes convertentur ad Christum, et sicut præta- *Dan.* XII, 11, 12. ctum est atque ex Daniele propheta elicitur, quadraginta quinque dies. dabuntur tunc ad pœnitendum his qui ab Antichristo decepti exstiterint. Verumtamen quidam induratissimi sceleratissimique ex satellitibus Antichristi non pœnitebunt; imo videntes mundum non statim finiri, dicent : Quamvis princeps noster sit mortuus, nos tamen pacem habemus. Et de *I Thess.* V, 3. istis intelligitur quod ait Apostolus : Quum dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Quod item apud *Matth.* XXIV, 38, 39. Matthæum loquitur Christus : Sicut erant in diebus Noe edentes et bibentes, etc. Post dies vero illos quadraginta quinque, statim evenient signa de quibus præhabi- *Luc* XXI, 25. tum est, scilicet : Erunt signa in sole et luna, etc. Putant aliqui, quod obscuratio seu illa eclipsis durabit per multos dies, quod non videtur ex Scripturis posse probari : ideo reor incertum quamdiu sit duratura.

Instante deinceps die judicii, succendetur divina virtute ignis conflagrationis : qui elementa purgabit, videlicet terram, aquam et aerem, et omnia terræ nascentia et mixta ac animalia; homines quoque quos vivos invenerit, destruet seu occidet. Homines autem qui in illo igne occidentur, cum aliis mox resurgent; eritque ille ignis bonis pro purgatorio, si habuerint quid purgandum. Occupabit B quoque ignis ille tantum de spatio sicut occupaverunt aquæ diluvii, ita quod quindecim cubitis erit montibus altior; nec pertinget usque ad sphæram lunæ, ut quidam dixerunt. Et hoc super quartum Sententiarum probat Thomas auctoritate Scripturæ : quoniam in secunda S. Petri Canonica scribitur, quod illi cœli *II Petr* III, 7. reservantur igni, qui fuerunt per aquam purgati. Augustinus quoque vicesimo de Civitate Dei affirmat, quod ille mundus qui diluvio periit, igni reservatur. Et Pe- C trus apostolus loquitur de cœlis aeriis. Aquæ autem diluvii non pertingebant usque ad orbem lunæ, sed quindecim cubitis *Gen* VII, 20. super altitudines montium stabant : in tantum ergo ignis ille ascendet.

Præterea, Christo se movente ad descendendum ad locum judicii, Michaelem (ut aliqui dicunt) præmittet, qui dicet : Surgite, mortui, venite ad judicium. Tunc subito per omnipotentiam Dei fiet resurrectio mortuorum, et Christus descendet, *I Thess.* IV, 16. sicut ait Apostolus, in jussu et in voce D Archangeli, et in tuba Dei. Christo igitur ad judicandum sedente, stabit mundus in igne conflagrationis, qui electorum corpora non affliget, quemadmodum ignis for- *Dan* III, 50. nacis non læsit Ananiam, Azariam et Misaelem, ut in Daniele habetur. Reprobos vero ille ignis incendet et amarissime puniet. Facta demum discussione meritorum, Christus dicet electis : Venite, benedicti Patris *Matth* XXV, 34. mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Deinde dicturus est impiis, quorum corpora erunt luto plum-

boque graviora, tenebrosa, turpissima, imo (ut creditur) turpiora quam quando pro media parte fuerunt a vermibus in sepulcris corrosa, ita quod ipsimet reprobi se adspicientes, de tanta sua deformitate stupebunt et propriam turpitudinem abhorrebunt; his itaque dicturus est Christus :
Matth. xxv, 41. Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Hac prolata sententia, videbunt reprobi ad suæ calamitatis ac desolationis augmentum, Christum cum universitate Sanctorum ad alta cœlorum cum inæstimabili gaudio ascendentem, ut impii hoc videntes, æternaliter memores sint quantam beatitudinem amiserunt. Tunc ignis ille conflagrationis damnatos involvet, quos terra, os suum aperiens, absorbebit; descendentque in profunda inferni, humo operti. Quidquid autem caloris et impuritatis in igne conflagrationis fuerit, cum illis descendet æternaliterque manebit; quidquid vero puritatis et claritatis in ipso exstiterit, in superioribus ad electorum gloriam permanebit.

Tunc protinus innovabitur mundus, et complanabitur terra, eritque pulchra ut aurum, aqua sicut crystallus, aer ut cœ-
Is xxx, 26. lum, ignis ut sidera; lux lunæ erit septemplex, seu tanta ut modo lux solis; lux etiam solis septempliciter erit, seu septies tanta ut nunc; siderum quoque lux proportionabiliter creditur tunc augenda, et orbes cœlestes tantumdem clarificabuntur ut novit qui dabit. Tunc sol perpetuo stabit in oriente, luna jugiter plena in occidente, et motus cessabit cœlorum, eruntque omnia in statu ac termino in quo sine fine manebunt.

Hæc omnia sapienter pensemus, profunde intueamur, frequenter meditemur; et tunc omnia vana, carnales delicias, temporales divitias, mundanos honores parvi pendemus, timorati efficiemur, et Deo altissimo sollicite serviemus. Districtionem

A quoque divini judicii tam in morte cujuslibet hominis quam in die novissimo, attendamus quotidie. Unde legitur tertio libro Vitaspatrum, quod dum sanctus ille abbas Agathon eremita fuerat moriturus, per tres dies mansit immobilis, apertos oculos tenens; pulsaveruntque eum discipuli ejus, dicentes : Abba, ubi es? Respondit : In conspectu divini adsisto judicii. Dixerunt ei : Numquid times? Qui ait : Hucusque laboravi virtute qua potui in custodiendo mandata Dei; sed homo sum,
B et nescio an Deo placuerint opera mea. Dicunt ei Fratres : Non confidis de operibus tuis quod secundum Deum sint? Dicit eis senex : Non præsumo nisi venero ante Deum; alia enim sunt judicia Dei, alia hominum. Quumque vellent eum plus interrogare, dixit eis : Ostendite caritatem, et nolite loqui mecum, quia occupatus sum. Quo dicto, statim emisit spiritum cum gaudio. Videbant enim Fratres eum colligentem spiritum, et taliter se habentem ac exsultantem quemadmodum si quis
C salutet dilectos amicos. Denique de sancto abbate Arsenio legitur, quia quum traditurus esset spiritum, viderunt eum discipuli ejus flentem, et dixerunt ad eum : In veritate et tu times mortem et judicium Dei, o Pater? Et ait : In veritate timor qui in hac hora est mihi, semper fuit in me ex quo factus sum monachus. Et ita obdormivit in Domino. Audiens autem abbas Pastor, quod ab hac vita discesserat beatus Arsenius, flevit et dixit : Beatus es, abba Arseni, quia flevisti te ipsum in sæculo
D isto. Qui enim in hoc sæculo se non fleverit, in futuro æternaliter flebit : sive hic voluntarie, sive ibi cogentibus tormentis, impossibile est non flere.

Si igitur viri isti sanctissimi judicium Dei sic timuerunt, cur nos defectuosi ac miseri peccatores, tam intimorati consistimus? Attendamus ergo pericula nostra, et coram Deo custoditi in omnibus simus.

SERMO QUINTUS

DE SIGNIS JUDICIUM ULTIMUM PRÆCESSURIS.

REVELABUNT *cœli iniquitatem pravorum, et terra adversus eos consurget.* Job xx, 27.

Videmus in sæculo isto, quod patrefamilias interfecto aut læso sive offenso, filii ejus et propinqui atque domestici conturbantur et ad vindicandum se præparant; nec solum patrifamilias, sed etiam sibimetipsis reputant forefactum. Pariformiter, instante die novissimo, quasi universitas creaturarum contra ingratos, impios et perversos concitabitur atque ad ultionem armabitur, quemadmodum scriptum est:
Sap. xvi, 24. Creatori deserviens, creatura exardescet in tormentum adversus injustos. Hinc, sicut præhabitum est, luminaria cœli, sol, luna ac sidera, imminente judicio obscurabuntur, ad insinuandum quod impii indigni sint ministerio ac luce ipsorum. Similiter in mari, terra et aere horribilia signa præcedent, ut tactum est. Quod etiam fiet, ut per tam horribilia signa ad breve tempus durantia, præsignentur illa incomparabiliter horribilia mala pœnaria mox futura, quorum quædam nunquam sunt peritura. Insuper, quoniam teste Apostolo,
Rom. viii, 28. omnia cooperantur electis in bonum, singula illa etiam fient ad electorum hominum qui tunc vivent profectum, qui inde
Sap. v, 18, 21. territi purgabuntur. Tunc ergo armabit Deus creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit pro Creatore contra insensatos orbis terrarum. Ideo sicut bello imminente fieri solet armorum ostensio, sic ante novissimam ultionem ostendet Omnipotens creaturam armatam ad exercendam injuriarum sui creatoris vindictam.

Præterea S. Hieronymus ponit quindecim signa præcedentia illud judicium, dicens quod primo die omnia maria exaltabuntur
A quindecim cubitis super montes. Secundo die prosternentur ita profunde ut videri vix valeant. Tertio die in statum redigentur antiquum. Quarto die belluæ et omnia animalia quæ moventur in aquis, congregabuntur et super pelagus levabuntur, per modum contentionis invicem mugientes. Quinto die omnia volatilia cœli congregabuntur in campis, invicem plorantia, non gustantia neque bibentia. Sexto, flumina ignea surgent, ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum solis flu-
B entia. Septimo, omnia sidera errantia et fixa spargent ex se igneas comas, sicut cometæ. Octavo, erit magnus terræ motus, ut omnia animalia prosternantur. Nono, omnes lapides magni et parvi dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. Decimo, omnes plantæ fluent sanguineum rorem. Undecimo, omnes montes et colles ac ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo, omnia animalia venient de desertis et montibus ad campos, mugientia nilque gustantia. Tertiodecimo, om-
C nia sepulcra aperientur. Quartodecimo, omnes homines de habitaculis recedent, non intelligentes neque loquentes, sed discurrentes. Quintodecimo, omnes morientur, et resurgent cum mortuis diu ante defunctis.

Porro quidam allegant S. Hieronymum ista scribentem, et auctoritate Hieronymi probant ista ventura, quasi Hieronymus secundum propriam mentem hæc asserat: hoc autem incautum est. Nam ut super quartum Sententiarum, distinctione qua-
D dragesima octava, Thomas testatur, Hieronymus non scribit illa assertive, sed recitative, quia in Annalibus Judæorum ea reperisse se dicit. Dicit etiam Thomas,

quod signa ista valde parum verisimilitudinis habent. Idem dicit Richardus de Mediavilla super quartum. Bonaventura quoque, recitatis his signis, subdit : An hæc ita se habeant, Deus novit.

A

Verumtamen mihi videtur, salva reverentia tantorum doctorum, quod horum quindecim signorum aliqua quamdam certitudinem sortiuntur, et quædam eorum verisimilitudinem quamdam. Communiter enim doctores catholici dicunt, quod tunc erit maximus terræ motus : quo dato, animalia prosternentur. Item tunc stellæ ca-

B

dere videbuntur, quoniam comas igneas ex se spargent. Iterum ex vehementissimo illo terræ motu lapides confringentur : nam et Christo in cruce pendente, facto terræ motu, scissæ sunt petræ. (*Matth.* xxvii, 51.) Rursus asserunt Sancti, quod complanabitur terra : ergo probabile est quod montes, colles ac ædificia in pulverem redigentur. Item, quod de apertione sepulcrorum dicitur, credibile satis apparet : siquidem tempore passionis dominicæ aperta sunt monumenta, ut evangelista Matthæus fatetur. (*Ibid.* 52.) Præ-

C

terea, quod ultimo die omnes qui tunc erunt, morientur et protinus cum aliis surgent ac judicabuntur, Sancti atque doctores affirmant. Et quoniam Christus ait, quod tunc erit in terra pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, (*Luc* xxi, 25.) valde probabile est quod tunc erit maxima atque insolita elevatio depressioque aquarum. Iterum, quia tunc imminebit destructio ac sempiterna desitio piscium, avium et brutorum, atque plantarum, credibile reor quod aliquæ inconsuetæ immutatio-

D

nes ac desolationes apparebunt in eis. Quod autem de fluminibus igneis dicitur, magis incertum videtur, quanquam ad hoc possit applicari illud Danielis : Fluvius rapidus igneusque a facie ejus egrediebatur. (*Dan.* vii, 10.) Insuper verisimile puto, quod ex signis judicium præcessuris tantus stupor, perturbatio, mœror et afflictio homines apprehendet, quod velut amentes ibunt.

Verumtamen ego in his nihil affirmo ultra id quod sacra docet Scriptura et tenet Ecclesia; sed beatissimi principis Apostolorum Petri verba commemoro, in secunda sua dicentis epistola : Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur : quum ergo hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in occursum diei Domini nostri Jesu Christi, per quem cœli ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent ? (II *Petr.* iii, 10-12.)

Denique, sicut sanctus ait Hieronymus, judicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultis Plato discipulis. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quum venerit ille filius pauperculæ quæstuariæ judicaturus orbem terræ. Tunc plangent se super ipsum omnes tribus terræ, (*Apoc.* i, 7.) id est multi de tribubus cunctis, qui ingratitudinem suam atque miseriam sero deflebunt. Tunc quoque apparebit crux Christi in aere, atque ut aliqui ponunt, tunc reintegrabitur, sicut et pulveres in corpora consolidabuntur; vel aliquid lucidum in crucis specie apparebit. Quid tunc Judex ille justissimus faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit, (*Ps.* lxxiv, 3.) qui male judicata rejudicabit ? Tunc maxime durissimum fiet judicium in his qui præsunt; (*Sap.* vi, 6.) et qui nunc libenter judices sunt et prælati, tunc Judicem illum non libenter adspicient, secundum Gregorium.

Postremo, quamvis quindecim signa prætacta certitudinem absolutam non habeant, prædicator tamen cum cautela absque assertione temeraria potest ea populo denuntiare, ad incutiendum eis timorem et compunctionem salubrem. Itaque, juxta doctrinam Apostoli, cum timore et tremore nostram operemur salutem, (*Philipp.* ii, 12.) et omne tempus fructuose expendere satagamus, atque quotidie nosmetipsos examinemus, dijudicemus ac puniamus, ne a Domino judicemur. (I [illegible])

QUÆSTIONES SOLUTIONESQUE EARUM
DE FINALI JUDICIO

QUUM unusquisque in suo obitu judicetur ac præmietur a Christo, quid necesse est ut in fine mundi fiat generale judicium, præsertim quum non judicet Dominus bis in id ipsum? (*Nahum* I, 9, juxta LXX.) Ad hoc S. Thomas respondet, quod quilibet homo est singularis persona, et cum hoc est pars totius generis humani : ideo duplex ei debetur judicium. Unum particulare, quod fit de eo statim post mortem, quando recipit secundum ea quæ gessit in corpore, quamvis non plene, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud autem judicium ei debetur in quantum est pars generis humani; quemadmodum etiam secundum humanam justitiam aliquis judicari dicitur quando judicatur communitas cujus ipse est pars : sicque in finali judicio, quando fiet universalis separatio malorum a bonis, etiam quilibet dicitur judicari. Non tamen bis judicat Deus in id ipsum, quia non duas pœnas totales pro uno infligit peccato; sed pœna quæ ante judicium complete inflicta non fuit, tunc infligetur completa quando in corpore et anima impii punientur. Itaque quilibet judicatur particulari judicio pro suis operibus, non solum secundum quod sibi secundum se competit, sed etiam prout competit gubernationi universi. Unde differtur præmiatio unius pro aliorum utilitate, ut ait Apostolus. (I *Cor.* XII, 7.) Pœna quoque unius cedit ad profectum alterius. Hinc restat universale judicium, quatenus sicut omnia in principio mundi immediate processerunt a Deo in esse, ita in fine ab ipso ultima mundi completio datur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum se ipsum. Idcirco in illo finali judicio manifeste apparebit divina justitia quantum ad omnia : quæ nunc aliquando occultatur, quia interdum de uno disponitur ad utilitatem aliorum aliter quam manifesta ejus opera videntur exigere. Unde tunc fiet generalis bonorum a malis divisio, quia ultra non erit locus ut mali per bonos aut boni per malos proficiant : propter quem profectum in sæculo isto permixti sunt, quoadusque status vitæ præsentis per divinam providentiam gubernatur. Et quoniam universale judicium directe respicit universitatem hominum, hinc quamvis hominibus ante judicium sit certa notitia de sua condemnatione aut præmio, non tamen omnibus omnium damnatio vel præmium interim innotescit; sed hoc in generali fiet judicio, quando etiam singulorum facta singulis elucescent, ut omnibus constet quam justa sint Dei judicia.

Secundo potest quis quærere, an finale judicium quantum ad disceptationem atque sententiam Judicis, fiet per locutionem vocalem. Ad hoc S. Thomas respondet : Quid circa hanc quæstionem sit verum, pro certo definiri non potest; sed probabilius æstimatur, quod totum illud judicium, et quantum ad discussionem, et quoad accusationem malorum et commendationem bonorum Judicisque sententiam de utrisque, mentaliter perficietur. Si enim vocaliter singulorum facta recitarentur, inæstimabilis ad hoc temporis magnitudo exigeretur; si autem mentaliter perficietur, fieri poterit in momento. Huic responsioni videtur favere quod ipsemet Christus ait apud Matthæum : Sicut fulgur exit ab oriente et apparet usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis. (*Matth.* XXIV, 27.) Quod a Luca sic refertur : Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die suo. (*Luc.* XVII, 24.) Hæc tamen auctoritas aliter potest exponi, ut-

pote, quod adventus Christi erit instar fulguris clarus et manifestus, seu velox atque terribilis, vel omnia sua claritate illustrans atque abscondita pandens.

Tertio quæritur, an Christus judicabit secundum naturam humanam. Respondetur, quod prolatio sententiæ sive discussio meritorum competit Christo secundum naturam assumptam; principalis vero auctoritas judicandi competit ei ex natura divina.

Quarto quæritur, an omnes homines in ultimo judicio judicabuntur. Respondetur, quod ad judicium pertinent duo, videlicet A discussio meritorum et retributio præmiorum. Quantum ad secundum istorum, omnes judicabuntur, finalem ac plenam accipiendo præmiationem. Sed quantum ad primum, non judicabuntur nisi in quibus est operum bonorum ac malorum permixtio : ideo infideles non judicabuntur hoc modo neque perfecti, sed fideles in quibus aliquid boni fuit et mali, quorum aliqui salvabuntur qui Deo magis quam creaturis inhæserunt, ceteri damnabuntur.

Multa alia possent hic quæri, quæ in B scriptis doctorum super quartum Sententiarum habentur, ibique requirantur.

AD RELIGIOSOS

SERMO SEXTUS

DE SOMNO QUADRUPLICI, TORPORE ACEDIAQUE VITANDA IN OBSEQUIO DIVINO.

H*ORA est jam nos de somno surgere.* Rom. XIII, 11.

De multiplici somno fit mentio in Scripturis, puta : de somno culpæ, de somno naturæ, de somno mortis, et de somno contemplationis. Et de primo somno nos in verbis thematis hujus hortatur Apostolus ut surgamus. Denique, quamvis somnus metaphorice dictus, generaliter ad culpam pertineat (quoniam sicut somnus corporalis proprie sumptus, est exteriorum sensuum quædam ligatio, clausura, atque cessatio ab actibus suis; sic omne mortale peccatum est spirituale vinculum animæ, quo a diabolo capta tenetur et a bonis cessat operibus, Salomone dicente, Iniquitates suæ capient impium, et vinculis peccatorum suorum constringetur), specialiter tamen somnus culpæ ad acediam pertinet, et ipsa acedia letalis est animæ somnus, quia per eam a virtuosis operibus specialiter revocatur. *Prov.* v, 22.

C Monet ergo nos sanctus Apostolus, ut a somno isto acediæ et ab omni miserabili surgamus pigritia. Quod quamvis ad omnem spectet Christifidelem, maxime tamen ad religiosos, qui ex sua professione tenentur ad perfectionem et ad caritatis fervorem quotidie tendere : quod nequaquam poterunt adimplere, nisi acediam prorsus devitent. Nam sicut invidia caritati, ita acedia caritatis contrariatur fervori. Ubique itaque, et præsertim in divino Officio, acediam, somnolentiam, torporem, ignaD viam abominentur atque abjiciant; nec in conspectu angelorum psallant Deo altissimo corde pigro, sed alacri semper et fervido. Maledictus namque qui opus Dei efficit negligenter, et tepidum evomet Deus ex ore suo. *Jer.* XLVIII, 10. *Apoc.* III, 16.

Præterea, quam ferventer ac diligenter debeamus Deo servire et omnem negligentiam acediamque abjicere, pensare possumus ac debemus ex multis. Primo, ex parte

ejus cui servimus, videlicet Dei æterni, cujus majestas et gloria, dignitas, sanctitas et excellentia est penitus infinita : idcirco cum summa et incomparabili reverentia, diligentia et fervore serviendum est ei. Unde ad Hebræos dicitur : Serviamus Deo cum metu et reverentia. In Josue quoque libro habetur : Timete Dominum, et servite ei corde perfecto atque verissimo. Hoc est quod primo Paralipomenon sanctus David loquitur Salomoni : Tu, fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. Honor namque et reverentia majestati ac sanctitati debentur.

Hebr. XII, 28. — *Josue* XXIV, 14. — I *Par.* XXVIII, 9.

Secundo istud pensare debemus ex parte nostri. Et primo, ex parte periculi nostri : quia in medio laqueorum et invisibilium hostium ac crudelissimorum latronum, non temporalem sed æternalem nobis mortem infligere cupientium, ambulamus ; et incerti sumus an Deo placemus, potissimum an finaliter evademus. Hinc S. Gregorius : Maligni (inquit) spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Faciamus ergo quod faciunt mercatores per campum hostibus latronibusque obsessum pergentes. Illi quippe caute et celeriter proficiscuntur, seque observant et timorate incedunt, seque mutuo cohortantur, atque ad reluctandum se præparant. Ita et nos per vitæ hujus exsilium circumspecte ac velociter seu ferventer properemus ad patriam, et invicem exhortemur nos ipsos ad meliora, ad renitendum peccatis, ad prævalendum dæmonibus, juxta illud Apostoli : Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Orando quoque pro invicem et virtuosa præbendo exempla, juvemus nos mutuo : nam frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. Secundo, ex parte præmii nobis promissi ac præparati : quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se, qui sibi prompte ac reverenter deserviunt : quibus pro brevi modicoque obsequio præstat præmium sempiternum, ineffabiliter magnum ac plane contentativum, utpote sui ipsius beatificam fruitionem, claram ac superjucundissimam visionem. Tertio, ex parte obligationis multiplicis. Tot etenim bona, tot dona ac beneficia a Deo suscepimus, quod ei cum omni diligentia et amore servire tenemur : alioqui ingrati omnique bruto erimus viliores.

Hebr. III, 13. — *Prov.* XVIII, 19. — *Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9.

Horum itaque consideratio nos inflammet, ita ut in omni cultu ac opere Omnipotentis simus semper alacres, diligentes, providi ac ferventes, et ipsam acediam vehementissime odiamus. De qua loquitur Cassianus : Quum acedia miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, cellæ fastidium, Fratrum quoque qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium ac minus spiritualium, parit contemptum ; atque ad omne opus quod intra septa sui cubiculi est desidem statuit et inertem, nec eum in cella desinit residere, nec lectioni operam dare. Iterum, ut Cassianus ac Climacus protestantur, pestis hæc facit religiosum alium locum appetere, ita ut dicat se in loco quo est non posse proficere. Parit quoque acedia desiderium visitationis extraneorum ac hospitum, cum quibus in confabulationibus et repausationibus corporalibus tempus taliter qualiter expendatur.

Insuper religiosus surgere debet a somno naturæ, somno videlicet corporali, ne extra et ultra tempus in ordine suo statutum dormitioni indulgeat, nisi necessitate cogatur. Potissimum ad matutinale Officium alacriter est surgendum signo audito, signo utique Regis magni, principis summi, Dei altissimi. Non est tunc modice repausandum, torpendum aut differendum, ne quis in somnolentiam relabatur ; sed principio torporis oportet resistere seque de lectulo indilate excutere. Erubescat miser ac piger tunc in Dei præsentia, in angeli sui conspectu se reclinare et somno vacare, acedia obrui, pigritia superari, dum sui confratres ad Dei consurgunt præconia, et manus suas

levant ad Creatorem, eique corde ac vocibus sacrificium laudis et thymiama offerunt devotionis atque orationis fragrantiam. Erubescat facere coram Deo et angelo sancto, quod coram viris honestis facere verecundaretur. Denique, si alicui tanta a Deo gratia datur et vires id patiuntur, bonum et sanctum est prævenire vigilias et somno partem detrahere : quod tamen cum discretione agendum censetur.

Præterea, a somno contemplationis, quamvis sit saluberrimus, sæpe surgendum est. Porro somnus contemplationis,
Gen. II, 21. de quo ait Scriptura, Misit Dominus soporem in Adam; *Ps.* IV, 9. In pace in id ipsum dormiam et requiescam : hic (inquam) somnus, est contemplationis quies et pax, sive excessus et obdormitio mentis purissimæ in dilecto et superamabilissimo Deo, in fonte lucis supersplendidissimo ac æterno, dum mens devotissima, Deo desuper radiante, cuncta terrena atque creata transcendens, per contemplationem theoricam ardentissimumque amorem in Dominum majestatis levatur, rapitur, absorbetur, obdormit et conquiescit. Ab hoc suavissimo ac saluberrimo cœliformique somno surgendum est præsidenti, dum ex officio tenetur ad alia, aut subditorum suorum exigit salus, infirmitas postulat, causa requirit, ne negligat sibi commissos. Conformiter subditus ab exercitiis contemplativæ vitæ debet cessare, dum suus superior sibi injungit opus vitæ activæ, aut confratrum suorum requirit infirmitas, aut quævis indigentia seu rationabilis causa.

Postremo, hoc sacro Adventus tempore, ab omni acediæ vitiorumque somno strenue consurgamus, atque in Dei opere simus ferventes, quemadmodum in Vitaspatrum quidam sanctus senior ait : Oportet, filioli, ut odio habeamus omnem requiem vitæ præsentis, et delectationes corporeas ac ventris suavitatem, nec honorem ab hominibus requiramus : et dabit nobis Dominus Jesus cœlestes honores et requiem in vita æterna. Somnum quoque non in saturitate et resolutione corporis admittamus, ut humiliare possimus passiones et vitia carnis : satietas enim somni sensum mentemque hominis stupidum reddit ac pigrum ; vigiliæ autem tam sensum quam mentem nostram subtiliorem ac puriorem efficiunt. Propter quod sancti Patres dixerunt, quod vigiliæ sanctæ purificant atque illuminant mentem ad inhærendum Altissimo.

SERMO SEPTIMUS

DE HORRIBILITATE FUTURI UNIVERSALIS JUDICII.

N*ON intres in judicium cum servo tuo, Domine.* Ps. CXLII, 2.

Quam metuendissimum sit futurum universale judicium, Dominus Christus judex universorum in hodierno evangelio evidentissime nos informat. Neque enim rigor et horror illius judicii videtur plenius ac compendiosius exprimi posse, quam in
Luc. XXI, 25, 26. evangelio isto exprimuntur a Salvatore : Erunt (inquit) signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore eorum quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum movebuntur, etc. Si tam horribilia signa, tam invisa et expavescenda præambula judicium illud prævenient, non dubium quin incomparabilis erit rigor et horror ipsius. Nonne metuendissimum erit judicium Judicis illius, cujus *Esth.* XIII, 9, 11.

omnipotentiæ nullus potest resistere, cujus A sapientiam nil potest latere, cujus justitiam nullus tunc poterit flectere, cujus manum nullus evadere tunc valebit? qui nihil indiscussum, irremuneratum, nul-
Job xxiv, 12. lumque malum impunitum relinquet? qui non temporale tormentum aut damnum, sed infernale ac æternale injustis irrogabit supplicium, et heu, supplicium tam intolerabile, tam multiforme ac varium, tam irremediabile atque mœstissimum? Denique in hora judicii stabit mundus in igne conflagrationis, qui et reprobos inflammabit, ac tantum ascendet quantum ascenderunt aquæ diluvii; universaque agmina angelicorum spirituum judici Christo adstabunt, et visibiliter apparebunt. O quanta tunc erit angustia iniquorum!

Quum ergo tam inæstimabilis erit illius judicii rigor ac horror, non immerito ora-
Ps. cxlii. 2. vit vir sanctus: Non intres in judicium
Jacob. iii, 2. cum servo tuo, Domine. In multis enim offendimus omnes. Atque ut ait Scriptu-
Job ix, 2, 3. ra: Non justificatur homo compositus Deo; imo si voluerit cum eo contendere, non poterit ei respondere unum pro mille. Hæc
Ibid. 13. 14. considerans, sanctus Job dixit: Deus, cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem: quantus ergo ego sum, ut respondeam ei et loquar verbis
Ibid. xxiii, 15. meis cum eo? Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.

Sed quum omnes homines sint judicandi a Deo, quid est quod orat Propheta, Non intres in judicium cum servo tuo, Domine? Et respondendum, quod multiplex assignatur judicium, utpote: judicium dis- D cussionis, judicium reprobationis ac damnationis, judicium remunerationis et approbationis seu glorificationis; estque judicium rigoris et judicium pietatis. Oravit ergo Psalmista a judicio rigoris ac reprobationis summi Judicis erui, imo et a discussionis judicio: a quo tunc liberi erunt qui modo dijudicant se ipsos, et a superioribus suis in vita hac judicari, corripi, castigari non aspernantur, sed cupiunt; sicque in præsenti purgantur, et Deo perfecte deserviunt. Idcirco dixit Apostolus: Si nos ipsos dijudicaremus, non I Cor. xi, 31.
utique judicaremur. Hinc ait S. Bernardus: Unum est evadendi remedium, quia si nos ipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur. Bonum judicium quod me illi districto ac divino judicio subducit atque abscondit. Volo vultui iræ Dei judicatus præsentari, non judicandus. Judicemur interim, fratres, et terribilem illam exspectationem studeamus præsenti declinare judicio. Quicumque enim judicari B dissimulant eo judicio quod nunc est, in quo princeps hujus mundi ejicitur foras, Joann. xii, 31.
Judicem exspectent vel potius timeant, a quo et ipsi cum principe illo foras ejicientur. Ubi nunc miseri et excæcati religiosi, qui culpas suas impudenter excusant, qui se ipsos justificant, qui a superiori suo corripi ac corrigi dedignantur, qui metuunt coram fratribus accusari, et potius cupiunt hic laudari quam culpabiles judicari? O quanta est insipientia horum, qui corde obtenebrato plus eligunt futuro C Deitatis reservari judicio, et coram angelis cunctis et universis hominibus accusari, confundi et judicari a Christo, quam nunc coram paucis suis confratribus a spirituali patre modice reprehendi ac corrigi!

Insuper quidam adeo sunt vecordes et ab omni vera sapientia alieni, ut humanum amplius quam divinum formident judicium. Qui adventu visitatorum suorum instante verentur, et emendationem quamdam prætendunt, confingunt, promittunt, sed post recessum illorum relabuntur in pristina et vivunt ut ante: in quibus valet humanus intuitus magis quam divinus, magisque metuunt temporalem correctionem, salubrem ac medicinalem, quam punitionem futuram gravissimam ac feralem et sempiternam. Hi ergo omnino injusti sunt, neque proficiunt; quia ut Salomon ait, qui timet hominem, Prov. xxix, 25; Eccli. xxxiv, 16.
cito corruet; qui vero Deum veretur, nil trepidabit. Hi itaque se emendent, et futuri rigorem judicii per præsentis vitæ salubre judicium evadere moliantur.

Præterea tam finale illud quam particulare judicium nostrum, omnes jugiter formidemus. Primo, propter graves atque multiplices negligentias et culpas nostras quotidianas, quæ certe nobis ipsis innumerabiles sunt, et plurimæ earum latent nos ipsos. Propter quod ait Psalmista :
Ps. xviii, 13. Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me, Domine. Quod enim ait Scri-
Prov. xxiv, 16. ptura, Justus septies in die cadet, intelligendum est accipiendo numerum determinatum pro numero indeterminato, quemadmodum Tobiæ Raphael angelus
Tob. xii, 15. protestatur : Ego sum unus de septem qui adstamus ante Deum.

Secundo, propter imperfectionem bonorum quæ agimus, quæ tot defectuositatibus et distractionibus sunt permixta, ut
Is. lxiv, 6. asserat Isaias : Facti sumus ut immundi omnes nos; quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Unde et multa quæ bona putamus, in Dei judicio rite discussa, mala reperientur. Hinc loquitur Deus :
Ps. lxxiv, 3. Quum accepero tempus, ego justitias judicabo. Et Bernardus : Verendum est (inquit) valde, ne quum ad hoc ventum fuerit, in tam subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut putantur) peccata appareant. Anselmus quoque fatetur, quod in judicio nostro multa peccata quasi de insidiis contra nos improvise consurgent. Ibi etenim Veritas discutit intentiones, inquisitioque culparum pertingit usque ad abdita cordis, et secretissimos quosque recessus divinus ille investigat intuitus. Hinc in Regula sua sanctissimus hortatur Hieronymus : Exspectate magnum et terribilem judicii diem, in quo cœlum pavebit et terra, cœlorum omnes movebuntur virtutes, trement angeli simul cum Sanctis. Tunc singulorum vitæ discutientur, dis-
* crimina crimina * et merita apparebunt. Semper tuba illa terribilis in vestris perstrepat auribus : Surgite, mortui, venite ad judicium. Ecce Rex in manu potenti venturus est, a cunctis exigens rationem, certe de cogitationibus minimis, certe de otiosis ac levibus verbis; et nisi de singulis red-
A dere rationem parati fueritis, projiciemini in carcerem infernalem, audietis a Judice : Ite, maledicti, in ignem æternum. Matth. xxv, 41.
Unde ad insinuandum indicibilem divini judicii districtionem, sacratissimus loquitur princeps Apostolorum : Si justus vix 1 Petr. iv, 18.
salvabitur, impius et peccator ubi apparebunt ?

Tertio, nos imperfecti, defectuosi ac fragiles, illud vehementer perhorrescamus judicium, quoniam viri sancti illud tam mirabiliter expaverunt, qui tamen in vita
B monastica fuerunt valde perfecti : quanto magis nos pusillos, in observatione Ordinis nostri tam multipliciter negligentes, illud summe vereri oportet ? Ait quippe gloriosus Hieronymus : Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliud quid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. Abbas quoque Elias : Ego, inquit, tres res timeo : unam, quando egressura est anima mea de corpore meo;
C secundam, quando occursurus sum Deo; tertiam, quando de me proferetur sententia. Hoc sensit S. Bernardus, qui ait : Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis ac vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quam judicandum adstare illi tam districti Judicis tribunali, et incertam ab eo exspectare sententiam ? Hinc et abbas Ammon rogatus a Fratre dicere ei verbum, respondit : Vade, et talem fac cogitationem tuam sicut faciunt qui sedent in carcere. Illi enim interrogant homi-
D nes : Ubi est judex ? quando veniet ? Et in ipsa exspectatione pœnarum suarum plorant. Ita et monachus semper debet esse sibi conscius, et objurgare animam suam, dicendo : Væ mihi, quomodo stabo ante tribunal Christi, et ei de omnibus reddam rationem ? Si ergo semper sic fueris meditatus, poteris esse salvus.

Sic ergo, o fratres, sic tam particulare nostrum de proximo imminens quam finale metuamus judicium. Et quoniam timor Dei abstrahit hominem a peccato et Eccli. i, 27.

diligentiam parit, cum omni diligentia ca- A
veamus peccata etiam minora et quæ vi-
Eccle. VII, 19. dentur perminima : quia ut Salomon ait,
Eccli. XIX, 1. qui timet Deum, nihil negligit ; et qui
modica spernit, paulatim decidit. Simus
refrenati in verbis, honesti ac graves in
moribus, in cogitationibus circumspecti,
in affectionibus mundi, in omnibus fru-
ctuosi et exemplares, præsertim in sacris
istis diebus.

SERMO OCTAVUS

QUO PACTO ADVENTUS SPONSI COELESTIS IN COR, PROCURETUR CUSTODIATURQUE.

E*CCE sponsus venit, exite obviam ei.* B
Matth. XXV, 6.

Sponsus iste est Dominus Jesus, Uni-
genitus Dei Patris. Cujus sponsi quadru-
plex est adventus, puta : in carnem, in
cor, in morte singulorum, et ad finale
judicium universorum. Hinc adventus Do-
mini per quatuor celebratur hebdomadas.
Porro adventus sponsi hujus in carnem
factus est semel, quando Verbum caro fa-
ctum est, Virgine sacra dicente in hora
dominicæ annuntiationis ad angelum Ga-
Luc. I, 38. brielem : Ecce ancilla Domini, fiat mihi C
secundum verbum tuum. Adventus vero
in mentem et in morte quorumlibet, om-
ni fit die ; quartus fiet in fine dierum.
Si ergo desideramus primo Christi adven-
tui esse grati, et ad tertium quartumque
parati, præparemus nos indesinenter ad
secundum ejus adventum, quo quotidie
invisibiliter venit ad mentes fidelium, vel
gratiam ac virtutes eis infundendo, aut
certe infusa charismata in eisdem per-
ficiendo.

Denique, quoniam teste sancto patre D
nostro Bernardo, non est nostrum circa
communia languere præcepta, sed perfe-
ctioni studere, puritati intendere, ad divi-
Ps. XXXIII, 9. ni amoris conari fervorem, gustare et vi-
dere quoniam suavis est Dominus, ut ex
sententia et experientia Deo confiteamur,
Ps. XXX, 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ,
Thren. III, 25. Domine ! et cum Jeremia dicamus, Bonus
est Dominus sperantibus in se, animæ quæ-
renti illum : hinc non solum omni mentis
custodia mortalia odiamus ac declinemus
peccata, quæ caritati ac virtutibus directe
contrariantur, sed venialia quoque, quæ
caritatis fervori ac incremento atque vir-
tutum profectui adversantur ; aliter ne-
quaquam sincere proficiemus. Ideo cum
Propheta dicamus : Super custodiam me- *Habac.* II, 1.
am stabo, et figam gradum super muni-
tionem ; et contemplabor, ut videam quid
dicatur mihi, et quid respondeam ad ar-
guentem me. Nam teste Scriptura, Nisi in *Eccli.* XXVII, 4.
timore Dei tenuerimus nos instanter, cito
subvertetur domus nostra.

Hæc autem tam jugis, fervens ac inde-
fessa custodia indiget gratia magna : id-
circo ad Deum stillet oculus noster, et
sicut oculi ancillæ in manibus dominæ *Ps.* CXXII, 2.
suæ, ita sint oculi nostri ad Dominum
Deum nostrum, ejus auxilium invocando
donec det nobis gratiam istam ; fortiter
laboremus, fiducialiter insistamus, infati-
gabiliter suspiremus ad misericordissi-
mum ac munificentissimum totius gratiæ
fontem, et magnum celeriter fructum,
grandem profectum experiemur. Prout
enim una culpa ac negligentia per pœni-
tentiam protinus non deleta, disponit ac
trahit ad aliam, et aliqualiter obtenebrat
animam, ita ut minus acute ac limpide in-
tueatur ac penset pertinentia ad salutem,
ad profectum atque ad summæ majestatis

contemplationem ; sic una actio bona, una illuminatio superna, una sanctæ dilectionis affectio, disponit ac ducit ad aliam, ita quod quanto anima fuerit sollicitior pro sui custodia, pro vitanda Dei offensa, tanto abundantiorem a Deo illuminationem assidue sortietur, et peccata sua etiam minutissima perspicacius investigabit, intuebitur ac vitabit, eaque amplius ponderabit, deflebit, ac puniet in se ipsa. Hinc sancti viri sua quotidiana peccata quotidie vigilantissime consideraverunt, graviter ponderaverunt, et acriter castigaverunt, atque ad ea vitanda semper fuerunt solliciti.

Denique ista est causa præcipua quod (proh dolor !) parum aut nihil proficimus, et frequenter magis deficimus : quia remissi incustoditique sumus, nec conscientias nostras omni die condigne discutimus, nec nostra in nobis peccata ulciscimur, sed superficialiter pertransimus, et nobis sufficere arbitramur si graviora ac mortalia declinemus. Propterea in majora dilabimur, et post multos annos magis passionati ac leves, minus devoti ac fervidi sumus, quam circa principium nostræ eramus conversionis : quod certissime periculosissimum est. Ut ergo sponsus cœlestis Christus, Sapientia increata, in nostras adveniat mentes per gratiæ incrementa, per cœlestium multiplicationem donorum, per illuminationem et inflammationem majorem, atque in bonitatis affectum, in viscera caritatis, in zelum justitiæ corda nostra transformet, surgamus omni hora obviam venienti : hoc est, ad ejus ingressum ac susceptionem charismatum ejus nos præparemus per cordis expurgationem custodiamque præfatam, per orationes devotas ac fervidas sui adventus affectiones, per studium quoque proficiendi continuum, et per recognitionem beneficiorum ejus, per laudes et gratiarum actiones pro eis ; et quidquid gratum ac placitum ei esse noverimus, pro posse adimpleamus ; quidquid vero offensivum ac inhonorativum est ejus, diligentissime fugiamus.

A Tunc indubitanter Christus et Pater cœlestis ac Spiritus Sanctus ad nos et in nos venient, et mansionem sibi in nobis constituent, et cœnabunt nobiscum ; cibabunt animas nostras pane vitæ et intellectus, pane Eucharistiæ, pane gratiæ ac virtutum operumque bonorum, interno summæ bonitatis sapore, consolatione piissima, pace ac gaudio Spiritus Sancti ; aqua quoque sapientiæ salutaris, rore cœlesti, torrente voluptatis suæ supernæ potabunt nos. *Joann.* xiv, 23. *Apoc.* iii, 20. *Eccli.* xv, 3. *Ps.* xxxv, 9.

B O quam delicata ac dulcis, quam nobilis et divina est ista refectio, ista cœna et epulatio cum Sponso cœlesti ! Quam ut ubertim mereamur gustare, a quotidianis culpis ac negligentiis nostris quotidie nos purgemus, easque deploremus, et vitare omni cum diligentia enitamur ; non relinquamus eas impunitas in nobis, et omni modo nobis possibili satisfaciamus pro eis, ne caritatis fervor in nobis tepescat, et ne irradiatio Solis æterni obicem in nobis reperiat. Ut enim Eusebius Emisenus C fatetur, Quantum nos addiderimus ad proficiendi studium, tantum Deus apponet subsidium ; quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille apponet ad gratiam, quemadmodum ait, Habenti dabitur, et superabundabit. Gratia namque de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur ac delectetur acquirere. *Matth.* xiii, 12.

Postremo, ut ita crescamus in caritate et gratia, Solque justitiæ copiosius in noD stra fulgeat anima, atque cœlestibus divitiis exuberantius impleamur, hæc ipsa divini cultus obsequia quæ quotidie Deo offerimus, et ea quæ Ordinis sunt, satagamus quotidie devotius exhibere, perfectius agere, ardentius observare, horas canonicas distincte, attente, reverenter persolvendo, compunctissime celebrando, atque in omnibus ordinate ac exemplariter procedendo, silentium, sobrietatem regularemque disciplinam in cunctis servando. Nunquam sic effundamus nos, nec *I Cor.* xiv, 40.

recreationibus ita refoveamur, ut Sponsus A cœlestis offensus discedat aut gratiam in nobis diminuat. Quod si ex fragilitate humana contra propositum nostrum negligentiam aut culpam inciderimus solito graviorem, protinus redeamus ad cor, et pœniteamus ex corde, et satisfacere non tardemus, atque de cetero cautiores inveniamur. Ad laudem et gloriam superbeatissimæ, adorandæ æternæque Trinitatis, Dei sublimis, qui est benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUÆCUMQUE SCRIPTA SUNT, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SUNT. Rom. xv, 4-13.

QUÆCUMQUE *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* A

Convenienter epistola ista in dominica ista Adventus jam legitur, quia in ea ad fidelem exspectationem promissorum divinorum, quæ in secundo Christi adventu plenissime conferentur, docemur.

Itaque « quæcumque scripta sunt » in libris sacræ Scripturæ, « ad nostram doctrinam », id est informationem, « scripta sunt ». Hinc ad Timotheum scribit Apostolus : *II Tim.* iii, 16, 17. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad B corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo ad omne opus bonum. Duæ enim sunt partes legis divinæ seu sacræ Scripturæ, videlicet testimonia et præcepta : testimonia docent quid sit credendum; præcepta, quid agendum.

Ut per patientiam in adversis, quam Scriptura copiosissime laudat, docet ac præcipit. *Luc.* xxi, 19. Ait enim Salvator : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et Jacobus apostolus in sua scribit Canonica : *Jacob.* v, 7-9. Patientes estote usque ad adventum Domi- C ni, et confirmate corda vestra; ecce judex ante januam adsistit. Denique fideles in novo Testamento ad longanimitatem ac patientiam provocari debent exemplo fidelium qui in veteri Testamento fuerunt : qui tunc tam longanimes, laboriosi ac patientes fuerunt, quando nondum reserata fuit per Christum janua regni cœlestis, sed omnes quantumlibet sancti descenderunt in limbum inferni, et Christi passio longe adhuc videbatur distare. Imo exemplo fidelium qui a principio mundi exstiterunt in lege naturæ, potissimum inflammari debemus ad agendum fortiter, ad patiendum hilariter, ad exspectandum longanimiter, fideliter ac ferventer, ut in Dei obsequio nullatenus fatigemur, nec longum videatur nobis tempus quo Christo servimus, imo tanquam momentum reputemus tempus vitæ nostræ in sæculo isto, in quo æternitatis gloriam possumus promereri, atque si pure vixerimus, statim post vitam hanc, cœlestem beatitudinem introire. Ideo Jacobus ait : *Jacob.* v, 10, 11. Exemplum accipite longanimitatis, laboris et patientiæ, Prophetas : ecce beatificamus eos qui sustinuerunt; sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.

Itaque « ut per patientiam » *et consolationem Scripturarum spem habeamus,* id est, in spe confortemur, ita quod divinæ pietati immobiliter innitamur, et semper in Domino confidamus quod ipse per suam misericordiam nos salvabit. Nempe ut asserit Jeremias, *Jer.* xvii, 7. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Psalmista quoque loquitur Deo : *Ps.* lxxxiii, 13. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Itaque, quamvis spes quantum ad habitum sit virtus infusa, hoc est per creationem a Deo collata, quemadmodum fides et caritas, tamen quantum ad actum suum generatur et inflammatur ex con-

solatione Scripturarum sanctarum, quæ A ubertim hortantur, docent ac jubent ut in Deo speremus. Porro Scriptura divina nos multipliciter consolatur, videlicet, æternam beatitudinem promittendo perseverantibus, peccatorum remissionem pœnitentibus, gratiosam adsistentiam sperantibus. Sacra quoque Scriptura ad Dei cognitionem, ad divinorum contemplationem, ad multiplicem veritatis notitiam etiam in præsenti nos promovet : et in talibus delectatio spiritualis magna valde consistit. Hinc in primo Machabæorum scriptum B
I Mach. xii, 9. est : Habemus solatio sanctos libros qui in manibus nostris sunt. Multa etiam historialia, delectabilia et jucunda sunt in Scripturis contenta. Ideo ait Hieronymus : Ama studia Scripturarum, et carnis vitia non amabis; et Damascenus : Scriptura, inquit, paradisus est animæ.

Præterea in his verbis tangitur quadripartita utilitas ex Scriptura nobis consurgens. Prima est illuminatio rationis, quum dicitur : Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Secunda est C confortatio animæ per patientiam contra omnem vitæ præsentis tribulationem, quum subditur : Ut per patientiam. Tertia est relevamen internæ lætitiæ contra pressuras hujus exsilii, dum subjungitur : Et consolationem Scripturarum. Quarta est certitudo fiduciæ de futura beatitudine contra dilationem patriæ, quum subinfertur : Spem habeamus. Qui igitur cupit desuper illustrari, patientia roborari, spiritualiter consolari, de futura gloria certificari, ad Scripturas recurrat, in illis se D occupet : dum enim in illis studet, Spiritus Sanctus loquitur ei. Imo orare et psallere sunt remedia contra inordinatam tristitiam. Propter quod Jacobus ait apo-
Jacob. v, 13. stolus : Tristatur aliquis vestrum ? oret. Æquo animo est ? psallat.

Deus autem patientiæ largitor, amator, custos ac remunerator, de quo Psalmista :
Ps. lxi, 6. Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Imo non solum est donum Dei agere bona, sed etiam pati adversa, dicente Apostolo : Vo- Philipp. i, 29.
bis donatum est pro Christo, non solum ut in ipso credatis, sed etiam ut patiamini pro illo. *Et solatii,* id est spiritualis consolationis, de quo ait Apostolus : Benedi- II Cor. i, 3, 4.
ctus Deus et Pater misericordiarum ac totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. De quo in libro Nahum habetur : Bonus Dominus, et Nahum i, 7.
confortans in die tribulationis. Christus quoque in Evangelio loquitur : Venite ad Matth. xi, 28.
me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Sed qui vult divinitus consolari, carnales et mundanas consolatiunculas spernat, ad Deum confugiat, suæ visitationis dilationem æquanimiter atque humiliter ferat, a peccatis abstineat; et tunc utique consolatio infundetur ab alto, ita quod talis cum Psalmista poterit confiteri : Renuit consolari anima mea; me- Ps. lxxvi, 3, 4.
mor fui Dei, et delectatus sum.

Det vobis id ipsum sapere in alterutrum, id est idem sentire ad invicem, *secundum Jesum Christum,* id est vere et ordinate ac sapienter juxta Salvatoris doctrinam ac placitum. Est enim quædam concordia mala et communicatio erronea secundum diabolum, Christo contraria. Porro identitatem istam in vera sapientia, qua fideles sapiunt unum, facit illustratio et gratia Spiritus Sancti, quæ humanarum dissensionum, opinionum, falsitatum, diversitatem ac nebulam pellit, et mentes humanas in uno veritatis splendore ac virtutis vigore recolligit et conservat. Hinc quarto capitulo de Divinis nominibus sacratissimus Dionysius protestatur : Divina bonitas lumen est, propria plenitudine omnem mentem illuminans, et intellectualia ac rationalia, utpote angelos ac homines, in superinfuso radio congregans et concordans. Quemadmodum enim ignorantia seu ratio humana, in quantum est effectiva causa dissensionis et divisionis eorum qui per multiplices falsitates ab invicem sunt divisi, ut in hæreticis et schismaticis patet; ita infusio lucis divinæ est coadunativa eorum qui illustrantur, et conversiva ac

reductiva eorum a diversis erroribus ad unam vere consistentem divinam et inviolabilem veritatem.

Ut unanimes, id est bene concordes, *uno ore,* id est eadem vocis confessione seu laude, *honorificetis* per divinorum observantiam præceptorum, (*Jacob.* II, 17.) quia fides et spes in adultis sine operibus virtuosis mortuæ sunt, informes et nudæ, *Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi,* id est Deum Patrem, qui est Deus Christi secundum humanam naturam, cui in cruce pendens clamavit, (*Ps.* XXI, 2; *Matth.* XXVII, 46; *Marc.* XV, 34.) Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? et Pater ipsius secundum naturam divinam, quam per generationem æternam a Patre accepit. Unde Joannes loquitur (*Joann.* XX, 17.): Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

Propter quod, scilicet ut Deum unanimiter honoretis, *suscipite invicem* corporaliter ac spiritualiter, mutuo succurrendo, hospitando, instruendo, *sicut et Christus suscepit vos* sub alis suæ protectionis, *in honorem Dei.* Ipse enim ut dominus, suscepit nos in suos ministros; ut magister, in suos discipulos; ut medicus et salvator, in curandos. Hinc ait Psalmista (*Ps.* XXIX, 2.): Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.

Istud consequenter declarat Apostolus, primo quantum ad Judæos, ad quos primo et specialiter missus est Christus. Unde Virgo beatissima dixit (*Luc.* I, 54.): Suscepit Israel puerum suum. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis,* id est exhibuisse se ministrum Judæorum, per hoc quod eis primo ac personaliter prædicavit, et exemplis atque miraculis convertere eos conatus est. Propter quod dixit (*Matth.* XV, 24.): Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Disciplulis quoque ait (*Luc.* XXII, 27.): Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Hinc Christus vocatur apostolus Judæorum, juxta illud ad Hebræos (*Hebr.* III, 1.): Considerate apostolum confessionis vestræ, Jesum. Apostolus namque interpretatur missus. Quod autem Christus omnium Dominus vocatur minister, intelligendum est

A de ministratione humilitatis et caritatis, de qua loquitur Paulus (*Galat.* V, 13.), Per caritatem servite in invicem; item de ministerio prælationis: Christus enim in veritate et de jure fuit prælatus et princeps Judæorum, utpote rex Messias eis in lege promissus, de quo Isaias prædixit (*Is.* XXXIII, 22.), Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. Itaque Christus minister fuit circumcisionis *propter veritatem Dei,* hoc est, quoniam Deus ita prædixit, *ad confirmandas promissiones patrum,* id est ad B ostendendum quod promissiones de Christo factæ Prophetis ac Patriarchis essent vere a Deo. Per hoc enim quod Christus illas implevit, ostendit quod veræ fuerunt. Idcirco in Joanne habetur (*Joann.* I, 17.): Veritas per Christum facta est. Et ipse in cruce dixit (*Ibid.* XIX, 30.): Consummatum est. — Potest etiam sic exponi, ut Christus dicatur minister fuisse circumcisionis, quia sponte illam accepit, factus sub lege (*Galat.* IV, 4.) « propter veritatem Dei », qui ita decrevit « ad confirmandas promissiones patrum »: quoniam Christus circum- C cisionem accipiendo, legem veterem approbavit quod esset a Deo collata, et quod bona in ea promissa vere darentur electis.

Gentes autem, id est gentiles conversos, dico *super misericordia,* id est de pietate et gratia eis misericorditer præstita, *honorare Deum,* id est gratias agere ei, *sicut scriptum est* in Psalmo (*Ps* XVII, 50.): *Propter hoc confitebor tibi in gentibus**, id est, ego Filius faciam gentiles tibi confiteri confessione laudis tuæ et culpæ suæ. Hoc fecit Christus quando per Apostolos convertit gen- D tiles. *Et nomini tuo cantabo.* Christus enim secundum quod homo, per se ipsum cecinit Deo laudem, sicut ait in Psalmo (*Ps.* XXI, 23.): Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Gentiles quoque conversos induxit per gratiam ad cantandum Deo, juxta doctrinam Apostoli ad Ephesios (*Ephes.* V, 18, 19.): Implemini Spiritu Sancto, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino semper. Itaque Christifidelis vere devotus, mente jugiter laudet Deum, ut cum Propheta dicere possit (*Ps.* [illegible]): Cantabo Do-

* [Domine]

mino in vita mea, psallam Deo meo quam- A
Ps. xxxiii, 2. diu sum ; itemque : Benedicam Dominum
in omni tempore ; semper laus ejus in
ore meo. De hoc cantico, quo per totum
orbem Deus laudatur, et de laudibus Chri-
sti, utique in libro Isaiæ prædictum est :
Is. xxiv, 16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam
Justi.

Et iterum dicit Scriptura de gentium
susceptione : *Lætamini, gentes,* id est,
gentiles conversi, gaudete in Domino, *cum
plebe ejus,* id est cum Judæis fidelibus.
Christus namque est lapis angularis, in B
quo duo populi, scilicet Judæi et gentiles,
collecti et unus populus christianus ef-
fecti sunt : quia ex utroque populo multa
millia crediderunt, et ex eis Christus fecit
unam Ecclesiam. Propter quod dicit Apo-
Ephes. ii, 14. stolus : Christus est pax nostra, qui fecit
utraque unum. Et in Zacharia habetur :
Zach. vi, 12, 13. Ecce vir, Oriens nomen ejus, et ædificabit
templum Domino ; et consilium pacis erit
inter duos illos. Porro quemadmodum
Christiani jam, sic olim Judæi fuerunt
plebs Dei per gratiam specialem. Unde in C
Deuteronomio Moyses populo Israelitico
Deut. vii, 6. loquitur : Te elegit Dominus, ut sis ei
populus de cunctis populis qui sunt su-
per terram. Hæc autem auctoritas hic ab
Apostolo allegata, secundum quosdam ha-
Is. lxvi, 10. betur in Isaia secundum aliam translati-
onem, sed secundum Bedam habetur in
cantico Deuteronomii, ubi nostra habet
Ibid. xxxii, 43. translatio : Laudate, gentes, populum ejus.

Et iterum dicit Spiritus Sanctus in
Ps. cxvi, 1. Psalmo : *Laudate, omnes gentes* ad fidem
conversæ, *Dominum, et magnificate eum,* D
omnes populi, id est, magnifice ipsum ho-
norate. Ex omni etenim gente conversi
Dan. vii, 14. sunt plurimi, de quibus legitur : Omnes
populi, tribus et linguæ servient ei; atque
Ps. lxxi, 17. in Psalmo : Benedicentur in ipso omnes
tribus terræ, omnes gentes magnifica-
bunt eum.

Et rursus Isaias ait de gentium susce-
Is. xi, 10. ptione : *Erit radix Jesse,* id est Christus
de semine Jesse patris David secundum
carnem descendens ; *et qui* Christus *ex-
surget,* procedendo in actum, vel resur-
gendo a mortuis, *regere gentes,* id est gen-
tiles conversos, quos regit per gratiam
Spiritus Sancti, per angelorum custodiam,
per prælatos Ecclesiæ. Unde habetur in
Psalmo, loquente Patre ad Filium : Postula Ps. ii, 8, 9.
a me, et dabo tibi gentes hereditatem tu-
am ; reges eos in virga ferrea. *In eum
gentes sperabunt :* quod in Ecclesia cer-
nimus adimpletum. Nostra autem trans-
latio habet sic : Radix Jesse, qui stat in
signum populorum, ipsum gentes depre-
cabuntur. — Denique, quamvis Christus se-
cundum humanam naturam ex semine Jes-
se sit natus, et quantum ad hoc posterior
eo et quasi ramus ipsius, nihilo minus
dicitur radix ipsius Jesse, quia secundum
suam divinitatem est originale et creati-
vum illius principium. Sed et humanitas
Christi secundum quod erat in fide anti-
quorum patrum, fuit radix ipsorum quan-
tum ad esse gratiæ ac salutis, quia in fide
Christi venturi salvati sunt, sicut et nos
in fide ejus qui venit.

Circa præhabita scire oportet, quod li-
cet tam Judæi quam gentiles per miseri-
cordiam et gratiam Dei sint salvati, nihilo
minus salvatio gentium specialiter adscri-
bitur misericordiæ Dei, salvatio vero Judæ-
orum quodammodo divinæ justitiæ : quia
Judæis facta fuit multiplex promissio de
Christi adventu, qui etiam ad ipsos spe-
cialiter missus fuit; Judæi quoque fuerunt
unius Dei cultores, et legem ab ipso susce-
perunt : et quantum ad hæc, eorum susce-
ptio adscribitur justitiæ Dei, qui Christum
eis mittendo, implevit quod promisit. Gen-
tiles autem idolorum cultores fuerunt, nec
tantas a Deo erant promissiones sortiti.

Deus autem spei, qui solus per creati-
onem infundit spem quæ est theologica
virtus, *repleat vos omni gaudio et pace
in credendo.* Hoc intelligendum est de
gaudio spirituali et pace interna. Gau-
dium autem et pax vitæ præsentis non
sunt perfecta atque stabilia, sed sæpe in-
terrumpuntur. Orat ergo Apostolus, ut in
vita hac incipiamus repleri pace et gaudio

spirituali per fidem ; in patria autem totaliter impleamur gaudio et pace per speciem, hoc est Deum clare videndo facie ad faciem. Porro spirituale gaudium oritur ex contemplatione et dilectione Dei, ac spiritualium rerum, beneficiorum promissorumque Dei : siquidem ex unione potentiæ cum objecto convenienti delectatio oritur. Pax autem proprie appellatur gaudium imperturbatum. Est quoque triplex pax, utpote : pax pectoris, quæ est quies mentis in Deo ; pax temporis, quæ est quies ab exterioribus conturbationibus ; et pax æternitatis, quæ est quies patriæ supercœlestis. Quemadmodum autem gravia naturaliter quiescunt in loco deorsum, A et levia in loco sursum; sic mens creata naturaliter ac proprie quiescit in Deo, qui est principium suæ exsistentiæ et finis operationis ipsius. *Ut abundetis in spe,* id est in actibus spei, tanto certius ac avidius præstolando gloriam Beatorum, quanto nunc eam gratiosius prælibatis per delectationem et pacem internam, quæ est futuræ jucunditatis prægustatio quædam. Nempe ex perceptione præsentium munerum, certa fit exspectatio futurorum. *Et virtute Spiritus Sancti,* id est, omni virtute B et gratia quam infundit Spiritus Sanctus, et in efficacia operum virtuosorum quæ ejus auxilio fiunt : cui cum Patre et Filio est honor et gloria infinita. Amen.

SERMO PRIMUS

DE UNANIMITATE, ET HONORIFICENTIA DEI.

U*NANIMES, uno ore honorificetis Deum.* Rom. xv, 6.

In hoc verbo tria tanguntur. Primum, quales debeant esse qui Deum honorant, quum ait, Unanimes. Secundum, qualiter id facere debeant, quum subditur, Uno ore. Tertio tangitur ipse saluberrimus actus sine quo nullus salvatur adultus, dum subditur, Honorificetis Deum.

In primis ergo qui Deum altissimum digne et meritorie cupiunt honorare, oportet ut inter se exsistant unanimes, non discordes : et hoc ad minus in his quæ necessaria sunt ad salutem, in quibus idem sapere est necesse. In ceteris bonis ac laudabilibus, seu etiam indifferentibus, quanto fuerint unanimiores, tanto sunt Deo complacentiores, atque ad profectum spiritualem dispositiores. Quemadmodum enim similitudo, sic et unanimitas parit, conservat et auget amorem; et rursus, sicut dissimilitudo, ita discordia gignit aversionem, displicentiam, indignationem, invi- C diam. Unanimitas quoque communiter ex caritate causatur, quoniam caritas facit eos quibus inest eadem velle et nolle, præsertim si caritas magna sit et perfecta. Hinc Deus unus et trinus, in quo est simplicissima unitas in essentia, et summa concordia seu unanimitas in personis, in quibus est una voluntas unaque caritas, vult in suis cultoribus ac ministris veram esse concordiam caritatisque unitatem, ut creaturæ ac servi suo Creatori ac Domino per gratiam et virtutes assimilentur, sicut D eidem in naturalibus quantum ad superiores animæ vires quodammodo conformantur. Unde Propheta fatetur : Deus qui *Ps.* LXVII, 7.
inhabitare facit unius moris in domo. Quicumque igitur cupit Deo placere, ipsumque meritorie honorare, atque cum proximis concordare, conformet se ceteris, potissimum his inter quos conversatur, in licitis et honestis, et quæ majoris bonitatis ac gratiæ non sunt impeditiva, ut placeat *R*... xv, 2.
proximo suo in bonum ad ædificationem ;

nec aliquem sua singularitate scandalizet, offendat, contristet, quum dicat Aposto-
II Cor. VI, 3. lus : Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Hinc opera singularis devotionis ac gratiæ magis sunt abscondenda, quantum convenienter fieri potest, quam publicanda.

Porro superbi et sibi ipsis inaniter complacentes, et qui proprii capitis sunt, non unanimes, sed singulares, discordes, indociles esse solent, quemadmodum Salomon
Prov. XIII, 10. protestatur : Inter superbos semper sunt jurgia. Contra quod Christus suis discipu-
Marc. IX, 49. lis ait : Pacem habete inter vos.

Simus ergo unanimes, id est unius cordis seu animi, ut omnia vitia concorditer abhorreamus, et quidquid bonis moribus contrariatur, odiamus atque vitemus; virtutes vero, et quidquid ad bonos pertinet mores, caritatemque nutrit ac perficit, pariformiter diligamus, prosequamur, et usque in finem servemus. Sic namque in primi-
Act. IV, 32. tiva Ecclesia multitudinis credentium fuit cor unum et anima una. Hinc Philippenses in persona cujuslibet prælati affectuosis-
Philipp. II, 1-3. sime hortatur Apostolus : Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sapientes; nihil agatis per contentionem neque per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes. Ex quo constat quam magna res sit bona ista unanimitas proximorum. Ad quod etiam insinuandum, scriptum est in Ecclesiastico :
Eccli. XXV, 1. 2. In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata sunt coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.

Porro si aliquis virtuosus sit inter malos, quamvis cum illis non concordet, quia illorum pravis desideriis atque operibus non consentit, nihilo minus pacem pectoris habet, quiescendo in Deo; et opera ejus Deo sunt placita, quia quantum in se est, unanimitatem et pacem cum omnibus habere paratus est et affectat, juxta illud Apostoli : Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Rom. XII, 18. Imo ut Leo Papa disseruit, pax vera est, litigare cum vitiis, et concordiam habere cum moribus probis.

Præterea, juxta doctrinam Apostoli, unanimitas esse debet non solum in mente, sed consonantia quoque in voce laudis divinæ, ut ex vera dilectione Dei ac devotione, voce consona in Dei prorumpamus præconium, et docendo, hortando, conferendo, prædicando, corripiendo, laudando, gratias peragendo, Deum ore tenus honoremus, non nisi fructuosa, utilia et honesta loquendo, et verba Dei non corde inattento ac frigido, sed advertente et fervido proferamus, ne cum reprobis deputemur. Contra quos Christus verbum Isaiæ prophetæ allegat, dicendo : Populus hic Is. XXIX, 13; Matth. XV, 8; Marc. VII, 6.
labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Ex his etiam innotescit, quod clerici et religiosi Deum in divinis laudantes, concorditer hoc facere debent cum auscultatione et reverentia ac devotione, quemadmodum in Daniele de Anania et sociis ejus habetur : Hi tres quasi uno Dan. III, 51.
ore laudabant et benedicebant Deum in fornace.

Itaque, mente et voce concordi Deum verum et unum honorare debemus, et alios pro posse ad ejus venerationem inducere. Nempe quum honor debeatur virtuti, bonitati ac majestati, nonne Deus omnipotens, summe et incomparabiliter virtuosus, bonus et magnus, imo essentialiter virtus virtutum, sanctitas ipsa, bonitas pura, universorumque princeps et rex, a quo omnis prælatio et potestas, est summe et incomparabiliter honorandus mente, ore et opere ? Idcirco apud Jeremiam scribitur : Non est similis tui, Do- Jer. X, 6, 7.
mine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine : quis non timebit te, o Rex gentium?

Insuper, multiplex est gradus honorationis divinæ. Primus est, divinorum custodia præceptorum, sine qua homo non potest salvari, quum dicat Christus : Si vis Matth. XIX, 17.

intrare ad vitam, serva mandata. Secundus A est, observare consilia : quod religiosos concernit, et valde meritorium exstat, quum *Matth.* xix, 29. dicat Salvator, Qui reliquerit propter me patrem, aut matrem, aut fratres, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Tertius gradus est, sive in observatione præceptorum sive consiliorum, facere opera supererogationis, videlicet ultra debitum peculiaria devotionis exercitia virtutumque opera peragendo in orationibus, hymnis et psalmis, in meditationibus et compunctionibus, in vigiliis, jejuniis et B disciplinis, et sanctæ caritatis affectibus : *Luc.* x, 35. quoniam Christus testatur, Quodcumque supererogaveris, ego quum venero, reddam tibi. Quartus gradus est, totis viribus atque præcordiis se ipsum extendere ad Dei obsequium, ut quantum possibile fuerit fragilitati humanæ, satagat homo in omni loco et tempore Deo actualiter esse unitus, et operationibus virtutum intentus : ut semper sit mente elevatus ad Dominum, et corde adspiciens, alloquens, diligens Deum; sicque se ipsum totaliter C offerat Deo in holocaustum, ejus cultui plenarie deditus, et interiori custodiæ vigilantissime vacans ne Deum in aliquo usquam offendat, et quotidianas levesque culpas indesinenter detergat. Istud ad viros heroicos, id est divinos perfectosque, pertinet, in quorum persona sanctus ait Hilarius : Hoc Deo potissimum debeo, ut sicut quidquid sum et habeo ab ipso accepi, ita totum id in ejus cultu expendam, quatenus mens, sensus, corpus et anima totaque vita mea ipsum loquantur atque honorent. D

Singulis ergo corporis membris et animæ viribus Deum honorificemus, omnia opera nostra secundum Dei præcepta et documenta ad ejus gloriam regulando, interiores et exteriores sensus custodiendo, illicita verba vitando, bona et salutaria proferendo, ab omni prava cogitatione et vitiosa affectione penitus abstinendo. Hinc *Rom.* vi, 19. namque ait Apostolus : Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Si igitur a Deo glorificari et honorari optamus, ipsum in omnibus honoremus. Ipse enim est utique primum ac summum honorabile, fontalisque causa totius honorabilitatis in aliis. Ideo impii sunt, injusti et prorsus perversi, qui homines magis honorant, timent, intuentur et curant, quam ipsum. Ipse namque in infinitum honorabilior est universis et singulis. Unde in libro Regum fatetur : Qui- *1 Reg.* ii, 30. cumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Erubescamus ergo in Dei adspectu viliter nos habere, turpiter agere, impie conversari, fatue loqui. Unanimes simus in omni opere bono, ut angeli, in quibus Deus perfectam inviolabilemque facit *Job* xxv, 2. concordiam, delectentur esse nobiscum. Universi enim boni Christiani sunt unus exercitus Dei, ad quem pertinet contra tentationes dæmonum, aciem vitiorum, perversitates impiorum, jugiter præliari. Idcirco summe requiritur, ut inter se bene unanimes sint, et se mutuo juvent ad bona agenda, ad mala vitanda, ad prævalendum dæmonibus et peccatis. Igitur se invicem debent hortari, corripere, informare, accendere, et orare pro invicem ut salventur.

Postremo, nullus Christianus, quamvis conjugatus, ita se reputet in exterioribus occupatum, ut æstimet se non posse Deum aliquo prædictorum honorare modorum, quum multi potentissimi reges ac principes in veteri ac novo Testamento totis præcordiis devotissime honoraverint Deum. Unde de Carolo rege legitur, quod quando quievit a præliis, quotidie visitavit ecclesiam, et omnibus horis canonicis, etiam Matutinis, interfuit, et cuncta quæ fecit ad Dei gloriam ordinavit. Nobilissimi quoque palatini ipsius, Rolandus, Oliverus, ac ceteri, tam devoti ac timorati fuerunt, quod die omni dominica, confessione peracta, communicaverunt. Insuper legitur de quodam virtuoso Angliæ rege, quod quotidie divisit horas diei in tres partes, ita

quod octo horis vacavit divinis, et octo A horis regni sui negotiis, octoque horis necessariis corporis, scilicet comestioni, somno, etc. Sic et quilibet Christianus aliquas horas sibi adaptet, in quibus Domino vacet, orando, meditando, Missam quoque (si potest) audiendo. Imo et in operibus manualibus vicissim elevandum est cor ad Dominum Deum cum brevi et fervida oratione, saltem mentali, et cum meditationibus ac laudibus Dei, omnia etiam opera ad ejus honorem et gloriam referendo, qui est super omnia laudabilis, gloriosus et superexaltatus in sæcula.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

JOANNES AUTEM QUUM AUDISSET IN VINCULIS OPERA CHRISTI. Matth. XI, 2-10; Luc. VII, 18-27.

RECTE evangelium istud in Adventu B legit Ecclesia, quia in ipso de Christi adventu tractatur. Ait ergo evangelista Matthæus : *Joannes autem quum audisset in vinculis opera Christi.* Quum ad incarceratos non soleat patere accessus, mirum potest videri qualiter Joannes in carcere clausus, miracula Christi perceperit. Et respondendum, quia ut Marcus describit, Herodes : non ille cujus regni tempore natus est Christus, sed filius ejus, qui et Christum tempore passionis irrisit, et ut ait S. Hieronymus, ex parte matris suæ C
Marc. VI, 20, 17, 18. fuit natione Judæus; hic, inquam, Herodes Antipas metuebat Joannem Baptistam, sciens eum virum justum, et libenter eum audiebat, auditoque eo multa bona agebat. Nihilo minus quum a Joanne de suo incestu acriter corriperetur, dicente ei Joanne, Non licet tibi habere uxorem fratris tui, victus incestuosæ uxoris amore, ad ejus instantiam incarceravit Joannem; sed de ejus fuga non timuit, sanctitatem ejus agnoscens. Idcirco discipulos Joannis permisit accedere et alloqui eum; atque ab D eis percepit Joannes miracula Christi, jux-
Luc. VII, 18. ta illud Lucæ : Et nuntiaverunt ei discipuli ejus de omnibus his, utpote quomodo Christus filium viduæ suscitavit a mortuis, et alia multa egit miracula.

Quibus auditis, *mittens duos de discipulis suis.* Duos misit : quia unus non sufficit ad testimonium perhibendum, sed ut ait Scriptura, in ore duorum vel trium Deut. XIX,
testium stabit omne verbum; et rursus, 15; Matth. XVIII, 16; II Cor. XIII, 1.
quoniam itineranti solatiosum est socium viæ habere, quum homo sit naturaliter animal sociale. Tutius quoque est duos pergere simul, ut si opus fuerit, unus juvetur per alium, juxta illud Ecclesiastæ : Melius est duos esse simul, habent Eccle. IV, 9, 10.
enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab alio fulcietur. Et iterum Salomon loquitur : Væ soli, quia si Ibid. 10.
ceciderit, non habet sublevantem. Insuper duos misit, ad fraternæ caritatis socialisque vitæ commendationem. Et ob easdem causas etiam Christus duos discipulorum Luc. X, 1.
suorum simul mittere consuevit, et in processionibus Ecclesiæ clerici transeunt combinati. Ait autem Cyrillus, quod hi duo quos misit Joannes Baptista, erant ceteris suis discipulis prudentiores, ut ipsi a Christo instructi, ceteros Joannis discipulos possent instruere. Probabile quoque est, quod ob reverentiam Christi misit solenniores discipulorum suorum, et quorum testimonium credibilius a condiscipulis reputaretur.

Ait illi, id est Christo per hos duos discipulos : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Beatissimus Joannes Baptista certissime noverat Jesum regem esse Messiam seu Christum in lege promissum:

nam ante suam incarcerationem ipsum di- A *Joann.* I, 29. gito demonstravit, dicendo, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Cur ergo interrogat, Tu es qui venturus es? Imo, quoniam novit Christum venisse, quare non potius ait, Tu es qui venisti?

Itaque advertendum, quod verba hæc dupliciter exponuntur. Primo, secundum B. Gregorium sic : Tu es, o Christe, qui venturus es ad passionem et limbum inferni, an alium exspectamus, qui pro mundi salute passurus sit, atque ad inferos descensurus ad educendum inde patres B sanctos, ac innocentes? qui in lege naturæ salvabantur fide parentum, et in lege Moysis per circumcisionem quantum ad masculos : nam et tunc femellæ mox morientes, salvabantur fide parentum, secundum Hugonem libro de Sacramentis, aliosque doctores super quartum Sententiarum. Igitur juxta Gregorium, Joannes duo quæsivit a Christo : primo, an in propria persona descenderet ad inferna; secundo, an pro hominibus esset moriturus : et secundum Gregorium, de his dubitavit Joannes. — C Sed hoc communiter non tenetur, nec sta- *Luc.* I, 15. re posse videtur. Joannes namque Spiritu Sancto repletus in utero matris, et Christi præcursor, magis illuminatus fuit a Spiritu Sancto de mysteriis Christi, quam Prophetæ veteris Testamenti. Quum ergo illi utrumque horum agnoverint, utpote Christum passurum atque ad inferos de- *Is.* LIII, 7. scensurum (Isaias quippe prædixit : Quasi ovis ad occisionem ducetur, et tanquam agnus coram tondente se obmutescet; et *Dan.* IX, 26. Daniel : Post hebdomadas sexaginta duas D occidetur Christus. David quoque in multis psalmis, præsertim in psalmo cujus *Ps.* XXI. exordium est, Deus, Deus meus, respice in me, passionem Christi clarissime prophetavit. Porro de Christi descensu ad in- *Zach.* IX, 11. feros a Zacharia prædictum est : Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Ad quod etiam pertinet quod Psalmista lo- *Ps.* LXVII, 19. quitur Christo, Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; et quod per Osee ait Salvator, Ero mors tua, o mors; ero morsus *Osee* XIII, 14. tuus, inferne) : ex iis constat quod Joannes de Christi passione ac descensu ad inferos certus fuit. Denique quando de Christo dixit, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, non ignoravit per quem modum Christus deberet mundi auferre peccata.

Verumtamen expositioni S. Gregorii consonare videtur expositio B. Hieronymi, sic dicentis : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? hoc est, manda mihi, quia ad inferna, id est limbum patrum, descensurus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi te superis, id est super terram viventibus, an non conveniat Filio Dei ut gustet mortem, et alium ad hæc sacramenta missurus sis. Attamen secundum Hieronymum, ista interrogavit Joannes, non ex dubitatione aut ignorantia, sed pro discipulorum suorum informatione et gratia. Addit namque Hieronymus : Non quasi ignorans interrogat; sed sicut Salvator interrogavit de Lazaro, Ubi po- *Joann.* XI, 34. suistis eum? ut qui locum indicabant sepulcri, videndo Lazarum resurgentem pararentur et inducerentur ad fidem; sic Joannes ab Herode necandus, discipulos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem signa et virtutes Christi videntes, crederent in eumdem. Et istud melius sonat, quia et S. Hilarius ait : Joannes non suæ sed discipulorum ignorantiæ consulit. Ut enim scirent non alium a se prædicatum, ad opera Christi intuenda suos misit discipulos, quatenus auctoritatem dictis suis opera illius conferrent, nec Christus alius exspectaretur quam cui testimonium opera præstitissent.

Præterea Chrysostomus et Cyrillus valde reprobant expositionem dicentium interrogasse Joannem ex dubitatione de Christi passione atque de descensu ad inferos. Unde Cyrillus : Omnino (inquit) reprobanda est talis opinio. Nusquam enim reperimus sacram Scripturam disserere quod infernalibus prænuntiaverit Joannes Christi adventum. Noveratque Joannes, quod Christus illuminaturus erat infernum, id est

detentos in limbo, quum pro omnibus mortem gustasset. Insuper sancti qui erant in limbo, exspectabant certissime Christum ad eos educendos venturum; nec ignorabant Christum jam esse natum, ac virilis ætatis, quia et ejus infantiam a Simeone et Anna parentibusque Joannis Baptistæ, audisse credendi sunt. Quod autem passurus esset Christus passionique proximus, ut cetera taceam, a Moyse discere
Luc. IX, 30. 31. potuerunt, postquam transfigurationi Christi Moyses et Elias interfuerunt, et de imminente tunc ejus passione cum ipso personaliter contulerunt, ut Lucas evangelista testatur. Tunc quippe ad limbum Moyses rediens, sanctis ibi dixit quod vidit atque audivit. Arbitror quoque, quod angeli sancti patres in limbo multoties visitabant, et de proxima eorum liberatione, appropinquante Christi passione, consolabantur.

Est ergo alia expositio horum verborum: Tu es qui venturus es? id est, an tu es Christus qui per Prophetas venturus esse prænuntiatus es? An alium exspectamus? id est, exspectare debemus, qui salvabit genus humanum. Et hoc non ex ignorantia, sed pro discipulorum suorum instructione (ut tactum est) quæsivit Joannes. Ut enim Hieronymus, Beda, et alii scribunt, discipuli Joannis ex vehementi affectione ad magistrum suum Joannem, non satis æquanimiter ferebant excellentiam Christi; sed aliquid mordacitatis contra eum conceperunt, eo quod ita per signa, virtutes ac documenta præfulsit, ac præferebatur eorum magistro Joanni. Et hoc ex Evangelio satis elicitur. Ut enim apud Joannem legitur, discipuli Joannis quadam vice dixe-
Joann. III, 26. runt ad eum, Magister, cui tu testimonium perhibebas, baptizat, et omnes veniunt ad eum; et alia vice dixerunt ad Christum,
Matth. IX, 14. Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, tui autem discipuli non jejunant? Verumtamen istud non reor intelligendum de omnibus Joannis discipulis, quod scilicet tam imperfecti et passionati exstiterint, qui a tam sanctissimo regebantur magistro; sed quidam eorum tales ad tempus fuerunt.

A Circa hunc locum scribit Chrysostomus: Quamdiu Joannes cum suis erat discipulis, suadebat continuo eis de Christo; et quia jam moriturus erat, majorem diligentiam facit. Formidavit enim ne in suis discipulis perniciosum errorem relinqueret, et sic abjicerentur a Christo. Ideo mittit eos ad Christum; nec ait, Ite ad illum, quia melior me est, quoniam hoc dicendo non persuasisset eis, sed putaretur humilia de se sentiens loqui: ideo non mittit omnes, sed duos, quos noverat per-
B suasibiliores, ut ex rebus ipsis discerent distantiam inter eum et Jesum. Itaque, sicut Prophetæ veteris Testamenti in suis sermonibus interdum in persona incredulorum ac transgressorum loquuntur, et ex humilitate se illis connumerant, ut quum Isaias loquens de Christo, Reputavimus *Is.* LIII, 4.
(inquit) eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum; Daniel quoque, quum ait, Peccavimus, inique egimus, etc.: *Dan.* III, 29.
ita Joannes in hac quæstione in persona dubitantium discipulorum locutus est.

C Præterea advertendum, quod quia celeberrima apud Judæos exstitit fama quod Christus esset venturus in mundum, sicut a principio sæculi fuit prædictum, idcirco per hanc circumlocutionem, Tu es qui venturus es? Christi persona exprimitur. Unde Joannes narrat quemadmodum Judæi, viso miraculo quo Christus quinque millia de quinque panibus satiavit, dixerunt: Hic est vere Propheta qui venturus *Joann.* VI, 14.
est in mundum. Hinc scribit Cyrillus: Quia Scriptura hunc prædixit futurum tan-
D quam Deum ac Dominum, alii vero missi sunt tanquam famuli ante eum; ideo omnium Salvator ac Dominus a Prophetis designabatur per hæc verba, Qui venit, vel, Qui venturus est: juxta illud Psalmi, Bene- *Ps.* CXVII, 26.
dictus qui venit in nomine Domini; atque illud Habacuc prophetæ, Post modicum, *Habac.* II, 3; *Hebr.* X, 37.
qui venturus est veniet. Sicque Baptista nomen accipiens a Scriptura, interrogat: Tu es qui venturus es? id est, an tu sis Christus qui prænuntiatus es esse venturus tanquam præcipuus et omnium summus?

Et respondens Jesus, ait illis, puta dis-
cipulis Joannis : *Euntes renuntiate Joanni
quæ audistis,* id est verba doctrinæ et
prædicationis meæ, *et vidistis,* id est mi-
racula quæ in vestra feci præsentia. De
quibus subjungitur : *Cæci vident, claudi
ambulant,* id est, qui cæci fuerunt et clau-
di, per me supernaturaliter reparati, jam
vident et ambulant; *leprosi mundantur* a
lepra per me, quum tamen lepra sit per
naturam incurabilis morbus; *surdi audi-
unt,* id est, qui surdi fuerunt, a me repa-
rato auditus organo, audiunt; *mortui re-
surgunt :* quod sola divina potest fieri
virtute. *Pauperes evangelizantur,* id est,
Matth. v, 3. beati a me prædicantur, qui dixi, Beati
pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-
gnum cœlorum; vel, Evangelizantur, id
est, evangelicæ legis doctrina et gratia a
me instruuntur, spiritualiterque ditantur.
Is. LXI, 1; *Luc.* IV, 18. Unde per Isaiam ait Salvator : Spiritus
Domini super me, evangelizare pauperibus
misit me. Hoc Christus asseruit, ad insi-
nuandum quod ipse non fuit personarum
acceptor, nec pauperibus et infirmis præ-
tulit divites ac potentes; imo magis econ-
Luc. VI, 24. trario, nam ante hæc dixerat : Væ vobis
divitibus, qui habetis consolationem ve-
stram. Talibus ergo Christus non blan-
diebatur, sed juste corripuit eos : cujus
oppositum agunt qui hominibus optant
placere, et propria commoda quærunt, seu
carnaliter timent, de quibus ait Psalmista,
Ps. LII, 6. Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus
placent; confusi sunt, quoniam Deus spre-
vit eos. Porro mundus despicit pauperes;
I *Cor.* I, 20. sed stultam fecit Christus sapientiam hu-
jus mundi, et hos elegit Deus quos despi-
cit mundus, ut scribit Gregorius.

Horum autem miraculorum Christus
multa in præsentia discipulorum Joannis
Luc. VII, 21. peregit, juxta illud Lucæ : In ipsa autem
hora curavit Jesus multos a languoribus,
et plagis, et spiritibus immundis, et cæcis
Deut. XXXII, 4. multis donavit visum. Quumque Dei per-
fecta sint opera, certum est quod Christus
spiritualiter quoque curavit quos corpore
sanavit. Quomodo autem Dominus Jesus

A prætacta miracula spiritualiter fecerit, at-
que quotidie faciat, infra in sermone di-
cetur.

Præterea contuendum, quod cæci, clau-
di, surdi, sunt in duplici genere. Nam
quidam a nativitate sunt tales; alii post-
modum accidentaliter facti sunt tales. Alii
quoque a nativitate lepra infecti sunt, ut
filii leprosorum : leprosus namque gignit
leprosum. Quamvis autem tres evangeli-
stæ, Matthæus, Lucas et Marcus, describant *Matth.* IX,
multos cæcos, surdos et claudos a Christo 27-30; XX, 30-34; XXI,
B curatos, non tamen determinant an aliquos 14; *Marc.*
a nativitate tales sanaverit; sed Joannes VIII, 22-25; X, 46-52;
evangelista unum a nativitate cæcum et *Luc.* VII, 21,
unum taliter claudum conscribit a Christo 22; XVIII, 35-43.
curatos. Estque probabile quod plures a *Joann.* IX,
nativitate tales curaverit Christus, quod 1-7; V, 5-9 [illegible].
item quidam eorum de quibus jam sermo
est, a nativitate tales fuerunt. Talium quip-
pe curatio miraculosior est, et ad fidei
probationem robustior, quamvis utrorum-
que curatio Christo æque facilis fuerit :
infinitæ namque potentiæ omnia æque fa-
C cilia sunt. Christus quoque quantum ad
naturam assumptam, ad nutum impetravit
a Divinitate quidquid ex deliberata ratione
volebat, quemadmodum ait ad Patrem :
Ego sciebam quia semper me audis. *Ibid.* XI, 42.

Præterea, Augustino teste, incertum est
quot mortuos suscitaverit Christus, quam-
vis tres suscitasse legatur. Non enim om-
nia Christi miracula sunt ab Evangelistis
descripta, quum Joannis ultimo scriptum
sit : Multa alia signa fecit Jesus in conspe- *Ibid.* XXI,
ctu discipulorum suorum; quæ si scriban- [illegible]
D tur, nec ipsum arbitror mundum capere
posse eos qui scribendi sunt libros. Unde
si quis omnium Evangelistarum libros di-
ligenter perpendat, agnoscet non nisi pau-
ca ex miraculis Christi, comparative lo-
quendo, in speciali esse descripta. Verum
ex hoc loco probabiliter sequi videtur,
quod plures quam tres mortuos suscitavit
Salvator. Quando enim hæc dixit, quan-
tum ex evangeliis innotescit, non susci-
tavit nisi filium viduæ, vel fortassis etiam
filiam archisynagogi. Unde si tunc plures

non suscitasset, non dixisset forsan tam absolute pluraliter, Mortui resurgunt : præsertim quum etiam in Ethicis dicat Philosophus, ad virum pertinere moralem, in recitatione eorum quæ ad propriam laudem et excellentiam pertinent declinare ad minus, in recitatione vero pertinentium ad vituperationem aliorum etiam ad minus divertere, salva semper veritate ubique cum modestia congruente. Deni-
Joann. XI. que descriptionem suscitationis Lazari tres Evangelistæ omiserunt, quum tamen illa celeberrima fuerit : idcirco reor probabile quod plurium mortuorum suscitationes referre omiserint.

Constat demum quod ad quæstionem Joannis Christus non verbis, sed factis respondit : non enim dixit discipulis Joannis, Euntes dicite Joanni quod ego sum Christus ; sed, Renuntiate, inquit, Joanni quæ vidistis. Certior enim est probatio per miracula soli Deo possibilia, quam per verba dumtaxat : Christus autem multa fecit miracula quæ non nisi divina possunt fieri virtute. Ex modo quoque agendi quo Christus prodigia egit, Filius Dei et verus Deus esse probatur : nam imperialiter in instanti et ad nutum fecit hujusmodi dum placuit sibi, quamvis interdum ad demonstrandam veritatem suæ humanitatis, qua Patre fuit inferior, invocaverit Patrem ; interdum quoque ob mysticam rationem, cum quadam temporis protensione signa effecit, ut Evangelistæ describunt. Præfata etiam miracula Isaias a
Is. XXXV, 5, 6. Christo agenda prædixit : Tunc (inquiens) aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Quamvis etenim ista atque similia ab aliis Sanctis sint facta, a nullo tamen taliter, id est tam imperialiter, tam copiose, subito et ad nutum, sunt facta sicut a Christo. Voluit ergo Christus sua miracula recitari Joanni, ut per hæc discipulis Joannis persuaderet se esse Messiam in lege promissum : Deus namque nequaquam est testis falsitatis. Quoniam ergo per miracula sibi

A soli possibilia corroboravit Christi doctrinam, ostendendo quod ipse sit Christus, certissimum est sic esse.

Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, id est, qui ex verbis et operibus ac persecutionibus meis, et ex morte crucis quam patiar, non fuerit ad ruinam peccati inductus ex propria infirmitate, ignorantia aut malitia. Quamvis enim omnia dicta, gesta signaque Christi fuerint vera, sancta atque divina, ita quod Christus, quantum in ipso fuit, neminem scan-
B dalizavit, sed universos ædificavit ; multi tamen in Christo occasionaliter scandalizati fuerunt ex propria defectuositate, pravitate aut ignorantia, vel ex aliorum persuasione : ut hi qui Christo et ejus famæ ac excellentiæ inviderunt et detraxerunt, quemadmodum Pharisæi, dicentes, In principe dæmoniorum ejicit dæmones. Inter *Matth.* IX, 34.
quos etiam quidam ex Joannis fuerunt discipulis, quos Christus verbo hoc tetigit et contra futura præmunivit pericula, tanquam dicat : Quamvis magna et mira nunc
C facio, et a multis extollor, nihilo minus a multis contemnor, et crucis patibulo patiar ; idcirco jam felix est in spe et per meritum gloriæ, si stabilis in fide et veneratione mea permanserit. Tales vero pauci Judæorum fuerunt : siquidem tempore passionis ejus, paucis exceptis, universa eorum turba clamavit, Tolle, tolle, cru- *Joann.* XIX, 15.
cifige eum.

Denique, sicut in Christo fuit duplex natura, una altissima ac divina, alia humillima et humana, ita duplicia Christi
D fuerunt opera atque mysteria, quædam videlicet divina ac summa, ut quod natus est de Virgine, quod angeli sibi in deserto ministraverunt, quod tot et tanta fecit miracula : ex hac parte quidam hæretici fuerunt scandalizati in Christo, negantes eum vere hominem exstitisse, ut Manichæi ; alii considerantes humillima et abjecta quæ de Christo leguntur, ut quod natus fuit ex muliere et tanta perpessus est, ejus divinitatem negaverunt, ut Photinus et alii multi. Fideles vero ita venerantur insignia

Christi, quod in ejus humilitate et passione non scandalizantur.

A

Illis autem abeuntibus, id est, discipulis Joannis ad ipsum redire incipientibus, *cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne,* eum multipliciter commendando (quod non fecit in discipulorum Joannis præsentia, ne blandus videretur) : *Quid,* id est qualem virum, *existis in desertum videre?* quasi dicat : Qualem putastis esse, vel nunc putatis esse Joannem Baptistam, ad quem videndum ante ejus incarcerationem existis a propriis domibus in desertum, in quo habitavit Joannes? *Arundinem vento agitatam?* id est, an existis videre hominem levem atque instabilem, arundini seu calamo similem, quem calamum ventus hinc inde impellit ac agitat? Quasi dicat : Talis non fuit nec est Joannes, quum sit vir virtuosus et sanctus. Primo ergo de inconstantia Christus excusat Joannem, ad præservandum turbas a scandalo : audierant namque Joannem de Jesu testantem quod Christus esset. Ne ergo turbæ præfatam Joannis quæstionem audientes, putarent eum ex animi levitate primo perhibuisse quod Jesus sit Christus, et nunc ex ignorantia interrogasse an ipse sit Christus, affirmat Salvator, quod Joannes ex tali radice tam diversimode non sit locutus, sed ex ratione justissima, utpote propter suorum instructionem discipulorum. Hinc ait Chrysostomus : Quantum ad discipulos Joannis, satis actum erat; certificati enim de Christo per signa quæ viderant, recesserunt. Sed oportebat etiam turbam sanari, quæ ex interrogatione discipulorum Joannis multa inconvenientia subintellexit, ignorans mittentis consilium. Poterant enim dicere : Qui tanta de Christo testatus est, nunc aliter sentit et dubitat. Numquid ergo altercans ad Jesum hoc dicit? Numquid timidior a carcere factus? Numquid vane dixit priora? Porro secundum Hilarium, Christus laudat Joannem, ne quod præmisit, Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, aliquis ad Joannem referret.

B

C

D

Discamus ergo et nos arundo vento agitata non esse, sed in virtutibus radicemur, quia ut ait Apostolus, optimum est gratia stabiliri cor; passionibus dominemur, non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes, sed ratio nostra figatur in Deo, ut nec prosperis extollamur, neque adversis frangamur; non adulationibus emolliatur cor nostrum, nec tentationibus hinc inde flectatur, sed in omni eventu in Deo stabiliter perseveret. Scriptum est enim : Homo sanctus in sapientia permanet ut sol, nam stultus mutatur ut luna. Salomon quoque testatur : Justus quasi fundamentum æternum; impii autem tanquam tempestas transiens non subsistent.

Hebr. XIII, 9. *Galat.* V, 26. *Eccli.* XXVII, 12. *Prov.* X, 25.

Sed quid existis videre (juxta sensum præhabitum)? *Hominem mollibus vestitum?* Quasi dicat : Si talem existis videre, errastis, quia Joannes non erat pretiosis, delicatis ac mollibus indumentis vestitus, sed veste asperrima de pilis camelorum contexta. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt:* qui enim principibus cohabitant et ministrant, talibus solent vestibus uti; Joannes autem in eremo mansit.

Sed quid existis videre? Prophetam? Hoc Christus interrogando concedit et superaddit, ac si dicat : Si existis videre Prophetam, non errastis in hoc, quia de Joanne pater ejus prædixit, Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. Quomodo autem alibi dicat Joannes, Non sum Propheta, in sequentis dominicæ evangelio exponetur.

Luc. I, 76.

Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam, id est, Joannes ad quem videndum existis, est amplius quam Propheta : quia non solum aliqua de Christo prædixit, sed eum etiam digito demonstravit, eumque nondum natus signo exsultationis adesse ostendit, ac postea baptizavit; nec solum loco et tempore, sed vitæ quoque perfectione et multiplici gratiæ dono præ ceteris Prophetis veteris Testamenti Christo fuit propinquior, et altius illuminatus fuit de mysteriis Christi quam illi. Imo de ipso alii Prophetæ prænuntiaverunt. Hinc subditur:

Joann. I, 29, 36. *Luc.* I, 41. *Matth.* III, 15, 16

Hic est enim de quo scriptum est per A
Malach. III, 1. Malachiam : *Ecce ego* Deus Pater, *mitto angelum meum,* id est nuntium, *ante faciem tuam*, o Christe, id est ante tuam evidentem manifestationem, quia Joannes ante Christum cœpit populo prædicare, et eum ad susceptionem prædicationis ac fidei Christi disponere. Dicitur autem Joannes angelus, non veritate naturæ, ut putaverunt hæretici, sed officii dignitate atque angelicæ vitæ imitatione, quia in eremo vitam duxit angelicam, et quia sacerdotis exstitit filius, ac sacerdos, saltem de jure B
et potestate, si voluisset, quamvis non de facto seu usu. Sacerdotes autem angeli vo-
Ibid. II, 7. cantur, juxta illud Malachiæ : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini exercituum est. In veteri quoque Testamento angelus pro nuntio communiter ponitur. Unde in Aggæo propheta, ubi Hieronymus transtulit, Dixit Aggæus nuntius Agg. I, 13.
Domini de nuntiis Domini, alia habet translatio, Dixit Aggæus angelus Domini de angelis Domini ; atque in Isaia, Angeli Is. XXXIII, 7.
pacis amare flebunt. *Qui præparabit viam tuam ante te,* id est, corda Judæorum disponet sua prædicatione ac baptizatione ad suscipiendum doctrinam tuam ac fidem, o Christe, antequam tu ipse personaliter publice prædices. Unde apud Joannem ait Joannes Baptista loquens de Christo :
Ut manifestetur in Israel, propterea veni Joann. I, 31.
ego in aqua baptizans. Et rursus ibidem habetur : Hic venit in testimonium, ut Ibid. 7.
testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Nec solum Malachias propheta, sed et Isaias de Joanne beatissimo prophetavit, prout in sequentibus evangeliis patefiet.

SERMO SECUNDUS

DE SEX INCOMMODIS SEU INFIRMITATIBUS SPIRITUALIBUS HOMINUM, QUÆ CHRISTUS PER GRATIAM SUAM AUFERT A NOBIS.

CÆCI *vident, claudi ambulant, leprosi* C
mundantur, etc. Matth. XI, 5.

In his verbis tanguntur sex spirituales hominum languores vitam gratiæ impedientes, quos Christus per gratiam suam sanat in nobis.

Primus languor est excæcatio rationis, hoc est error, ignorantia seu perfidia mentis. Quemadmodum enim oculus corporalis per quasdam sordidas materias aut magnas moles, seu per ferrum acutum atque igni-
Tob. II, 11. tum, penitus excæcatur (unde Tobias legitur excæcatus, eo quod calida hirundinum D
stercora super oculos ejus quum dormiret cadebant); per pulveres vero aliqualiter offuscatur, perturbatur et læditur : ita interior oculus hominis, utpote intellectus seu ratio, per peccata mortalia tanquam per trabes grandes atque turpissimas sordes penitus excæcatur, per motus quoque carnalis concupiscentiæ et fervorem iræ ac impatientiæ quasi per ferra acuta et ignita prorsus obtenebratur ; per venialia vero peccata quasi per pulveres et festucas aliqualiter obnubilatur. Hinc de impiis scri-
ptum est : Excæcavit eos malitia eorum ; et Sap. II, 21.
iterum : Concupiscentia subvertit cor tuum. Dan. XIII, 56.

Porro, quod peccata mortalia rationem excæcare dicuntur, intelligendum est quoad privationem salutaris scientiæ ac spiritualis sapientiæ, per quas bene virtuoseque vivitur, et Deo super omnia finaliter inhæretur. Multi namque in mortalibus vitiis exsistentes, habent acutum ingenium, atque scientiam acquisitam, per quam sciunt subtiliter loqui de Creatore ac cre-

aturis; sed eorum scientia vocatur informis et nuda, hoc est indecora, quia non est caritate ac virtuosis operibus adornata. Salutarem vero scientiam, quæ vocatur formata scientia, quia caritate et virtutibus est ornata, non habent; nec sapientiam illam quæ est donum Spiritus Sancti, per quam homo Deum cognoscit cum interiori mentis sapore, ita quod cum cordis affectu et gustu intentus est Deo et divinis ac spiritualibus rebus, carnalia et caduca despiciens, vel ad minus ea spiritualibus rebus postponens. Hinc de tali-
Tit I, 16. bus scribit Apostolus : Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominati et reprobi, et inquinatæ sint eorum mens et conscientia. De quibus per
Jer. IV, 22. Jeremiam loquitur Spiritus Sanctus : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Tales sunt omnes qui alios docent et se ipsos non docent, qui bona prædicant et impie vivunt.

In primis ergo necesse est nobis ut ratio nostra illuminetur a Deo, et a suis erroribus, vitiis ignorantiisque purgetur, quatenus vere et sincere discernamus inter virtutes et vitia, inter vera et falsa; et sic juxta rationis directionem agamus, et juxta ejus judicium procedamus : nam, ut
De Divin. nom. c. IV. divinus Dionysius protestatur, optimum hominis est esse et vivere secundum rationem. Hæc autem rationis illuminatio atque directio in primis et maxime necessaria est ad bene vivendum. Qui enim non scit quid agere debeat et quid vitare, non potest virtuose vivere nec Deo placere quamdiu talis est, sed in innumerabilia ac gravissima vitia incidit : idcirco secundum Ambrosium, ignorantia est maxime periculosa. Propterea quilibet Christianus debet Deum quotidie cordialissime invocare, ut mentem suam illustrare atque dirigere semper in cunctis dignetur, sicut
Ps. CXVIII, 133. orat Propheta : Gressus meos, Domine, dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia; itemque :
Ps. XVII, 29. Deus meus, illumina tenebras meas. Hinc subditi et minus eruditi debent a superioribus suis ac doctioribus informationem libenter audire, imo etiam humiliter quærere et verbum Dei affectuose suscipere, et qualiter Deo placere atque in virtutibus possint proficere, sollicite investigare, juxta illud Jeremiæ : Interrogate quæ *Jer.* VI, 16.
sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis requiem animabus vestris.

Secundus hominis languor spiritualis est claudicatio voluntatis, hoc est inordinatus amor ipsius, per quam processus mentis ad Dominum impeditur, juxta illud Psalmi : Filii alieni inveterati sunt, et *Ps.* XVII, 46.
claudicaverunt a semitis suis. Nam, ut asserit Augustinus, pes animæ est amor ipsius : qui si ordinatus et rectus fuerit, dicitur caritas; si inordinatus et obliquus, vocatur cupiditas. Hoc languore infecti sunt omnes avari, libidinosi, pigri atque instabiles : quibus dici potest quod perversis filiis Israel dixit Elias, Usquequo claudicatis in duas partes? Tales quippe non *III Reg.* XVIII, 21.
ambulant per vias rectas justitiæ, id est, per observantiam divinorum præceptorum non tendunt ad regnum cœlorum : de quibus viis ait Scriptura, Justum deduxit Dominus per vias rectas; sed ad *Sap.* X, 10.
utrumque vitiosum extremum divertunt. Virtus enim inter duo vitia medium tenet; ipsi vero relictis virtutibus, incedunt per vitia, prout Isaias testatur : Ambulant per vias non bonas et post peccata sua. *Is.* LXV, 2, juxta LXX.
Contra quod Isaias hortatur : Hæc via, utpote observatio præceptorum, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. Verbi gratia, *Ibid.* XXX, 21.
homo temperatus et sobrius tantum capit de cibo et potu quantum natura requirit et divina lex docet; gulosus autem excedit in illis, indiscretus vero in abstinendo accipit nimis parum.

Denique hunc languorem sanat in nobis Deus, auferendo a nobis carnalem amorem et inordinatum terrenorum affectum, et sua caritate seu spirituali amore nos inflammando. Ideo Deum jugiter invocemus, ut ordinet nostræ voluntatis affectiones, ita ut ipsum super omnia quæra-

mus ac diligamus, cetera autem non nisi A in ipso et secundum ipsum, hoc est in ordine ad ipsum et secundum voluntatem ac doctrinam ipsius, videlicet prout nobis utilia aut necessaria sunt ad serviendum placendumque ei, ut illud Canticorum di-
Cant. II, 4. cere valeamus : Ordinavit in me caritatem.

Tertius hominis languor spiritualis est carnalis concupiscentiæ fœditas, quæ in divitibus et potentibus plus abundat, et a Christo totaliter separat, quum dicat
Galat. V, 24. Apostolus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis et con- B cupiscentiis. Quanto autem lex Christi spiritualior, arctior atque divinior est, tanto carnalis concupiscentiæ fœtor et opus magis indecentia sunt et illicita Christiano. Propter quod beatissimus princeps Apo-
I *Petr.* II, 11. stolorum in prima sua ait Canonica : Carissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.
Rom. VIII, 8. Paulus quoque fatetur : Qui in carne sunt, id est, carnalibus desideriis acquiescunt, Christo placere non possunt. Rogemus igi- C tur Deum ut ab hoc animæ morbo nos sanet jugiterque præservet, ab omni peccato gulæ atque luxuriæ nos purgando, et sobrietatis ac continentiæ gratiam tribu-
II *Cor.* VII, 1. endo, ut juxta doctrinam Apostoli, ab omni inquinamento animæ et corporis nos mundemus, et Deo sanctissimo in sanctitate et justitia incessabiliter serviamus.

Quartus languor est surditas animæ, puta duritia sive rebellio cordis ad audiendum et obtemperandum verbis Dei, quemad-
Zach. VII, 12. modum in Zacharia de impiis legitur : Cor D suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. Hunc morbum Christus tollit a nobis, quando per gratiam suam cor nostrum emollit ut docile obediensque consistat, quemadmodum per Ezechielem
Ezech. XXXVI, 26. effatur : Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum novum ponam in medio vestri. Hanc
Eccli. III, 27. pessimam surditatem vitemus, quoniam sicut in Ecclesiastico scriptum est, Cor
Prov. XXVIII, 14. durum male habebit in novissimo, et qui cordis est duri, incidet in mala. Impleamus igitur illud Jacobi : Abjicientes om- *Jacob.* I, 21. nem immunditiam, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Revera durum cor habet, imo durissimum, qui nec divinis comminationibus perterretur, nec divinis promissionibus ad virtutes allicitur, nec exhortationibus persuadetur, nec beneficiis emollitur, qui neque inspiratione divina neque instinctu angelico a sua pravitate recedit.

Quintus languor est mors animæ, id est separatio ejus a Deo per peccatum mortale : quem Christus aufert, caritatem quæ vita est animæ infundendo. Jugiter ergo caveamus ne animæ nostræ sint coram Deo spiritualiter mortuæ per peccatum quodcumque mortale, potissimum ne amplius afficiamur ad temporalia atque carnalia quam ad spiritualia et divina, quoniam per Sophoniam Dominus comminatur : Visitabo super viros defixos in fæcibus *Soph.* I, 12. suis. In fæcibus etenim suis defixi sunt, qui carnalibus vitiis involvuntur atque immundis adhærent affectibus.

Sextus languor est mentis inopia, id est gratiæ ac virtutum carentia. Propter quam unicuique injusto Deus loquitur in Apocalypsi : Nescis quia tu es miser, misera- *Apoc.* III, 17. bilis, pauper, cæcus et nudus. Ab hoc languore sanamur, quando divinæ pietatis gratia virtutibusque ditamur, sicut orat Apostolus : Deus et Pater Domini nostri *Ephes.* III, 14, 16. Jesu Christi det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari in interiori homine per Spiritum Sanctum. Itaque per gratiam Dei corda impiorum illuminantur, duri emolliuntur, et interdum pessimi optimi fiunt, ita quod ubi abundavit ma- *Rom.* V, 20. litia, abundet et gratia.

Unde in primo libro Vitaspatrum refert Hieronymus : Fuit vir in civitate una Thebaidis habitans, vitam turpissimam in omni facinore ducens, ita ut nominatissimus in flagitiis esset. Qui tandem miseratione Dei compunctus, ad pœnitentiam est reversus, et in sepulcro quodam seu spelun-

ca se claudens, scelera sua lacrimarum fontibus abluebat : diebus namque et noctibus in faciem prostratus, nec oculos ad cœlum levare, nec nomen Dei nominare audebat, sed in solis gemitibus ac fletibus perdurabat. Quod quum unam fecisset hebdomadam, noctu venerunt ad eum dæmones, exclamantes : Quid, o impiissime, agis ? Postquam enim impuritate satiatus es, nunc a nobis quasi castus religiosusque fugis ? Unus ex nobis es, aliud esse non potes. Redi ergo ad nos, et quod tibi superest temporis in voluptate expende : præparamus tibi copiosas delicias. Quid te ipsum ante tempus affligis ? Hæc atque similia dicentibus dæmonibus, vir ille mansit immobilis, nil respondens nec verba illorum advertens. Tunc dæmones verba sua contemni cernentes, illum atrocissime percusserunt ac vulneraverunt, ac semivivum reliquerunt. Altera die a suis amicis quæsitus, et incredibilibus pœnis plenus inventus, interrogatus est ab eis unde sibi hæc essent inflicta. Quod quum eis exposuisset, rogabant ut causa curationis se ad domum reportari propriam pateretur : quod nequaquam permisit, sed in eodem loco permansit. Sequenti igitur nocte dæmones redeuntes, rursus illum durissime percusserunt; nec tamen a loco recessit, melius esse dicens se mori quam dæmonibus obedire. Tertia demum nocte convenit multitudo dæmonum, et absque ulla miseratione omnibus cruciatibus eum afflixit. Quumque corpus viri illius in suppliciis defecisset, spiritus tamen ipsius dæmonibus resistebat. Quod illi videntes, victi ac fugientes, clamabant, Vicisti nos, vicisti; nec ultra eum molestaverunt. Ex tunc ille in omni virtute et gratia tantum profecit, quod tota regio illa ipsum quasi angelum Dei adspexit. Ejus quoque exemplo plurimi convertebantur; et quidam qui de sua desperaverant salute, resumentes fiduciam, pœnituerunt. Ipse vero in tantum profecit, quod etiam multa egit miracula, et sancto fine quievit.

Hujus ergo peccatoris exemplo, peccatores petant illuminari et converti a Deo, et dignos pœnitentiæ fructus agant, et in bonis perseverent operibus usque in finem.

SERMO TERTIUS

QUOMODO ALIQUIS POSSIT PROBABILITER SCIRE SE ESSE IN STATU SALUTIS, HOC EST IN CARITATE ET GRATIA.

QUUM sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Mich. VII, 8.

Deus omnipotens et æternus, recte sol sapientiæ seu intelligentiæ solque justitiæ nuncupatur : de quo in libro Sapientiæ
Sap. v, 6. impii dicunt, Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quemadmodum enim sole materiali visibili ascendente et nostro hemisphærio propinquante, tenebræ expelluntur, nebulæ dissipantur, aer serenatur, et omnia super terram illustrantur; sic utique sole justitiæ Deo altissimo animam illustrante, tenebræ ignorantiæ fugiunt, nebulæ vitiorum discedunt, et mens lumine gratiæ venustatur, virtutibus decoratur. Denique mens humana ex se ipsa fragilis instabilisque consistens, quando sibi ipsi relinquitur, undique vagatur et inutilibus fluctuat cogitationibus, atque inordinatis affectionibus agitatur, nunc inaniter glorians, nunc culpabiliter tristans, nunc vane formidans, nunc stulte præsumens; et hæc etiam patitur tempore orationis ac divini Officii, quando speciali ac stabili

devotione deberet Deo intendere. Quum vero cœlestis gratiæ luce perfunditur et Dei auxilio roboratur, dum divino amore accenditur et virtutibus stabilitur; tunc passiones et vitia, distractiones et phantasmata mox abjicit, et Deo stabiliter vacat, in orationibus et meditationibus bonis ceterisque divinis stabili devotione persistit, lætatur ac proficit. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Quasi parturientis, cor tuum phantasmata patitur; nisi fuerit ab Altissimo emissa visitatio. *Eccli.* XXXIV, 6.

Præterea Deo hominem gratiose ac misericorditer illustrante, statim incipit homo attendere cum affectu et gustu interno ea quæ pertinent ad suam salutem, puta : quam bonum atque salubre sit Deo servire, quam vile et periculosum sit dæmonum suggestionibus obedire; quam brevis, incerta et fallax sit vita præsens, quanta peccata commiserit, quam negligenter, periculose ac damnabiliter vixerit; quam ingratus fuerit Deo, quam intolerabilis damnatio sibi instet, nisi se protinus vere et digne emendet; quam perversum et fatuum sit, pro hujus brevissimæ vitæ divitiis atque honoribus, pro immundæ ac miseræ carnis deliciis, æternam beatitudinem perdere, infernalemque acerbissimam pœnam nunquam finiendam incurrere. Itaque quando hos actus in se quispiam experitur, probabiliter scire potest, quod vere illuminata sit ratio ejus a Deo, et de cæco effectus sit videns. Ideo gratias agat Deo, humillime cum Psalmista decantans : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? et cum Michæa propheta : Quum sedero in tenebris (id est in præsenti exsilio, in valle hac lacrimarum, in carcere carnis mortalis, ubi tenebris multis involvimur), Dominus lux mea est, id est causa illuminationis meæ. *Ps.* XXVI, 1. *Mich.* VII, 8.

Porro qui in horum consideratione negligentes, obtusi et frigidi sunt, acuti autem ac fervidi ad considerandum qualiter temporalia damna vitent, terrenas opes accumulent, mundi honores ac voluptates obtineant, cæci sunt mente, et in statu damnationis æternæ. In quibus viget prudentia carnis, quæ juxta Apostolum, mors est. Quorum sapientia est terrena, animalis et diabolica, secundum apostolum Jacobum : est enim terrena, in quantum superflue occupantur circa exteriores divitias; animalis, in quantum quærunt et amant carnales consolationes atque delicias; diabolica, in quantum appetunt excellentiam vanam et humanos honores. Tales igitur resipiscant, pœniteant, se defleant et emendent, sicut hortatur Apostolus: Resipiscant (inquiens) a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Hoc modo Deus in veteri Testamento illuminavit David regem. Qui quum adulterium homicidiumque fecisset, tanta sua facinora multis diebus non advertit, neque pœnituit, quousque Nathan propheta missus a Deo, ipsum corripuit. Tunc enim Deo illustrante, in ictu oculi scelerum suorum enormitatem et suam ingratitudinem profundissime clarissimeque perpendit, atque ex inæstimabili dixit dolore, Peccavi Domino: nam ut aliqui dicunt, tam vehementissime doluit, quod nisi Nathan propheta protinus subjunxisset, Dominus transtulit peccatum tuum, cor ipsius David mox præ dolore ruptum fuisset. *Rom.* VIII, 6. *Jacob.* III, 15. II *Tim.* II, 26. II *Reg.* XI, XII. *Ibid.* XII, 13. *Ibidem.*

Insuper, dum acediosi ad opera bona, et mentis affectu ad temporalia incurvati, alacres fiunt ad Dei obsequium et ad divina affectuosi; tunc claudi ambulant : et qui sentit se taliter immutatum, probabiliter scire potest quod gratia et caritas Dei sibi infusæ sunt. Quemadmodum enim ex naturalibus actibus et motibus corporis scitur anima esse in corpore, ita ex alacritate et promptitudine animæ ad opera cultus divini percipitur probabiliter satis caritas Dei esse in anima. Propter quod ait Psalmista ad Deum : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti, id est per caritatem accendisti et exhilarasti, cor meum. Sic Deus mutavit sanctissimum illum anachoretam abbatem Mutium. Qui quum primo fuisset princeps latronum, divinæ pietatis inspiratione com- *Ps.* CXVIII, 32.

punctus, se perfectissime emendavit; ingressusque eremum, et ibi abstinentissime vivens, radicibus herbarum et modica aqua contentus, infra tres annos in tantum profecit, quod factus est princeps et pater devotissimorum quamplurium monachorum, plura quoque fecit miracula. Quumque quadam die pergeret ad quamdam Fratrum congregationem quibus præfuit, et jam sol tenderet ad occasum, ad preces ejus sol stetit in cœlo immobilis quousque ad congregationem illam pervenit, prout in secundo libro Vitaspatrum S. Hieronymus scribit.

Amplius, dum homines carnalibus vitiis dediti, et libidinosis affectibus æstuantes, virtute et gratia Spiritus Sancti ab omni hujuscemodi impuritate mundantur, ita quod talia de cetero abominantur, atque de pristinis obscenitatibus intime erubescunt, ac sanctæ dilectionis ardoribus flagrant, Deo totis præcordiis complacere et plene uniri optantes, aliorumque omnium spiritualem profectum ac salutem fervide cupientes, et eos pro posse ad Deum trahentes orando, hortando exemplariterque vivendo; tunc leprosi mundantur : et qui in se talia experitur, probabiliter scire potest quod dona gratiæ gratum facientis acceperit, Deumque meritorie diligat. Hoc sibi accidisse beatissimus Augustinus in libro Confessionum testatur. Qui quum pluribus annis concupiscentiis deservisset, et de sua vita impura gravem haberet remorsum, seque emendare proponeret, et tamen incipere vereretur, quia putabat se a carnalibus vitiis posse difficillime abstinere; tandem per infinitam misericordiam Dei tam repente et valide illuminatus atque accensus est a Spiritu Sancto, ac spirituali consolatione impletus, quod non solum facillimum sed et jucundissimum sibi fuit pristinis vanitatibus voluptatibusque carere, ita quod et ipsemet inde admirabatur.

Præterea, dum homines loquacitatibus assueti, et ad audiendum verbum Dei graves ac duri, desuper emolliuntur, et verbum Dei libenter audire incipiunt, a
A prioribus loquendi vitiis se custodientes;
tunc surdi audiunt : estque id signum
gratiæ Dei, quia ut ait Salvator, qui ex Deo est, verbum Dei audit. (Joann. VIII, 47.) — Quum vero a Deo aversi, et vitiosa consuetudine pressi, in tantum ut glorientur quum malefecerint (Prov. II, 14.) et exsultent in rebus pessimis, convertuntur ad Dominum, et consueta vitia vitant ac odiunt, non principaliter quia ad damnationem deducunt, sed maxime quoniam inhonorativa et offensiva sunt Dei, et propter ipsam turpitudinem atque
B malitiam vitiorum; tunc mortui resurgunt : et qui hoc sentit in se, probabiliter potest agnoscere in caritate et gratia Dei se esse.

Postremo, dum omni spirituali virtute et gratia destituti, vitiisque repleti, a Spiritu Sancto præveniuntur, tanguntur et immutantur, sicque proficiunt ut charismatibus gratiarum quotidie plus abundent, in tantum ut de sua plenitudine aliis quoque communicent et succurrant, implentesque illud beatissimi Petri apostoli, Unusquisque sicut accepit gratiam, in alter- (I Petr. IV, 10.)
C utrum illam administrantes; tunc pauperes evangelizantur, id est, felices dicuntur, et probabiliter norunt se esse in statu salutis. Talis fuit altissima illa Christi discipula Maria Magdalene : quæ quum primo plena fuisset septem dæmoniis, id est universis peccatis mortalibus, ad tantam postea vitæ sanctitatem excellentiamque virtutum et contemplationis per gratiam Christi perducta est, quod triginta annis in horribili atque vastissima eremo commorans, quotidie septies ab angelis elevabatur in
D aera, et corporalibus auribus cœlestium civium melodiam audivit dulcissimam.

Quilibet igitur Christianus quotidie examinet semetipsum, an prætacta gratiæ opera in se ipso exsistant : et si sic, tunc Deo humillime regratietur, et timoratus ac custoditus semper permaneat, ne vana securitate fallatur remissusque fiat; si autem ista in se non experitur, non cesset clamare ad Dominum quousque visitetur ab ipso, et se in cunctis emendet, ad laudem et gloriam adorandi omnipotentisque Dei.

SERMO QUARTUS

DE MODERAMINE OBSERVANDO IN VESTIBUS, ET DE VERA MENTIS CONSTANTIA.

Ecce *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Matth. XI, 8.

In verbis his Dominus noster Jesus Christus, totius veritatis magister omnisque perfectionis exemplar, docet in vestitu Christianorum moderantiam esse servandam, omnemque curiositatem, vanitatem, superfluitatem, et inordinationem, ac provocationem ad vitia esse vitandam. Ex quo patet quam insipienter loquantur qui de superfluitate et curiositate seu pretiositate et inordinatione sua in vestimentis ac ornamentis correpti, parvi pendunt atque respondent : Deus respicit mentem, nec de exterioribus curat. Quibus dicendum est, quod tam interiora quam exteriora respicit Deus; et sicut requirit intus conscientiam puram, sic foris conversationem exemplarem, quamvis interiora principaliter intueatur.

Denique sicut Deus requirit ut homo moderate se habeat in cibo ac potu, sic exigit Deus ut temperate, exemplariter et decenter se habeat homo in vestitu ac ornamentis. Propterea duo ista annectens
I *Tim.* VI, 8. Apostolus : Habentes (inquit) alimenta et quibus tegamur, contenti simus. Imo Deus requirit ut homo in cujuscumque creaturæ usu ordinate se habeat, non pro suo libitu illa utendo, sed secundum exigentiam ultimi finis, hoc est secundum quod expedit homini ad obtinendum felicitatem æternam. Sic ergo formandæ sunt vestes, et sic eis utendum est, ut nec ipse qui utitur eis, ex forma, valore, dispositione et usu earum inducatur ad vanitatem et culpam, nec alii. Ideo juxta doctrinam sacræ Scripturæ sanctorumque Patrum faciendæ, moderandæ atque in usu habendæ sunt vestes. Certum est autem quod ex

A curiosa formatione, pompatica dispositione, superflua possessione, prægrandi pretiositate, speciositate atque mollitie vestium, varia oriuntur peccata, vanitates et scandala, tam in utentibus quam in ceteris eas intuentibus. Ideo in Ecclesiastico scribitur : In vestitu ne glorieris unquam. *Eccli.* XI, 4.

Denique exteriora sunt effectus et signa interiorum, quemadmodum visus incustoditus et vagus, signum est incustoditæ vagæque mentis. Propter quod ait Scriptura : Noli circumspicere in vicis civi- *Ibid.* IX, 7.
B tatis; et Propheta Deum exorat : Averte *Ps.* CXVIII, 37.
oculos meos ne videant vanitatem. Immoderata quoque loquela et garrula lingua, intimoratæ et stolidæ mentis est indicium, juxta illud Proverbiorum : Vidisti *Prov.* XXIX, 20.
aliquem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correctio. Conformiter curiosus, pomposus, scandalizativus, nimium pretiosus superfluusque vestitus, vani et pomposi cordis index est ac testis. Et hoc Scriptura manifeste testatur, siquidem in Ecclesiastico habetur :
C Amictus corporis, et risus dentium, et *Eccli.* XIX, 27.
ingressus hominis, enuntiant de illo, id est, ostendunt qualis sit.

Denique Christus in Evangelio loquitur : Attendite vobis a falsis prophetis, qui *Matth.* VII, 15.
veniunt ad vos in vestimentis ovium. Et hoc uno modo exponitur de materialibus vestibus, ita quod vestes ovium, id est bonorum Christianorum Deum vere timentium, sunt humilia atque simplicia indumenta, quibus plerumque se contegunt simulatores. Non tamen ob hoc de-
D bent oves suas abjicere vestes, ut loquitur Augustinus. Quemadmodum ergo universi Christiani oves Christi sunt, vel merito essent, sic ad omnes eos pertinet humili-

bus atque simplicibus vestibus uti atque A contentari, pensatis tamen qualitate, conditione et statu eorum.

Hæc omnia vera esse testatur S. Gregorius : imo et hæc multipliciter probat. Primo, quoniam pretiosis curiosisque vestibus nullus se induit, ubi videri a nemine potest : quo patet quod pro inani gloria tales vestes portentur. Secundo, quia beatissimum Joannem Baptistam Christus et Evangelistæ de asperitate, humilitate et paupertate vestitus collaudant. Tertio, quoniam gloriosi apostoli Petrus et Paulus in suis B epistolis prohibent mulieribus vestes pretiosas, pomposas, vane ornatas, curiose formatas. In prima namque S. Petri Canonica scribitur : Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus; sed jubet Petrus ut mulieres in anima decorentur virtutibus. Paulus quoque apostolus : Mulieres (inquit) sint in habitu ornato, id est humili ac devoto, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pre- C tiosa.

I Petr. III, 3, 4.

I Tim. II, 9.

Circa quæ verba scribunt doctores, quod in vestimentis ornamentisque corporis quinque modis peccatur. Primo, in pretiositate, quum dicat Gregorius : Nemo putet in usu pretiosarum vestium deesse peccatum. Secundo, in suavitate atque mollitie. Tota enim vita hominis esse debet in pœnitentia et deploratione peccati, castigationeque corporis : qui namque sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. Hinc ait D Hieronymus : Mollia vestimenta mollitiem animæ indicant seu inducunt. Chrysostomus quoque fatetur : Mollis vestis rigidam animam dissolvit, id est, justam et seriosam animam a sui rigoris proposito et vigore relaxat. Tertio, in speciositate. Quarto, in curiositate. Quinto, in superfluitate. Ait enim Joannes Baptista : Qui habet duas tunicas, det non habenti, hoc est, qui unam vel plures habet superfluas, indigentibus tribuat eas, quemadmodum sibi fieri vellet si indigeret. Hinc doctores sanctissimi Ambrosius atque Basilius dicunt : Nudorum indumentum est quod recludis aut super perticam pendes; idcirco tot vestimenta invadis ac retines, quot de tuis vestibus induere posses. Ex quibus ostenditur quam graviter peccent qui tot vestimenta tenent reposita, quibus revera non indigent, nec tamen indigentibus ea communicant.

Galat. V, 24.

Luc. III, 11.

Præterea, juxta B. Gregorium, præfatis modis magis peccant viri in vestimentis quam feminæ, ceteris paribus. Viri enim sunt feminis fortiores in ratione atque prudentia, et tenentur feminis bona præbere exempla. Teste quoque Apostolo, vir caput est mulieris, et debet eam in moribus ædificare, in dubiis informare, a vitiis refrenare : idcirco a prætactis excessibus circa vestes et ornamenta ipsam compescere debet, illosque excessus in primis personaliter evitare. Verumtamen juxta doctores, feminis licitum est exterius se ornare decenter et competenter, ut a suis maritis magis ac præcise amentur, atque ut eos ab aliarum mulierum appetitu ac adulterio abstrahant, et propter decentiam status proprii aut mariti; similiter viri decenter se ornare possunt ad complacendum uxoribus suis, ne illæ ad alios viros afficiantur : sed in isto ornatu servanda est moderantia, ut omnis vanitas, pompa, curiositas superfluitasque vitentur. Econtrario autem sunt quædam feminæ, quæ dum domi sunt cum suis maritis, se ornare non curant, sed dum egrediuntur : quarum si intentio recta sit, ipsæmet conscientias suas scrutentur.

Ephes. V, 23.

Præterea vestitus correspondere debet et proportionari legi et professioni eorum qui ipso utuntur. Unde videmus quod singuli religiosi habitum gerunt specialem juxta Ordinis sui tenorem, prout sancti Patres qui Ordines instituerunt, ut Hieronymus, Augustinus, Benedictus, etc., ordinaverunt. Quum ergo lex Christi, quam observare omnes professi sunt Christiani, sit lex totius humilitatis, spiritualis dile-

ctionis, sanctæ simplicitatis, veræ sapientiæ ac intimæ pietatis, constat quod omnes Christifideles talibus debeant vestibus uti, in quibus reluceat eos esse professores, amatores atque cultores humilitatis, simplicitatis, caritatis, sapientiæ et pietatis : ne quis aliquem suo vestitu aut ornatu scandalizet, quod est contra caritatem, et ne ipse vestitus in se ipso curiositatem, pompam, vanitatem aut superfluitatem ostendat, quod est contra humilitatem, simplicitatem ac sapientiam, ad quas omnes Christiani tenentur; præsertim quoniam I Thess. v, 22. juxta doctrinam Apostoli, ab omni specie mali abstinere oportet. Hinc vitiosa atque damnabilis est Christianorum curiositas, pompa et novitas, superfluitas, vanitas et mollities in vestitu, in vestium fractillatione, plicatione, nimia apertione, fissura, brevitate, colorum diversitate, aliisque prætactis. Propter quos excessus vanissimos etiam gentiles ac Sarraceni Christianos vehementer derident, et scandalizantur in eis, atque a christianæ fidei susceptione non modice retrahuntur.

Postremo, secundum doctores, hi qui vestes portant ad libidinem provocativas, peccant mortaliter, quamvis eas non portent mala intentione, et etiam licet nemo ex vestibus talibus ad libidinosa desideria concitetur. Tales quippe quantum in ipsis est alios mortaliter scandalizant, mortiferum propinantes venenum, sive sit qui bibat, sive non. Et hoc ipsum S. Hieronymus evidenter testatur, dicendo : Si vir aut mulier se ornaverit et vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. Quod si hoc ita se habet, quam enormiter peccant qui idcirco se ornant ut aliis carnaliter placeant, et ad consensum aut actum vitiosum inducant? Quod autem vestes curiosæ, ornatæ, pretiosæ, pomposæ, ad carnales affectus turpesque actus inflamment, quid probare necesse est, quum id infelix experientia quotidie toties doceat? Denique si tales

A vestes semel portare tam grave est peccatum, quam enorme est eas quotidie seu frequenter portare, et cum eis intrare ecclesiam tempore divini Officii, multisque ibi exhibere occasionem peccandi? Ideo sicut in cibo, potu et somno, ita in vestibus quærenda est utilitas sive necessitas, non vanitas aut voluptas. Imo cur misera immundaque caro, tot immunditiis atque fœtoribus plena, tot vitiis inquinata, et animæ tam rebellis, moxque vermibus esca futura et in cineres ac putredines re-
B solvenda, tam pretiose vestitur, tam molliter contrectatur, et non potius in animæ servitutem redigitur ac debite castigatur?

Patet insuper ex prædictis quam graviter peccent qui filiis suis aut filiabus faciunt aut fieri sinunt, dummodo impedire possint, vestes curiosas, provocativas, pompaticas, pretiosas, molles et superfluas : nam et universa peccata inde nascentia in parentes redundant. Sed et quidam parentes tam fatui sunt, suosque filios aut filias tam carnaliter amant, quod antequam sci-
C unt quid sit superbia, docent eos superbiam, faciendo eis vestes curiosas, pomposas, ornatas, quum tamen teneantur eos in bonis moribus informare atque a vanitatibus coercere.

Legitur de virtuoso ac devotissimo rege Francorum S. Ludovico, quod grisiis atque humilibus vestibus uti solebat. Quumque illius temporis dux Geldriæ a nuntio suo, quem misit Parisios, reverso interrogaret, Vidisti regem Franciæ? et nuntius ille collum suum gyrando cum petulantia respon-
D deret, Vidi miserum illum grisiis indutum et capitium sub toga partim habentem; protinus collum nuntii in illa curvatione permansit, nec unquam illud ad pristinum naturalemque situm retrahere potuit. Quo miraculo Deus satis ostendit quantum sibi placuerit simplex et humilis regis illius vestitus. Secundo etiam Regum habetur, quod filiæ David regis vestibus talaribus, II Reg. XIII, 18. id est usque ad talos pertingentibus, utpote humilibus, utebantur : quanto magis inferiores tanto rege, curiositatem, super-

fluitatem immoderantiamque vestitus vitare deberent in se et in sobole sua ? Iterum legitur de quodam cardinali presbytero, nomine Andræa, quod meritis et precibus S. Hieronymi a morte fuerit suscitatus. Qui dixit se statim post mortem ad Christi tribunal perductum, et nisi B. Hieronymus sibi succurrisset, se fuisse æternaliter condemnandum, eo quod nimis delicatus fuit A in cibo ac potu, et in vestitu superfluus.

Omnia ergo prætacta vitia circa vestitum vitemus, et in omnibus humiliter ac modeste nos habeamus.

Proposui inserere quomodo debeamus esse vere constantes et stabiles, et non sicut arundo vento agitata ; sed ut nimia vitetur prolixitas, differo, quia ut spero, infra occurret locus inde loquendi.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE MODO PSALLENDI ET CANTANDI CONCORDITER AC DEVOTE.

UNANIMES, *uno ore honorificetis Deum*. Rom. XV, 6.

Quia religiosorum præcipua et solennis occupatio est, simul et in choro psallere Deo, et Horas ac Missam decantare ibidem (quæ omnia si decenter, ordinate et concorditer fiant, sanctum et jucundum caritatisque provocativum est valde ; si vero discorditer et confuse, turbatione et aversione est plenum), idcirco de modo psallendi et cantandi et excellentia psalmodiæ aliquid est tangendum.

Optimum itaque modum docens S. Bernardus : Moneo (inquit) vos, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus, quatenus reverenter et alacriter Domino adsistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis remississque vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes ; sed virili, ut dignum est, sonitu et affectu voces Sancti Spiritus depromentes, nec aliud dum psallitis, nisi quod psallitis, cogitetis. Spiritus enim Sanctus gratum illa hora non recipit, quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod de- B bes, ei obtuleris. Psalmodiam non multum protrahamus, sed rotunda et viva voce cantemus, initium et finem versus simul intonantes simulque dimittentes, et bonam in medio pausam tenentes. Nullus ante alios incipere et nimis præcurrere, aut post alios nimis trahere audeat. Simul cantemus, simul pausemus semper in auscultando. Hæc Bernardus. Dicitur quoque in statutis Ordinis Cartusiensis : Quoniam boni monachi officium est plangere potius quam cantare, sic cantemus voce, ut plan- C ctus, non cantus delectatio, sit in corde : quod gratia præveniente fieri potest, si ea quæ cantando delectationem pariunt, amputentur, ut est fractio et inundatio vocis, geminatio puncti, atque similia, quæ ad curiositatem magis quam ad simplicitatem pertinent cantus.

Præterea, de hac re loquitur valde devote beatissimus doctor Augustinus : Quam grata (inquiens) et acceptabilis Deo sit psalmorum modulatio, proferamus. Si autem quæramus quis primo hoc genus cantandi D invenerit, non inveniemus nisi Moysen Qui Pharaone submerso, canticum Deo insigne cantavit, choros instituit, et utrum-

que sexum distinctis classibus, se ac sorore sua præeunte, canticum triumphale (*Exod.* XV, 1.) cantare perdocuit, dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Postmodum (*Judic.* V, 1.) Debora, nobilis femina, in libro Judicum legitur cecinisse. Post quos invenies multos non solum viros, sed etiam feminas Spiritu Sancto repletas, Dei cecinisse (I *Reg.* XVI, 18, 23.) mysteria, etiam ante David; David vero a pueritia ad hoc donum a Deo electus, cantorum princeps carminumque thesaurus fuit. Porro in Evangelio parentes (*Luc.* I, 68-79, 46-55.) magni Joannis Baptistæ et sacratissima virgo Maria cecinisse leguntur; imo ipse Salvator post Cœnam hymno dicto egressus (*Matth.* XXVI, 30 ; *Marc.* XIV, 26.) est. Propter quod nullus ambigere debet hoc vigiliarum sanctarum mysterium, si digna fide et vera devotione celebretur, angelis Deum indesinenter laudantibus esse conjunctum.

Quæ quum ita sint, fratres, jam pleniori fiducia psalmorum mysteria fideliter impleamus, magnam credentes nos a Deo gratiam consecutos, quibus concessum est cum tot ac tantis Sanctis cantare Dei mysteria. Idcirco cum tribus pueris, convocata omni creatura, Creatori psallamus. Quid hac utilitate commodius, quid hac delectatione jucundius, quando et psalmis delectamur, et orationibus irrigamur, et impositis lectionibus pascimur? Tantum intento sensu vigilanteque mente psalmos cantemus, quemadmodum David hortatur, (*Ps.* XLVI, 8.) Psallite sapienter, id est intelligenter, ne captivata mens extraneis cogitationibus, laborem habeat infructuosum.

Denique sonus seu melodia sit decens : non quæ tragicas difficultates exclamet, aut aliquid theatrale redoleat ; sed quæ christianitatem in nobis ac sanctam religionem demonstret, compunctionemque gignat. Omnium quoque vox non dissona, sed consona esse debet; nec unus nimis deponat et alter extollat, sed nitatur unusquisque humiliter vocem suam intra sonum chori concinentis includere, non extrinsecus quasi ad stultam ostentationem indecenter efferre, aut hominibus velle placere : to-

A tum enim in conspectu Domini, non studio complacendi hominibus, celebrare debemus. Habemus enim de hac re vocis consonantis formam positam seu exemplum tres illos beatissimos pueros, de quibus ait Propheta : Tunc hi tres quasi ex uno ore (*Dan.* III, 51.) humiliter hymnum dicebant, et glorificabant Deum in fornace. Videtis quia pro magisterio ponitur, quod tres pariter Deum velut ex uno ore humiliter sancteque laudaverunt : idcirco et nos omnes quasi ex uno ore eumdem psalmorum sonum eam-
B demque vocis modulationem æqualiter proferamus. Qui autem æquare ceteris se non potest, melius est ei tacere, aut lenta psallere voce, quam clamose perstrepere : sic enim et ministerii implebit officium, et humiliter psallenti fraternitati non faciet offendiculum. Si ergo tam concors et decens fuerit modulatio nostra, nos ipsos delectabit et audientes ædificabit, et Deo suavis ac grata erit, qui unanimes habitare (*Ps.* LXVII, 7.) facit in domo. Et dum psallitur, psallatur ab omnibus; quum lectio legitur, facto si-
C lentio æqualiter audiatur ab omnibus, ut legente lectore, nullus clamosis perstrepat vocibus. — Hæc Augustinus.

Præterea, ut abbas recitat Cassianus, quando in ecclesiam Fratres in Ægypto atque Thebaide confluebant, tantum præbebatur a cunctis silentium, ut tanta in unum multitudine congregata, nullus penitus crederetur adesse præter eum qui consurgens psalmum decantabat in medio, et præcipue dum consummabatur oratio : in qua non sputum emittebatur, nec
D exscreatio perstrepebat, nec tussis nec oscitatio intersonabat, nec gemitus neque suspiria alios sæpe impedientia; nullaque vox absque sacerdotis precem concludentis audiebatur, nisi forte hæc quæ per excessum mentis claustra effugerit oris, et quæ insensibiliter subrepserit, corde intolerabili spiritus fervore succenso, dum ea quæ ignita mens in se ipsa non prævalet continere, per ineffabilem gemitum ex intimis pectoris sui conclavibus evaporare conatur. Eum vero qui in mentis tepore

constitutus supplicat cum clamore, aut A aliquid prædictorum e faucibus suis emittit, ac præcipue qui oscitationibus prævenitur, dupliciter peccare pronuntiant : primo, quoniam negligenter orat ac tepide ; secundo, quia indisciplinato sono aut strepitu alterum impedit, cujus intercipit sensum.

Præterea, quam cito ac prompte ad psalmodiam sit properandum, docet S. Benedictus in Regula : Ad horam (inquiens) divini Officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quæ fuerint in B manibus, summa cum festinatione curratur, et operi Dei nil præponatur, cum gravitate tamen pergatur. De hoc etiam recitat Cassianus, quod apud Ægyptios monachos, audito signo seu pulsu ad orationes sive labores, tam celeriter Fratres egrediebantur, quod nec litteram inceptam complere audebant, sed eodem puncto quo sonum audiebant, exire cœperunt : quod idcirco fecerunt potissimum ut obedientiam perfecte servarent, quam cunctis virtutum præferebant actibus.

Ps. XLVI, 8. Postremo, super illud Psalmi, Psallite sapienter, ait in Regula sua S. Basilius, quod sicut corporeus gustus unamquamque buccellam divisim sumit, gustat et masticat, sic gustus interior singula verba psalmodiæ debet cum sapore et attentione suscipere atque distincte proferre.

Ex his igitur constat qualiter nos in psallendo et cantando habere debemus ; et quamvis ubique et semper, tamen in eis præcipue debemus nos concorditer et devote alacriterque habere, mutuo etiam D supportare, et defectuosos, infirmos et somnolentos pie ac compassive sufferre : qui tamen (si fieri potest) sunt suscitandi, et contra somnolentiam certare tunc debent, se movendo aut modice exeundo, faciemque lavando, nec torporem faciliter, imo nullatenus, admittendo. Postremo, in psalmodia et cantu ac lectionibus assuescamus mentem nostram ad Deum frequenter ac ferventer erigere, et interim dum alius chorus cantat, in Deum ferri, accendi, et pro communi bono Ecclesiæ deprecari, pro his quoque pro quibus major est ratio exorandi. Quum etenim fuerit homo in dono sapientiæ et caritatis ardore suo modo perfectus, atque in internis exercitiis habituatus et expeditus, poterit subito multa concipere de divinis, interne orare, ardenterque affici, et Deum intra se affectuose affari, summe extollere, amorose amplecti.

Insuper qui legunt lectiones aut alia, distincte et aperte legere debent, et bonam diligentiam adhibere, ne ex eorum imperC fectione et negligentia auditorium tædio afficiatur, et ab intellectu eorum quæ leguntur ac devotione impediatur. Idcirco bene pausandum est, maxime post accentus, et non nimis alte clamandum.

Amplius, quamvis dictum est in psallendo nihil aliud cogitandum nisi quod psallitur, per hoc tamen non prohibetur psallens aliqua diviniora et altiora tunc contemplari, præsertim si rapiatur ad ea, desuper gratiose præventus. Imo ubicumque et quotiescumque valemus, raptim elevemur in Deum, maxime in divinis.

SERMO SEXTUS

QUALITER VIRTUTIBUS BEATISSIMI JOANNIS BAPTISTÆ CONFORMARI DEBEAMUS.

JUSTUS quasi fundamentum æternum; quasi tempestas transiens non erit impius. Prov. x, 25. A

In hodierno evangelio, magnus et gloriosissimus pater noster Joannes Baptista, tam evangelicæ veritatis narratione quam Christi eloquio multipliciter atque sublimiter commendatur. Nempe ut Evangelista testatur, Joannes iste sanctissimus in carcere ac vinculis constitutus, timoris inordinati expers et mortis impavidus, et tanquam propriorum periculorum ac adversitatum oblitus, de suorum vero disci- B pulorum salute sollicitus, misit duos ex illis ad Salvatorem, ut ejus instruerentur responsis. Non enim ex ignorantia, nec pro sua informatione, sed pro discipulorum instructione salubri Christum per illos interrogavit. Quo exemplo instruimur universi, ut omnem inordinatum abjiciamus timorem, nec eos qui corpus occidunt (*Matth.* x, 28.) expavescamus (justus namque quasi leo confidens, absque terrore erit) (*Prov.* xxviii, 1.): sed omnipotentem æternumque Judicem et ejus reprobationem eatenus vereamur, ut corpo- C ralia ac temporalia quæque adversa pro nihilo arbitremur; imo ad ea pro nostris peccatis, et pro gratia ac gloria consequenda, atque ut Christo propter nos passo aliqualiter conformemur, et a futuris hoc compendio eruamur suppliciis, sustinenda semper simus parati. Hinc etenim loquitur Isaias (*Is.* li, 12; viii, 13.): Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit? Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. David quoque (*Ps.* xxvi, 1.): Dominus (inquit) D illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Cor ergo in Deo fixum, et in ipso plene confidens, carnalem atque mundanum contemnit timorem.

Denique istud ad religiosum præcipue pertinet, quatenus tranquillum habeat cor in Deo: secura enim mens quasi juge convivium (*Prov.* xv, 15.). Verumtamen quidam tam pusilli et pueriles consistunt, ut effeminata quadam premantur formidine, præsertim in tenebris ac solitariis locis, quasi Deus et angeli sancti non sint tam bene nobiscum ibidem ut alibi, et quasi adversariæ potestates aliquid possint in nos nisi permissione divina. Verum ut ait Scriptura: Semper præsumit sæva conscientia perturbata (*Sap.* xvii, 10, 11.); nihil enim est timor nisi præsumptionis auxilium. Hinc Climacus scribit: In quiete et solitariis locis degens agonizet, seu studeat, nequando ei dominetur vanæ gloriæ germen aut infidelitatis filia formido. Formido est puerilis mos in anima inaniter gloriosa; formido est aversio fidei in exspectatione improvisorum aut displicentium. Timor est contremiscens sensus cordis de incertis eventibus, mentem frangens, consternens ac tristans; timor est certitudinis et securitatis privatio. Superba anima de se præsumens, et vanæ gloriæ humanæque laudis cupida, est serva formidinis, fragores ac strepitus umbrasque timens. Hæc Climacus. Ut ergo hanc puerilem vincamus formidinem, nec laudes optemus nec vituperia hominum formidemus; solique Deo cupiamus placere, et in ipso discamus semper confidere, atque ad sustinenda adversa ex cordis contritione esse parati. Ideo rursus Climacus loquitur: Quum improvisa et displicentia cuncta ex cordis contritione prompte exspectamus, tunc vere a formidine liberamur. Non enim locorum tenebræ et solitudo dæmones contra nos invalescere faciunt, sed sterilitas animæ.

Secundo, ex prætacto sanctissimi Joan-

nis Baptistæ facto specialiter edocentur A qui aliis præsunt, ut de subditorum suorum salute, informatione et profectu sint semper solliciti, et bona quæ per se ipsos eis impendere nequeunt, per alios ipsis exhibere nitantur.

Insuper ipse Salvator in evangelio isto beatissimum Joannem præclare ac abundanter collaudat. Primo, de ejus stabilitate atque constantia : quia non fuit arundo vento agitata, sed constantissimus exstitit inavertibilisque a protestatione ac tuitione veritatis et æquitatis. In hac ergo perfe- B ctione amabili ac præclara hunc Sanctum sequi conemur. Quocirca scire oportet, quod hominem firmare ac stabilire in bono, est generalis virtutum conditio, et ad omnem spectat virtutem. Imo inde virtus nomen accepit quod vigorem quemdam dat animo : siquidem virtus est quæ habentem perficit, estque habitus animæ ; habitus vero est dispositio firma ac firmans. Sed diversæ virtutes in diversis bonis roborant hominem, utpote unaquæque in bono circa quod versatur vel ad C quod ordinatur : quemadmodum fides roborat hominem in prima et summa veritate contra impugnationem infidelitatis ac instabilitatem errorum perfidiæ ; spes, in exspectatione felicitatis æternæ contra desperationis infirmitatem ; caritas, in affectu summi boni contra inordinatum omnem amorem ; patientia, in soliditate imperturbationis in adversis. Fortitudo facit hoc etiam in periculis mortis ; temperantia, in lumine rationis, ne dejiciatur propter voluptates gustus et tactus ; sicque de aliis. D Itaque nemo potest esse absolute in omni eventu, in omni tentatione et occursu fixus ac stabilis, nisi in omni virtute perfectus : et talis fuit valde præexcellenter sacratissimus iste Joannes.

Insuper, sicut virtus et sapientia reddunt hominem fixum et imperturbatum, sic ignorantia et peccatum efficiunt eum instabilem ac undique mobilem. Propter quod scriptum est : Homo sanctus in sa- *Eccli.* XXVII, 12. pientia permanet ut sol, stultus autem ut luna mutatur. Et Jeremias affirmat : Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. *Thren.* I, 8. In Job quoque libro fertur : Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris, eris stabilis. *Job* XI, 14, 15. Hinc impii sunt tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ ; *Ps.* I, 4. et in circuitu ambulant, quoniam a regia via errantes, nec recte in Deum tendentes, undique evagantur. *Ps.* XI, 9. Stet ergo inflexibilis status nostri cordis, ut nec prosperis, non laudibus, non blanditiis, non honoribus aut favoribus nobis exhibitis, fatue extollamur ; neque adversis, puta vituperiis, irrisionibus, minis, damnis, injuriis, infirmitatibus, dejiciamur : certi quod nil boni habeamus nisi a Deo, cui soli debetur honor et gloria, gratiarumque actio, a nobis vero nil nisi deficere et peccare. Hinc omne gaudium æstimemus quum in varias inciderimus tentationes, *Jacob.* I, 2. et magis vereamur prospera, blanda et mollia, quam dura et aspera, maxime quum per multas tribulationes oporteat nos intrare regnum cœleste. *Act.* XIV, 21.

Nunc ita unusquisque discutiat semetipsum : an reformatam ac stabilitam in Deo habeat mentem, an adhuc passionibus instar sæcularium agitetur ; an injuriantibus ac obloquentibus indignetur, an aspernationes, irrisiones, contumelias æquanimiter ferat ; an cupiat aliquid esse et apparere in sæculo isto, an potius appetat subesse jugiter quam præesse. Qui itaque nondum sic se reformatum invenit, sed passionibus subditum, et nunc inaniter contristatur, nunc vane lætatur, nunc metuit, nunc præsumit, nunc murmurat, nunc minatur : talis intime doleat, cordialiter ingemiscat, præsertim si diu fuit in Ordine ; seque fortiter corrigat, et pro gratia hoc agendi Deum incessabiliter deprecetur. Consideremus quam imperturbabiles, reformati ac patientissimi fuerunt patres nostri in magnis maximisque adversis, quorum nobis exempla quotidie proponuntur ; et confundamur in nobismetipsis, quod in parvis minimisque adversis adhuc tam impatientes ac mobiles simus, in tantum

quod interioris iræ ac impatientiæ nostræ signa insensatissime foris apparent, per quæ stultis ac pueris, imo et furentibus assimilamur. Qui enim impatiens est, operatur stultitiam; et ira in sinu stulti quiescit. *Prov.* XIV, 17. *Eccle.* VII, 10.

Ideo advertamus, et cordi nostro indelebiliter inscribamus, quod Eusebius loquitur Emisenus : Peculiarius (inquit) istud ad nostram pertinet professionem, nihil in hac vita consolationis requirere, nihil quietis, nec velle recipere bona in vita præsenti, sed honores refugere, subjectione et abjectione gaudere, paupertatem quærere, nec solum facultates, sed cupiditates quoque eradicare. Quid enim claustralis habitatio confert nobis, quando tyrannico dominatu in nobis regnat malitia, superequitat ira, majoremque metum humanus oculus quam divinus nobis inducit; quando nos qui extra mundum esse nos credimus, per diversarum vitia passionum mundum intra nos inclusum tenemus? Studeamus ergo reformationi internæ, mortificationi vivificæ, interiori constantiæ, atque inviolabili cordis munditiæ. Ad laudem Majestatis æternæ.

SERMO SEPTIMUS

QUALITER RELIGIOSI DEBEANT SANCTISSIMI JOANNIS BAPTISTÆ ASPERITATEM IN VICTU VESTITUQUE SEQUI.

Q*UEM docebit Dominus scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere.* Is. XXVIII, 9.

Felicissimus Joannes Baptista, splendor Sanctorum omnium, in sua conversatione perfectionem monstravit virtutum, et eremitarum ac anachoretarum omniumque religiosorum fundamenta locavit, formam ostendit, religionem firmavit. Sed heu, quid miseri nos dicemus, qui hunc gloriosissimum nostrum patronum non solum non imitamur, imo nostram quoque excusamus ignaviam? Ecce Joannes iste per Prophetas prænuntiatus, ab angelo sancto promissus, in utero sanctificatus, a sanctis parentibus natus, mox in pueritiæ suæ exordio hominum fugit consortia, et ingressus est eremum, inter bestias degens, super nudam dormiens terram, et tanta ibi austeritate sacrum suum afflixit corpusculum. Sic illud domuit et castigavit jejuniis, vigiliis, vestitu asperrimo, strato durissimo, solitudine vasta, quasi universa sæculi commisisset peccata, et quasi ad omnia proclivis fuisset facinora. Et nos miseri, qui tam multa et magna, tam certe innumerabilia in sæculo incurrimus vitia, etiam nunc post religionis ingressum, post voluptatum abnegationem, post pœnitentialis vitæ professionem, volumus in omnibus abundare usque ad satietatem, exquisitis refici alimentis, et corporaliter atque superflue repausare. Quod si parum quid videatur deesse, protinus murmuramus, indignamur, obloquimur etiam præsidenti spiritualique patri vicario Christi.

Insuper carnalitatem, teporem, defectum nostrum impudenter, ne dicam mendaciter, excusamus, impotentiam allegantes, quasi experientia non demonstret ac doceat hujus oppositum, quum usque in præsens sint quidam vere devoti ac fervidi, notabilem abstinentiam magnasque corporis afflictiones strenue exercentes. In quanta etiam paupertate ac parcitate degant captivi ac depauperati, patet ad oculum. Idcirco manemus in fæcibus nostris, et rudes, incircumcisi, carnales, irreformati passionatique sumus; et quod summe pe-

riculosum censetur, quo in religione diutius vivimus, eo pene tepidiores et negligentiores efficimur. Non ergo adjiciamus de cetero peccatum super peccatum, nostras excusando miserias, carnalitates, torpores : quia revera si caritatis ardor et fiducia Dei, diligentia animi, quæ fuerunt in patribus nostris, essent in nostris cordibus, possemus et faceremus quod illi, cum Apostolo singuli confitentes, Omnia possum in eo qui me confortat. *Philipp.* IV, 13.

Denique, dato quod abstinentiam et sanctæ religionis exercitia tam præclara agere non possimus, quæ prædecessores nostri adimpleverunt, numquid rationabiles coram Deo causas habemus tam vehementer recedendi ac corruendi ab illorum rigore? Fateamur ergo humiliter nostram tepiditatem, et imperfectum nostrum considerent oculi, ac parvi pendamus, ut dignum est, vitam nostram, quæ comparatione conversationis sanctorum Patrum nullius est momenti, et humiliemus nos absque mensura et fine.

Certe si singula rite pensamus, habemus causas quamplures humiliandi atque despiciendi nos ipsos in infinitum. Nempe quid de qualitate victualium dicant statuta ac regulæ Patrum, non ignoramus. Qualis fuerit abstinentia et austeritas vitæ monachorum olim in Ægypto, imo adhuc intra paucos quodammodo annos in regionibus atque provinciis citramarinis, agnoscimus; et quantum distamus ab illis, utinam bene advertamus.

Præterea, de qualitate strati ait in Regula sua S. Hieronymus : Volo vos singulis noctibus brevi et duro strato jacere, non in mollibus plumis, sed in paleis aut straminibus, sive in ligneis capsis magis quam lectulis, ut membra stratum potius horreant quam affectent, et ad somnum magis compellat necessitas quam voluptas; sicque ob duritiam strati, levis ac brevis occupet sopor, quod non sit fas solitis illusionibus noctium mentem sopitam torqueri. Et ecce hæc scribit Hieronymus feminis tenerisque puellis. Insuper recitat Cassianus, quod delicatissimus apud Ægyptios monachos cibus fuit herba sale condita; de oleo autem non nisi unam guttam cuicumque cibo miscebant. Climacus quoque ait : Jejunium est violentia naturæ, abscisio delectationis gustus, caloris concupiscentiarum recisio.

Multa hujusmodi possem commemorare. Sed quum Salvator in Evangelio dicat ac jubeat, Videte ne graventur corda vestra crapula, si Patrum sanctorum abstinentiam et rigorem sequi vel non possumus, vel non volumus, saltem necessariæ ad salutem sobrietati operam demus. Credite verbo Christi dicentis : Væ vobis qui saturati estis. Non ita nos cibo repleamus ac potu, ut ad dissolutiones, cachinnos, loquacitates, contentiones, animositates, pigritias, somnolentias dilabamur, sed ad Dei obsequium fortiores reddamur; non voluptatem et superfluitatem, sed necessitatem quæramus; nec in vestitu aut strato quæramus mollitiem. In refectione demum vanas cogitationes vitemus, lectioni et sacræ meditationi ferventer intenti. *Luc.* XXI, 34. *Ibid.* VI, 25.

Porro de iis multa scribit in epistola ad Fratres de Monte Dei S. Bernardus. Sed nemo religiosorum ista derideat; imo pensemus quod ait Eusebius : Videte, fratres, vocationem vestram. Venire ad cœnobium seu eremum, summa perfectio est, id est summæ perfectionis exordium; sed non perfecte in cœnobio seu eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si locus quietus tantum corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur; si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus et colluctatio passionum? *I Cor.* I, 26.

Denique quanta sit virtus jejunii, quantus abstinentiæ fructus, pandit Augustinus, dicendo : Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum exstinguit ardores, et castitatis lumen accendit. Hinc sicut in themate tactum est, Isaias propheta « ablactatos a lacte, avulsos ab ubere » fatetur erudiendos ac illustrandos a Do-

mino, eos videlicet qui carnalium oblectamentorum despiciunt blandimenta. Talia namque quæ carnem sic fovent, perimunt animam, juxta Apostolum : Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ. Unde sanctus Job asserit, sapientiam in terra suaviter viventium non inveniri, et in Daniele habetur quemadmodum abstinentibus ac sobriis pueris dederit Deus sapientiam copiosam.

Hebr. v, 13. *Job* xxviii, 13. *Dan.* i, 8-17.

Si ergo ad contemplationis lucem cupimus pervenire, si unctione Spiritus Sancti volumus erudiri, immoderantiam cibi ac potus vitemus, sobrietati discretæ vacantes : hoc etenim spiritualis vitæ initium exstat. Et intueamur cur religionem ingressi sumus, de cujus essentia sunt tenuitas victus atque vestitus ; nec solo cibo et potu corporeo, sed gratiæ Dei auxilio confortari quæramus. Pensemus quoque quod operatores ac pauperes omni die gravissimos exercent labores, et tamen durissimo ac tenuissimo contenti sunt alimento. Quid ergo est quod nos religiosi pati nil volumus, professionis qua ad paupertatem nos adstrinximus insipienter obliviscentes ? Discamus itaque non solum cum Apostolo abundare, sed et penuriam pati ; nec cum Judæis ingratissimis murmuremus, sed dona Dei grate suscipientes, eadem Dei timore ac dominicæ passionis memoria, vitiorumque nostrorum recordationibus ac doloribus, condiamus. Et tunc panis et aqua suaviter sapient nobis, atque in omni virtute mirabiliter proficiemus. Ad laudem et gloriam Creatoris, etc.

Philipp. iv, 12. *Num.* xi, 1.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SIC NOS EXISTIMET HOMO, ETC. I Cor. IV, 1-5.

MERITO istam epistolam in hac Adventus dominica legit Ecclesia, quia in ea de Christi adventu ad judicium agitur; docetque Apostolus in præsenti epistola, quid de superioribus suis debeant subditi æstimare ac pie sentire.

Sic nos Apostolos et prælatos, præsertim episcopos atque vicarios Christi, *existimet homo,* quicumque sit ille, *ut ministros Christi,* non quasi dominos principales, *et* ut *dispensatores mysteriorum Dei,* id est distributores ecclesiasticorum sacramentorum ac officiorum. Prælati namque, præsertim episcopi, sacramenta Christi subjectis distribuunt, et officia Ecclesiæ ordinant, et uni clericorum hoc, alteri illud committunt officium.

Porro, pro hujus intellectu epistolæ advertendum, quod quidam Corinthiorum, quibus hæc scripsit Apostolus, a pseudo apostolis et prophetis fuerunt decepti et impie informati, ita quod de Paulo apostolo male senserunt, quasi non esset verus Apostolus et dispensator fidelis. Hinc subditur : *Hic,* id est inter vos Corinthios, *jam quæritur,* hoc est, inter vos quæritis atque discutitis, *inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur,* id est, ut inter nos qui sumus veri dispensatores, aliquis inveniatur dispensator fidelis. Quasi dicat, De hoc dubitatis, quia male sentitis de nobis : siquidem pseudo illi per suam eloquentiam et philosophiam deceperunt Corinthios ad male opinandum de Paulo et ejus comitibus, quasi de simplicianis et infacundis.

Mihi autem pro minimo est, ut a vobis A *judicer, aut ab humano die,* id est ab homine in tempore, in hoc mundo vivente : id est, quantum ad me pertinet, non curo de hoc quod de me temerarie judicatis, me reprobando ac aspernando, quoniam sicut vestras laudes non appeto, ita vituperia vestra non curo. Sed objici potest, quod Apostolus debuit affectare famam bonam, ut alii ædificarentur in ipso. De aliorum quoque ruina, præsertim de casu subditorum suorum, debuit contristari ex divino amore, eo quod per cul- B pam propriam alii Deum inhonorarent, offenderent, et suas læderent famas. Unde et alibi scribit idem Apostolus : Quis scandalizatur, et ego non uror? (II *Cor.* XI, 29.) Et respondendum, quod viri sancti ac virtuosi, quantum in ipsis est, cupiunt despici, nec dolent quod vituperantur; sed ex zelo honoris divini et affectu amoris fraterni, cupiunt esse aliis exemplares : ideo optant famam laudabilem, et de male judicantium peccatis dolent. *Sed neque me ipsum judico* judicio certo et absoluto : quoniam nescit homo an amore sit dignus, an odio. (*Eccle.* IX, 1.) C

Nihil enim mihi conscius sum, hoc est, mortalis peccati remorsum non habeo. Si autem objiciatur quod ad Timotheum scribit Apostolus, Venit Christus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; (I *Tim.* I, 15.) et quod Jacobus ait apostolus, In multis offendimus omnes : (*Jacob.* III, 2.) dicendum, quod Apostolus loquitur hic de se quantum ad id quod fuit quando hæc scripsit et post apostolatus acceptionem; ibi vero quantum ad peccata quæ ante apostolatum

commisit, dum sicut ipsemet scribit ad A
I Tim. I, 13. Timotheum, fuit contumeliosus et persecutor Ecclesiæ ac blasphemus : de quibus quando hæc scripsit, digne pœnituit. Denique a venialibus se non excusat Apostolus; et tamen pro venialibus suis quotidie satisfecit, et ultra hoc, in omni virtute omni die mirabiliter crevit.

Sed non in hoc justificatus sum, id est, ex hoc non sequitur quod sim justus : quia occulta peccata sunt sæpe in homine, quæ ipsummet latent. Propter quod
Ps. XVIII, 13. orat Propheta : Ab occultis meis munda B
Job IX, 21. me, Domine. Et sanctus Job ait : Etiamsi simplex fuero, hoc ignorabit anima mea. Sed contra hæc objici potest, quod utique Paulus apostolus certus fuit se esse in caritate et statu salutis. Nam alibi prote-
II Tim. IV, 8. statur : Reposita est mihi corona justitiæ;
Rom. VIII, 35. et rursus, Quis nos separabit a caritate
Ibid. 38, 39. Dei ? et item, Certus sum (inquit) quia neque mors, neque vita, nec creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. Ergo Apostolus etiam judicavit se ipsum judicio approbationis et definitivæ sententiæ. C
Ad hæc arbitror respondendum, quod sine revelatione divina seu aliquo æquivalenti nullus sciat se esse in caritate. Apostolus tamen certissime scivit se esse in caritate et dignum amore, ac prædestinatum : et ex revelatione hoc scivit. Noverat quoque Christum de ipso dixisse ad Ananiam :
Act. IX, 15. Vas electionis mihi est iste. Quod ergo nunc loquitur, Neque me ipsum judico, et quæ sequuntur, loquitur de se secundum communem legem, non secundum privilegium speciale.

Qui autem judicat me, Dominus est, id est, ad Dominum Deum pertinet de me absolute atque finaliter ac certitudinaliter judicare, non ad vos Corinthios. Soli etenim Deo omnia cordis constant secreta : nam homo videt in facie, Dominus I Reg. XVI, 7.
autem intuetur cor.

Itaque nolite ante tempus finalis judicii *judicare* de aliis, judicando de dubiis et incertis, vel de hominibus, quod sint æternaliter condemnandi aut prædestinati : quia hæc interim latent, nisi in quantum divinitus revelantur. Sed in die novissimo certa erunt hæc omnia. Propter quod subditur : *quoadusque veniat Dominus* Jesus Christus ad finale ac universale judicium; *qui et illuminabit abscondita tenebrarum,* id est, peccata occulta tunc faciet manifesta; *et manifestabit consilia cordium,* an fuerint justa, an non : quia ut dictum est, in die novissimo singulorum merita atque demerita singulis innotescent. Unde ait Salvator : Nihil occultum quod non Matth. X, 26; Marc. IV, 22; Luc. VIII, 17.
sciatur; Isaias quoque, Ego autem opera
eorum et cogitationes eorum venio ut con- Is. LXVI, 18.
gregem. *Et tunc laus erit unicuique* laude digno *a Deo.* Ergo in hac vita non est homo mortalis et de sua finali salute incertus, immoderanter laudandus. Propter quod scriptum est : Ne laudes hominem Eccli. XI, 30.
in vita sua. In aliquibus tamen sæpe apparent tam evidentia signa sanctitatis, tamque probabilia signa prædestinationis, ut pie ac modeste possint laudari, præsertim dum Spiritus Sanctus movet mentes fidelium ad talium laudem, sicut et hoc fre- D
quenter legitur contigisse.

SERMO PRIMUS

DE MODO JUDICANDI ET CORRIPIENDI.

NOLITE ante tempus judicare. I Cor. IV, 5.
Matth. VII, 1; Luc. VI, 37. Huic verbo Apostoli consonat quod apud Matthæum loquitur Christus : Nolite judicare, et non judicabimini. Verumtamen per hæc verba non est intelligendum, quod Christus et ejus Apostolus prohibu-

erunt universaliter judicare : alioqui non liceret principibus et prælatis atque judicibus subditos judicare, nec parentibus filios et filias excedentes increpare ac castigare. Denique Christus ait : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate; et iterum, Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Non autem corripimus quemquam, nisi quem culpabilem judicamus.

Joann. VII, 24. *Matth.* XVIII, 15; *Luc.* XVII, 3.

Itaque verba Christi atque Apostoli quibus prohibent judicare, intelligenda sunt de judicio usurpato, perverso et temerario: ut scilicet neminem judicemus ex ira vel impatientia, invidentia, aut simili vitiosa radice, nec de incertis ac dubiis judicare per assertivam sententiam præsumamus, nec ea interpretemur in pejus. Unde dum ignoramus quo animo aliquid factum sit, eo quod possit bono ac malo animo fieri, non debemus hoc judicare cum assertione quod sit tale aut tale, sed judicium Deo committere. Item, dum aliquid accidit quod non est ex sua ratione culpabile, sed potest ex rationabili causa contingere, non debemus id judicare judicio reprobationis, quasi non possit ex justa et rationabili accidere causa. Aliqua vero sunt in se ipsis vitiosa, ita quod bono fieri nequeunt animo, ut furta, adulteria, homicidia: et talia possumus judicare quod utique mala sint. Et quamvis eos qui talia agunt non liceat nobis absolute atque finaliter judicare, taliter eos reprobando quasi nunquam pœnitentiam sint acturi, sed finaliter perituri (hoc enim nos latet, videlicet quales futuri sint); nihilo minus judicare possumus eos secundum quid, utpote quod in quantum talia perpetrarunt aut perpetrant, mali et injusti fuerunt aut sunt. Quales vero postea sint futuri, nescimus : quoniam peccator in momento potest a Deo tangi, purgari, illuminari, converti. Igitur post hujusmodi vitiorum cessationem, non licet nobis actores vitiorum illorum certitudinaliter judicare, quod adhuc vitiosi sint ; possumus tamen judicare,

A quod talem aut talem pœnam promeruerunt.

Itaque de incertis et dubiis non judicemus, nec ea de quibus nescimus an bono vel malo animo facta sint, vel utrum ex rationabili causa contigerint, excusationemque habeant, an non. Unde consultissimum ac saluberrimum est ut unusquisque propria peccata acute consideret, digneque ponderet, dijudicet, defleat, castiget ac vitet (quia ut ait Apostolus, si nos ipsos *I Cor.* XI, 31.
dijudicaremus, non utique judicaremur, id B est, a Deo non damnaremur), aliorum vero defectibus et peccatis non immoderate se occupet, nec ea curiose aut malitiose observet : quia ut Salomon protestatur, qui *Prov.* XI, 27.
observator est malorum, opprimetur ab eis. Et istud potissimum spectat ad eos qui animarum curam non habent, et adhuc imperfecti ac passionati sunt. Tales namque in judicando de aliis frequenter ac damnabiliter fallunt se ipsos, et multipliciter errant, putantes se agere ex ratione et caritate quod agunt ex passione C et aversione, utpote ex ira, impatientia, elatione, aut simili motione. Tales ergo in primis judicent et emendent se ipsos, ne similes sint hypocritis, qui ut ait Salvator, vident festucam in oculo proximi, *Matth.* VII, 3; *Luc.* VI, 41.
trabem autem in proprio non vident.

Denique istud est unum de præcipuis et maximis malis generis humani, quod pene omnes proni sumus alios judicare et facta illorum discutere, reprobare et accusare, atque nos ipsos negligere ac palpare : quod frequenter ex superbia et vana D complacentia propria accidit, quia nimis magni sumus in oculis nostris, et nobismetipsis inaniter complacemus, proximosque despicimus. Quia propria vitia atque pericula propriasque miserias non pensamus, ideo circa alios inaniter occupamur. Sed istud est inordinatum ac fatuum, et contra ordinem caritatis, quæ incipit a se ipsa, idque requirit ut quilibet de propria salute primo et maxime exstet sollicitus. *Matth.* XVI, 26; *Marc.* VIII, 36; *Luc.*
Propter quod loquitur Christus : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum,

se ipsum autem perdat, et detrimentum A sui faciat?

Præterea, quanto quis proprias iniquitates, negligentias et ærumnas diligentius profundiusque perpendit ac ponderat, tanto minus immoderate aliorum peccata considerat, et ea patientius suffert. Hinc viri vere sapientes et timorati non faciliter judicant alios, imo cautissimi sunt judicando de aliis. Qui autem incauti et proni sunt ad judicandum de aliis, ex temerariis suis judiciis sæpe labuntur ad detractionem, discordiæ seminationem, aliorumque B aspernationem, qui tamen eis sunt meliores.

De hac materia plura hic scriberem; sed infra, Domino concedente, aptior locus inde loquendi occurret, præsertim circa evangelium illud, Nolite judicare, etc.

Postremo in quinto libro Vitaspatrum habetur quemadmodum sanctus ille eremita abbas Isaac venit in congregationem Fratrum, viditque ibi Fratrem culpabilem et adjudicavit eum. Quum autem rediret ad eremum, venit angelus Domini et stetit ante cellam ejus, dicens : Non intrabis huc. Et dixit abbas Isaac : Quæ est causa? Respondit angelus : Deus me misit ut dicerem tibi, Ubi jubes ut mittam Fratrem illum culpabilem quem adjudicasti? Et statim abbas Isaac in terram humiliter se prosternens, egit pœnitentiam, dicens : Peccavi, ignosce mihi. Dixitque angelus : Surge, ignoscit tibi Deus; sed de cetero cautior esto in judicando. Hoc ergo exemplo et nos cauti et timorati simus in omnibus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MISERUNT JUDÆI AB JEROSOLYMIS SACERDOTES ET LEVITAS AD JOANNEM, ETC. Joann. I, 19-28.

RECTE evangelium istud (in quo de C Christi adventu fit mentio, dicente Baptista : Ipse est qui post me venturus est, etc.) in hac Adventus dominica legitur. Ait ergo evangelista Joannes :

Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad Joannem Baptistam, *ut interrogarent eum : Tu quis es?* Res gesta quam hic recitat Evangelista, accidit quando Joannes populum Judæorum copiose quotidie baptizavit, antequam Christus cœpit prædicare, imo antequam baptizatus est a Joanne, sicut ex his quæ Joannis D primo scripta sunt patet. Christus enim quum in proximo venturus fuisset in publicum prædicando atque miracula faciendo, præmisit Joannem Baptistam, qui baptizando docendoque populum, disponeret eum ad fidem Christi statim venturi.

Itaque Joanne populum quotidie bapti-
Marc. I, 5. zante, juxta illud Marci, Exibat ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab eo : quæ tamen distributio seu universitas magis intelligenda est pro generibus singulorum quam pro singulis generum; Joanne (inquam) sic baptizante, mirati sunt superiores Judæorum in Jerusalem habitantes (quæ fuit urbs metropolitana Judææ, urbs sacerdotalis ac regia, in qua studium viguit legis et templum fuit), cur Joannes illud sibi assumpsit officium, quod nullus Prophetarum aut Patriarcharum ante ipsum legitur attentasse.

Principes igitur sacerdotum et magistratus templi, sacerdotes, scribæ et Pharisæi, seniores principalioresque populi inter se contulerunt, quid sentiendum esset de Joanne; et diversi diversimode de eo senserunt. Nam quidam eorum putabant eum esse Messiam seu Christum, propter vitæ suæ sanctitatem, rigorem et abstractionem, et propter miraculosam

ejus nativitatem, et cetera mirabilia quæ A
circa eum fiebant, quæ ut in Luca habe-
Luc. I, 65. tur, super omnia montana Judææ divul-
gabantur, unde adhuc in multorum fuerunt
memoria ; itemque propter suæ genealo-
giæ nobilitatem, quoniam magni sacerdo-
tis filius fuit : sicque probabile erat quod
etiam de tribu regali, videlicet Judæ ac
David, exstitit oriundus, quoniam hæ duæ
tribus tanquam principales, a principio
matrimonialiter junctæ fuerunt. Denique
dum ista fiebant, fuit solennis et ma-
gnus rumor apud Judæos quod Christus B
jam advenisset : nam multi eorum ad-
huc memores erant testimoniorum pa-
storum, Annæ prophetissæ, justi Simeo-
nis, trium Magorum, de Christi adventu,
et occisionis infantium ; et quia viderunt
sceptrum, id est regale dominium, sibi
ablatum, et Herodi alienigenæ traditum,
Gen. XLIX, 10. quod (Genesis penultimo) Jacob patriarcha
dedit eis pro signo adventus Christi. Quo-
niam ergo putabant tempus adventus Chri-
sti adesse, suspicabantur quod Joannes
esset Messias. Aliqui vero eorum aliter C
sentiebant. Quumque discordes essent, con-
cordaverunt in hoc, ut ab ipsomet Joanne,
quem magnum et sanctum virum crede-
bant, veritatem inquirerent. Miserunt ergo
ad eum solennes legatos, videlicet sacer-
dotes et Levitas, ut interrogarent eum
quis esset, id est cujus dignitatis et au-
ctoritatis. Porro de nomine et origine ejus
certi fuerunt, quod scilicet esset Joannes
filius Zachariæ atque Elisabeth.

Et confessus est Joannes veritatem, tan-
quam Veritatis præco, amicus et paranym- D
phus, index et testis, *et non negavit* eam :
Sap. I, 11. quoniam os quod mentitur, occidit ani-
mam, ut in libro Sapientiæ asseritur. Et
Ps. V, 7. Psalmista Deum alloquitur : Perdes (in-
quiens) omnes qui loquuntur mendacium.
Quamvis enim aliquando veritatem liceat
silere, propter audientium improbitatem,
aut propriam pacem, vel aliam rationabi-
lem causam (secundum quod ait Prophe-
Ps. XXXVIII, 2, 3. ta : Posui ori meo custodiam, dum con-
sisteret peccator adversum me ; obmutui, et
humiliatus sum, et silui a bonis), nunquam
tamen licet veritatem negare, quamvis li-
center abscondi possit ad tempus cum
pia cautela. *Et confessus est : Quia non
sum ego Christus,* id est, non sum sponsus
Ecclesiæ, non judex sæculi, non Salvator
generis humani, non unigenitus Filius Dei,
sed Christi minister, judicis præco, sponsi
paranymphus, Salvatoris præcursor, ser-
vus Filii Dei. Ex hac autem responsione
Joannis perpenditur, quod quæsierunt ab
eo an esset Christus.

*Et interrogaverunt eum : Quid ergo
restat ? Elias es tu ?* Jam dictum est,
quod Judæi de Joannis nomine et origine
non quærebant, quia sciebant quod Zacha-
riæ filius esset. Quomodo ergo interrogave-
runt an esset Elias, qui per tot centenaria
annorum translatus fuit in paradisum, et IV *Reg.* II, 11.
ante ac circa finem mundi redire promis- *Malach.* IV, 5, 6.
sus fuit in ætate virili ? Joannem vero no-
verant ex infante crevisse in virum. Ad
quod arbitror respondendum, quod plu-
rimi Judæorum tunc, sicut et nunc, po-
suerunt animas transcorporari, juxta Plato-
nis doctrinam : quod tam veræ philosophiæ
quam sacræ Scripturæ repugnat. Nec Ari-
stoteles tantum, sed Porphyrius quoque
Platonicus oppositum docuit et probavit,
quemadmodum libro de Civitate Dei com-
memorat Augustinus. Itaque ex hoc erro-
re poterant æstimare quod Joannes esset
Elias in alio corpore. Unde et multi eorum
dixerunt quod Elias esset Phinees in cor-
pore alio, propter zelum justitiæ in utro-
que contra iniquos, ut in Scholastica hi-
storia legitur. Vel, sicut nonnulli dixerunt
Jesum esse Eliam, alii Jeremiam, aut unum
ex Prophetis, sic isti opinati sunt de Jo-
anne. Denique ex multis motivis suspica-
bantur Joannem esse Eliam, quia in multis
cum Elia similitudinem habuit, utpote,
in vitæ abstinentia et rigore, in vestitus
asperitate, in zelo justitiæ, in eremi ha-
bitatione, in virginitatis munditia, in san-
ctitatis excellentia ; ideo quoque quia Eliæ
adventus fuit Judæis promissus per Mala-
chiam, sicque putabant eum ante adven-

tum Christi futurum, non considerantes quod illa promissio intelligenda sit de adventu Eliæ ante secundum Christi adventum. Unde apud Matthæum Apostoli Christum interrogasse leguntur (Matth. xvii, 10.): Quomodo dicunt Scribæ, quia Eliam oportet primum venire?

Et dixit Joannes: *Non sum* Elias. Circa hoc S. Gregorius movet hanc quæstionem: quia apud Matthæum asserit Christus (Ibid. xi, 14.), Si vultis scire, Joannes ipse est Elias, quomodo ergo ait Joannes, Non sum Elias? Et respondet Gregorius, quod Joannes perhibet se non esse Eliam in substantia seu persona: Christus eum Eliam esse affirmat in spiritu, id est propter similitudinem gratiæ et virtutis, quia ut tactum est, Joannes cum Elia in spiritualibus donis et actibus præcipuam similitudinem est sortitus; potissimum vero, quoniam sicut Elias secundum Christi præibit adventum, sic primum ejus adventum præcessit Joannes. Propterea Lucæ primo Gabriel angelus dixit (Luc. i, 17.): Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.

Tertio quæsierunt: *Propheta es tu? Et respondit: Non.* De Joanne isto pater ejus prædixit (Ibid. i, 76.): Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. De quo etiam apud Lucam Christus testatur (Ibid. vii, 28.): Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. Veraciter ergo fuit propheta. Quomodo ergo negat hoc? Ad hoc communiter respondetur, quod quia Joannes plus quam propheta fuit (nam Christum digito demonstravit præsentem, quem Prophetæ verbis nuntiaverunt futurum), idcirco se prophetam non esse fatetur. Sed contra hoc objici potest: quia non sequitur, Plus quam propheta fuit, ergo non fuit propheta; sicut non sequitur, Iste est plus quam sacerdos, quia episcopus, ergo non sacerdos. Aliqui autem dicunt, quod sacerdotes in quæstione hac, nomine prophetæ, intelligebant non simpliciter quemcumque prophetam indeterminate, sed Prophetam illum præcipuum de quo in Deuteronomio Moyses (Deut. xviii, 15.) filiis Israel dixit: Prophetam suscitabit

A vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me. Et dicunt, quod Judæi per Prophetam illum, non intellexerunt Christum, sed præcursorem ipsius. Sed istud irrationabiliter dictum videtur, quia secundum hoc Joannes, qui vere fuit Christi præcursor, negasset se esse quod veraciter fuit. Aliqui quoque dicunt, quod sacerdotes isti per prophetam intellexerunt Eliseum, qui apud Judæos antonomastice vocabatur Propheta. Sed hoc incertum videtur. Imo Moyses fuit major propheta quam Eliseus, ut B ex Deuteronomio probari potest (Deut. xxxiv, 10.). Nec est consuetudo Scripturæ veteris Testamenti, ut nomine prophetæ simpliciter dicti, Eliseus signetur. Hinc verius reor, quod nomine prophetæ, sacerdotes isti intellexerunt indistincte quemcumque Prophetam, eo modo quo in veteri Testamento communiter mentio fit de propheta.

Sed tunc remanet quæstio, qualiter Joannes se neget prophetam, qui hoc modo vere fuit propheta. Ad quod rationabiliter respondetur, quod quia Joannes fuit quasi C ligamentum et horizon ac medius novi ac veteris Testamenti, sicut ait Salvator (Luc. xvi, 16.), Lex et Prophetæ usque ad Joannem, exinde regnum cœlorum annuntiatur; hinc ejus ultimata, formalis ac propria gratia gratis data, non fuit cum Prophetis veteris Testamenti Christum in mundum futurum prædicere, sed eum nuntiare ac demonstrare præsentem, sicque cum Apostolis prædicare quod venerit. Ideo negat se esse prophetam: non quia nequaquam fuit, sed quoniam suum ultimatum, formale D propriumque officium, non fuit futura prædicere, sed prædicando, baptizando, Christique semitas præparando, eumdem præcurrere. Unumquodque enim denominationem sortitur præcipuam a sua formali ac ultimata perfectione et propria ratione.

Aliter etiam poterit responderi, quod S. Joannes negat se prophetam, eo sensu quo Amos propheta asserit (Amos vii, 14.): Non sum propheta; et Christus in Psalmo (Ps. xxi, 7.): Ego autem sum vermis, et non homo. Et quia de

intelligentia horum plurimi solent ambigere, conferre et inter se disputare, aliquid plenius inde loquar.

Itaque super illud Amos, Respondit Amos, et dixit ad Amasiam, Non sum propheta, et non sum filius Prophetæ, S. Hieronymus et Glossa dicunt, hoc esse humilitatis quod prophetam se negat. Sed contra hoc objici potest, quod humilitas fundatur in veritate, non in mendacio, nec licet mentiri. Ad hoc Glossa respondet, quod non semper Spiritus Sanctus præstat prophetiam Prophetis; et tunc recte dicuntur prophetæ, quum illuminantur. Idcirco quod dixit, Non sum propheta, intelligendum est pro tunc, ut sit sensus : Non sum propheta, id est, modo non sum actualiter tactus spiritu prophetiæ.

Porro huic solutioni quidam objiciunt : primo, quia in novo ac veteri Testamento prophetæ dicuntur, non solum qui actu tanguntur, sed etiam qui spiritu prophetiæ tangi consueverunt; secundo, quia post verba hæc, Amos mox prophetice prænuntiavit Amasiæ quid esset passurus. (*Amos* VII, 17.) Hi igitur dicunt, quod sicut Amasias sacerdos idololatra ironice dixit ad Amos, Qui vides, id est, tu Amos, qui es videns, hoc est propheta (qui enim nunc appellatur propheta, olim dicebatur videns, ut legitur primo Regum) (I *Reg.* IX, 9.), sic Amos ironice seu ironiæ sibi illatæ respondit, Non sum (inquiens) propheta, videlicet talis qualem me putas, qui pseudoprophetam me reputas. Sed istis objicitur, quod Amos sub eadem serie locutionis et sub uno verborum contextu adjecit, Non sum filius Prophetæ : quod utique seriose assertiveque dixit. — Prætactæ quoque duæ instantiæ fieri possent contra verba Joannis Baptistæ, prophetam se esse negantis.

Est igitur respondendum, quia ut S. Thomas in secunda secundæ, et magni doctores eum sequentes affirmant, prophetia dicit donum actuale, non habituale. Idcirco responsio Glossæ conveniens est : et quod primo objicitur, facile solvitur. Dupliciter enim propheta quis dicitur, puta ab actu et item ab habitu prophetandi. Amos igitur et Joannes dicendo se non esse prophetas, locuti sunt prout ab actu prophetandi quis vocatur propheta. Denique verba Sanctorum quibus se ipsos profunde humiliant, pie sunt interpretanda, non semper stricte sumenda, et sufficit quod secundum aliquam considerationem sint vera, quamvis stricte et absolute salvari non possent, ut quum loquitur Paulus : Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. (I *Cor.* XV, 9.) Ad secundum dicendum, quod homo actualiter non intelligit nisi unum, secundum Philosophum. Ideo quando Amos dixit, Non sum propheta, non in eodem momento actualiter intuebatur quod postea dixit. Idem de Joanne Baptista dicendum. Verumtamen ubi Amos septimo Hieronymus transtulit, Non sum propheta, Septuaginta transtulerunt, Non eram propheta : et juxta hoc facilior esset responsio.

Dixerunt ergo ei, id est, sacerdotes Joanni : *Quis es,* id est cujus auctoritatis et gratiæ, sive officii? *ut responsum demus his qui miserunt nos* ad sciscitandum quis sis : ad quos sine responsione reverti frivolum videretur. *Quid dicis de te ipso?* quem tantæ excellentiæ æstimamus, ut testimonio tuo de te et a te prolato arbitremur credendum : quum tamen secundum communem legem, non reputetur homo testis idoneus de se ipso, nisi addito juramento, vel quando se ipsum accusat. Unde perversi incredulique Judæi dixerunt ad Christum : Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. (*Joann* VIII, 13.)

Ait, id est, Joannes respondit : *Ego sum vox,* non per essentiam, sed per proprietatem, *clamantis,* id est Christi seu Spiritus Sancti per me loquentis, *in deserto* Judææ, in qua habitavit ac prædicavit Joannes. Juxta Gregorium, Joannes vox dicitur, quia quemadmodum vox præcedit verbum, ut audiatur, sic Christum præcessit Joannes, ut cognosceretur. Sed quum verbum et vox sint idem realiter, ut genus et species (verbum namque est vox signi-

ficativa), quomodo vox dicitur præcedere verbum? Et respondendum, quod Christus secundum divinitatem est verbum intellectuale. Sicut ergo in nobis vox oris præcedit verbum cordis, ut per vocem aliis innotescat, sic Christum Joannes præcessit. Vel dicendum, quod quamvis verbum vocale et vox sint idem in re, vox tamen hoc verbum præcedit secundum rationem et consequentiam, eo modo quo, secundum auctorem libri de Causis, esse est prius quam vivere, et vivere quam intelligere. Secundo, Joannes vox dicitur, quoniam sicut vox rem designat, sic Joannes Christum monstravit. Tertio, propter suæ prædicationis eminentiam, qua Christo testimonium perhibebat. Unde non solum vocatur prænuntiator vociferatorque Christi, sed etiam vox ipsius, sicut de homine valde amato asserimus, Amor meus.

Insuper quid per Joannem clamaverit Spiritus Sanctus, subjungitur : *Dirigite viam Domini,* id est, opera bona recta intentione exercete, ad Christi adventum, receptionem et inhabitationem animas vestras disponite, virtuosa desideria, per quæ Deus ingreditur cor humanum, in vobis habete, vitiorum obliquitatem cavete; *sicut dixit Isaias propheta,* (Is. xl, 3 et seq.) id est, prout ille me prædicaturum prophetavit, apud quem hæc verba habentur. Prædicationem autem Joannis Baptistæ, evangelista Joannes non prosequitur, sed in Matthæo et Luca continetur, ubi inter cetera prædicasse describitur : (Matth. iii, 2. Luc. iii, 11.) Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum; et, Qui habet duas tunicas, det non habenti, etc.

Et qui missi fuerant, id est præfati sacerdotes et Levitæ, *erant ex Pharisæis,* hoc est de secta et numero Pharisæorum : et sic erant solennissimi nuntii, utpote sacerdotali potestate et religionis honestate ornati. Triplex quippe fuerat secta inter Judæos : videlicet, Essæorum, qui castam, sobriam ac religiosissimam vitam duxerunt, de quibus non fit in Evangeliis sermo, quia Christum non persequebantur ut aliæ duæ sectæ, utpote, Sadducæorum, qui A animas hominum dixerunt esse mortales, et resurrectionem negabant, nec spiritum (Act. xxiii, 8.) nec angelum esse ponentes, sicque grossissimi fuerunt, nec libros Prophetarum receperunt, sed libros Moysis tantum. Tertia fuit secta Pharisæorum, quæ fuit solennior : nam animas hominum immortales dixerunt, et esse angelos, et generalem (Ibidem.) resurrectionem futuram.

Præterea advertendum, quod Gregorius, Chrysostomus, Beda, et alii multi, asserunt Evangelistam hoc verbum interposuisse ad B innuendum quod sacerdotes et Levitæ isti insidiose et malevole interrogaverunt Joannem. Origenes vero testatur, quod bono et simplici animo interrogaverunt. Quod probatur primo per hoc, quia ut dictum est, ex dubitatione moti fuerunt ad inquirendum. Secundo, quoniam tam sublimiter de Joanne senserunt, quod eum esse Christum suspicabantur. Tertio, quia præcipuam reverentiam exhibuerunt Joanni in ipso interrogationis ordine ac processu. Quarto, quia Judæi primo communiter multum C bene senserunt de Joanne, scientes nativitatem ejus mirabilem, atque conversationem sanctissimam. Nam et apud Matthæum legitur, quod multi Pharisæorum (Matth. iii, 7.) veniebant ad Joannis baptismum. Postremo, quia Joannes de sacerdotali fuit progenie, non apparet quod sacerdotes prima facie insidiati sint ei : imo, si Joannes dixisset se esse Christum, aliud non videtur nisi quod credidissent. Itaque juxta Origenem, idcirco Evangelista adjecit, Et qui missi fuerant, etc., ut nuntiorum so- D lennitatem et idoneitatem ostenderet.

Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo, id est qua auctoritate et ratione, *baptizas,* id est, in Jordane populos lavas, quod ante te nullus in nostro populo attentavit, *si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* quasi dicant : Mirum quod novum ritum inducis, si nullus illorum es; et videtur quod præsumptuose hoc agas.

Respondit eis Joannes, dicens : Ego baptizo in aqua, id est, corpora lavo, non

intus a culpa animas purgo, nec gratiam A præsto, sed dispono et assuefacio populum ad suscipiendum Christi Baptisma. Sicque baptismus Joannis nec gratiam contulit, nec characterem impressit, sed ad Christi Baptisma paravit. Hinc subdit :

Medius autem vestrum stetit, hoc est, inter vos conversari et apparere dignatus est, *quem vos non scitis,* id est, Christum esse ignoratis, et ejus divinitatem nescitis; et dato quod Judæi ex physionomia vultus Christi agnoverint quod filius esset Mariæ, non tamen quod filius Dei fuit. — B Quæritur, quomodo Christus inter sacerdotes et Levitas istos medius stetit, inter quos forsan nunquam corporaliter fuit. Et respondendum, quod Christus secundum suam divinitatem, inter omnes stat medius, quoniam firmiter atque inviolabiliter est in omnibus, quia immensus est, et omnia implet ac penetrat, et conservat. Unde [Act. xvii, 28.] teste Apostolo : In ipso sumus, vivimus, [Ps. lxxxi, 1.] et movemur. De quo ait Psalmista : Deus stetit in synagoga deorum. Porro secundum naturam humanam, Christus in me- C dio horum stetit dupliciter. Primo, quia in terra et populo Judæorum conversaba- [Baruch iii, 38.] tur, juxta illud Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus [Joann. i, 14.] est. Siquidem Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Secundo, quoniam sin- [Luc. ii, 42, 46.] gulis annis postquam duodecim annorum effectus est, ascendit Jerosolymam in solennitate paschali, intravitque templum, et ibi inter sacerdotes ac alios stetit. Non tamen videtur Jesus corporaliter inter hos adfuisse, quando protulit verba ista Jo- D annes.

Ipse est qui post me venturus est, hoc est, post meam prædicationem, baptizationem, seu etiam incarcerationem, manifeste omnibus innotescet, et in publicum veniens, Christum se esse monstrabit per scripturas veteris Testamenti, per signa, per discipulorum suorum prædicationem atque miracula. *Qui ante me factus est,* id est, mihi prælatus est, præpositus seu dignior factus. Christus namque ut Deus, omnia infinite excedit; secundum humanitatem quoque ut Verbo æterno hypostatice unitam, omni creaturæ prælatus est, et toto dignior universo. Hinc subditur : *quia prior me erat.* Quia secundum divinitatem suam æternus est, idcirco ex unione suæ humanitatis cum Verbo æterno excellentiam tantam sortitur etiam secundum quod homo. Insuper Christus secundum naturam humanam dicitur factus, quantum ad corporis sui perfectam organizationem, et item quantum ad animæ suæ perfectionem in omni sapientia, dono, virtute et gratia Spiritus Sancti, et quoad beatificam visionem, ante Joannem, id est ante nativitatem ejus ex utero, quoniam licet ante Christi annuntiationem conceptus fuit, nihilo minus ante nativitatem ipsius, Christi corpus et anima præfatis modis fuerunt perfecta : imo Christus in primo suæ conceptionis instanti, quantum ad suam humanitatem perfectus fuit modis præhabitis, antequam natus fuit Joannes, qui non nisi sex mensibus ante Christum conceptus est.

Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti, id est, tam improportionabiliter me in omni dignitate, sanctitate et perfectione excedit, ut nec in corporalibus ac minimis rebus dignus sim ei servire : quia ut tactum est, Christus ut Deus, est perfectionis penitus infinitæ. Et quoniam ejus humanitas ad increatum et personale esse Verbi assumpta est, et suppositata in eo, tanta quoque gratia ac gloria a primo suæ creationis instanti impleta, quantum creata natura capere potest, constat quam verissime atque humillime dixerit verba ista Joannes.

Sed objici potest : An homo exsistens in caritate et gratia, de condigno meretur vitam æternam, ut multi scribunt doctores, dignus est etiam corpus et sanguinem sumere Salvatoris : nam teste Apostolo, Qui [I Cor. xi, 27] manducat corpus Christi indigne, reus erit corporis Domini. Et dicendum, quod Joannes loquitur de se secundum naturalia tantum, vel de dignitate simpliciter dicta,

secundum quam nullus est dignus corpore A et sanguine Christi, aut vita æterna. Verumtamen loquendo de dignitate secundum quid, hoc est de dignitate secundum modum conditionis ac possibilitatis humanæ, Joannes dignus fuit calceamenta Christi solvere, imo et ipsum baptizare ac tangere, sicut et virgo Maria digna fuit eum concipere. Sicque dignus est homo in caritate exsistens dominicis sacramentis, et vita seu felicitate æterna.

Nec tamen ex præhabitis est putandum, quod Christus calceamenta portave- B
Matth. x, 10; *Luc.* x, 4. rit, quum ut in Matthæo legitur, discipulis suis prohibuerit usum calceamentorum. Ipse autem quod docuit, opere prius im-
Act. I, 1. plevit, juxta illud Actuum : Cœpit Jesus facere et docere. Unde in præinducto verbo conformat se gloriosus Baptista communi modo loquendi, quo aliquis volens se sub alio multum humiliare, asserit se indignum calceos ejus dissolvere.

Mystice per calceamenta, intelligitur Christi humanitas a Verbo induta ; per pedem, divinitas humanitate quodammodo C tecta ; per corrigiam, unio utriusque. Joannes ergo non fuit dignus corrigiam calceamenti Christi disligare, quia non potuit mysterium Incarnationis, et modum hypostaticæ unionis humanæ naturæ cum Verbo, comprehendere aut plane exprimere. Imo non solum omnium viatorum, sed angelicorum quoque intellectum spirituum hoc transcendit.

At vero præmemoratis verbis adjecit Baptista quod hic Evangelista transiliit, et Matthæi tertio scriptum est : Ipse baptiza- *Matth.* III, 11.
bit vos Spiritu Sancto et igni.

Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, id est in Bethania illa quæ est ultra Jordanem, in terra duarum tribuum ac mediæ tribus, *ubi erat Joannes baptizans* in aquis Jordanis prope Bethaniam illam currentibus. Et istud additur ad differentiam Bethaniæ citra Jordanem, respectu Jerusalem, in qua Bethania habitaverunt Martha, Maria et Lazarus. Porro, secundum Origenem et Chrysostomum, vitio scriptorum positum hic est hoc nomen Bethania, quum scribi debuerit, Bethabora.

SERMO SECUNDUS

QUALITER QUILIBET CHRISTIANUS DEBEAT ESSE VOX CLAMANTIS IN DESERTO.

E*GO vox clamantis in deserto.* Joann. I, 23.

In his verbis tria tanguntur. Primum D est officium ad unumquemque fidelium pertinens, quum dicitur : Ego vox. Secundum est persona officium hoc injungens, videlicet Deus, quum subditur : Clamantis. Tertium est locus seu populus in quo officium hoc exerceri debet, dum subinfertur : In deserto.

Quantum ad primum, unusquisque fidelis debet esse vox clamantis, id est præco seu nuntius, instrumentum seu organum Dei, qui per suos ministros multipliciter clamat ad homines ut vitia deserant virtutibusque insistant. Clamat etenim Deus per eos quos ad clamandum inducit, movet aut excitat, quemadmodum ait ad Isaiam : Clama, ne cesses, quasi tuba exalta *Is.* LVIII, 1.
vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.

Per suos igitur servos clamat Spiritus Sanctus, nunc exhortando, nunc increpando, nunc instruendo, nunc comminando, nunc consolando, nunc promittendo. Omnibus igitur modis istis debet quilibet Christianus esse vox Dei loco et tempore opportuno, secundum exigentiam causæ

et dispositionem sui ac aliorum. Ad quod A obligatur ex caritate, qua Deum et quemlibet hominem viatorem tenetur diligere. Sicut enim quilibet tenetur omnem diligere hominem, ita tenetur omnium hominum desiderare salutem, et pro omnibus saltem in generali esse sollicitus ut salventur, atque orare pro universis, ac cetera caritatis opera auxiliaque impendere congruo loco ac tempore suo, dum causa requirit et se opportunitas offert. Sicut enim tenemur ad caritatem ceterasque virtutes, ita ad actus earum opportuno loco et tem- B pore.

Eccli. XVII, 12. Hinc scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Et secundum Augustinum, ad correptionem fraternam omnes tenemur, præsertim prout correptio illa actus est caritatis ; et simili modo, ad exhortationem, informationem ac consolationem fraternam et caritativam pro posse, quum et ista sint spiritualia misericordiæ opera. Propter hoc ad Thessalonicenses I *Thess.* V, 14. scribit Apostolus : Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, C patientes estote ad omnes. Hinc quoque abbas Palladius dixit : Oportet animam secundum Christi voluntatem conversantem, aut discere fideliter quæ ignorat, aut docere manifeste quæ novit ; si autem utrumque possit, nec vult, insaniæ morbo laborat. Initium namque recedendi a Deo, fastidium est doctrinæ, dum non appetit illud quod semper anima appetit quæ diligit Deum. His concordat quod Seneca loquitur : Quod nosti, sine arrogantia postulanti impertiaris ; quæ nescis, sine occultatione ignoran- D tiæ tuæ tibi postula impertiri.

Denique omnes Christiani confratres sunt, non solum communione naturæ, sed etiam Christianitatis religione. Sunt insuper commilitones, quia contra eosdem invisibiles hostes diabolos, contra easdem sæculi vanitates, contra easdem carnis concupiscentias ac propriæ voluntatis perversitates pugna est eis. Sunt item conservi, quia ejusdem Dei ministri. Sunt iterum conviatores, id est ejusdem itineris ambulatores, et ad finem eumdem tendentes, quia per viam hujus exsilii ad cœlestis pergunt beatitudinem regni. Hinc se invicem jugiter debent ad bona hortari, spiritualiter consolari et pro suis defectibus caritative corripere, unusque alium pro posse instruere. Æternæ quoque damnationis supplicia debent sibi invicem comminari, et se mutuo contra hostes suæ salutis roborare, juvare ac animare, ut sic juxta doctrinam beatissimi principis Apostolorum, unusquisque gratiam sibi desuper I *Petr.* IV, 10. præstitam proximis caritative communicet. Idcirco ad Colossenses ait Apostolus : Super omnia caritatem habete, docentes et *Coloss.* III, 14, 16. commonentes vos ipsos in hymnis et in psalmis.

Dum ergo Christiani conveniunt sive ad manducandum seu bibendum, sive ad conferendum, verba vana, otiosa, vitiosa, inutilia vitent, atque præfatis modis se invicem semper ædificent. Sed, proh dolor ! hujus oppositum pene jam omnes agunt. Convenientes enim et pariter consistentes, per verba scurrilia, detractoria, mendosa, irrisoria, stulta, levia et nimis superflua se invicem spiritualiter lædunt, scandalizant, offendunt, atque ad inferos pertrahunt, juxta illud Michææ : Vir fratrem suum ve- *Mich.* VII, 2. natur ad mortem. In talibus verbis tempus suum deducunt, imo miserabiliter perdunt, vanis delectationibus, jocis et cachinnationibus se relaxant, et sine mensura peccant ac pereunt. Sed abjiciatur consuetudo ista pravissima, et proximum suum unusquisque verbo et exemplo secum trahat ad finem creationis humanæ, hoc est, ad cœlestis gaudia patriæ, ad Deum, ad spiritualem profectum. Et hoc indesinenter agamus « in deserto », id est, in hoc sæculo nequam, in præsenti exsilio, in populo vitioso Dei gratia destituto et a divina ac gratiosa inhabitatione Spiritus Sancti relicto.

Præterea, modis prætactis debent prælati ac superiores et prædicatores, et qui virtuosiores ac sapientiores exsistunt, esse vox Dei, et omnem loquacitatem, otiosi-

tatem, inexemplaritatem vitare, pigros excitare, vitiosos arguere, tentatos, afflictos A ac pusillanimes consolari, obstinatis æterna supplicia comminari, ut quisquis eos accesserit sive audierit, ædificatus discedat. Nam et Augustinus testatur : Non mediocre periculum est, ut quum habeat homo tot eloquia Dei et opera Christi quæ fecit, illis prætermissis, loquatur et audiat quæ sunt mundi.

Postremo, quam meritorium sit modis inductis esse vocem Dei, constat ex eo quod Danieli angelus Gabriel profitetur : B
Dan. xii, 3. Qui multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.
Jacob. v, 20. Et Jacobus ait : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Augustino quoque testante, tanto quisque perfectior est in Dei amore, quanto plures trahit ad ejus amorem.

Unde in libro Dialogorum sanctus refert Gregorius, quod vir sanctus, nomine Equitius abbas, tanto animarum zelo flagrabat, quod per diversas ecclesias, per castra, per C vicos, per singulorum quoque fidelium domos prædicando discurrens, audientium mentes ad Dei amorem atque cœlestis patriæ desiderium excitavit. Erat autem vilissimis vestimentis indutus, et ita despectus, ut eum non cognoscentes, salutati ab eo resalutare despicerent. Quadam die quidam vir nobilis ex familiaritate dixit ad illum : Quum Ordinem sacrum non habeas, nec a summo Pontifice licentiam prædicandi acceperis, quomodo prædicare præsumis ? Hac interrogatione compulsus, respondit Equitius : Ea quæ mihi loqueris, ego quoque mecum pertracto. Sed quadam nocte angelus Dei adstitit mihi per visionem, atque in lingua mea phlebotomum posuit, dicens : Ecce posui verba mea in ore tuo; egredere ad prædicandum. Sicque ex illo die, etiamsi voluero, tamen tacere de Deo non valeo. Hujus ergo viri exemplo discamus verba salubria proximis loqui.

Si videremus aliquem in corpore vulneratum, nonne exhortaremur eum ut medicamenta suis faceret adhiberi vulneribus, ne putrescendo mortem infligerent ? Et si aliquem videremus proficisci per viam ad præcipitium aut lacum mortis ducentem, nonne revocaremus eum a tali itinere ? Et si quis iret nobiscum pigre per viam, et hinc inde stulte diverteret atque inutiles faceret moras, nonne hortaremur eum ad gradiendum velocius, directius et magis continue ? Quum ergo anima sit incomparabiliter præstantior corpore, incomparabiliter justius exstat ac dignius ut eos qui per peccata spiritualiter læsi sunt, qui prave vivendo ad infernalem lacum festinant, qui in via Dei non recte procedunt, sed undique evagantur, juxta illud Psalmi, In circuitu impii ambulant, ex- *Ps.* xi, 9.
hortemur ut per confessionem et cetera sacramenta sua curent peccata, viæ suæ æterna vitent pericula, atque per opera virtuosa ad cœlestis regni accelerent mansionem.

SERMO TERTIUS

DE DUPLICI VIA, ET QUALITER VIAM DEI PARARE ATQUE DIRIGERE DEBEAMUS.

V*IÆ Domini viæ pulchræ, et omnes* D *semitæ ejus pacificæ.* Prov. iii, 17.

Quemadmodum duplex est terminus ad quem homines finaliter perveniunt, utpote regnum cœlorum seu beatifica visio Dei, et infernus sive adeptio æternalis supplicii (de quibus duobus terminis Christus
Matth. xxv, 34. in die judicii dicet : Venite, benedicti

Patris mei, possidete paratum vobis re- A gnum ab origine mundi; et demum : *Matth.* xxv, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum), sic duplex est via his terminis proportionata. Prima est via pulchra ac splendida, id est conversatio virtuosa: ad quam pertinent munditia cogitationum, rectitudo affectionum, locutio bona, operatio justa, negligentiarum quoque vitatio, et exemplaritas morum. Hæc conversatio merito via pulchra ac splendida appellatur, quia ex caritate et gratia, quæ sunt supernaturalia lumina, oritur, luce rationis perfunditur, fonti totius lucis supersplendidissimo et superpulcherrimo Deo nos unit, gratos ac placitos facit, ad lumen gloriæ, claritatem cœlestis patriæ, increatæque lucis fruitionem beatificam nos perducit. De qua via ait Psalmista : *Ps.* cxviii, 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Porro, alia est via turpis ac tenebrosa, id est conversatio vitiosa : quæ ex ratione pravis concupiscentiis, passionibus atque erroribus obtenebrata procedit, vitiorum impietate ac turpitudine fœtet, et ad infernales tenebras ducit; tenebrarum quoque principibus placet, conjungit et locum mansionemque præstat.

Per primam viam Deus moratur in cordibus nostris, quemadmodum de homine *Joann.* xiv, 23. sibi obediente ait Salvator : Ad eum veniemus, ego et Pater cœlestis, et mansionem apud eum faciemus. Per viam secundam moratur in nobis diabolus. Unde de *Joann.* xiii, 27. Juda traditore ait Evangelista : Post buccellam introivit in eum Satanas. Et Apo- *Ephes.* iv, 27. stolus monet : Nolite locum dare diabolo. Ex quo patet, quod mortaliter peccando, damus in cordibus nostris locum ac mansionem dæmonio. Propterea impii dicuntur vasa diaboli.

Quum ergo unicuique homini detur præceptum ut per primam ambulet viam, aliamque devitet; imo quum Deus ad hoc tam multipliciter nos hortetur ac moneat, invitet et excitet, utpote per inspirationem internam, per angelicam directionem, per Scripturas, per prælatos et prædicatores ac homines bonos, per æternæ beatitudinis sponsionem, per infernalium suppliciorum comminationem : nonne ineffabilis est fatuitas nostra, et immensa perversitas nostra, omnique damnatione digna duritia nostra pravissima, quod viam Dei, viam salutis æternæ, viam pulchram splendidamque relinquimus, abhorremus ac fugimus, et viam diaboli, viam perditionis perpetuæ, viam tenebrosam ac fœdam eligimus, amplectimur, ambulamus? Quis tantam insaniam comprehendere, quis tantam perversitatem queat exprimere? Ecce B verum Deum contemnimus, et cordium nostrorum habitatorem, possessorem ac principem potius volumus esse diabolum quam Spiritum Sanctum. Omnium creaturarum pessimam optimo Creatori præferimus, et crudelissimo ac inimicissimo hosti magis quam piissimo Salvatori, summo ac fidelissimo amatori, consentimus ac obedimus.

O quanta est perversitas, vilitas atque stoliditas impiorum! Quam irreverenter, ingrate et injuste se habent ad Deum, C quam fatue ad se ipsos! Redite ergo, præ- *Is.* xlvi, 8. varicatores, ad cor, considerate pericula vestra. Nolite propter temporales honores, carnales delicias, temporales divitias, tot mala incurrere. Dirigite viam Domini, id *Joann.* i, 23. est, pœnitentiam agite, obstacula gratiæ, obicem inhabitationis divinæ, id est peccata, abjicite, ad divinæ pietatis immensitatem confugite, Dei auxilium implorate. Viam Domini ambulate, id est, præcepta implete. Resistite diabolo, id est, sugge- *Jacob.* iv, 7. stionibus ejus nolite consentire, sed repu- D gnate ac dissentite, et fugiet a vobis. Hinc Samuel primo Regum : Præparate (inquit) I *Reg.* vii, 3. corda vestra Domino, et servite illi soli, et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.

Nolite viam Dei quasi duram et asperam abhorrere, quia etsi in principio dura videatur et aspera, in processu tamen dulcescit, et tandem vere dulcissima invenitur. Incipientibus quippe seu ingredientibus, communiter dura est, quia in illis manent reliquiæ præteritorum vitio-

rum, quamvis per pœnitentiam deletorum, videlicet pronitates et inclinationes ad mala, atque debilitas resistendi peccatis. Unde lubricis pœnitentibus durum esse solet in principio conversionis vivere continenter. Verumtamen Deus interdum ex suæ abundantia pietatis tales tam gratiose ac dulciter prævenit, consolatur, illuminat, implet ac roborat, quod subito cuncta carnalia et caduca fastidiunt, in spiritualibus delectantur, atque cum gaudio promptissimo animo serviunt Deo. Interdum quoque subtrahit illis gratiam istam et tentari eos permittit, tuncque difficultatem in via sentiunt Dei; sed Dominum invocantes, viriliter perseverant, et tunc cum Psalmista
Ps. XVI, 4. Deo dicere possunt : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Porro, proficientibus seu progredientibus via Dei suavis efficitur. Virtutes enim ex sua natura suaves sunt, et proprias ac sinceras habent delectationes annexas. Sed quod earum suavitas non gustatur, ex indispositione et infectione interioris palati hominis, utpote mentis seu voluntatis, contingit : in quo palato amor seu reliquiæ permanent vitiorum. A quibus proficientes quotidie expurgantur, atque oppositis dispositionibus decorantur : siquidem ex iterationibus et frequentationibus operum virtuosorum generatur in eis consuetudo bona, quæ est velut altera natura; et per illam inclinantur et roborantur contra peccata ac tentamenta, crescunt quoque in caritate divina, sicque virtutum dulcedinem experiuntur. Et si fuerint in via Dei diligentes, frequenter consolantur ac illustrantur a Spiritu Sancto, ita quod clare perpendunt ac intuentur in quantis fuerunt periculis et peccatis, quam vere miserrimum, vile, vitiosum atque damnabile sit, esse aversum a Deo, esse incorporatum diabolo, Creatori pro obedientia et gratiarum actione injurias contumeliasque rependere; item, quam nobile ac salubre, quam fructuosum ac virtuosum sit, Deo esse unitum, inhærentem, gratum ac jugiter servientem. Quumque hæc et similia

A contemplantur, leve et dulce fit eis viam Dei incedere, peccata vitare, in virtutibus crescere.

Insuper via Dei perfectis est dulcissima, quia in eis mortificatæ sunt passiones, et sensualitas rationi prorsus subjecta est. Per donum quoque sapientiæ et fervidam caritatem qua pleni sunt, excellenter dispositi sunt ad illuminationes supernas, ad delectationes internas, ad contemplationes dulcissimas, ad gaudiosum divini amoris incendium. Sicque conversatio eorum in *Philipp.* III, 20.
B cœlis est, quia in terra mortalique corpore cœlestem atque angelicam ducunt vitam. Unde impletur in eis quod in Proverbiis Salomon loquitur : Justorum semita quasi *Prov.* IV, 18.
lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem. Procedit namque de bono in melius, de imperfectione ad perfectionem, de una virtute in aliam; et crescit usque ad diem perfectam, id est contemplationem præclaram, imo usque ad diem æternitatis, hoc est claritatem perpetuæ felicitatis. Via autem impiorum tenebro- *Ibid.* 19.
C sa : nesciunt ubi corruunt. Sic etenim vitiis excæcantur, quod propria non advertunt pericula, nec enormitatem suæ ruinæ intelligunt. Cadunt equidem a summo et incommutabili bono ad hæc vana, carnalia et caduca, a statu salutis et gratiæ ad statum damnationis et culpæ, a sublimitate virtutum ad profunda vitiorum; nec tamen deplorant se ipsos. Imo impletur in eis quod Salomon ait : Impius quum in *Prov.* XVIII, 3.
profundum peccatorum venerit, contemnit. Sicque tandem a vita præsenti cadunt
D in carcerem infernalem, juxta illud Job : Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad *Job* XXI, 13.
infernum descendunt.

Relinquamus ergo viam perditionis, et viam salutis incedere non cessemus nec differamus, quia periculum est in mora, quum nec una vitæ hujus nobis certa sit hora.

Legitur quod dum S. Bernardus quemdam virum in sæculo magnum convertisset, illumque secum ad cœnobium perduceret, cœpit vir ille in via graviter contristari. Cujus causam quum S. Ber-

nardus ab illo interrogasset, respondit : A Bene possum tristari, quoniam scio quod de cetero nunquam lætus ero. Tunc B. Bernardus se convertit ad Dominum, et oravit pro viro illo. Moxque cœpit vir ille cordialissime gloriari in Deo, ac dicere : Jam scio quod de cetero nunquam tristis ero. Sic Deus novit corda servorum suorum subito immutare ac consolari. Et utique multi trepidant viam salutis arripere, qui si scirent quam dulce sit Deo servire, quam suave sit ei devota et tranquilla mente intendere, nequaquam sic trepidarent, imo bona viriliter inchoarent.

Postremo, si pensetur ad quantam calamitatem et pœnam vitiosæ delectationes perducant, quanta beatitudine privent, non erit difficile eas contemnere.

Ad laudem et gloriam Dei, proposui evangelio præinducto adhuc unum sermonem de humilitate annectere; sed differo, quia in sequenti evangelio de humilitate fit mentio, et ibi de materia hac inserere sermonem propono.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE VITANDO OMNI INORDINATO TEMERARIOQUE JUDICIO.

I *Cor.* IV, 5. NOLITE *ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus,* etc. In epistola B hodierna.

Quum omni Christiano, juxta evangelicam apostolicamque doctrinam, inordinata
Luc. VI, 37. judicia sint vitanda (dicente Christo : Nolite judicare, et non judicabimini; atque
Rom. XIV, 10. Apostolo : Tu quid judicas fratrem tuum ? omnes enim stabimus ante tribunal Christi), maxime tamen religiosis et monachis prohibentur, quia ipsorum est soli Deo et sibi ipsis intendere. Ipsi quoque ad securiorem viam tenentur, et singulariter C cauti, circumspecti ac coram Deo esse solliciti obligantur. Hinc in Vitaspatrum valde vetatur monachis judicare. Nempe quum
I *Cor.* II, 11. teste Apostolo, quid agatur in homine nemo sciat nisi spiritus hominis (non enim secreta cordium nostrorum agnoscimus proximorum); quomodo possumus judicare de proximis, quum bonitas et malitia in interioribus hominis summe consistant, et Deus omnipotens, qui ubi vult spirat, omni potest momento convertere peccatorem, et impium justificare, imo de pessimo optimum facere ?

Sed circa hæc oritur quæstio magna, cur scilicet Christus tam absolute nobis prohibuit judicare, qui tamen omnibus præcipit delinquentem corripere. Neminem autem corripimus, nisi quem culpabilem judicamus. In capitulis etiam religiosorum fiunt proclamationes, in quibus unus alium culpabilem asserit : quod est utique judicare. Augustinus quoque : De manifestis, inquit, et quæ nequeunt bono animo fieri, judicare permittitur. Unde, quum juxta S. Cyprianum, unum de duodecim abusionibus sit lis in capitulo, si videro Fratrem a præsidente correptum, impatienter se habere, verbis contendere, seque impudenter excusare sive defendere, possum (ut videtur) illum judicare ac animo reprobare.— Et respondendum, quod aliud est judicare personam, aliud actum seu negligentiam ejus. Iterum, aliud est judi-

care hominem absolute, et aliud secundum quid. Quamvis ergo personam absolute ac definitive seu assertive judicare prohibeamur, quia etsi nunc pravus evidenter patescat, utpote culpæ mortali actualiter inexcusabiliterque intentus, tamen nescimus qualis paulo post erit, et maxime qualis finaliter coram Deo invenietur, seu qualis sit in prædestinatione aut præscientia Dei; nihilo minus actum seu negligentiam hominis possumus absolute ac certitudinaliter judicare, quando videlicet manifeste et inexcusabiliter mala est ipsa commissio sive omissio. Sicque hominem qui peccavit aut peccat, possumus judicare secundum quid, scilicet, quod in quantum hujusmodi culpæ obnoxius fuit aut est, vere culpabilis, reprehendendus corrigendusque exstiterit aut sit. Denique si quis sit manifeste remissus et negligens in observantiis Ordinis, aut per tempus longum pertinax et rebellis, quamvis omni momento possit Deo agente compungi atque converti, potest tamen probabiliter seu æstimative cum quodam timore et compassione talis judicari absque temeraria assertione, quousque signa emendationis in ipso appareant. Sed extra hos casus judicare, censetur illicitum.

Vitemus ergo inordinata, temeraria, præsumptuosa, incauta judicia aliorum, et dubia interpretemur in melius ; interiora vero et incerta divino reservemus judicio. Ea quoque quæ evidenter sunt mala, non judicemus graviora quam sunt : præsertim quum ignoremus qualem aut quantam habeant coram Deo excusationem seu relevamen, ut si forte ex subreptione aut vehementi tentatione vel infirmitate, ignorantia seu subito motu vel inadvertentia, commissa sint vel omissa.

Præterea hi qui personaliter negligentes sunt et remissi, aut passionati, nequaquam proni, procaces et impudentes sint alios judicare; sed se ipsos in primis adspiciant, judicent, reprobent et emendent, pensantes quod ait Salvator : Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, etc. *Matth.* VII, 5; *Luc.* VI, 42.

A Unde secundum Ambrosium atque Chrysostomum, qui in eisdem aut majoribus culpis sunt, alios judicare non debent. Nam et caritas incipit a se ipsa, et ordo justitiæ exigit istud. Rursus cavendum est valde, ne quis pronus sit illum judicare cui parum aut minus afficitur, et contra quem faciliter passionatur. Denuo, quum unusquisque debeat contra ea vitia singulariter præliari ad quæ ex sua naturali dispositione aut usu est pronior, ideo melancholici et pravo usu infecti, specialissi-
B me se refrenent atque custodiant ab inordinatis, temerariis ac assertivis judiciis : alioqui in gravissima ruent pericula. Imo nullus ex passione, ira, invidia, amaritudine, aspernatione, judicet quemquam : præsertim quum vera justitia habeat compassionem, falsa indignationem. Non ergo ut alios judicando, corripiendo ac accusando curemus, nos ipsos per iram, impatientiam, aut aliam passionem, lædamus.

Denique tam grave peccatum est inordinatum judicium, ut beatissimus frater
C Domini Jacobus apostolus illud detractioni annumeret, ac divinæ legis vocet injuriam. Scriptum est namque Jacobi quarto : Qui detrahit fratri suo, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem; si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. *Jacob.* IV, 11. Quod utique intolerabilis est superbia. Faciamus ergo quod loquitur Apostolus : Non amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum : noli illum perdere pro quo Christus mortuus *Rom.* XIV, 13, 15.
D est. Hinc in epistola ad Fratres de Monte Dei scribit Bernardus : Cave, serve Dei, ne quos imitari non vis, damnare videaris. Volo ut hoc facias in ægritudine, quod quum sanissimus esset, fecit qui ait : Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. *I Tim.* I, 15. Qui enim perfecte examinando se ipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum esse par æstimat, quod non sicut suum intelligit. Nolo ut nusquam arbitreris Solem justitiæ lucere nisi in cella tua, nusquam esse serenum

nisi apud te, nusquam operari gratiam Dei nisi in conscientia tua. An solitariorum, an religiosorum Deus tantum? Malo te cogitare ubique serenum esse et non apud te, et pejus de te quam de aliquo alio æstimare. *Philipp.* II, 12. Cum timore potius et tremore vestram agatis salutem; nec quales sint alii, sed quales ex vobis fiant, quantum in vobis est cogitate.

Denique Cassianus refert quemdam sanctum Patrem dixisse : Manifeste compertum est, eisdem causis ac vitiis monachum obligari in quibus de aliis judicare præsumpserit. Oportet enim unumquemque se ipsum tantummodo judicare et circumspecte cauteque in omnibus custodire, non aliorum vitam discutere. Hinc constat, quod qui alios tam faciliter judicant superbos, infideles, dolosos, simulatores, mendaces, intimoratos seu negligentes, personaliter tales sint : nam qualis quis est, talia sæpe de aliis sentit. Idcirco in libro Job dicitur: *Job* XV, 21. Sonitus terroris semper in auribus impii; et quum pax sit, ille insidias suspicatur.

Insuper de hac ipsa materia sapientissime Climacus loquitur : Judas (inquiens) erat in choro Apostolorum, latro autem in consortio homicidarum; et mirum quomodo in uno momento facta est transmutatio. Vidi peccantem manifeste et pœnitentem occulte; et quem fornicatorem judicavi, justum inveni et per conversionem Deo subito reconciliatum. Una brevium viarum quæ ducunt ad Deum, est non judicare. Sicut alienus est ignis ab aqua, ita judicare, a veraciter pœnitente. Etiamsi in ipso exitu videres aliquem offendentem, neque tunc judices eum : incertum est enim judicium Dei. Manifeste aliqui offenderunt in magnis, et in occulto ma- A jora operati sunt bona. Ideo aliorum facta explorantes, seducti sunt. In quibus proximum judicamus, eadem incidemus. Acuti ac celeres aliorum judicatores vitio huic subduntur, quoniam nondum de suis offensionibus rectam ac perfectam memoriam, curam ac pœnitentiam assumpserunt : quia etenim nondum de propriis culpis curam gerunt, sub aliorum peccatis succumbunt. Nam qui propria mala arrogantiæ velo operta develans diligenter inspexerit, aliorum dijudicationem relinquet, B existimans non sibi sufficere tempus ad proprium luctum, etiamsi centum vixerit annis, atque Jordanem fluvium totum per lacrimas ex suis viderit oculis procedentem. Multa alia saluberrima scribit de ista materia, quæ infra Deo præstante forsitan memorabuntur.

Vitemus ergo vana, periculosa et stulta judicia; simus timorati et humiles ac defectuosi in oculis nostris, et semper coram Deo custoditi atque solliciti. Infirmis et cadentibus compatiamur, et oremus pro C eis; sicque alter alterius onera portemus, *Galat.* VI, 2. et mutuo in omni caritate, pietate, patientia jugiter supportemus. Non obliviscamur quantum sanctissimi Patres in eremo, abbas Pastor, abbas Moyses, et alii, vitabant incauta judicia, etiam ad judicandum rogati. Quid ergo nos omni defectuositate ac miseria pleni, alios judicare præsumimus, negligentes nos ipsos? Propterea juxta prædicta Sanctorum documenta conversemur et dirigamus omnes actus, cogitatus affectusque nostros; et videatur D unicuique nostrum cum S. Francisco, quod in mundo non sit peccator major quam ipse, ut sic veri religiosi et nobis ipsis simus semper intenti.

SERMO QUINTUS

DE QUOTIDIANO BAPTISMATE LACRIMARUM.

EGO *baptizo in aqua.* Joann. I, 26.

Ista sunt verba gloriosissimi præcursoris sanctissimi Joannis Baptistæ in evangelio hodierno. Denique inter diversa baptismatum genera, est et lacrimarum baptismus, quo anima purissime lavatur ac mirabiliter decoratur. Quumque præhabitum sit quod monachi officium sit lugere (propter quod Climacus monachum quasi definiens, ait : Monachus est mœrens et lugens anima indesinenti mortis memoria), hinc monachus debet se ipsum quotidie baptizare lacrimarum baptismate.

Sunt autem diversæ species lacrimarum quibus se debet religiosus afficere. Primæ sunt lacrimæ pœnitentiæ, quibus homo ex interno contritionis dolore sua deplorat peccata : quemadmodum S. Petrus, qui post transgressionem trinæ negationis egressus, flevit amare. (*Matth.* xxvi, 75 ; *Marc.* xiv, 72 ; *Luc.* xxii, 62.) De quibus Climacus loquitur : Luctus seu lacrimarum fons, est major post Baptismum baptismus, per quem gratiam primi baptismi amissam recuperamus. Harum lacrimarum tanta est vis, ut dicat Ambrosius : Lacrimas Petri lego, satisfactionem non lego. Lacrimæ lavant delictum quod pudor est dicere ; veniam non postulant, et merentur. Non invenio quid Petrus dixerit, sed quod flevit. Tu ergo similiter lacrimis dilue culpam. Lacrimæ namque pœnitentiæ, S. Bernardo testante, vinum sunt angelorum, quia in illis odor est vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, et serenatæ conscientiæ bona suavitas. — Quamvis autem hæ lacrimæ prodeant ex dolore, et amaritudinem habeant sibi adjunctam, nihilo minus recreatio quædam eis miscetur, et consolatio superna infunditur, tam ex spe veniæ quam ex relevatione conscientiæ atque interni doloris evaporatione. Unde in libro Tobiæ dicitur Deo : Post fletum exsultationem infundis ; (*Tob.* III, 22.) et Christus apud Matthæum : Beati (inquit) qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (*Matth.* v, 5.) Nam quælibet virtus delectationem propriam habet actui suo annexam.

His lacrimis abluamus culpas nostras quotidianas, et semper solliciti simus ne relabamur in eas : nec vere sua deplangit peccata, qui non sollicite præcavet ea.

Secundæ sunt lacrimæ compassionis fraternæ, de quibus sanctus Job protestatur : Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. (*Job* xxx, 25.) Sic et Jeremias plebis ac urbis suæ destructionem deflevit. (*Jer.* IX, 1 ; *Thren.* v, 15.) Christus quoque videns civitatem, flevit super eam. (*Luc.* XIX, 41.) Porro lacrimæ istæ sunt duplices. Primæ, quibus ex compassione corporalium afflictionum proximorum in fletum resolvimur. Secundæ, quibus ex compassione interiorum vulnerum, puta culparum ipsorum, in planctum movemur : quæ lacrimæ sunt valde præstantiores, quemadmodum malum culpæ incomparabiliter pejus est ac magis nocivum et Deo contrarium, quam malum pœnæ. Hinc ait Bernardus : Longe præcellunt lacrimæ quibus infunditur sapor vini, quæ fraternæ compassionis affectu ex fervore prodeunt caritatis, qua ad horam tui ipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris. Sic Daniel et Esdras Israeliticæ plebis defleverunt facinora, (*Dan.* IX, 5.) ipso Esdra dicente : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quia peccata nostra creverunt usque ad cœlum. (I *Esdr.* IX, 6.) Ita et nos proximorum nostrorum, præsertim confratrum, malis

compati, et ea deflere, si eorum magnitudo exposcat, debemus.

Tertiæ sunt lacrimæ caritatis divinæ : et istæ sunt variæ. Primæ, quibus propter injurias et offensas Deo illatas ploramus, dum scilicet ex caritatis fervore, zelo divini accendimur honoris, et de inhonorationibus Altissimi lacrimamur, quemadmodum si servus fidelis ac filius bonus de domini sui ac patris injuriationibus
III *Reg.* xix, 10, 14. contristentur ac fleant : sicque zelo zelamur pro Domino exercituum cum Elia. Secundæ, quibus desiderio divinæ præsentiæ plangimus, esse cupientes cum Domino et desideratissimum Deum clare ac facialiter cernere inardescentes, juxta il-
Ps. xli, 2. lud : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Tertiæ, quibus supernæ visitationis gratia consolati, ex complacentia Dei suavissime lacrimamur, dum ipse misericordissimus Dominus majestatis, lucem miserationis suæ nobis ostendens, se ipsum in lumine contemplationis sinceriter pandit et applicat amoroseque jungit menti, signa suæ dilectionis ad eam demonstrans experimentaliter ac familiariter ei. Nec mirum si tunc in suavissimas ex complacentia serenissimi ac convenientissimi Dei lacrimas resolvamur, quum crebro ex adventu, præsentia et amplexu alicujus hominis cari excitemur in planctum. Hæ lacrimæ ex Dei complacentia profluentes, omnino dignissimæ ac suavissimæ esse noscuntur.

Præterea quartæ sunt lacrimæ, quibus timore districti judicii ac futuri ploramus supplicii, quemadmodum rei timore pœnarum eis imminentium lugent. — Quintæ sunt lacrimæ, quibus ex dominicæ passionis intenta et affectuosa consideratione et compassione perfundimur, eo quod mansuetissimus ac innocentissimus Agnus Dei tanta pro nobis sustinuit.

Quamvis autem monachorum dicatur proprium, uni intendere soli, propriaque peccata deflere; verumtamen quia ex jure divino tenentur proximos sicut se ipsos

A diligere, atque in actibus caritatis Dei ac proximi consistit perfectio, spectat ad monachos veraciter virtuosos cunctis præfatis lacrimarum generibus affici, et commune malum Ecclesiæ lamentari, atque assiduis lacrimis ac precibus iram Dei mitigare, populi ejus, propinquorum, commissorum ac benefactorum deplangere culpas, et super tot animabus quotidie pereuntibus graviter ejulare, facere planctum velut *Mich.* i, 8.
draconum et luctum quasi struthionum. Non ergo de cetero levitatibus, dissolutio-
B nibus, cachinnis ac puerilibus consolatiunculis demus locum; sed in grandi cordis custodia, in vera maturitate et timorata sollicitudine, luctuosaque animi dispositione proficiscamur ac festinemus ad patriam, ac omnibus prodesse optemus. Quantoque minus succurrimus proximis prædicando, tanto plus eis auxiliari conemur orando, lugendo, ædificando.

Insuper de prædictis multa devotissima Climacus scribit, inter cetera dicens : Si nihil humilitati sic convenit sicut luctus,
C nihil ei ita ut risus contrariatur. Reforma in te ipso et scrutari ne cesses æterni ignis abyssum et immanes ministros, implacabilem et incompassibilem Judicem, infinitum chaos flammæ infernalis, ac subterraneum, terribilem locum atque hiatum, angustos ac tetros descensus. Sta in oratione cum tremore sicut damnatus adsistens judici, ut extrinseca specie ac forinseco more furorem exstinguas Judicis summi : non enim sic adsistentem diu despiciet. Non sis sicut qui sepeliunt mor-
D tuos, quandoque quidem ipsos deflentes, quandoque vero se propter ipsos inebriantes; sed esto sicut qui sunt in metallis vincti, continuis horis a vulgaribus publicis custodibus flagellati. Nam qui aliquando luget, aliquando deliciatur et ridet, similis est ei qui pane lapidat canem, qui specie tenus canem persequitur, sed reipsa eum facit manere. Esto mœrens et lugens absque amore ostentationis : mœrorem namque et luctum dæmones timent sicut latrones canes. Fiat tibi reclinatio

tua in strato tuo typus seu figura reclinationis tuæ in sepulcro, et minus dormies ; et ipsa mensæ tuæ convivatio fiat tibi rememoratio mensæ futurorum vermium, et minus deliciaberis ; potum quoque aquæ accipiens, non obliviscaris sitis quæ est in flammis infernalibus, et omnino violentabis naturam. In ipsa honorabili præsidentis increpatione, redargutione, ac ignominia seu exercitatione, pavendam summi Judicis sententiam intendamus ac meditemur, et superseminatam in nobis irrationabilem tristitiam atque amaritudinem, mititate ac patientia quasi gladio ex utraque parte acuto penitus occidemus. Ignis æterni memoria singulis vesperis cœnet ac dormiat tecum, surgatque simul cum te, et nunquam negligentia dominabitur tui in tempore psalmodiæ. Igitur si non luges, propter hoc luge. — Quando anima nostra, non conantibus nobis nec quidquam adinvenientibus, fit lacrimosa, devota ac mansueta, curramus : Dominus enim non vocatus advenit. Custodiamus hanc gratiam ut pupillam oculi, nam magna est virtus hujus compunctionis.

Interdum contingit ex lacrimis inani gloria tangi. Qui super lacrimis suis inflatur, et non lacrimantes in se ipso dijudicavit, similis est ei qui contra inimicos armaturam postulavit a rege, et se ipsum perimit in ea. Solet donum lacrimarum quosdam plerumque extollere. Propter quod quibusdam non datur, ut ejus privatione et inquisitione in suspiriis et mœrore animæ se ipsos affligant : quod locum lacrimarum sine periculo supplet, quamvis et ab eis hoc melius pro nihilo reputetur.

Bene observantes, inveniemus derisum amarum in nobis a dæmonibus sæpe factum. Quum enim satiati et saturati fuerimus, tunc nos devotione lacrimisque compungunt, et nos iterum jejunantes ac vigilantes indurant, ut adulterinis lacrimis seducti, matri vitiorum gulæ consentiamus.

Hæc et multa similia de ista materia scribit Climacus ; sed difficultatem prolixitatemque vitans, formam frequenter muto verborum. Patet ergo ex præinductis, quod sunt et deceptoriæ lacrimæ : idcirco non debet quis lacrimis suis incaute confidere, sed discutere an ex virtute procedant, earumque radicem, modum ac finem pensare, et Deum pro salutari in iis discretione rogare.

SERMO SEXTUS

DE VANITATE LAUDIS HUMANÆ, AC IMPIETATE ET SUBTILITATE VANÆ GLORIÆ.

EGO *vox clamantis in deserto*. Joannis I, 23.

In evangelio hodierno docemur quam profundissimæ humilitatis, quam item fortissimæ inviolabilisque justitiæ fuerat excellentissimus Sponsi amicus, S. Joannes Baptista. Qui videns se tantæ reputationis ac famæ esse, non solum in vulgo, sed etiam apud Scribas et sacerdotes, apud pontifices templi ac Pharisæos, ut Christus esse crederetur, nequaquam inaniter motus est ; sed in humilitatis virtute, in veritatis luce, in mentis constantia mansit firmissimus et immotus : quo informamur quam vanæ, viles ac contemnendæ sint pulsationes gloriæ vanæ et appetitiones laudis humanæ. Unde de Scribis et Pharisæis, ac cunctis hypocritis talia appretiantibus, Christus frequenter in Evangelio protestatur : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Imo non solum hoc verum est, sed ultra hoc damnationem me- *Matth.* VI, 2, 5, 16.

rentur æternam. Et ecce quanta insania, quam immensa stultitia est, facere opera ex suo genere bona, et propter humanæ laudis favorem volatilem vanamque gloriam, se ipsum æternæ beatitudinis privare mercede, et insuper infernali damnationi se ipsum objicere.

Denique furtum est, rapina, ac sacrilegium, de donis Dei inaniter gloriari, se ipsum extollere, humanis laudibus permulceri. De quibus soli omnipotenti Domino liberalissimo benignissimoque datori honor debetur et gloria : cui tanto subjectiores esse tenemur ac gratiores, quanto majora ac plura ab ipso sortimur charismata. Nec puritati ac pretiositati munerum ejus nostrarum debemus fœditatum ac vanitatum falsitates impietatesque miscere, sed tentationibus stultis objicere : *I Cor.* IV, 7. Quid habes quod non accepisti? *Luc.* XII, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. *Ibid.* XVII, 10. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. *Matth.* VI, 2, 5, 16. Nolite fieri sicut hypocritæ. *Ps.* CXIII, 1, sec. Hebr. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *II Cor.* III, 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Si hæc atque similia rite pensemus, per ea tanquam per imperforabiles clypeos ab omni nos fatuitate vanæ gloriæ ac laudis humanæ jugiter protegemus, implentes quod ait Apostolus, *I Cor.* I, 31; *II Cor.* X, 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur; considerantes quoque quod loquitur idem : *Galat.* I, 10. Si hominibus placerem, id est, placere pro mea laude aut commoditate privata optarem, Christi servus non essem. Idcirco sit semper pura nostra intentio, atque in solo Deo sit tota nostra affectio. Quod utique ad religiosos potissimum spectat, quos huic sæculo oportet mortuos esse et soli Deitati vacare : quibus in divino judicio esset tanto major confusio vanitatibus consensisse, aut negligenter vixisse, vel insipienter instar hypocritarum se habuisse, quanto ad majorem se adstrinxerunt sinceritatem, et quo ab hominibus virtuosiores esse creduntur, A quanto etiam habitu suo et apparatu a prætactis vanitatibus magis alienos se esse demonstrant. Non ergo fallant se ipsos.

Itaque religiosus, in omni quod agit, magno et parvo, soli optet, cogitet gaudeatque Deo placere, nec laudibus delectetur humanis, imo potius affligatur; vituperiis vero et increpationibus ac tribulationibus jucundetur. *Eccli.* X, 29. Nec in faciendo opere suo quispiam se extollat, sed *Ibid.* III, 19. in mansuetudine faciat unusquisque opera sua. Nec de donis naturæ aut fortunæ, nec de charisma- B tibus gratiæ vana gloria oriatur in religioso. *I Cor.* IV, 7. Nempe si hæc omnia accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

De hoc pestifero vitio Climacus ait : Vana gloria est naturæ immutatio, morum perversio, laborum dispersio, sudorum perditio, thesauri proditio, infidelitatis proles, superbiæ præcursatrix. Vana gloria undique insidiatur. Verbi gratia : jejunans, vane glorior, et resolvens jejunium ita ut lateat, iterum quasi prudens vane glorior; præclare vestitus vincor ab ea, vilia in- C duens rursus glorior; vane loquens vincor, et tacens ei succumbo. Quocumque projeceris tribulum istum, stat aculeo erecto. Adulator dæmonum est minister, superbiæ manuductor, compunctionis dispersor. Magnum est ab anima laudem hominum amovere; majus vero est dæmonum laudem avertere. Humilitatem vero ostendit, non qui se ipsum vere vilificat (quomodo enim non se ipsum supportabit?), sed ab alio improperatus, et caritatem in ipsum non diminuens. Non susci- D pias vanæ gloriæ dæmonem, quum tibi fratrum ducatum aut magisterium subimmittit : labor enim est canem hunc a macelli mensa repellere. Vana gloria interdum in psalmodia negligentes fecit viriliter stantes; et male vociferatos, bene cantantes; somnolentosque, vigiles. Non obedias exterminatori qui tibi quasi sub specie utilitatis audientium suggerit tuas propalare virtutes. *Luc.* IX, 25. Quid enim proficit homo, si totum mundum lucretur, se ipsum vero damnificet? Nihil ita ut humiles mo-

res et verbum non fictum ædificare potest videntes.

Denique recitavit unus contemplantium: Sedente me in congregatione, venit ad me dæmon vanæ gloriæ et dæmon superbiæ. Et unus ex uno latere digito suo me pungens, hortabatur me dicere quamdam theoriam seu contemplationem ac operationem quam habui in deserto. Cui quum *Ps. xxxiv, 4; xxxix, 15.* respondissem, Convertantur retrorsum et confundantur qui cogitant mihi mala, alter dæmon celeriter ex altero latere dixit : Euge, euge, bene fecisti vanam gloriam vincens. Cui dixi quod subditur in Psal- *Ps. lxix, 4.* mo : Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Denique laudes exaltant et inflant. Anima vero exaltata, assumit eam spiritus superbiæ et effert usque ad cœlos, et subtus defert usque ad abyssos. Non ergo per laudes et adulationes præbeamus proximis gloriæ vanæ venenum, neque per talia quæramus eis placere, favores aut commoda consequi. Denique qui aliquem in sua præsentia laudat, aut putat eum veraciter esse virtuosum, aut adhuc imperfectum, vel vanæ laudis amatorem. Si putat eum sinceriter virtuosum, ergo scit aut scire debet, quod ille ex laudibus talibus magis affligitur et gravatur, nec propter eas laudanti magis afficitur. Si autem æstimat eum adhuc imperfectum, dat ei vanæ gloriæ occasionem. Si vero arbitratur eum laudum inanium amatorem, injustissime laudat eum ut virtuosum, et laqueum mortis præbet eidem. Nempe ut ait Bernardus, vana gloria est sagitta leviter volans, leviter penetrans, sed non leve vulnus infligens; imo cito occidit. Hinc recte hortatur Isidorus : Quisquis ex deteriore jam melior esse cœperit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. Et tamen, proh dolor! casus hic accidit multis, quum dicat Chrysostomus : Qui omnium pecuniarum habuerunt contemptum, et nulli imaginationi totius mundi se miscuerunt, atque tyrannicas corporum concupiscentias vicerunt viriliter, hi multoties a vana gloria capti, omnia perdiderunt. De hac materia copiosissime scribit Cassianus : ex cujus sententiis infra de his, Deo sic ordinante, dicetur. Ad laudem et gloriam Dei.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

GAUDETE IN DOMINO SEMPER, ETC. Philipp. IV, 4-7.

RATIONABILITER ista epistola in quarta Adventus dominica, nativitati Christi jam proxima, legitur, quia in ea de Christi propinquitate tractatur, dicente Apostolo : Dominus prope est.

Itaque ad spiritualem jucunditatem nos hortans Apostolus : *Gaudete* (inquit) *in Domino semper; iterum dico, gaudete.* In Domino gaudere, est in virtutum operibus secundum Deum lætari. Sed advertendum, quod dupliciter gaudere potest homo in Deo. Uno modo, sicut in proprio et immediato objecto. Et ita per actus theologicarum virtutum gaudemus in Deo, credendo in eum, sperando in eo, diligendoque eum ; similiter per donum sapientiæ in Deo gaudemus, in divinorum contemplatione lætando. Deinde per actus latriæ gaudemus in Deo, ipsum videlicet orando, laudando et adorando, et ipsi salutare sacrificium offerendo. Sic in Deo gavisus
Habac. III, 18. est Habacuc, dicens : Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu
Is. LXI, 10. meo ; et Isaias : Gaudens (ait) gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.

Alio modo gaudet homo in Deo tanquam in fine et mediato objecto. Et ita quicumque ordinate ac laudabiliter gaudet, in quacumque gaudet creatura, seu in cujuscumque actu virtutis, gaudet in Domino : ut si quis gaudeat ordinem universi considerando, aut gloriosam Virginem contemplando, aut eleemosynas tribuendo, aut concupiscentias refrenando. Non enim in rebus creatis ordinate ac virtuose quis gaudet, nisi referendo eas ad Creatorem, hoc est ad honorem, laudem seu gloriam ejus, in quantum earum notitia, amor, usus sive possessio manuducit ac proficit nobis ad Deum, ad contemplationem et amorem ipsius, ad serviendum complacendumque ei, ad beatificam adeptionem fruitionemque ejus ; et item in quantum Creatoris perfectio repræsentatur atque relucet in suis effectibus, et per hoc Creator honorabilis comprobatur ac honoratur ex effectibus suis. Propter quod in libro Isaiæ
dicitur : Levate oculos vestros in excel- *Is.* XL, 26.
sum, et videte quis creavit hæc. Et in Ecclesiaste scriptum est : Fecit Deus opera *Eccle.* III, 14.
sua ut timeatur. Unde per Jeremiam Dominus loquitur : Audi, popule stulte, qui *Jer.* V, 21, 22.
non habes cor : me non timebitis qui posui arenam terminum mari ? Hinc in Ecclesiastico fertur : Benedicite Dominum in *Eccli.* XXXIX, 19.
operibus suis. De hac materia in sermone sequente plus scribam.

« Iterum dico, gaudete », id est, primo gaudete in mente, deinde ex plenitudine interioris lætitiæ redundantia gaudii fiat appareatque in corpore, præsertim in vultu, juxta illud Judith : Erat populus jucun- *Judith.* XVI, 24.
dus secundum faciem sanctorum ; atque in Psalmo : Cor meum et caro mea exsulta- *Ps.* LXXXIII, 3.
verunt in Deum vivum. Interior quippe lætitia resultat et per signa quædam redundat et apparet in corpore. Propter quod

Malach. iv, 2. per Malachiam electis promittitur : Egrediemini, et salietis quasi vituli de armento.

Modestia vestra, id est moderamen vestrum in verbis et factis, compositio gestuum, claritas morum, *nota sit omnibus hominibus,* id est, talis ac tanta sit, ut omnibus innotescat : quatenus omnes ædificentur in vobis, et Deus in suis honoretur
II Cor. ii, 14, 15. ministris, sicque sitis bonus odor Christi in omni loco. Hoc est quod apud Matthæ-
Matth. v, 16. um ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. Hinc beatissimus Petrus in pri-
I Petr. ii, 12. ma sua hortatur Canonica : Conversationem vestram inter gentes habete bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vestris vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

Dominus prope est; id est, paratus est ad succurrendum, ad exaudiendum, ad consolandum, ad præmiandum. Ait enim
Ps. cxliv, 18. Psalmista : Prope est Dominus omnibus in-
Ps. xxxiii, 19. vocantibus eum ; et item, Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Hinc per
Jacob. v, 7-9. Jacobum admonemur : Patientes estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit; ecce judex ante januam
Prov. viii, 31. adsistit. Denique deliciæ Dei sunt esse cum filiis hominum, omnesque ad sui gratiosam susceptionem multipliciter excitat.
Apoc. iii, 20. Propter quod protestatur : Ego sto ante ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi januam, intrabo, et cœnabo cum eo.

Nihil solliciti sitis, id est, immoderatam sollicitudinem pro temporalibus rebus non habeatis, quum Dominus prope sit, qui est vester provisor ac gubernator. Hinc prin-
I Petr. v, 7. ceps Apostolorum admonuit : Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Christus
Matth. vi, 33. quoque edocuit : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia, scilicet temporalia victui necessaria, adjicien-
Ibid. 34. tur vobis. Et iterum dixit : Nolite solliciti esse in crastinum. Verumtamen moderata temporalium sollicitudo atque provisio non reprobatur, imo commendatur, quum et Tito scribens Apostolus, dicat : Zenam Tit. iii, 13.
legisperitum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. Et ipse Apostolus la- Act. xx, 34.
bore manuum suarum sibi necessaria procuravit. Immoderata autem sollicitudo ad diffidentiam pertinet, dum homo pro temporalibus tam anxie occupatur, quasi Deus vitæ humanæ curam ac providentiam non haberet. De qua Salomon ait : Exspectatio Prov. xi, 7.
sollicitorum peribit. Hæc sollicitudo pravissima, quæ in avaris et ambitiosis potissimum regnat, pacem pectoris spiritualeque gaudium et omnem spiritualem profectum impedit vehementer.

Et mirum quod homines taliter excæcantur, quod quamvis de temporalibus jam satis habeant, et de necessariis corpori mox morituro abundanter provisi sint, de necessariis vero ad salutem, videlicet de gratia et virtutibus, nihil possideant, immortali animæ suæ de spiritualibus donis atque divitiis providere non sint solliciti, sed temporalibus jugiter inhient. Est ergo et alia sollicitudo spiritualis ac bona, quæ est diligentia animi ad cavendum peccata, ad acquirendum gratiæ incrementa, ad evadendum pericula animæ. Quam sollicitudinem valde laudat Scriptura, juxta illud Michææ : Indicabo tibi, homo, quid sit Mich. vi, 8.
bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicite ambulare cum Deo. Et in Deuteronomio dicitur : Custodi te- Deut. iv, 9.
metipsum et animam tuam sollicite. De qua ait Apostolus : Solliciti servare uni- Ephes. iv, 3.
tatem spiritus in vinculo pacis.

Sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Hic ponuntur quatuor partes seu species orationis ; et in epistola prima ad Timotheum additur quinta, quæ postulatio nuncupatur. Qua- I Tim. ii, 1.
rum sic assignatur distinctio. Oratio est simplex deprecatio et de facilioribus impetrandis. Obsecratio est invocatio Dei cum memoratione sacrorum aut divinorum, quo-

rum virtute aut merito aliquid impetrare optamus : sicut quum dicimus, Propter bonitatem tuam, vel, Per passionem tuam, exaudi nos, Domine. Estque obsecratio pro difficilioribus obtinendis, ut est justificatio impii. Porro petitio est invocatio Dei pro bonis gratiæ, quæ ordinantur ad bona gloriæ, vel pro specialibus causis. Postulatio vero est pro bonis gloriæ. Sed frequenter unum horum pro alio ponitur. — Optat ergo, docet admonetque Apostolus, ut petitiones nostræ factæ in omni, id est quacumque, oratione, obsecratione et gratiarum actione, ex tanta caritate, puritate et attentione procedant, quod apud Dominum innotescant, id est, per approbationem noscantur et acceptentur a Deo, atque per exauditionis effectum declaret Deus, quod innotuerint seu complacuerint sibi : quemadmodum secundo Paralipomenon legitur, quod Isaias et Ezechias vociferati sunt usque in cœlum contra regem Assyriorum, pervenitque oratio eorum ad habitaculum sanctum Dei. Et alibi ait Scriptura : Oratio justi penetrat cœlos ; itemque, Oratio humiliantis se nubes penetrabit.

II Par. xxxii, 20 ; xxx, 27.

Eccli. xxxv, 20.

Ibid. 21.

Deinde subjungit Apostolus compendiosissimam et saluberrimam orationem. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* Hoc primo de increata exponitur pace, ut sit sensus : « pax Dei », id est Deus tranquillissimus, imperturbabilis et summe pacificus, qui est æterna increataque pax, « quæ exsuperat omnem sensum », id est, omnem intellectum creatum, angelicum et humanum, infinite transcendit, quia ab ejus plena comprehensione et degustatione deficit infinite ; *custodiat* effective *corda vestra,* id est voluntates vestras, conservando eas in bono et præservando a malo, *et intelligentias vestras,* id est intellectum speculativum ac practicum, seu sapientiam et scientiam eis concessam, ab omni errore et oblivione, *in Christo Jesu* Domino nostro, id est per meritum Christi et secundum doctrinam ipsius, ut dirigantur et vivant prout docuit Christus.

Secundo exponitur de pace creata, quæ est tranquillitas mentis in Deo, « quæ exsuperat omnem sensum », id est intellectum humanum, quantum ad fontalem plenitudinem suam et prout habetur in patria ; « custodiat corda vestra », formaliter, id est, fixa semper in vobis permaneat, omnem vitiosam perturbationem et inquietudinem a vobis excludens, « in Christo Jesu », ut in ipso finaliter perseveretis. — Hinc ergo semper solliciti simus ut imperturbata sint corda nostra ; et quidquid acciderit nobis, pacem pectoris non perdamus, sed in ea radicari ac confirmari conemur. Nec pacem animæ nostræ ponamus in manibus aliorum, ne quum illis placuerit nos commovere aut exercitare vel persequi, protinus conturbemur, tentemur, et pacem pectoris amittamus ; sed tanto firmius pacem in nobis custodiamus, quanto gravius impugnamur.

SERMO PRIMUS

QUOMODO DEBEAMUS SEMPER GAUDERE IN DEO.

GAUDETE *in Domino semper.* Philipp. IV, 4.

In his verbis tria tangit Apostolus : primo, quod debeamus gaudere, quum ait, Gaudete ; secundo, in quo, quum subditur, In Domino ; tertio, quando, dum addit, Semper. Sed quum dicat Salvator, Beati qui lugent ; et Salomon, Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia : mirum videri potest, quod Apostolus nos

Matth. v, 5.

hortatur semper gaudere, et non potius A jugiter flere, præsertim quum simus in valle lacrimarum atque exsilio constituti, Eccle. ix, 1. et ignoremus an amore an odio digni si- Prov. xxviii, 14. mus. Propter quod ait Scriptura, Beatus homo qui semper est pavidus; atque ut asserit Augustinus, in die judicii erunt securi, qui modo non sunt securi. Ergo debemus nunc esse formidolosi magis quam Ps. ii, 11. gaudiosi. Et ob id ait Propheta : Servite Domino in timore. In Baruch quoque ha- Baruch ii, 18. betur : Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, B dat gloriam tibi Domino. Sed ad hæc omnia respondendum, quod semper gaudere debemus, id est omni tempore opportuno, vel semper actu aut habitu : juxta quem Luc. xviii, 1. sensum loquitur Christus, Oportet semper orare et non deficere. Nam ut Salomon Eccle. iii, 4. contestatur, est tempus ridendi et tempus flendi. Denique gaudium vitæ præsentis non est continuum neque purum : ideo non excludit bonam tristitiam. Imo secundum Gregorium, justi et virtuosi in vita hac gaudio suo semper timorem permi- C scent, et sua aut aliorum mala deplorant.

Sed quæri potest, cur hortetur Apostolus ut semper in Domino gaudeamus, quum et multoties contristari in Domino debeamus II Cor. vii, 10. illa tristitia quæ, juxta eumdem Apostolum, secundum Deum est et pœnitentiam operatur, sicut dum de peccatis tristamur.

Et respondendum, quod ita hortatur Apostolus propter varias causas. Primo, quia naturale est homini velle gaudere et consolationem appetere ; et sicut homo naturaliter fugit nociva ac tristia, ita D naturaliter inclinatur ac tendit ad convenientia et jucunda. Nec obest quod homines virtuosi et sancti appetunt sæpe tristia et adversa : imo et mortem, quæ omnium terribilium terribilissimum est, cupiunt pati pro fide et Christo. Non enim appetunt talia in quantum sunt tristia et adversa, sed in quantum sunt eis utilia atque salubria ad vitandum peccata, ad proficiendum in gratia, ad obtinendum gaudia sempiterna. Et hac consideratione, quæ in se tristia sunt et adversa, sub ratione convenientis apprehenduntur, seu tanquam vere convenientia reputantur, atque per hoc appetibilia et jucunda redduntur. Ut ergo non nisi ordinate ac laudabiliter gaudeamus, hortatur Apostolus ut semper gaudeamus « in Domino », hoc est secundum voluntatem ipsius et ad ejus honorem. Unde iterum ait, Qui gloriatur, I Cor. i, 31; II Cor. x, 17. in Domino glorietur : quia neque in prosperis, neque in adversis, neque in aliqua creatura gaudendum est nisi in Domino, ut ad ipsum tanquam ad ultimum finem omnia ordinentur, et in rebus creatis lætemur prout nobis utiles vel necessariæ sunt ad fruendum Deo feliciter.

Secunda causa hujus exhortationis Apostoli est, quoniam vita justorum in sæculo isto adversitatibus et tribulationibus plena est, juxta illud in Psalmo : Multæ tribula- Ps. xxxiii, 20. tiones justorum. Et Apostolus dicit : Om- II Tim. iii, 12. nes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Idcirco ne ruant sub onere, et tædio victi succumbant, necessaria eis est consolatio : ideo docet Apostolus ut in Domino gaudeant semper, etiam in adversis, considerando quam multipliciter eis adversa expediant. Propterea in adversis gratias agere debent Deo, qui Apoc. iii, 19. quos amat, arguit et castigat. Unde apostolus Jacobus : Omne (inquit) gaudium exi- Jacob. i, 2. stimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis.

Tertia ratio est, ut affectum gaudendi reformemus in nobis, qui in nobis valde corruptus ac deformatus est. Dedit etenim Deus homini affectum seu appetitum gaudendi, ut in Deo gauderet de omni bono, sive in generali, sive in speciali; de melioribus quoque bonis magis gauderet, et de optimis maxime. Dedit itaque nobis Deus appetitum gaudendi, ut gaudeamus primo et summe in ipso, deinde in spe felicitatis æternæ, in consideratione beneficiorum Dei et in laudibus ejus, atque ut proximis congaudeamus in bonis, in sanctis exercitiis, in actibus virtuosis ac divinis operibus exsultemus ; sicque ad om-

ne obsequium Dei alacres reddamur ac (A) agiles, vana et inutilia, prava et turpia omnia jugiter fastidiendo. Nunc vero per culpam perversus ac corruptus est tam ordinatus gaudendi affectus, et in dissolutionem ac vanitatem mutatus, ita quod miseri homines gaudent de vanis et falsis ac immundissimis et inhonestissimis rebus, de affluentia temporalium rerum, mundanorum bonorum atque carnalium voluptatum, in risu, derisu, ludis, jocis ac fabulis, ac consimilibus : quæ revera summe et ineffabiliter nocent hominibus, (B) et de quibus maxime flendum est et vere dolendum. Unde et homines illuminati ac reformati de talibus dolent ac lugent.

Docet ergo Apostolus ut appetitus gaudendi sit reformatus in nobis, et non nisi in Domino gloriemur, hoc est de his quæ complacent Deo, et nobis expediunt ad obtinendum veram salutem ; ea vero quæ displicent Deo, et ejus honori ac nostræ adversantur saluti, abominemur, deploremus, ac jugiter fugiamus. Hinc in Proverbiis habetur : Usquequo stulti quæ sibi (C) nociva sunt cupient? *Prov.* I, 22. Et ecce quanta est miseria atque fatuitas impiorum, qui de animæ suæ vulneribus, id est peccatis, non dolent, qui in his quæ sibi æternæ damnationis causa sunt gloriantur : qui instar porcorum plus gaudent in cœno quam in fonte sereno, id est, in rebus vanis, vitiosis ac turpibus, quam in salutaribus, spiritualibus et divinis; et tanquam jumenta vilissima, in suis stercoribus, id est vitiorum sordibus, computrescunt. *Joel* I, 17.

Gaudeamus ergo in Domino. Gaudium (D) namque est diffusio animi in conceptu unioneque boni, et oritur ex conjunctione potentiæ cum objecto conveniente : sicut dum gustus sumit et percipit delicata cibaria pretiosaque pocula, delectatur; similiter auditus symphoniam percipiendo, et visus pulchra inspiciendo. Quum ergo Deus gloriosus et benedictus, sit ens vere et infinite perfectum, in quo est pulchritudo immensa, suavitas sine mensura, opulentia, omnipotentia, beatitudo, sapientia, omnisque nobilitas penitus sine fine; hinc in ipso est summe gaudendum, atque in contemplatione et dilectione ipsius gaudium maximum saluberrimumque consistit. Quilibet igitur Christianus frequenter considerare debet quam gloriosus et felix, quam dives, omnipotens, sapiens, quam bonus, dulcis, amabilis et perfectus sit Dominus Deus : et hæc cogitando, debet divino succendi amore, atque in Deo cordialiter delectari, ejusque infinitæ beatitudini, incomparabili excellentiæ, majestati et perfectioni immensæ mentaliter congaudere. Nam qui hominem aliquem cordialiter diligit, quanto melius illi succedit, tanto plus congratulatur eidem. Si ergo Deum vere super omnia toto corde (prout tenemur) amamus, præfato modo ei congratulari debemus.

Porro de bonis nobis a Deo collatis, sive sint bona exteriora, sive interiora, ut de terrenis divitiis, de multitudine propinquorum, de nobilitate, pulchritudine, eloquentia, ingenio, fortitudine, sapientia, fama, ac ceteris donis, non inaniter gaudere debemus in nobismetipsis, seu per reflexionem ad nos ipsos, id est ad propriam laudem, utilitatem sive honorem, neque extolli de eis; sed de talibus gaudere debemus in Deo, et ei regratiari quod præstiterit ea nobis, rogareque Dominum ut præstet gratiam nobis qua donis et beneficiis ejus ad laudem gloriamque ipsius bene et fructuose utamur. Ideo namque dixit Apostolus : Quid habes quod non ac- *I Cor.* IV, 7. cepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et per Jeremiam Dominus loquitur : Non glorietur sapiens *Jer.* IX, 23, in sapientia sua, et non glorietur fortis in 24. fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me. Insuper hoc modo, et non aliter, gloriari debemus in cibo, potu, vestitu et somno, videlicet prout expediunt nobis ad serviendum Domino Deo.

Consideremus ergo pericula æternæ damnationis quibus expositi sumus, laqueos

tentationis quibus circumdamur, peccata A quibus involvimur, et nequaquam inaniter gloriemur. Imo in adversis ac prosperis delectemur in Domino. Sic enim sancti Apostoli gloriabantur in Deo, quando post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem, a principibus sacerdotum capti et atrociter flagellati sunt, eo quod fidem Christi constantissime prædicabant. *Act.* v, 41. Quumque flagellati fuissent, recesserunt cum gaudio, eo quod digni habiti sunt pro nomine Jesu Christi contumeliam pati, ut scribitur in Actibus. Legitur quoque de B beatissimis martyribus Epicteto presbytero et ejus discipulo Astione monacho, quod quum præses nomine Latronianus, vinctos posuisset in carcere, tota nocte Deum cum gaudio maximo collaudabant. Quumque in die sequenti præsidi præsentarentur, in tantum splendebant vultus eorum, quod judex ille visis eis, vehementer expavit, et præ timore dissolutus, per unam horam loqui non potuit. Qui quum postea Sanctis illis immanissima inferret tormenta, non cessabant in tantis suppliciis Deum laudare cum gaudio.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ANNO QUINTODECIMO TIBERII CÆSARIS, ETC. Luc. III, 1-6.

A*NNO quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris.* In evangelio isto Lucas diligenter describit tempus quo prædicare in- C cepit Joannes Baptista; et principaliter in isto evangelio docemur qualiter ad Christi susceptionem ac gratiosam inhabitationem nos disponere debeamus, atque ad humilitatem jugiter amplectendam instruimur.

Ait ergo Evangelista: « Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris »; qui Tiberius Cæsar et imperator successit in imperio Octaviano Augusto, cujus filiam habuit in uxorem. Octavianus autem annis quinquaginta septem imperavit, et quadragesimo secundo sui imperii anno nati sunt Chri- D stus et ejus præcursor Joannes : sicque quindecim annis sub Octaviano vixerunt in sæculo isto, ita quod quintusdecimus annus imperii Tiberii fuit tricesimus annus ætatis Christi ac Præcursoris : quo anno contigerunt quæ in isto evangelio de Joanne scribuntur.

Procurante, id est, per modum procuratoris et præsidis regente, *Pontio Pilato Judæam.* Dicunt aliqui, quod Pontius fuit proprium nomen ejus, et Pilatus agnomen. Alii probabilius asserunt, quod proprium nomen ejus fuit, Pilatus; Pontius vero vocatus sit a Pontia insula, in qua stetit. Qui Pilatus, secundum Bedam, duodecimo anno imperii Tiberii ab eodem ad regendam Judæam transmissus est. Judæa quoque hic sumitur, non pro toto regno Judææ, sed pro parte ejus, ut statim dicetur. *Tetrarcha autem Galilææ* exsistente *Herode* Antipa : qui decollavit Joannem, et Christum in passione derisit. Porro tetrarchia vocatur quarta pars regni, a *tetra,* quod est quatuor, et *archos,* princeps : unde tetrarcha appellatur princeps quartæ partis regni. *Philippo autem fratre ejus* exsistente *tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis :* quæ duæ provinciæ reputabantur quarta pars totius regni Judææ, cui præfuit pater istorum fratrum, videlicet Herodes Ascalonita. Iste Philippus fuit, cujus uxorem nomine Herodiadem abstulit ei frater suus Herodes Antipas. *Et Lysania* exsistente *Abilinæ,* id est provinciæ sic vocatæ, *tetrarcha.* Lysanias iste, secundum Bedam, fuit filius Herodis Ascalonitæ. Josephus autem affirmat, quod fuit

nepos ipsius, utpote filius Ptolemæi cujusdam ex Alexandria Herodis Ascalonitæ sorore : quod verius creditur. A

Pro intelligentia hujus loci sciendum, quod Herodes Ascalonita sex habuit filios, quorum tres, scilicet Antipatrum, Alexandrum et Aristobulum, ipse adhuc vivens occidit; ipsoque mortuo, tres reliqui filii ejus, videlicet Archelaus, Herodes Antipas et Philippus, contendebant inter se coram imperatore Octaviano de regno patris habendo. Tandem Octavianus de senatorum consilio, totum regnum Herodis Ascalonitæ divisit in quatuor partes : quarum duas B contulit Archelao, puta Judæam, id est partem unam terræ illius a Galilæa Samariaque distinctam, et Abilinam; tertiam regni partem, videlicet Ituræam et Trachonitidem regionem, dedit Philippo; quartam, scilicet Galilæam, Herodi. Archelaus demum decimo sui dominii anno apud imperatorem de nimia crudelitate accusatus, a principatu depositus est, et in exsilium relegatus; atque ex tunc una pars principatus sui, hoc est Judæa, cœpit per C procuratores et officiales Romanorum administrari, quorum quintus in ordine legitur fuisse Pilatus.

Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha : non quod hi duo simul pontifices fuerint; sed anno quo Joannes prædicare incepit, pontifex fuit Annas, anno autem quo passus est Christus, Caiphas pontifex fuit. Et inter hos duos intermedio tempore, alii tres sibi invicem succedentes fuisse leguntur pontifices. Tunc quippe, ut Josephus refert, sub imperio Romanorum, D pontificium Judæorum fuit irreverenter venale, ita quod præcepto legis de successione pontificum per vim et ambitionem cessante, honor pontificatus nemini vitæ aut generis merito præstabatur. Sed Evangelista hos duos modo connumerat, quia ad Christi persecutionem ac passionem præ ceteris pertinent. Et sæpius sibi in pontificatu successisse leguntur, et affinitate conjuncti fuerunt : propter quod sibi mutuo in regimine adstiterunt.

Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto.

Ecce quam solenniter describit Evangelista tempus quo facta est Præcursori revelatio ac jussio ut exiret de abditis eremi ad prædicandum ac baptizandum. Et cur hoc? nisi propter reverentiam et magnificentiam Christi, cujus annuntiator exstitit et præcursor. Denique, juxta Origenem, in libris Prophetarum, ubi narratur tempus prophetalium revelationum, Judæorum dumtaxat describitur regnum, quia sermones Prophetarum communiter non fiebant nisi ad Judæos. Jonas tamen ad Ninivitas missus est; et Daniel Nabuchodonosor regi Babylonis multa prophetice reseravit; et Jeremias nuntiis regum gentilium quædam prophetice scribitur nuntiasse : sed talia raro fiebant. In descriptione autem evangelicæ revelationis ac prædicationis per Joannem inceptæ, quæ toti mundo fuerat nuntianda, Romani principis toti orbi dominantis imperium describitur. Verumtamen quoniam et Judæis fuerat Evangelium prædicandum, describuntur tetrarchiæ ipsorum : imo, quoniam Christus quem prædicaturus fuit Joannes, rex et pontifex fuit, tempus prædicationis Joannis rite per regnum atque pontifices est descriptum.

Jonæ i, 2. Dan. ii, 27-45; iv, 16-24. Jer. xxvii, 3 et seq.

Itaque, « factum est verbum Domini super Joannem », id est, divina jussio desuper facta est Joanni, sive per solam inspirationem internam, angelicam vel divinam, sive per exteriorem angelicam apparitionem et allocutionem, sive per imaginariam visionem. Non enim determinat Evangelista quomodo factum sit verbum istud super Joannem, nec exprimit an in vigilia vel in somno. Tales tamen revelationes et jussiones seu allocutiones ministerio angelorum fieri solent, ut divinus Dionysius docet. Nec dubium quin ante hoc tempus divinæ illuminationes, propheticæ revelationes, supernæ allocutiones, frequenter sint factæ beatissimo Præcursori : super quem etiam materno clausum in utero, factum est verbum Domini, ita quod Deo illumi-

De cœl. hier. c. iv.

nante, usu rationis miraculose suscepto, Christi cognovit præsentiam. Sed nunc primo facta est ei jussio exeundi in publicum ad prædicandum ac baptizandum.

Et venit in omnem regionem Jordanis, hoc est ad loca Jordani propinqua. Nam quia ad baptizandum egressus est eremum, loca aquis vicina accessit.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Hoc dupliciter explanatur. Primo, de Baptismo Christi, ut sit sensus : « prædicans », id est, de proximo futurum ac dandum prænuntians suscipiendumque hortans « Baptismum » Christi, quem per suos Apostolos atque discipulos tribuit. Non enim personaliter baptizavit, sed eo jubente discipuli ejus, ut in Joannis evangelio habetur. (*Joann.* IV, 2.) Dicitur quoque Christi Baptismus, quia instituit eum, et merito ejus efficaciam habet, gratiamque largitur, quemadmodum cetera legis evangelicæ sacramenta. Joannes igitur populo prædicavit instare Christi Baptismum, cujus suus baptismus fuit figura. Denique Baptismus Christi, baptismus « pœnitentiæ » appellatur, quia adultis non prodest nisi pœniteant, nec dandus est eis nisi pœnitere credantur. Ideo in Actibus princeps Apostolorum ait Judæis : (*Act.* II, 38.) Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. Si autem objiciatur quod ait Ambrosius, Gratia baptismalis non requirit gemitum, neque planctum ; respondetur, quod vel de infantibus loquitur, vel de pœnitentia exteriori, quæ dicitur punitio mali aut satisfactio pro peccato, non de pœnitentia interiori, quæ est displicentia seu detestatio culpæ. Hunc ergo Baptismum prædicavit Joannes « in remissionem peccatorum », docendo ac contestando quod Christi Baptismus peccata auferret, gratiamque conferret, juxta illud Matthæi : (*Matth.* III, 11.) Ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto.

Secundo, exponitur de baptismo Joannis, id est de baptismo quem dedit homines lavando : quem utique baptismum prædicavit, quia ad ejus susceptionem admonuit plebem. Qui etiam baptismus pœnitentiæ dicitur, quia quos baptizavit ad pœnitentiam hortabatur; et qui illud accipiebant baptisma, sua confitebantur peccata, ut in Marco habetur. (*Marc.* I, 5.) Quod non est intelligendum de sacramentali confessione, quam Christus primo instituit ; sed peccatores et reos se esse confitebantur, et aliqua forsan peccata specialiter exprimebant, sicque se pœnitere monstrabant. Insuper ob hoc baptizavit Joannes, ut suum baptismum suscipientes, per illam lotionem in aqua, ad veram et cordialem contritionem ac humiliationem provocarentur, atque per hoc ad susceptionem Baptismatis Christi et gratiæ ejus disponerentur. Sic quoque baptismus Joannis fuit in remissionem peccatorum, non causaliter et directe, sed occasionaliter ac dispositive, quia per modum prætactum baptismus Joannis aptavit præparavitque homines ad Christi Baptismum.

Primo modo exponit Gregorius, dicens : Baptisma quod peccata solveret, quia dare non potuit, prædicavit : ut sicut incarnatum Patris Verbum præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solvi non possunt.

Deinceps veritas doctrinæ Joannis prophetico testimonio comprobatur. *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ,* hoc est, sicut Isaias de Joanne prædixit. (*Is.* XL, 3-5.) Qui sacratissimus Isaias merito flos Prophetarum vocatur, atque tam luculenter ac plene Christi et Ecclesiæ prænuntiavit mysteria, ut non propheta dumtaxat, sed et evangelista dicendus sit, secundum Hieronymum. Cujus librum Lucas recte appellat librum sermonum, propter sententiositatem et eloquentiam ejus, ob magnitudinem quoque voluminis, quod numero capitulorum alios excedit libros propheticos. Deinde verbum Isaiæ subjungitur :

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. De hujus verbi expositione in præcedentis elu-

cidatione evangelii dicta sunt multa. Porro A per vocem intelligi potest prædicatio seu doctrina Joannis, et etiam ipse Joannes. Primo igitur sensus est: « Vox », id est prædicatio, Joannis « clamantis in deserto », est ista quæ subditur: « Parate viam Domini ». Secundo sensus est, quod ipse Joannes fuit vox clamantis, id est Christi seu Spiritus Sancti per ipsum prædicantis. Semitas autem Dei rectas facere, est divina præcepta atque consilia irreprehensibiliter adimplere.

Cur vero Joannes vox Christi vocetur, B plures rationes inductæ sunt. Quibus nunc addi potest, quod sicut vox sonat ac transit, et verbum in audientium corde relinquit; ita Joannes prædicando sonuit, et per martyrium hinc transiens, ad patres in limbum descendit, atque per hoc Christum in credentium cordibus dereliquit. Verumtamen, sicut verbum mentale prius est voce in loquente, sic Christus secundum quod est Verbum Patris æterni, prior fuit et est Joanne.

Itaque viæ Domini ex parte nostri, id C est per quas venit atque inhabitat nos, sunt abjectio vitiorum, observantia præceptorum, adimpletio consiliorum, præparatio sui ipsius ad gratiam. Et quoniam viæ dicuntur proprie communia et aperta itinera; semitæ vero, itinera secretiora et compendiosiora: merito per vias intelliguntur observantiæ præceptorum; per semitas, impletiones consiliorum, quæ magis directe ac compendiose ducunt ad Deum, juxta quod per Salomonem loquitur Spiritus Sanctus, Ducam te per semitas æqui- D tatis, et currens non habebis offendiculum. (*Prov.* IV, 11, 12.) Viæ autem Dei ex parte ipsius per quas venit ad nos, sunt misericordia et justitia ejus, juxta illud in Psalmo, Universæ viæ Domini misericordia et veritas; (*Ps.* XXIV, 10.) item caritas, dignatio et liberalitas ejus, quæ ad misericordiam reducuntur.

At vero omnia in lectione evangelica ista sequentia, verba sunt Isaiæ prophetæ, quæ etiam prædicavit Joannes.

Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Istud obtenebrati et indurati Judæi putant corporaliter in primo Messiæ adventu implendum, dicentes quod tunc tota complanabitur terra: cujus tamen oppositum etiam Rabbi Moyses docet. Verumtamen si ista ad secundum Christi referantur adventum, corporaliter implebuntur, quia ut dictum est, peracto judicio, mox complanabitur terra. Spiritualiter ergo exponenda sunt ista, quando ad primum Christi adventum trahuntur, ut sit sensus: « Omnis vallis implebitur », hoc est, corda humilia donis gratiæ replebuntur, quia humilitas ad omnem gratiam præparat hominem, sicut superbia ad omne peccatum: unde super quietum et humilem spiritus Domini requiescit. (*Is.* LXVI, 2, juxta LXX.) « Et omnis mons et collis humiliabitur », id est, superbi, tam superiores quam inferiores, a Deo relinquentur, despicientur et damnabuntur, sicut ait Salvator: Omnis qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur. (*Luc.* XVIII, 14.) Quemadmodum enim stillicidia aquæ in cacuminibus montium non quiescunt, sed inde ad concava vallium defluunt, ibique colliguntur et remanent tanto copiosius atque diutius, quanto valles fuerint profundiores; sic dona gratiæ in superborum corde non quiescunt nec manent, sed in humilium mentibus colliguntur tanto exuberantius ac diuturnius, quo humiliores exstiterint. Ideo scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. (*Jacob.* IV, 6.) Job quoque ait: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. (*Job* XXII, 29.) *Et erunt prava in directa,* hoc est, corda vitiosa, obliqua, injusta, per gratiam fient justa et virtuosa; *et aspera erunt in vias planas,* hoc est, corda dura, crudelia, tortuosa, Deo miserante, fient mansueta, docilia, pia, ita quod verbum Dei in his cordibus prompte recipietur, ac fructificabit.

Hoc totum fuit partim impletum in his quos Joannes ex Judæis convertit, deinde Christus et ejus discipuli; et postmodum per orbem universum copiose est in millibus conversorum gentilium per Christi apostolos adimpletum.

Et videbit omnis caro, hoc est omnis homo, sumendo partem pro toto (sicut illud : Verbum caro factum est), *salutare Dei* nostri, id est Christum mundi salvatorem. Qui dicitur « salutare Dei », quia per eum ut hominem factum et passum, hoc est per ejus passionem, Deus Trinitas salvavit genus humanum, prout ait Apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. De quo salutari justus Simeon dixit : Viderunt oculi mei salutare tuum. Christum autem in primo suo adventu in mundo corporaliter conversantem viderunt corporali intuitu omnes homines, id est aliqui de singulis generibus hominum, quia et multi gentiles eum sic viderunt, præsertim in die Palmarum, quando dixerunt Judæi : Ecce totus mundus abiit post eum. Deinde post Christi passionem et resurrectionem, discipulis ejus undique evangelizantibus, innumerabilia hominum millia viderunt oculo spirituali, id est per fidem et contemplationem, Dominum Jesum Christum, quemadmodum Isaias prædixit : Quibus non est annuntiatum per Prophetas veteris Testamenti, viderunt; et qui non audierunt, contemplati sunt. Et Psalmista : Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Et juxta hos sensus, distributio ista, « videbit omnis caro », accipitur pro generibus singulorum. Si vero sumatur pro singulis generum, tunc in secundo Christi adventu implebitur, quando electi et reprobi visuri sunt eum in majestate et solio sui judicii : juxta quod in Apocalypsi habetur, Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus. Sicque exponunt Gregorius et Beda eum secutus.

(Joann. I, 14. — II Cor. V, 19. — Luc. II, 30. — Joann. XII, 19. — Is. LII, 15. — Ps. XCVII, 3. — Apoc. I, 7.)

A B C

Postremo, quod dicitur hic, Videbit omnis caro salutare Dei, Hieronymus transtulit : Et revelabitur gloria Domini. Gloria etenim Dei est Filius Patris æterni, quum scriptum sit : Filius sapiens gloria patris. Revelatus est ergo Filius Dei, quia per Apostolorum prædicationem atque miracula, imo potius per illuminationem Spiritus Sancti, mundo toti innotuit, dicente Propheta : Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

(Prov. X, 1. — Ps. XCVII, 2.)

SERMO SECUNDUS

DE HUMILITATE.

QUANTO *magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam* Deus *ab humilibus honoratur.* Eccli. III, 20, 21.

In hoc verbo tria tanguntur. Primum est exhortatio ad humiliationem generalem atque perfectam, quum dicitur : Humilia te in omnibus. Secundum est fructus humiliationis, dum subditur : Et coram Deo invenies gratiam. Tertium est causa hujus exhortationis et fructus istius, quum subinfertur : Quoniam Deus ab humilibus honoratur.

Circa primum est intuendum, quod in tota scriptura divina veteris novique Testamenti, tam verbis quam factis Sanctorum præcipue atque sæpissime docemur, admonemur ac jubemur, humiles esse, humilitatem diligere, conservare et demonstrare. Et hoc ideo, quia humilitas est homini summe necessaria. Primo, quoniam ipsa est virtutum omnium fundamentum, in quo tota conversatio spiritualis ac bona fundanda est. Ideo teste Gregorio, qui sine humilitate virtutes colligere nititur, homini pulveres in vento portanti assimilatur. Qui enim pulveres portat in vento, non solum eos amittit, sed etiam in

D

ejus oculos disperguntur, ac læditur ab A eisdem, visusque ejus debilitatur ac impeditur. Sic qui sine humilitate aliqua bona ex genere agit, non solum nil salutis aut gloriæ promeretur, sed inaniter glorians seu hominum laudes affectans, intus plus exsiccatur ac læditur. Hinc Christus primam beatitudinem in humilitate constituit : Beati (inquiens) pauperes spiritu, id est humiles, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* v, 3.

Secundo, humilitas est homini maxime utilis ac necessaria, quia directe expellit B illud peccatum quod est omnium vitiorum origo et caput, ac totius damnationis principium, puta superbiam. De qua virtuosus et pius ille Tobias præcepit filio suo : Superbiam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permittas ; in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio. *Tob.* IV, 14. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta impii, ignis et vermis. *Eccli.* VII, 19. Hinc humilitas non solum est omnium virtutum fundamentum, sed etiam custos. Superbia namque non solum C in vitiis, sed et in virtuosis actibus, homini graviter insidiatur. Imo vana gloria et superbia devotos frequenter ac graviter tentant, etiam illos qui ceteris devotiores ac ferventiores exsistunt : ut scilicet de bonis suis operibus intra se fatue glorientur, aut suum profectum non Deo tantum, sed et propriis viribus tribuant, aut ceteris meliores se reputent, aut alios spernant, aut humanam famam, laudem honorationemve cupiant. Sed contra universa hæc pessima superbiæ jacula, humilitas munit ac D protegit hominem. Ideo ait Propheta : Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Ab ipso enim salutare meum, id est tota salus mea, profectus et gratia. *Ps.* LXI, 2.

Tertio, humilitas est homini primo et maxime utilis ac necessaria, quia disponit hominem ad omnem spiritualem profectum ac gratiam : quia per humilitatem homo directe se subjicit et supponit Deo fonti altissimo. Ideo sicut valles sub fontibus positæ, tanto abundantioribus rivis aquarum replentur, quo directius fontibus subjacent, profundioresque fuerint ; sic hominum corda quanto per majorem ac profundiorem humilitatem se Deo subdiderint, tanto copiosiori virtute, perfectione, ac gratia Spiritus Sancti replentur. Hinc gloriosissimus princeps Apostolorum exhortatur : Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. *I Petr.* V, 6.

Quarto, quia per humilitatem meretur homo in omni tentatione custodiri ac præservari a Deo. Humilis namque de propriis viribus ac meritis non præsumit, sed totaliter Deo se subjicit, et sub alis suæ protectionis confidit, sicut orat Psalmista : Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt. *Ps.* XVI, 8, 9. Hinc sanctus David, quamvis potentissimus rex esset, et omni virtute repletus, tamen profundissima humilitate subjecit se Deo. Increpatus quippe a superba uxore quod ante arcam Dei saltavit (quod ipse ex plenitudine devotionis ac spiritualis lætitiæ fecit), respondit : Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. *II Reg.* VI, 22. Unde quum S. Antonius vidisset omnes dæmonum laqueos super terram expansos, per quos diversa diaboli tentamenta designabantur, exclamavit ad Deum : Quis evadet omnes hos laqueos ? Et audivit vocem de cœlo dicentem : Sola humilitas.

Quinto, quia sicut per superbiam efficitur homo odibilis Deo ac proximis, juxta illud Ecclesiastici, Odibilis coram Deo et hominibus est superbia ; *Eccli.* X, 7. ita per humilitatem fit homo valde specialiter Deo proximisque amabilis, in conversatione suavis, in moribus quoque portabilis. Humilis etenim aliis cedit, reverentiam exhibet, mansuete et patienter se habet. Ideo ait Apostolus ad Colossenses : Obsecro vos ut Deo digne ambuletis cum omni humilitate. *Coloss.* I, 10 [illegible]

Sexto, quia per humilitatem merentur homines specialiter exaudiri a Deo. Propter quod ait Propheta : Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies ; *Ps.* L, 19. itemque,

Ps. CI, 18. Respexit in orationem humilium, et non A sprevit precem eorum. Unde in libro Judith habetur : Mansuetorum et humilium tibi, Domine, semper placuit oratio. *Judith* IX, 16.

Nunc ergo, carissimi, si vere optamus in gratia virtutibusque proficere, Deo amabiles esse, tentationibus prævalere, æternaliterque salvari, humilitatem in omnibus amplectamur, et eam in intimis animæ nostræ visceribus profundissime atque firmissime collocemus; omnem superbiæ motum tanquam inanissimum ventum spernamus, vanam gloriam tanquam stolidissimam pu- B erilitatem pellamus; non aliud quam viles ac miseros, imo et contemptibilissimos peccatores, reputemus nos ipsos.

Videmus quod pauperes et mendici dum a divitibus eleemosynam petunt, inopiam suam fatentur, infirmitates et vulnera sua ostendunt, et viliora quæ habent induunt; si autem pretiosum quid habent, occultant. Omnes vero nos, qui in Oratione dominica quotidie dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid aliud sumus nisi mendici Patris cœlestis, C ab eo spiritualiter refici, vestiri atque ditari rogantes? Si ergo ab eo cupimus exaudiri, defectuositates, fragilitates et transgressiones nostras coram ipso humiliter recognoscamus, jugiter attendamus. Si autem boni aliquid inest nobis, hoc relinquamus committamusque Deo judici nostro, neque inaniter id pandamus. Rursus videmus quod domum aut castrum ædificare volentes, quanto altiorem, pulchriorem fortioremque domum construere volunt, tanto profundius atque robustius faciunt fundamentum. Ita et quilibet Christianus quanto præclariorem ac sublimiorem virtutum structuram in anima sua efficere optat, tanto in primis profundiorem, immobiliorem et insuperabiliorem in se humilitatem habere conetur; neque humanis laudibus extollatur, nec vituperiis adversitatibusve frangatur : imo stabilis et immobilis in Domino perseveret, sciens omne bonum Deo attribuendum, se vero propter sua peccata omni confusione et pœna dignissimum.

Postremo, in libro Regum legitur, quod quum Achab rex Israel Deum graviter offendisset, et propter hoc Deus per Eliam prophetam illum acriter increpasset, et digna eidem supplicia comminatus fuisset, Achab rex humiliavit se ipsum, induens se cilicio, demissoque capite ambulavit. Quo facto, dixit Dominus ad Eliam : Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? *III Reg.* XXI, 29. Quia ergo humiliatus est, parcam ei. Ex hoc constat, quantum per humilitatem Deo reconcilietur peccator. Increpati ergo pro nostris peccatis, nos ipsos totaliter humiliemus, et satisfacere studeamus, ne simus servi diaboli, qui ut ait Scriptura, est *Job* XLI, 25. rex super filios superbiæ, sed Christi, qui ait : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* XI, 29.

SERMO TERTIUS

DE HUMILITATE : QUID SIT, ET DE CAUSIS IPSIUS.

D*EUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jacob. IV, 6. D

Hoc verbum tanti est ponderis, ut sacra-
I Petr. V, 5. tissimus princeps Apostolorum in prima sua Canonica, Jacobus quoque apostolus in sua epistola, id inducant. Sed quia humilitas tam summe ac primo necessaria est homini, oportet scire quid sit humilitas, et ex quibus causis procedat, ac quomodo perfecte humiles fieri valeamus.

Itaque, sicut beatus ait Gregorius, humilitas est qua quis parva de se æstimat, et

aliorum bona sine invidia laudat. Sanctus A vero Bernardus : Humilitas (inquit) virtus est qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Porro, secundum Hugonem de S. Victore, humilitas est ex intuitu propriæ conditionis vel Conditoris voluntaria mentis inclinatio. Potest quoque sic definiri : Humilitas est virtus a Deo infusa, qua intellectualis creatura ex consideratione propriæ defectuositatis aut divinæ majestatis, coram Deo affectuose se deprimit, suoque creatori se reverenter ac profunde substernit. Humilitas igitur vera et infusa, B de qua nunc sermo, a solo Deo quantum ad essentiam suam per creationem infunditur, ita quod Deus est causa ipsius effectiva.

Sed nunc pensare oportet, qualiter qui superbus est, ad humilitatem possit pertingere; qualiter etiam in humilitate proficere valeamus ac perfici. Quamvis enim virtus humilitatis a Deo infundatur, potest tamen se homo, imo et debet, ad humilitatis infusionem disponere, atque in ea jam infusa proficere. Et ad hoc primo valet C consideratio propriæ originis. Consideremus ergo quod ex nihilo facti sumus, ita quod quidquid sumus aut habemus, a Deo accepimus : ideo inde nequaquam extolli debemus, sed Deo regratiari et ipsum extollere. Propter quod dixit Apostolus : Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (I Cor. iv, 7.) Ex hac ergo consideratione resiliamus semper in propriam parvitatem, exemplo Prophetæ dicentis : Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. (Ps. xxxviii, 6.) Unde per D Ezechielem prophetam Dominus ad ingratum et superbum regem Ægypti locutus est : Audi, Pharao draco magne, qui dicis, Ego feci me ipsum. (Ezech. xxix, 3.) Tales sunt omnes qui de bonis desuper sibi collatis tam inaniter gloriantur et extolluntur, quasi a se ipsis ea haberent.

Secundo, ad idem valet consideratio propriæ defectuositatis, vilitatis et impuritatis in corpore atque anima. Nonne corpora nostra immunditiis et fœtoribus plena sunt, prout omnia de ipsis egredientia protestantur? Nonne ex vili et turpi materia sumpta sunt, et paulo post in immundissimas putredines resolventur, et innumerabiles vermes nascentur ex eis corrodentque ipsa, juxta illud Ecclesiastici, Quum morietur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes? (Eccli. x, 13.) Ex hac consideratione ait Scriptura : Quid superbit terra et cinis? (Ibid. 9.) Denique quantumcumque quis pulcher videatur ac decens atque amabilis, tamen si superior abstrahatur pellicula, nonne horror erit et nausea quidquid sub pelle latet adspicere? In anima vero sumus multo majoribus pleni defectibus, immunditiis et ærumnis. In ordine namque intellectualium substantiarum locum infimum tenet homo : et ratio ejus valde infirma est, ita quod facillime fallitur, variisque implicatur erroribus; voluntas quoque ad omnia mala est prona, et sensualitas rationi rebellis est; memoria etiam vaga est, obliviosa, instabilis. Et hæc consideratio de naturali hominis defectuositate procedit.

Tertio, ad idem multo plus valet consideratio defectuositatis, vilitatis ac immunditiæ quas homo incurrit ex propria voluntate. Consideremus igitur diligentissima mente, quot et quanta mala commisimus, quot et quanta bona omisimus; quam impudenter et turpiter, quam vitiose et negligenter nos coram Deo habuimus, quantam injuriam et contumeliam irrogavimus Deo altissimo, quantum et quoties magis erubuimus et honoravimus hominum vultum quam supergloriosi Dei præsentiam et adspectum; quot vanas atque inutiles cogitationes, quot impias, perversas et turpes affectiones coram ipso habuimus, quot illicita, falsa, vana et frivola verba protulimus, quam injusta, abominabilia et immunda fuerunt opera nostra; imo quoties adhuc omni die peccamus, et peccatis veteribus nova adjicere non cessamus. Hæc sola consideratio sufficiens et supersufficiens est inducere nos ad immensam et profundissimam humiliationem, ad cordialissimam ac indesinentem nostri asperna-

tionem, ad vehementissimam contritionem, A ad infatigabilem satisfactionem: præsertim si ponderemus quanta sit vilitas enormitasque peccati, quæ tanto est major, quanto majestas ac dignitas Dei exsistit sublimior. Ex hac itaque consideratione vilescamus jugiter nobismetipsis, et in oculis nostris semper viles, viliores, vilissimi simus : quia ut ait Gregorius, tanto fit quisque vilior Deo, quanto est pretiosior sibi ; et tanto fit pretiosior Deo, quanto propter Deum vilior sibi. Contemnamus ergo nos ipsos ; ab aliis quoque contemni nequa- B quam ægre feramus.

Quarto, ad idem valet consideratio imperfectionis défectuositatisque nostræ in donis gratiæ ac virtutum et bonis operibus. Ecce dato quod simus in caritate et gratia, ceterasque habeamus virtutes, tamen quam imperfecta sunt supernaturalia dona ista in nobis, quam longe a vera perfectione distamus, quam pigre et negligenter utimur eis ; quot distractionibus, irreverentiis, phantasiis, simulationibus inordinatisque motibus permixta sunt opera C bona quæ facimus, imo et orationes, meditationes ac laudes quibus Deo vacare videmur. Nonne, sicut Isaias propheta te-
Is. LXIV, 6. statur, quasi pannus menstruatæ sunt universæ justitiæ nostræ ? Imo donis Dei quæ animabus nostris gratiose infudit, tantas negligentias, evagationes, pigritias, defectuositates miscemus, quod de bonis quæ agimus, magis habeamus contristari quia tot mala eis inserimus, quam gloriari quod ea effecimus. Nam et quidquid boni in nobis est, Deo est adscribendum, cui loqui- D
Ibid. XXVI, 12. tur Isaias : Omnia opera nostra operatus
Philipp. II, 13. es in nobis ; itemque Apostolus : Deus est qui operatur in vobis velle et perficere. Cui ergo similes sumus, etiam dum in gratia sumus, nisi homini improbo qui pulchro vasculo balsamo optimo pleno sibi ab aliquo accommodato, viles ac turpes miscet materias, ut stercora et urinas ? Siquidem vascula pretiosa sunt corda nostra, quibus Deus virtutes ac dona Spiritus Sancti, tanquam nobilissimum balsamum, infundere sæpe dignatus est ; et donis illis miscemus quæ nostra sunt, quæ vana sunt, vilia et immunda.

Quinto, ad idem valet consideratio periculositatis et incertitudinis status nostri. Sumus namque in sæculo isto tanquam in gravi exsilio, et innumerabilibus laqueis atque periculis sumus circumdati, imo periculo æternæ damnationis expositi. Ignoramus quoque, ut Salomon ait, an amore *Eccle.* IX, 1.
digni simus, an odio ; et prorsus ignotum est nobis an finaliter simus damnandi. Ambulamus per mundum istum quasi per campum latronibus plenum in quo pauci evadunt, et quasi per mare procellosum in quo innumerabiles pereunt. Unde ergo superbis, o homo? cur tumes? cur erecto collo et contumaci corde incedis? cur stulta securitate te fallis, qui tot peccatis, periculis miseriisque repletus es? Nonne ideo quoniam obtenebratus es corde, et excæcavit te malitia atque stultitia tua ? Nonne periculum tuum est irrecuperabile et immensum ? Merito clamat Psalmista : Fi- *Ps.* IV, 3.
lii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Ad idem valent et aliæ considerationes ; sed ne sermo hic nimium extendatur, alteri sermoni considerationes illæ serventur. Et ex præinductis considerationibus, ad totius superbiæ odium provocemur ; intus coram Deo et foris coram proximis nos humiliter habeamus in verbis, in factis, in vestitu ac moribus, attendentes quod in Ecclesiastico scriptum est, Noli te *Eccli.* X, 29.
extollere in faciendo opere tuo ; et quod denuo ait Scriptura, Non te extollas in co- *Ibid.* VI, 2.
gitatione tua velut taurus.

Denique sancti viri et illuminatissimi Patres humilitatem diligentissime custodierunt, omnem elationem et gloriam vanam integerrime devitantes. Unde tertio libro Vitaspatrum habetur : Audivit aliquando judex provinciæ de abbate Moyse, et perrexit ad eremum ut eum videret. Et nuntiaverunt quidam seni illi abbati de adventu judicis, surrexitque senex ut fu-

geret in paludem. Et obviavit ei judex cum suis, interrogavitque dicens : Dic nobis, senex, ubi est cella abbatis Moysis. Qui ait : Quid vultis eum inquirere? Homo fatuus est et hæreticus. Et rediens judex ad ecclesiam, dixit clericis : Ego audiens de abbate Moyse, veni ut viderem eum. Et ecce occurrit nobis senex pergens in Ægyptum, et interrogavi eum ubi esset cella abbatis Moysis; dixitque nobis : Quid quæritis eum? Fatuus est et hæreticus. Audientes autem clerici, contristati sunt, dicentes : Qualis est senex ille qui de hoc sancto homine locutus est vobis? Dixerunt : Senex vetustissimis vestibus utens, longus et niger. At illi dixerunt : Ipse est abbas Moyses; et quia noluit videri a vobis, ideo de se hæc vobis dixit. Et multum ædificatus judex discessit.

Iterum in eodem legitur libro, quod quodam tempore, redeunte sancto abbate Macario a palude ad cellulam suam, occurrit ei diabolus cum falce messoria, voluitque Macarium falce illa percutere, nec valebat. Et dixit : Multam injuriam patior a te, Macari, nec possum prævalere adversum te. Et tamen quidquid tu facis, facio et ego : jejunas tu, et ego penitus non manduco; vigilas tu, et ego omnino non dormio. Unum solum est in quo me superas. Et dixit abbas Macarius : Quod est illud? Respondit diabolus : Humilitas tua, propter quam non prævaleo adversum te.

Horum ergo sanctissimorum Patrum sequamur vestigia, ut in spiritu humilitatis et in anima contrita suscipi semper mereamur a Domino.

SERMO QUARTUS

DE RELIQUIS CAUSIS PROPRIÆ HUMILIATIONIS.

Humiliemus *Deo animas nostras, et in spiritu contrito et humiliato serviamus illi.* Judith VIII, 16.

In his verbis monemur ad duo. Primo, ad humiliationem internam, quum dicitur : Humiliemus Deo animas nostras. Secundo, ut ei contrite atque humiliter serviamus, dum subditur : In spiritu contrito, etc.

Porro, tunc Deo animas nostras humiliamus, quando ad gloriam Dei nos ipsos Deo ex corde subjicimus, majestatique ejus nos totos reverentialiter inclinamus ac subdimus, ejus obtemperantes imperio, et propriam defectuositatem intime advertentes. Ad quod, ultra quinque considerationes in præcedenti sermone prætactas, adhuc valet in primis consideratio instabilitatis, brevitatis, incertitudinis atque multiplicis miseriæ vitæ præsentis. Ex qua consideratione sanctus Job dixit : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; itemque, Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. *Job* XIV, 1. *Ibid.* VII, 16. Sanctus quoque David in libro Paralipomenon : Peregrini (inquit) sumus coram te, Domine, et advenæ, sicut omnes patres nostri; dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. *1 Par.* XXIX, 15. Atque in Psalmo : Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt. *Ps.* CXLIII, 4. Hinc Salomon loquitur : Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. *Eccle.* II, 23.

Secundo, ad idem valet consideratio bonorum et meliorum, hoc est, virtutum quæ in aliis sunt, et eorum qui nos in omni perfectione et sanctitate sublimiter transcenderunt et nunc usque transcendunt. Nam dato quod aliquis habeat aliqua

A bona in se per quæ videtur alios quosdam transcendere, tamen in aliis potest multa bona perpendere aut esse confidere, in quibus est aliis inferior : ut si forte unus sit ingeniosior, doctior, et ad vigilandum ac laborandum in Dei obsequio fortior, certe in alio potest esse major humilitas, ardentior caritas, patientia fixior. Attendamus igitur nostra mala aliorumque bona, quemadmodum de beatissimo abbate Antonio legitur, quod tanquam prudentissima apes, singulorum monachorum virtutes considerabat, imitarique studuit. B Econtra faciunt quidam perversi, qui aliorum observant defectus, virtutes vero illorum pro posse offuscant, et bona eorum interpretantur in pejus : similes sordidis avibus quæ de stercoribus sibi construunt nidum.

Hinc ait S. Bernardus : Altiora aliorum semper attendas, quia in eo constat plenitudo humilitatis. Nam si tibi forsitan aliqua gratia major collata videtur quam fratri tuo, tamen in multis, si bonus æmulator fueris, judicare te poteris inferiorem. C Quid enim si laborare aut jejunare plus illo potes, et ille te patientia superat, humilitate præcedit, supereminet caritate ? Quid tota die circa id quod videris habere, insipienti cogitatione versaris ? Esto magis sollicitus ut scias quid desit tibi, quia hoc tibi plus expedit. Non ergo magnopere cogites bona quæ habes, nisi forte interdum ut inde Deo gratias agas, et te noveris debitorem ei qui dedit, aut gratia consolationis, dum necesse id fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cetero D ea semper magis bona attendas quæ alius habet, non tu, quod hæc cogitatio in humilitate te custodiat, et a descensu tepiditatis elonget, atque accendat desiderio proficiendi. Vide enim quanta econverso mala cogitatio illa parturiat, qua sedule versas in animo bonum quod tibi habere videris et alterum quempiam æstimas non habere. Hinc in superbiam elevaris, dum alteri te præponis. Hinc proficere negligis, quum te magnum aliquem arbitraris. Hinc demum et deficere incipis, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris.

Ex his beati verbis Bernardi probatur quam fatue agunt qui ideo peccant audacter, seque dum caritative corripiuntur excusant, quia nonnullos se majores ac doctiores vivere vitiose conspiciunt : et tamen si illi majores corporaliter se ipsos occiderent, præcipitarent aut mergerent, non eos imitarentur in hoc, sed insipientissimos reputarent. Cur ergo illorum exemplo spiritualiter necant se, æternæque mortis periculo exponunt? Potius ergo pensemus quam virtuose et sancte vixerunt patres nostri : non solum Apostoli et Prophetæ, martyres, confessores, et virgines sacræ, sed et communiter Christiani in primitiva Ecclesia, tempore longo, qui quotidie confiteri et communicare solebant; deinde Fratres in eremis commorantes, et utriusque sexus religiosæ personæ in quolibet Ordine, a quorum vitæ rigore, abstinentia, puritate, fervore, nimis modo distamus. Consideremus etiam quantum a cœlestium civium puritate, sapientia, perfectione distemus. Et tunc pro nihilo omne bonum quod agimus adspiciemus.

Postremo, ad idem valet præcipue consideratio perfectionis et excellentiæ Dei. Consideremus ergo proprietates Altissimi : et in primis, quod Deus gloriosus et adorandus, est majestatis ac dignitatis immensæ, et per consequens honorabilitatis penitus infinitæ, ita quod ipse est infinite reverentia dignus. Si ergo hoc ipsum luculenter perspicimus, agnoscemus quod quamvis quilibet nostrum tantam Deo reverentiam exhiberet, quanta ei exhibetur ab universis electis et bonis in cœlo et in terra, adhuc Deus esset in infinitum reverentia dignus majori; nec tanta potest ei reverentia, obedientia, dilectio, ab universitate creaturarum impendi, quin infinite majori reverentia, obedientia dilectioneque dignus sit. Quid ergo pauperrimi nos agere aliquid putamus, et quasi pro Dei honore magna et multa egerimus, stolide gloriamur atque extollimur ?

Secundo consideremus quod Deus est infinitæ puritatis et sanctitatis. Idcirco respectu ipsius, omnis nostra puritas et sanctitas, si quæ sit, nullius momenti est. *Job* xv, 15. Unde in libro Job scriptum est : Cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Et rursus *Ibid.* xxv, 5, 6. ex hac consideratione illico dicitur : Ecce etiam luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis ? Hinc omnes sancti doctores affirmant, quod quanto homo Deum clarius contemplatur, ejusque altitudinem, sapientiam, sanctitatem sincerius intuetur, tanto propriam imperfectionem, defectuositatem, vilitatem, iniquitatem certius conspicit, seque profundius coram Deo humiliat. Propterea dixit Bernardus : Nusquam se melius deprehendit modus imperfectionis humanæ, quam in lumine vultus Dei. Hinc Abraham patriarcha loquens cum Domino, et ejus majestatem *Gen.* xviii, 27. contemplans, dicebat : Loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis.

Tertio consideremus quod Deus est infinitæ sapientiæ atque justitiæ. Sicque formidemus judicium ejus, scientes quod eum latere nil queat, nec aliquid indiscussum relinquat; et imperfectum nostrum humillime jugiter recognoscamus, *Ps.* cxlii, 2. cum Psalmista orantes : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hinc sanctus Job dixit ad Deum : *Job* ix, 28. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Ex hac conside- *Ibid.* iv, 18, 19. ratione rursus in Job habetur : Ecce qui serviunt Deo, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas (id est homines in corporibus istis mortalibus ac terrenis degentes) consumentur velut a tinea ?

Ex his itaque considerationibus, coram Deo et proximis ubique et semper vere humiles simus. Est enim et ficta ac falsa humilitas : sicut nonnulli simulant honores se fugere, ut consequantur honores; et A quidam devotos ac humiles se confingunt, ut tales ab hominibus reputentur, laudentur, et propria commoda consequantur. Ideo ait Scriptura : Est qui nequiter se *Eccli.* xix, 23. humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Hi tales, vani atque miserrimi sunt : verum, ut ait Propheta, Beatus vir cujus *Ps.* xxxix, 5. est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Hieronymus quoque disseruit : Nihil est quod nos Deo atque hominibus ita efficiat gratos, quam si merito vitæ magni, et humi- B litate infimi simus. Humilitatem sequere, non quæ gestu corporis simulatur aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur.

Præterea, quantum superbia Deum offendat, et quantum humilitas reconciliet eum, ex sequenti innotescit exemplo. Scriptum est namque in Daniele propheta, *Dan.* iv, 26-34. quod dum potentissimus ille rex Babylonis Nabuchodonosor omnibus quasi gentibus imperaret, atque in palatio suo deambulans, vana gloria et elatione repletus, di- C ceret, Nonne hæc est Babylon quam ædificavi in decore et gloria regni mei? statim vox venit de cœlo, dicens : Tibi dicitur, Nabuchodonosor : Regnum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua, donec agnoscas quod Deus excelsus dominetur omnibus regnis. Eadem hora rex ille propter superbiam suam privatus est usu rationis et in amentiam versus est, cœpitque furere : idcirco ministri ejus abjecerunt et expulerunt eum a regno; et cum feris ac D bestiis fuit habitatio ejus, fœnum quoque ut bos comedit, et rore cœli humectatum est corpus ipsius, donec capilli ejus in similitudinem alarum aquilarum creverunt. Et illa ejus amentia, secundum expositionem B. Hieronymi et Alberti et Glossæ, duravit annis septem, quamvis alii dicant quod precibus sancti prophetæ Danielis, Deus mutavit ei septem annos in septem menses. Quumque rex ille ad mentem redisset, peccata sua amarissime deploravit, in tantum quod oculi ejus quasi

caro livida apparuerunt; et coram Deo se profundissime humilians, dixit : Nunc ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, atque glorifico Regem cœlorum, quoniam omnia opera ejus vera, et omnes viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare. Quum ergo vidisset Deus humiliationem ipsius, reduxit eum ad regnum, et magnificentiam ejus auxit magis quam ante.

Hoc igitur exemplo discamus quam abo- A minabilis sit coram Deo superbia, et quam accepta humilitas. Unde et apud Lucam loquitur Christus : Quod hominibus altum *Luc.* XVI, 15. est, abominatio est ante Deum. Nulla ergo prosperitas, nulla honoratio laudatiove humana, nulla provocatio seu injuriatio ad superbiam nos impellat; et si aliquis superbiæ motus in nobis exsurgit, mox reprimat eum ratio nostra. Humilitatem Filii Dei et Sanctorum jugiter contemplemur, et victoriose sectemur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE GAUDIO SPIRITUALI ET PACE INTERNA.

Philipp. IV, 4. GAUDETE *in Domino semper.* In epistola hodierna.

Quum officium monachi dicatur flere, quid est quod Apostolus hortatur nos semper gaudere, maxime quum debeamus nostra quotidie deplorare peccata, et Dei offensam atque Ecclesiæ lamentari ruinam? Unde in persona pœnitentis ait Propheta : *Ps.* XXXVII, 7. Tota die contristatus ingrediebar. Et in *Baruch* II, 18. Baruch habetur : Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, dat gloriam Domino. Salomon *Eccle.* VII, 5. quoque : Cor (inquit) sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. Si ergo contristari et flere oportet, quomodo semper gaudendum est, nisi quoniam juxta præhabita, virtuosæ tristitiæ salutarique fletui miscetur ac desuper jungitur consolatio bona seu spiritualis lætitia? Iterum semper gaudendum est « in Domino », id est omni tempore opportuno, sicut et semper orare jubemur.

Sed quid est gaudere in Domino? Et respondendum, quod quicumque spiritualiter seu virtuose lætatur, gaudet in Do- B mino : sicque quicumque in bonis delectatur operibus, gaudet in Deo. Gaudium namque oritur ex unione potentiæ cum objecto convenienti, et dicitur esse diffusio animi in conceptu boni.

Sed advertendum, quod multipliciter dicitur homo gaudere in Deo. Primo, tanquam in proprio et immediato objecto. Sicque in Deo gaudent, qui eum contemplando ac diligendo, seu in eum credendo atque sperando, lætantur, delectabiliter exercendo hos actus, juxta illud : Dele- *Ps.* XXXVI, 4. C ctare in Domino ; itemque, Memor fui *Ps.* LXXVI, 4. Dei, et delectatus sum. Deinde gaudet in Domino, qui actus latriæ agit cum jucunditate interna, Deum laudando, orando, prædicando, eique immolando aut celebrando, quemadmodum scriptum est : Ad *Ps.* LXV, 17. ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea ; et rursus, Exsultabunt labia *Ps.* LXX, 23. mea quum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti. Quamvis autem Deus non sit latriæ immediatum objectum, quum latria non sit virtus theologica, sed mo- D ralis, tamen de propinquo circa Deum

versatur. Secundo, gaudet homo in Deo A
tanquam in causa bonorum quæ nobis
conferuntur ab ipso, seu tanquam in summo
mo benefactore atque æternæ beatitudinis
Is. LXIII, 7. promissore, secundum illud Isaiæ : Miserationum
rationum Domini recordabor, laudem Domini
mini super omnibus quæ reddidit nobis,
et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam
gentiam suam. Unde Raphael angelus dixit
Tob. XII, 6. utrique Tobiæ : Benedicite Deum cœli, et
coram omnibus viventibus confitemini ei,
quia fecit vobiscum misericordiam suam.

Tertio, gaudet homo in Deo, gloriando B
in beneficiis ejus, in quantum sunt nobis
necessaria atque accommoda ad serviendum
dum complacendumque ei, et ad veram
adipiscendam salutem. Hinc beatissima
Luc. I, 47, 48. Virgo Christifera : Exsultavit (inquit) spiritus
ritus meus in Deo salutari meo, quia respexit
spexit humilitatem ancillæ suæ. Quarto,
gloriando in quibuslibet rebus creatis, seu
in consideratione earum, in quantum in
eis resplendet excellentia Creatoris, utpote
te : sapientia, omnipotentia, benignitas,
pulchritudo, suavitas et beatitudo ipsius. C
Ps. XCI, 5. Propter quod fatetur Psalmista : Delectasti
me, Domine, in factura tua, et in operibus
manuum tuarum exsultabo. Ecclesiasticus
Eccli. XLII, 23, 26. quoque asserit : Quam desiderabilia sunt
omnia opera ejus ! et quis satiabitur videns
dens gloriam ejus ? Quinto, quæcumque
opera Deo complacita, sive ad præcepta
sive ad consilia spectent, delectabiliter exsequendo,
sequendo, sicque serviendo Altissimo, juxta
Ps. XCIX, 2. ta illud : Servite Domino in lætitia. Nam
ut sancti patres nostri Eusebius et Bernardus
dus loquuntur, oportet maxime ut prompto
pto animo et corde jucundo cum bona et
plena voluntate Domino serviamus. Sexto,
adversa propter Deum libenter ferendo,
Jacob. I, 2. quemadmodum Jacobus loquitur : Omne
gaudium existimate, quum in diversas tentationes
tationes incideritis.

Quum ergo tam copiosissimam et immensam
mensam habeamus materiam ac rationem
gaudendi in Deo, atque tot modis gloriari
possimus ac debeamus in eo, cur miseri,
in rebus caducis et vilibus, in carnalibus
et terrenis, in vanitatibus et insaniis falsis
sis lætamur ? Cur salutaribus gaudiis derelictis,
relictis, pueriles consolatiunculas quærimus
mus sive admittimus ? cur etiam sæpe
inaniter contristamur ? cur pusillanimitate
te dejicimur ? cur letali afficimur tædio ?
Denique, quia tam pueriliter consolamur,
tamque inordinate tristamur, indignos nos
reddimus omni gaudio sancto, suavissimo
jubilo, excessu contemplativo vere dulcissimo.
simo. Simus ergo custoditi et diligentes in
omnibus ; suspiret et stillet ad Deum oculus
lus noster, renuat consolari anima nostra
nisi in Deo, confidenter et indesinenter
viscera suæ misericordiæ invocemus, et
experiemur quam verissime dixit Salvator
tor : Venite ad me, omnes qui laboratis et *Matth.* XI, 28, 30.
onerati estis, et ego reficiam vos; jugum
enim meum suave est, et onus meum
leve.

Verumtamen, quum Propheta dixerit
Deo, Avertisti faciem tuam a me, et fa- *Ps.* XXIX, 8.
ctus sum conturbatus ; et rursus, Transivi- *Ps.* LXV, 12.
mus per ignem et aquam : hoc agnoscendum,
dum, quod etiam viris devotis et valde
religiosis sæpius subtrahitur consolatio spiritualis,
ritualis, sensualisque devotio. Nec semper
inveniunt se æque promptos et alacres ad
divina : imo interdum repente ac improvise
vise quamdam incidunt cordis duritiam,
mentis sterilitatem, desolationemque tantam,
tam, ut cœlum videatur eis ferreum, terraque
raque ærea. Nam et Apostolus ait : Supra *II Cor.* I, 8.
modum gravati sumus supra virtutem, ita
ut tæderet nos vivere. Et Propheta : An- *Ps.* [illegible]
xiatus est (inquit) super me spiritus meus,
D in me turbatum est cor meum. Magnus
quoque Antonius clamavit ad Deum, quodam
dam solitudinis tædio tactus : Domine, volo
salvari, et non permittunt me cogitationes
nes ; quid faciam in hac tribulatione ?

Denique, Cassiano narrante, hanc quæstionem
stionem ejus collega abbas Germanus, viro
angelicæ puritatis abbati proposuit Danieli,
eli, dicendo : Cur interdum, in cellula
residentes, tanta alacritate cum ineffabili
gaudio et sacratissimorum sensuum mira
exuberantia adimplemur, ut nec sermo

nec mens exprimere queat; ipsaque anima spiritualibus fructibus plena, puras, promptas ac fervidas ad Deum præmittat preces, in tantum ut etiam per soporem supplicans, eas ad Dominum sentiat pervenire? At rursus nullis exsistentibus causis, subito replemur angore et irrationabili quadam mœstitia, ut non solum nos ipsos arescere sentiamus, sed et horreat cella, nec sapiat lectio, ipsa quoque instabilis, nutabunda et quasi ebria emittatur oratio: in tantum ut ingemiscentibus nobis atque conantibus, ad pristinam gratiæ affluentiam mens revocari non queat, sed quanto intentius ad Dei reducatur intuitum, tanto vehementius ad discursus instabiles rapiatur, sicque omni spirituali fructu reddatur destituta, ut nec desiderio regni nec metu gehennæ a letali hoc somno valeat excitari.

Ad hæc abbas Daniel sic respondit : Hujus rei triplex est ratio. Aut enim de negligentia nostra, aut de impugnatione diaboli, aut de dispensatione probationeque Dei descendit. De negligentia, dum noxiis cogitationibus locum damus, et per ignaviam quamdam, terram cordis nostri spinas et tribulos facimus germinare : quibus in ea pullulantibus, efficimur steriles atque ab omni spirituali fructu ac contemplatione jejuni. De impugnatione diaboli, dum bonis exercitiis occupati, calliditate circumvenimur tentantis, et ad vana quædam distrahimur. De dispensatione vero probationeque Dei, ut paulisper a Domino derelicti, ac propriam infirmitatem experti, de præhabita puritate et gratia nullatenus extollamur ; sentientes quoque non posse nos nostro conatu atque industria alacritatem et gratiam illam amissam recuperare, pensemus non nostro studio, sed Dei dignatione eam nos habuisse et ab eo reposcendam jugiter esse : item, ut perseverantia nostra, constantia ac desiderium comprobentur, ac pateat qualem habeamus ad Deum fiduciam, quam constanter ac intente requiramus absentem, quam etiam longanimiter præstolemur eumdem ; ac pariter cognoscentes quanto

A labore spirituale hoc gaudium puritasque interna recuperentur, recuperata sollicitius custodiamus. Ex quibus monstratur, gratiam Dei operari in nobis omne quod bonum est, et ea nos deserente, studium nostrum nihil valere.

Denique gratia Dei nonnunquam etiam negligentes ac resolutos inspiratione sancta ac spiritualium sensuum abundantia visitat, inspirat indignos, suscitat pigritantes, illuminat ignorantiæ cæcitate percussos : clementer nos arguens et castigans, B ac nostris cordibus se infundens, ut vel sic de inertiæ nostræ somno, ipsius compunctione instigati, surgamus. Insuper sæpe odoribus ultra omnem suavitatem compositionis humanæ dulcissimis, in his gratiæ visitationibus replemur repente, ita ut mens oblectatione hac resoluta, in quemdam rapiatur spiritus excessum, seque obliviscatur commorari in carne. Ecce quam gratiose et copiose benignissimus ac munificentissimus Dominus suos fidelissimos visitat, consolatur ac rapit ministros. C Unde et sanctus fatetur Bernardus : Nonnunquam mihi, o Domine, mittis in os cordis quod non licet mihi scire quid sit ; saporem quidem dulcedinis sentio adeo confortantem, quod si perficeretur in me, ultra nil quærerem. Hanc ignotam et inusitatam dulcedinem se gustasse meminit Augustinus.

Postremo, si et nos pusilli aliquid horum utcumque ac modice gustare appetimus, coram Deo semper sollicite ambulemus. Linguam, ventrem ac sensus coercere non D desistamus ; sintque oculi nostri interiores semper ad Dominum, orando, meditando, psallendo : ex quibus fervor procedit sancti amoris, atque perfusio gaudii spiritualis. Et juxta doctrinam Apostoli in hodierna epistola, modestia nostra sit tanta, ut omnibus ad eorum innotescat ædificationem. Nihil solliciti simus de rebus terrenis, *Matth* vi, 25. et omnem inordinatam funditus evellamus cupiditatem : sicque pax Christi, pax spiritualis interna, quæ est gaudium imperturbatum, videlicet quietatio ac tran-

quillitas mentis in Deo, custodiat corda nostra et intelligentias nostras in Deo, ne inaniter conturbemur, sed in omni eventu stabiles perseveremus in Domino, qui est super omnia Deus æternaliter gloriosus. Amen.

SERMO SEXTUS

DE HUMILITATE SALUBERRIMA AC SUMME NECESSARIA.

OMNIS *vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur.* Lucæ III, 5.

Humilitatem omnium virtutum esse fundamentum, custodem ac matrem omnes fatentur. Quæ quamvis omni sit necessaria Christiano, maxime tamen religioso: quem oportet spiritualiter mori atque ad nihilum salubriter redigi, ut nec benedictione moveatur, nec maledictione; sed sicut in propriis oculis nihil est, vilis, contemptibilis, omni persecutione afflictioneque dignus, sic in aliorum reputatione cupiat nihil esse, sed vilis et aspernabilis æstimari, quantum ad ipsum spectat; nec de injuriis ac tribulationibus plus turbetur, quam si penitus nihil esset sepultusque foret: imo inde lætetur, arbitrans sibi justitiam fieri dum ei talia irrogantur. Hæc sancta et præamanda humilitas, est virtus qua homo, tam ex sui creatoris profunda contemplatione quam ex sui ipsius verissima cognitione, sibi ipsi vilescit, se deprimit, et Deo se subjicit.

Denique hanc virtutem Christus Dominus et Salvator facto et verbo nobis specialissime commendavit: quia ut ait Leo Papa, tota Salvatoris victoria ac dispensatio qua et diabolum stravit et mundum redemit, humilitate est concepta, humilitate confecta; quam Dominus Jesus ab utero Genitricis usque ad patibulum crucis pro omni fortitudine elegit et docuit. Hinc christianæ sapientiæ altitudo, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, sed in vera, invicta atque spontanea consistit humilitate. Audi hoc, verbose religiose, audi hoc, monache cavillose, qui in capitulo aut alibi reprehensus, dialecticus quidam efficeris, te excusando, probationem quærendo, locum, tempus, testimonium exigendo, alium redarguendo. Quid perdis animam tuam in furore tuo? Numquid vir verbosus justificabitur? Nonne in multis offendimus omnes? Et innumerabilia sunt nostra peccata quæ latent nos ipsos, in tantum ut dicat postuletque Propheta: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine. (*Job* XVIII, 4. *Ibid.* XI, 2. *Jacob.* III, 2. *Ps.* XVIII, 13.)

Denique, si pauperem superbum odit sapiens, quam odibilis est religiosus superbus, qui non exterioribus tantum rebus, sed voluntati quoque propriæ renuntiavit, quum nemo nisi qui propriæ est voluntatis superbiat? Quo constat, quod religiosus superbus voluntatem propriam quam obtulit Deo, resumat sacrilege, atque per hoc furtum faciat spirituale. (*Eccli.* XXV, 3, 4.)

Præterea, quoniam juxta prætacta, humilitas in duplici fundatur cognitione, scilicet Dei et sui, certum est quod quo divinæ majestatis excellentiam infinitam, summæ Deitatis incircumscriptibilem dignitatem, omnipotentiam perfectionemque prorsus immensam clarius contemplamur, eo nobis ipsis magis vilescimus, atque in propriam parvitatem, vilitatem et nihileitatem declivius resilimus, cum Propheta dicentes: Substantia mea tanquam nihilum ante te. Hinc patriarcha Abraham in Dei adspectu se constitutum perpendens: Loquar (inquit) ad Dominum meum, quum (*Ps.* XXXVIII, 6. *Gen.* XVIII, 27.)

sim pulvis et cinis. Unde et angelici spiritus quo sublimioris sunt ordinis, eo humiliores consistunt, eo quod Deum splendidius contemplantur. Et anima Christi sicut præ cunctis et singulis Deitatis essentiam profundius conspicit, sic universos in humilitate ineffabiliter vincit; atque post Christum beatissima Virgo. Quumque altissimo Deo ob suam majestatem sanctitatemque infinitam debeatur ac deceat reverentia prorsus immensa, palam est quod omnis cultus et honor quem ei impendere possumus, in infinitum distet a cultu B et honore quo ipse dignissimus verissime perhibetur. Quod quicumque intelligit, de sua quasi perfectione, devotione ac veneratione quam exhibet Domino, nequaquam extollitur; sed totum arbitratur pro nihilo et indigno, etiamsi solus tantum posset efficere quantum omnes simul electi in cœlo terraque, seque in cunctis profunde humiliat, præsertim quum quidquid boni in suo exsistit obsequio, sit ex Deo, cujus dona sunt merita nostra.

Amplius, quo nos ipsos perfectius no- C scimus, eo, si rite perpendimus, magis humiliamus nos ipsos ac spernimus. Ecce certissime hic invenimus latissimam humilitatis materiam. Quid enim sumus per naturam? quid in anima? quid in carne spurcissima? Nonne defectuosissimi nimis, fragiles et immundi? Quales vero per culpam sumus effecti? Nonne ingratissimi, abominabiles atque pravissimi? qui et quotidie multipliciter labimur, periculis laqueisque circumdamur; nec est finis ærumnarum nostrarum, quemadmodum D
Job XIV, 1. sanctus Job loquitur, Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Imo si bene consideremus quam defectuosissimi simus quotidie in Deitatis obsequio, in Horis, psalmodia ac Missis, despiciemus nos ipsos in infini-
Eccli. X, 9. tum. Quid ergo superbit terra et cinis?
Job XV, 12, 13. Quid, quasi magna cogitans, attonitos habet oculos, et tumet contra Deum spiritus ejus qui nescit an amore sit dignus an odio, an sit vere devotus, an finaliter æter- A naliterque damnandus? Nec tantum comparatione Dei sublimis, sed et angelorum, nec tantum respectu eorum, sed et Patrum prædecessorum nostrorum, conversatio nostra et virtus nullius exstat momenti.

Hæc igitur subtiliter ac frequenter intueamur, et Deo nos ipsos profundissime substernamus, nostras inopias et ærumnas, nostras nihileitates et culpas, infirmitates et ad omnia vitia pronitates ei humillime, lacrimose et compunctissime confitentes, ut adjuvemur, impleamur, roboremur ac defendamur semper ab eo: et tunc utique ipse misericordissimus ac superpiissimus Deus pie ac large exaudiet nos, valles, hoc est humiles mentes, adimplens, conservans, perficiens. Humilitas quippe omne bonum divinitus promeretur, puta: conservationem, juxta illud,
Custodiens parvulos Dominus; illumina- *Ps.* CXIV, 6.
tionem, quemadmodum scriptum est, De- *Ps.* CXVIII, 130.
claratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis; exaltationem, se-
cundum illud, Qui se humiliat, exaltabi- *Luc.* XVIII, 14.
tur; sicque de aliis.

Insuper de hac virtute scribit Climacus valde pulchra: Humilitas (inquit) est innominabilis gratia animæ, his solum nominabilis qui ejus experientiam accepe-
runt. Discite a me, ait, non ab angelo, non *Matth.* XI, 29.
ab homine, non a libro, sed a me, hoc est ex mea in vobis inhabitatione, illuminatione et operatione, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris a præliis tentationum, et alleviationem a cogitationibus pravis. Incipiente in nobis humilitate, odimus, quamvis cum labore et dolore, omnem humanam gloriam atque famam, iram a nobis ac furiam repellentes. Proficiente autem in nobis hac regina virtutum, universa bona quæ agimus pro nihilo reputamus, et quotidie peccatis nostris peccata nos adjicere arbitramur; desuper vero nobis concessam divinorum charismatum abundantiam, quasi depositum quoddam supra nostram dignitatem in nobis situm adspicimus, eadem nos reputantes indignos: qua

ex re mens tunc impraedabilis et insuperabilis manet, se ipsam in pera temperantiæ ac propriæ parvitatis recludens ac tutam efficiens, latronum strepitus et applausus tantummodo audiens, lædi non potens. Denique per pœnitentiam efficacem anima conteritur et quasi subtiliatur; per luctum vero unitur et quasi coadmassatur Deo, ex quo accensa igne divino, azyma atque non tumens panis humilitatis efficitur : sicque ad susceptionem ignominiæ est jucunda, et omnem furorem ac iram omnino exstinguit, et bona propria quodammodo non advertit.

His concordat quod ait Bernardus : Deus misericorditer ordinat, quatenus homo in humilitate se semper conservet, ut quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam etsi usque ad supremum spiritualis exercitii gradum quisque profecerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix primum sibi videatur gradum adeptus : et hac humilitate summe proficitur. Magna namque et sublimis virtus est humilitas, quæ meretur quod ab homine non docetur, digna adipisci quod non valet addisci, digna a Deo et de Deo concipere quod ipsa suis verbis non valet exprimere. Nam, teste Scriptura, oratio humiliantis se penetrat nubes, et cor contritum ac humiliatum non despicit Deus : imo respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum. Humilis namque non sibi ipsi confidit, non de viribus suis præsumit; sed propriæ infirmitatis ac paupertatis conscius sibi, totus ac totaliter divinæ innititur pietati, Dei inhæret auxilio, dicens : Libera me et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.

(*Eccli.* xxxv, 21. *Ps.* L, 19. *Ps.* CI, 18. *Job* XVII, 3.)

Itaque simus humiles corde, non indignando, non inaniter gloriando, non præsumendo, nec alios aspernando, sed vilipendendo ac deprimendo nos ipsos. Simus et humiles ore, non contendendo, murmurando, nos ipsos jactando, laudando aut nimium excusando, sed potius humiliter accusando, quemadmodum ait Scriptura : Justus in principio accusator est sui. Simus demum humiles opere, incessu, vestitu, omnique forinsecus apparatu. Absit a nobis ficta humilitas : est quippe qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Consideremus semper quid desit nobis, et quantum a Patrum nostrorum conversatione ac perfectione distamus. Cupiamus semper subesse et obedire, non præsidere.

(*Prov.* XVIII, 17. *Eccli.* XIX, 23.)

Denique, sicut coram Deo et hominibus odibilis est superbia, sic coram Deo atque hominibus amabilis est humilitas, quæ hominem proximis suis reddit amandum, gratum, portabilem ; nec quidquam nos efficit Deo hominibusque tam amabiles, quam si simus virtutum meritis magni, humilitateque minimi.

(*Ibid.* X, 7.)

Postremo, ut tam humiles jugiter inveniamur, humilitatem Domini nostri Jesu vivaciter intueamur, qualiter ipse Rex regum, Deus verus, Unigenitus Patris, in sæculo isto in summa vixit humilitate, ut eum in omnibus imitemur.

SERMO SEPTIMUS

DE POENITENTIA.

(*Luc.* III, 3.)

VENIT *Joannes prædicans baptismum pœnitentiæ*. In evangelio hodierno.

Quum religiosorum non sit circa communia languere aut occupari, sed ea diligentia venialia semper vitare peccata, qua boni sæculares peccata vitant mor-

talia (alioqui suæ quomodo satisfacient A professioni? ex qua caritatis fervori ac perfectioni studere tenentur, et nihilo minus ipsi religiosi in venialibus quotidie multipliciter peccant, ita ut dicere habeant : In multis offendimus omnes; et :
Jacob. III, 2.
I Joann. I, 8.
Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Nam, ut recitat Cassianus, aut per ignorantiam, aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem aut fragilitatem, singulis diebus frequenter incurrimus culpam. Pro- B pter quod ejulans Apostolus, proclamavit :
Rom. VII, 24.
Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?); hinc religioso quotidie opus est pœnitere, et venialia mala ista deflere, si digne cupit proficere, tam cordialiter ac lacrimose ut boni sæculares de suis dolent ac lacrimantur culpis mortalibus.

Sed quum juxta sanctorum Patrum doctrinam, pœnitentia sit, præterita peccata deflere, et deflenda non iterare : quid est quod venialia nostra peccata quotidie con- C fitemur, et de eis nos pœnitere per signa quædam monstramus, et tamen post confessionem et celebrationem, ad pristinas levitates, ad consuetas negligentias labimur, nec crescit in nobis dolor internus pro venialibus culpis, nec sollicitudo ac vigilantia mentis pro eis cavendis, sicut ostendit effectus? Nam in verbis, in distractionibus, in incustodia sensuum, in cibo ac potu, in motibus inordinatis, in levitatibus, in omissionibus ac negligentiis quotidie solito more peccamus. Ubi est D
Eccle. VII, 19.
Prov. IV, 23.
quod Salomon loquitur, Qui timet Deum, nihil negligit; itemque, Omni custodia serva cor tuum? Heu, quanta est nostra miseria! Cur ita negligimus nosmetipsos, et superficiales passionabilesque ac pleni defectibus permanemus? Certe coram Altissimo tanto culpabiliores consistimus, quanto plura et aptiora media proficiendi habemus. Quumque venialium culparum frequentia ad mortale disponat peccatum, verendum est valde, quod tam negligenter et intimorate agendo, in mortale sæpius ruamus, quum apertissime dicat Scriptura : Qui negligit modica, paulatim decidit; et denuo, Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Nam venialia ad mortalia disponunt.
Eccli. XIX, 1.
Ibid. XXVII, 4.

Propterea S. Cæsarius præsul loquitur in sermone : Sicut navis posteaquam de pelagi fluctibus evaserit, si in portu sentinata non fuerit, de minutis guttis impletur, ac mergitur; sic et monachus devictis hujus mundi criminibus, quasi periculosis fluctibus, quum ad monasterii venerit portum, si ibi subrepentia minuta et quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso monasterii portu naufragii crimen incurrit.

Hinc admonemur ut cum summa humilitate et ingenti sollicitudine non solum peccata criminalia caveamus, sed et parvas negligentias quotidie quasi venena diaboli respuamus. Sunt enim nonnulli qui post religionis professionem, quia videntur exisse de sæculo, nimia securitate solvuntur. Et impletur in eis sententia Christi dicentis : Utinam calidus esses aut frigidus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. Hoc est : Melius tibi fuerat, aut in sæculo remansisse, aut in cœnobio esse ferventem; nunc autem quia et de sæculo recessisti, et tamen spiritualem fervorem ex negligentia non apprehendisti, tepidus factus, ex ore Domini evomeris.
Apoc. III, 15, 16.

Denique super hoc ait Eusebius Emisenus : Quid est quod nos vigiliis, laboribus jejuniisque afficimus, et ea quæ maxime Deus noster in nobis desiderat, non habemus, hoc est cor mundum ac liberum ab istis negligentiis quotidianisque culpis, quas qui non vitat, paulatim defluit et ad majora peccata dilabitur?

Præterea, quum universa peccata eadem sint ratione vitanda, utpote quoniam inhonorativa et offensiva sunt Dei, et summe nociva peccanti, aliorum quoque scandalizativa ; quicumque de aliquo peccato pœnitet veraciter, non solum illud, sed

et cuncta detestatur et fugit peccata, vitatque omnia, quantum humanæ fragilitati est possibile. Nam etsi singula venialia nequit effugere, ad hoc tamen conatur ut tardius ac rarius et levius ab ipsis præveniatur; quumque præventum se senserit, gemendo, orando, pectus tundendo satisfacere ac purgare se nititur.

Sic ergo agamus, et coram summæ majestatis præsentia, coram intuitu sapientiæ Dei conversemur ac ambulemus sincere, honeste, sollicite, ne corde, ore aut opere offendamus : quia ut asserit Emisenus, sapiens semper in compunctione est et in metu; et sicut de præteritis malis pœnitet ac suspirat, ita de futuris periculis pervigili sollicitudine contremiscit. Idcirco et Salomon protestatur : Beatus homo qui semper est pavidus. Et rursus ait Scriptura : Sapiens in omnibus metuit.

Prov. XXVIII, 14. *Eccli.* XVIII, 27.

Sed inter hæc nobis summe pensandum relinquitur, quod si viri virtutum, viri fervidi ac perfecti, quantumlibet se ipsos custodiant, nihilo minus toties in venialia ruant, quam innumerabiliter ac periculose decidant negligentes ac tepidi religiosi, in quibus una negligentia, una levitas, et una quælibet culpa trahit ad aliam, eo quod anima excæcatur, nec sua advertit pericula.

Ubique ergo et semper, præsertim in divino obsequio, simus custoditi, timorati, fervidi et devoti. Discutiamus quotidie, maxime ante confessionem, et antequam imus dormitum, atque in noctis silentio, conscientias nostras cum diligentia grandi : qualiter ea quæ Ordinis sunt servemus, qualiter nos in divino obsequio habeamus, qualiter in refectione et coram confratribus atque extraneis, qualiter in verbis et signis ac motibus. Sicque de omni quod parit remorsum conscientiæ, cordialiter doleamus, ingemiscamus, ploremus, veniam deprecemur; atque pro virtute et gratia condignæ emendationis debitique profectus, divinæ pietatis abyssum omni hora infatigabiliter exoremus.

Postremo advertamus quod Climacus A ait : Pœnitentia est indesinens desperatio corporalis consolationis, emptrix humilitatis, voluntaria omnium tribulantium ac affligentium patientia, fortisque tribulatio ventris, atque afflictio in sensu vehementi. Qui enim peccata sua efficaciter ponderat et condigne deplorat, tantam in se contra se displicentiam concipit, quod ab omni creatura contemni, tribulari ac puniri dignum se arbitratur, nec injuriantibus aut exercitantibus indignatur, neque inanibus consolationibus aut carnalibus B oblectamentis in se tribuit locum.

Habemus præterea contra quotidiana nostra peccata, multa optimaque remedia, nobis a Deo æterno benignissima pietate provisa ac contributa :

Primum est ipsa interna contritio, dolor et pudor de gravitate ac fœditate peccati, quemadmodum in Ezechiele scriptum est : Quacumque hora peccator ingemuerit pro peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Quod intelligendum est de gemitu cordiali proportionato peccatis, C et adæquante multitudinem magnitudinemque culparum, cum confitendi ac satisfaciendi proposito.

Ezech. XVIII, 21, 22.

Secundum est ipsa oris confessio : omnia enim in confessione lavantur. Tertium, lacrimarum profusio, sicut Petrus flevit amare. Quartum est fervor caritatis : caritas namque operit multitudinem peccatorum. Quintum est, correptionem et correctionem in præsenti a præsidentibus patienter perferre : non enim vindicat Dominus bis in id ipsum. Sextum est, se ipsum hu- D militer accusare.

Matth. XXVI, 75. I *Petr.* IV, 8. *Nahum* I, 9, juxta LXX.

Sunt et alia valde multa, puta : jejunium, oratio, disciplina, remissio illatæ injuriæ, afflictio corporis, sacrificium laudis, eleemosynarum largitio, et opera misericordiæ quævis, tam spiritualia quam corporalia.

In his, in quantum possumus, quotidie exerceamur, atque ad Deum corda nostra uberrime elevemus per ardentes caritatis affectus, per preces internas, per sanctas meditationes, per cordiales Dei laudatio-

nes ; nullum momentum temporis nobis A indulti infructuose pertranseamus, et ita I Cor. III, 12. nos habeamus, ne lignum, fœnum ac stipulam congregemus. Imo pro quotidianis culpis omni die satisfaciamus per prædicta, tam plene, ut ultra hoc crescamus in omni gratiarum charismate, in sancti amoris ardore, in puritate ac stabilitate mentali. Ad laudem et gloriam Altissimi.

Sermones hic intermissos habes in secunda parte de Sanctis : nam in præsenti parte solum de Dominicis agitur.

DOMINICA PRIMA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUANTO TEMPORE HERES PARVULUS EST, ETC. Galat. IV, 1-7.

MERITO in hac dominica, natali Christi A tam proxima, legitur præsens epistola, in qua de Christi incarnatione et nativitate fit mentio. Et docet Apostolus in epistolæ hujus exordio, quod post Christi adventum, evangelicæ legis prædicatione publicata, cessaverunt cærimonialia Mosaicæ legis præcepta. Ait ergo Apostolus :

Quanto tempore heres parvulus est, hoc est, quamdiu infra tempus discretionis exsistit, *nihil differt a servo,* id est, hereditariis bonis suis ad libitum uti non potest, ac si non pertinerent ad eum, B quemadmodum nec ad servum, sed disciplinari rigore compescitur, nec magnum aliquid facere aut propria dispensare permittitur, nisi secundum voluntatem eorum quibus a parentibus est commissus, *quum sit dominus omnium,* hoc est, quamvis tota hereditas ad ipsum de jure pertineat, quamvis nondum de facto; *sed sub tutoribus,* id est defensoribus, qui eum contra adversarios tueantur, *et actoribus,* id est causatoribus ac procuratoribus, qui causas ipsius prosequantur atque C expediant, *est,* quia ab illis gubernatur, custoditur et informatur, *usque ad præfinitum tempus a patre,* id est usque ad annos discretionis vel amplius, prout pater ejus instituit. Solebant quippe antiquitus patres morituri determinare, quamdiu filii sui sub tutorum et actorum manerent regimine.

Ita et nos Judæi, *quum essemus parvuli,* hoc est in virtutibus imperfecti, et in divinorum notitia modici, *sub elementis mundi hujus,* id est sub cærimonialibus legis antiquæ præceptis, *eramus servientes* servitute incompleta et figurali Domino Deo. Porro præcepta cærimonialia erant potissimum de hostiis offerendis, per quas Christi oblatio figurabatur, et de circumcisione, per quam spiritualis circumcisio, id est purgatio a peccatis, quæ fit virtute et merito passionis Christi in Baptismo, designabatur. Figura autem cessare debet veritate adveniente et patefacta : ideo Christo in cruce oblato, et Baptismate prædicato, cærimonialia legis præcepta cessaverunt, prout Augustinus testatur, et doctores circa principium quarti Sententiarum plenissime scribunt.

Denique cærimonialia legis præcepta dicta sunt elementa, quoniam erant quædam fundamentales ac primordiales institutiones ac introductiones ad fidem atque justitiam. Assuefiebant namque Judæi per cærimonialium observantiam præceptorum unum verum colere Deum : nam et ideo hostias illas carnales Deo jubebantur offerre, ne eas idolis immolarent, ad quorum cultum fuerunt pronissimi. Appellata

sunt quoque præcepta hujusmodi, elementa « mundi », quia terrena bona eorum observatoribus pro præmio promittebantur in lege, ut in Deuteronomio patet. *Deut.* VII, 12, 13. Unde per Isaiam Dominus locutus est eis : *Is.* I, 19. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Verumtamen sub promissionibus illis terrenis, cœlestium æternaliumque bonorum promissio dabatur intelligi, quoniam terrenorum et temporalium bonorum præstatio non est condignum, integrum ac finale præmium observantiæ præceptorum seu actuum virtuosorum, dummodo observantia illa seu actio virtuosa ex caritate procedat : tunc enim meritoria est vitæ æternæ, seu gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Deus autem, qui summe munificus est, non citra sed ultra condignum remunerat. Vel dicuntur cærimonialia illa, elementa « mundi », id est hominum in hoc mundo viventium.

Erant demum cærimonialia illa observatoribus suis Judæis tutores, id est contra dæmonum insidias protectores; et actores, quia causam eorum coram Deo agebant, eum per sacrificia reconciliando.

At ubi venit plenitudo temporis, hoc est, adveniente tempore divinitus præordinato, in quo Deus Pater Filium suum mittendum ac incarnandum decreverat, *misit Deus* Pater *Filium suum,* id est, eumdem voluit incarnari, et ei humanam conjunxit naturam hypostatica unione. Et quoniam Filius est a Patre, idcirco in Patre est auctoritas mittendi Unigenitum suum, non quod Filius in deitatis natura sit Patre inferior. Et hæc missio, de qua Apostolus loquitur modo, intelligitur de missione Filii Dei corporali atque visibili. De qua per Isaiam Filius protestatur : *Ibid.* XLVIII, 16. Et nunc Dominus misit me, et spiritus ejus; atque per Joannem : *Joann.* III, 17. Misit Deus Filium suum, ut salvetur mundus per ipsum. Est autem et alia missio Filii, spiritualis ac invisibilis, qua ab exordio sæculi, increata ac genita Sapientia Dei Patris ab eo ad electorum animas missa est, ad illuminationem et gratiosam inhabitationem earum. De qua missione in libro Sapientiæ habetur : Mitte illam de cœlis tuis, ut mecum sit. *Sap.* IX, 10. Unde rursus in eodem libro scribitur : Quum sit una, omnia potest; et *Ibid.* VII, 27. in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei atque Prophetas constituit.

Misit itaque Pater Filium suum, sibi consubstantialem, coæqualem et coæternum, non quod in missione hac Filius locum mutaverit, quum invariabilis sit, immensus et omnia implens, sicut et Pater, et omnem locum transcendat; sed missus est, quoniam Patre volente ac operante, carnem assumpsit, novoque modo in mundo apparuit, qui ante tanquam inaccessibilem lucem inhabitans, latuit. *I Tim.* VI, 16.

Factum ex muliere, hoc est secundum assumptam humanitatem genitum ex Virgine : unde per Jeremiam prædictum est, Mulier circumdabit virum. *Jer.* XXXI, 22. Virgo namque sanctissima, supernaturali modo Filium Dei concipiens, eodem momento quo illum concepit, virum in utero habuit, quia Deum et hominem in utero continebat : qui vir fuit, non magnitudine corporis, sed perfectione sapientiæ ac virtutis. Est autem consuetudo idiomatis Hebræorum, ut quæcumque feminei sexus persona, mulier nuncupetur.

Factum sub lege, hoc est legis præceptis sponte subjectum. Voluit equidem Christus juxta legis præcepta circumcidi atque in templo offerri, et in aliis multis legi se subdidit, non necessitate, quum esset dominus legis, sed humili voluntate, ut daret exemplum obediendi, et propter alias causas.

Ut eos qui sub lege erant, id est Judæos ad legalium observantiam obligatos, *redimeret* sua incarnatione, conversatione ac passione, non solum a morte peccati ac pœnis inferni, sed etiam a legalium seu cærimonialium observatione. Omnia enim quæ Christus in hoc mundo egit ac pertulit, nobis meritoria sunt. Et per hoc quod ex humilitate servavit legalia, ad quæ non tenebatur, redemit nos

ab observatione hujusmodi, promerendo A nobis gratiam salvationis, qua absque illa observatione salvamur. Hinc lex Christi vocatur lex libertatis, quia per ejus servantiam, a servitute vitiorum ac onere cærimonialium præceptorum eripimur. Propter quod in Actibus Apostolorum beatis-
Act. XV, 10, 11. simus Petrus ait : Quid tentatis Deum, imponere cervicibus discipulorum onus quod neque nos neque patres nostri portare potuimus ? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari. Hinc Paulus
Ibid. XIII, 38. dixit Judæis : Per Jesum vobis remissio B peccatorum annuntiatur, ab omnibus in quibus non potuistis in lege Moysis justificari.

Ut adoptionem filiorum reciperemus, hoc est effectum adoptionis divinæ, qua a Deo homines adoptantur seu in adoptivos filios assumuntur, videlicet gratiam gratum facientem in via, et gloriam consummatam in patria. Christi enim ad ima inclinatio, nostra est ad summa provectio; ejusque incarnatio, nostra deificatio prædicatur.

C Insuper quid ex divina adoptione sequatur, subdit Apostolus. *Quoniam autem estis,* o universi Christifideles, *filii Dei*
Joann. I, 12. adoptivi, electi, juxta illud, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri ; idcirco in signum filiationis istius, *misit Deus* Pater *Spiritum Filii sui,* qui a Patre Filioque procedit (de
Ibid. XVI, 14. quo Filius ait : Ille de meo accipiet), *in corda vestra :* hoc est, dona Spiritus Sancti cordibus vestris infudit. Illis enim Spiritus Sanctus mitti darique dicitur, quibus D dona gratiæ suæ gratum facientis præstantur. *Clamantem,* id est, vos fiducialiter ac devote clamare facientem ad Deum : O *Abba (Pater).* Nam Spiritus Sanctus caritatem et filialem affectum infundit nobis ad Deum omnipotentem, trinum ac unum, et movet mentes nostras ut Deum vocemus Patrem. Unde ut ostendamur adoptati a Deo in filios, misit Deus Spiritum Sanctum in nos, tanquam in signum et arrham suæ ad nos caritatis paternæ. Hinc ad Romanos ait Apostolus : Non accepistis *Rom.* VIII,
spiritum servitutis iterum in timore, sed 15, 16.
accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater); ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod filii Dei sumus. Porro hæc duo verba, abba et pater, idem significant. Nam abba, Hebræum est, quod nomine patris exponitur.

Ex his infert Apostolus : *Itaque,* hoc est, quoniam Spiritus Sanctus facit nos dicere, Abba (Pater), *jam,* id est tempore evangelicæ legis ac gratiæ, *non est* aliquis vere christifidelis, *servus* servitute servilis
timoris. De quo Joannes asserit : Non manet *Joann.* VIII,
in domo in æternum ; filius autem manet 35.
in æternum. Et alibi : Jam non dicam vos *Ibid.* XV, 15.
servos, sed amicos. Est tamen servitus alia, quæ dicitur servitus dilectionis aut filialis timoris : et sic omnes electi et boni
sunt servi Dei. Talique servo dicitur : Eu- *Matth.* XXV,
ge, serve bone et fidelis, intra in gaudium 21, 23.
Domini tui. *Sed filius* est. *Quod si filius,* hoc est, si vere christifidelis est filius Dei adoptivus atque electus, sequitur quia *et heres per Deum,* id est, a Deo, seu per misericordiam Dei, erit heres vitæ æternæ seu particeps gloriæ Beatorum, coheres-
que Christi, secundum illud : Si autem *Rom.* VIII,
filii, et heredes ; heredes quidem Dei, 17.
coheredes autem Christi. Hoc tamen de bonis intelligendum est, qui electi sunt et in bono finaliter perseverant. Hereditas ergo electorum est æterna felicitas et bona ei annexa, de quibus ait Apostolus :
Oculus non vidit, nec auris audivit, nec I *Cor.* II, 9.
in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus his qui diligunt eum ; et Psal-
mista : Credo videre bona Domini in terra *Ps.* XXVI, 13.
viventium.

SERMO PRIMUS

DE PLENITUDINE TEMPORIS, ET FILII DEI MISSIONE.

UBI *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Galat. IV, 4. A

In hoc verbo duo tanguntur. Primum est tempus adventus missionisve Christi, quum dicitur : Ubi venit plenitudo temporis. Secundum est ipsa missio Filii Dei, quum additur : Misit Deus Filium suum.

Circa primum est intuendum, cur tempus incarnationis Christi dicatur temporis plenitudo. Ad quod dicendum, quod in Scripturis tempus capit denominationem ab his quæ fiunt in tempore, ut quum ait
Ephes. V, 16. Apostolus : Redimentes tempus, quoniam B
dies mali sunt. Et Jacob patriarcha ait :
Gen. XLVII, 9. Dies peregrinationis meæ super terram
centum triginta annorum sunt, parvi et
Matth. VI, 34. mali; Christus quoque in Evangelio : Nolite (inquit) solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sibi ipsi erit sollicitus. Merito ergo tempus missionis incarnationisque Christi, plenitudo temporis appellatur, quia in eo Deus omnipotens et benignus caritatem, pietatem et gratiam suam hominibus plenissime demonstravit, summæ et incomparabilis caritatis ac mi- C sericordiæ opera fecit, et hominum corda plenitudine gratiarum ditare incepit. Hinc tempus Christi ac evangelicæ legis, tem-
II Cor. VI, 2. pus gratiæ, tempus acceptabile et dies salutis vocatur. Hinc quoque dies justorum pleni dicuntur; et justi in Scripturis leguntur obisse pleni dierum, juxta illud
Gen. XXV, 8. Genesis : Mortuus est Abraham plenus dierum. Unde ait Ambrosius : Plenitudinem vita justorum habet; inanes autem sunt dies malorum.

In hac ergo temporis plenitudine misit D Deus Pater Filium suum, id est, humanam naturam ei in Virginis utero copulavit, et quasi sacco nostræ mortalitatis induit eum. In quo primum summe apparet inæstimabilis caritas Dei Patris ad nos. Ad caritatem etenim pertinet alicui bona gratis conferre, indigenti succurrere, et alium sibi unire. Nonne ergo maxima et incomprehensibilis caritas fuit, quod Deus Pater, non propter merita nostra, sed ex sua pura, liberalissima amorosaque bonitate, unigenitum Filium suum nobis misit ac dedit in redemptorem, in salvatorem, imo in fratrem et socium? Nonne hoc donum est pretiositatis immensæ? Ideo in prima sua
Canonica scribit Joannes : In hoc apparuit *I Joann.* IV, 9.
caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

Denique Pater dedit nobis Filium suum in redemptorem, quia per eum a nostris peccatis nos emundavit, a vinculis vitiorum absolvit, a jugo iniquitatis eripuit, a servitute malitiæ liberavit. Idcirco de Filio
Dei dixit Joannes Baptista : Ecce Agnus *Joann.* I, 29.
Dei qui tollit peccata mundi. De quo in
Apocalypsi habetur : Qui dilexit nos, et *Apoc.* I, 5.
lavit nos a peccatis nostris in sanguine
suo; et in Isaia : Ipse autem vulneratus *Is.* LIII, 5.
est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Insuper Pater dedit nobis Filium suum *I Joann.* IV, 14.
in salvatorem, quia per eum non solum nos a præfatis malis redemit, sed et donis gratiæ adimplevit, de sacramentis et aliis necessariis ad salutem providit, atque ad veram salutem et veram felicitatem reduxit. Propter quod ipsemet Christus
testatur : Ego veni ut vitam habeant, et *Joann.* X, 10.
abundantius habeant; et rursus : Pater, *Ibid.* XVII, 24.
quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. Itaque sicut in

Joann. I, 16. Joanne habetur : De plenitudine Christi omnes accepimus. Primo enim inde accepimus in Baptismo, in quo merito passionis Christi dimissum est nobis originale peccatum, et donis gratiæ ac virtutum sumus repleti. Deinde in sacramento Pœnitentiæ, de plenitudine Christi accepimus actualium peccatorum nostrorum remissionem, atque virtutum ac gratiæ infusionem. Et Christus in sua passione aperuit nobis januam regni cœlestis : propter quod passione instante dixit Apostolis, et in eorum persona cunctis fidelibus, Vado parare vobis locum, ut ubi sum ego, et vos sitis. *Ibid.* XIV, 2, 3.

Præterea Deus Pater dedit nobis unigenitum et amantissimum Filium suum in fratrem, per hoc quod eum nostræ naturæ fecit participem et Virginis filium. Propter quod Christus post resurrectionem beatissimæ Magdalenæ præcepit : Vade, et dic fratribus meis, hoc est Apostolis. *Matth.* XXVIII, 10 ; *Joann.* XX, 17. Ecce quantum dignificavit nos Deus Pater, per hoc quod unicum Filium suum fecit veraciter hominem. Quem etiam fecit socium hominum, quia ut in Baruch legitur : Et cum hominibus conversatus est. *Baruch* III, 38. Et ad Hebræos ait Apostolus : Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. *Hebr.* II, 17. Unde in hymno cantat de Christo Ecclesia :

> Se nascens dedit socium,
> Convescens in edulium ;
> Se moriens in pretium,
> Se regnans dat in præmium.

Imo utique Christus inter discipulos suos familiarissime atque dulcissime conversabatur. Refert namque in Itinerario suo B. Clemens, quod quoties beatissimus Petrus apostolus recordabatur quam familiariter ac suaviter Christus secum ac cum ceteris discipulis conversari solebat, statim resolvebatur in lacrimas ex inflammatione et liquefactione cordis sui in Christo.

Quoniam ergo Pater æternus tam amorose ac gratiose ad nos miserrimos peccatores se habuit, et tam præclarissima beneficia per Christum nobis largitus est, atque a nobis Pater vocari dignatur, et Spiritum Sanctum cordibus nostris immisit, infudit ac contulit, nequaquam ingrati simus supergloriosissimo ac vere piissimo Patri æterno, sed omnem negligentiam et torporem abjiciamus, et alacri, ferventi seriosoque animo ei in omnibus obsequamur ; turpissima et prorsus vilissima carnis inquinamenta ab omnibus devitentur, et Spiritui Sancto cordis nostri habitaculum semper purum fideliter conservemus, vana et inutilia verba vitantes, atque cum omni custodia corda nostra ab omni peccato custodientes, ut Deum vocare Patrem simus condigni. *Prov.* IV, 23. Nam ipse per Malachiam prophetam locutus est : Si pater ego sum, ubi est honor meus ? *Malach.* I, 6.

Legitur in libro de Viris illustribus ordinis Cisterciensis, quod dominus Gerardus, monachus et frater S. Bernardi, quum ageret in extremis, valde multipliciter exsultavit in Deo; et ejus caritatem ac pietatem circa homines valde admirans, nec satis admirari valens, adstantibus dixit : O quanta est dignatio Dei, quod ab hominibus Pater vocari dignatur, et quanta est dignitas hominis, quod Deum nominat Patrem ! Postea vir ille devotus in laudibus Dei perdurans, feliciter obdormivit in Domino.

Quoniam ergo juxta Apostolum, Christifideles non sunt servi, sed filii Dei, serviamus Deo non servili timore, hoc est ex formidine pœnæ aut damnationis æternæ, *Galat.* III, 26. sed ex puro amore et filiali timore, Dei offensam summique Patris inhonorationem magis quam nostram punitionem abhorrentes et devitantes : aliter non essemus vere in caritate et gratia, quia non magis diligeremus Deum quam nosmetipsos. Sincero igitur corde indesinenter Deo adhæreamus, qui est super omnia incomparabiliter præamandus ac honorandus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERANT MARIA ET JOSEPH MIRANTES SUPER HIS QUÆ DICEBANTUR DE ILLO, ETC. Luc. II, 33-40.

EVANGELIUM præsens recte in hac dominica legitur, quia adhuc durat festivitas nativitatis Christi, et in hoc evangelio summatim rememorantur ac breviter perstringuntur magnalia quæ circa nativitatem Christi et ante eam ac postea contigerunt, quemadmodum in expositione patebit. Verumtamen res de qua loquitur evangelium istud, gesta est in die purifi- (*Luc.* II, 22 et seq.) cationis. Quum enim Virgo gloriosa in die purificationis filium suum, puerum Jesum, præsentasset in templo, et Simeon justus ac timoratus accepisset infantem in ulnas suas, benedixissetque Deum, dicens, Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace, etc. ; contigit quod nunc Lucas recitat evangelista :

Erant Maria et Joseph mirantes super his quæ dicebantur de illo, puta de puero Jesu. Textus tamen habet sic : Et erant pater et mater mirantes, etc. Attendentes ergo Virgo sanctissima et Joseph quam magna, sublimia et divina erant quæ dicebantur de Jesu ab angelis, a parentibus Præcursoris, a pastoribus, a tribus Magis, a Simeone et Anna, vehementissime mirabantur.

Unde circa hunc locum loquitur Origenes : Congregemus in unum quæ de parvulo Jesu dicta scriptaque sunt, et tunc scire poterimus singula quæque digna esse miraculo. Nempe eadem hora qua de intemerata atque mundissima Virgine natus est Jesus, angelus Dei dixit pastori- (*Ibid.* 10, 11.) bus : Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Adhuc angelo hæc loquente, repente advenit multitudo cœlestis militiæ, hoc est exercitus innumerabilium angelorum, laudantium Deum, atque (*Ibid.* 14.) dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quibus visis atque auditis, pastores (quos et lux desuper fusa copiosissime circumfulsit) loquebantur ad invicem, Eamus in (*Luc.* II, 15.) Bethlehem ; et venerunt, inventoque puero, narraverunt matri ejus ac Joseph omnia quæ viderunt et audierunt. Paulo post venerunt tres Magi ab oriente : qui quum (*Matth.* II, 1, 2, 9-11.) puerum adorassent et regiis honorassent muneribus, recitaverunt Mariæ qualiter stella eis in oriente apparuit et circa Jerusalem disparuit, rursusque extra Jerusalem apparuit præcessitque eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Deinde in die purificationis, Maria et Joseph tulerunt infantulum in Jerusalem, et præsentaverunt obtuleruntque eum Deo Patri in templo ; et tunc Simeon justus accepit Jesum in brachiis suis, et Dominum laudans ac gratias agens ei, devotissime canticum illud sententiosum, quamvis brevissimum, cecinit, dicens : Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace, etc.

His omnibus consideratis, humillima atque piissima virgo Maria et simplex ac humilis custos ipsius, summe mirati sunt super tantis mirabilibus Dei : præsertim quod is de quo tanta ac talia dicebantur, dignatus est in tanta paupertate ac humilitate venire ac apparere ; quod item de tam tenello, pauperculo humillimoque puerulo tam sublimia dicebantur, videlicet quod esset salutare Dei Patris, rex Messias, ac omnium Dominus, lumen gentium, gloria Judæorum, Salvator mundi, Unigenitus Dei, verusque Deus. Hæc siquidem opera Dei, mirabiliora et magnificentiora fuerunt quam mundi creatio et ea quæ Deus fecit in mundi exordio. Mirabantur

quoque non parum Maria et Joseph se esse electos ad tantum mysterium, quod scilicet ipsa Virgo electa esset in matrem, et Joseph in nutricium et ministrum familiarissimum pueri tanti, et quod eis creditus atque commissus esset mundi thesaurus. Hæc itaque mirabantur admiratione reverentiæ et congratulationis, non dubitationis. Mirabantur etiam ista admiratione profundæ contemplationis, quoniam ea plane comprehendere non valebant, quemadmodum viri contemplativi, imo et universi in cœlo, beatissimam Trinitatem mirantur. Unde, secundum Bernardum, prima et summa species contemplationis est admiratio majestatis. Et merito mirabantur, quia ut asserit Augustinus, homo natus de virgine, mirabilius forsitan opus est quam mundus. Hinc in Isaia de Christo prædi-
Is. IX, 6. ctum est : Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, etc. — Denique Joseph dictus est pater Christi, quia nutricius ejus fuit, et quia ob conservandam virgineæ Matris famam, permissus est pater Christi putari. Quocirca loquitur Origenes : Qui altius quid inquirit, dicere potest : quoniam generationis Christi ordo a David usque Joseph deducitur, ne videretur Joseph frustra nominari, pater Domini appellatus est.

Et benedixit illis, puta Mariæ et Joseph, ipse *Simeon.* Consuetudo quippe fuit sacerdotibus veteris Testamenti, benedicere parentibus infantes suos in templo offerentibus cum debitis hostiis : et benedictio illa videtur fuisse imprecatio seu postulatio boni, qua sacerdos petebat eis bona a Deo. Forma tamen hujus benedictionis non est ab Evangelista expressa; sed forsitan illa fuit, aut similis illi, de qua in Nume-
Num. VI, 22-26. ris habetur : Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Sic benedicetis filiis Israel : Benedicat tibi Dominus et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Verumtamen reor quod Simeon speciali omnino benedictione benedixerit Mariæ et Joseph, utpote benedictione laudis, dicendo eos beatos ac benedictos. Electionem namque, gratiam ac dignitatem eorum, ipse etiam Simeon plurimum mirabatur.

Sed quum dicat Apostolus, Absque ulla *Hebr.* VII, 7.
contradictione, quod minus est a majore benedicitur : quomodo decuit Mariam benedici a Simeone, quæ ipso tam ineffabiliter dignior fuit ac sanctior? Ad hoc respondetur dupliciter. Primo, quod Simeon major fuit Maria et Joseph officio, quia sacerdos, non merito : major autem officio, benedictionem largitur. Secundo, quia duplex est benedictio, scilicet consecrationis, et laudis aut imprecationis. Prima spectat ad superiores; secunda tam superioribus quam inferioribus competit : et secundum hanc nos benedicimus Deum. Simeon quoque non solum Mariæ et Joseph, sed Deo etiam benedixit. Præterea aliqui putant, quod Simeon benedixit Mariæ et Joseph hoc modo : Benedictus Deus, qui tibi, o Maria, tantam gratiam conferre dignatus est, ut sis mater Christi filii Dei; et tibi, o Joseph, tantam contulit gratiam, ut sis tantæ Matris sponsus, et Filii tanti nutricius.

Et dixit Simeon *ad Mariam matrem ejus.* Et magis dirigit verbum suum ad illam quam ad Joseph, quoniam ipsa exstitit vera genitrix Christi, Joseph vero putativus pater ipsius : idcirco ad Mariam potius spectant quæ prædicabantur de Christo. *Ecce positus est hic* puer tuus *in ruinam,* hoc est perditionem, *et in resurrectionem,* id est salvationem, *multorum in Israel,* id est in populo Israelitarum seu Judæorum. Christus enim per suam incarnationem, prædicationem, vitam ac passionem, fuit multis Judæis causa illuminationis atque salutis : de quibus dixit, Ego scio quos elegerim. Sed multo pluri- *Joann.* XIII, 18.
bus fuit occasio excæcationis, transgressionis, et condemnationis : quibus iterum dixit, Vos non estis ex ovibus meis; et ali- *Ibid.* X, 26.
bi, Ego veni in nomine Patris mei, et non *Ibid.* V, 43.
recepistis me. Hinc rursus : In judicium *Ibid.* IX, 39.
(inquit) ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fi-

ant. Ubi per videntes, intelliguntur illi qui A magni et sapientes fuerunt in oculis suis : ut Pharisæi et Scribæ sacerdotesque Judæorum, qui pro maxima parte manserunt increduli. Porro, per non videntes, intelliguntur idiotæ et simplices : quorum multos Christus illuminavit, inter quos fuerunt Apostoli, ceterique discipuli. Juxta hunc
Matth. xi, 25; Luc. x, 21. sensum Christus ait in Matthæo : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

Generaliter autem Christus venit in rui- B nam omnium reproborum, et resurrectionem omnium electorum. Jam equidem sermo est de spirituali resurrectione, qua homo per sacramenta Baptismi ac Pœnitentiæ atque per dona gratiæ, a peccatis
Ephes. v, 14. resurgit, juxta illud Apostoli : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. Similiter de ruina peccati, quæ est ipsamet culpa, de qua jam sermo est; et de condemnatione æterna, quæ est effectus culpæ atque per-
Joann. iii, 18. fidiæ, secundum illud Joannis : Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit C in nomine unigeniti Filii Dei. — Sed quæri potest, quomodo Christus positus est a Deo in ruinam multorum : nam Deo actore nemo fit pejor, nec ruit in culpam. Dicendum, quod positus est in ruinam non causaliter, sed occasionaliter, non occasione data, sed assumpta : sicut Judæi, ex sua malitia, in verbis ac factis scandalizati sunt Salvatoris.

Postremo, intelligi posset hic passus, quod Christus in eorumdem Israelitarum ruinam resurrectionemque positus sit. Nam D multi illorum ante Christi passionem et in passione ipsius adversati sunt ei, qui postea per Apostolorum prædicationem conversi sunt, redempti sanguine quem fuderunt. Quibus passione instante Christus prædixit:
Ibid. viii, 28. Quum exaltaveritis Filium hominis, hoc est, in cruce suspenderitis eum, tunc cognoscetis quia ego sum; quibus et in Actibus lo-
Act. iii, 17, 19. quitur Petrus apostolus : Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri; pœnitemini ergo, etc. In horum ruinam venit Christus indirecte; sed in resurrectionem eorum venit directe.

Et in signum cui contradicetur. Signum, quantum jam sufficit, tripliciter sumitur : primo, pro re aliquid significante, sicut circulus est signum vini venalis; secundo, pro miraculo, sicut apud Joannem, Nisi si- Joann. iv, 48.
gna et prodigia videritis, non creditis; tertio, pro vexillo quo milites unius partis ab aliis discernuntur. Juxta hanc triplicem signi acceptionem, verbum istud tripliciter explanatur. Primo sic : « Positus est hic », scilicet Christus, « in signum », id est ad evangelicæ legis doctrinam hominibus insinuandam : cui signo plurimi contradicunt, puta hæretici et pagani. Mali etiam Christiani opere contradicunt doctrinæ Christi, dicente Apostolo : Confitentur se nosse Tit. i, 16.
Deum, factis autem negant. Juxta secundam signi acceptionem, est sensus : Positus est hic « in signum », id est in miraculum, quia et ipse Christus de Virgine natus, in una persona Deus et homo, est summum miraculum, secundum Augustinum. Omnia quoque quæ de Christo narrat Scriptura, signum seu miraculum sunt, cui perfidi contradicunt : ut quod Christus est Deus verus, huic signo contradixerunt Arius et Photinus atque Eunomius; et quod ipse est verus homo, negavit Manichæus; quod Mater ejus est virgo, negavit Ebion. Sicque exposuit Origenes. Secundum tertiam acceptionem, per « signum » intelligitur crux Christi seu fides crucis formata : quo signo distinguuntur servi ac milites Christi a servis diaboli, dum signum istud a servis Christi debite honoratur ac fronti imprimitur, ab aliis autem despicitur.

Insuper potest exponi de signo pacificationis, eritque sensus : Positus est hic « in signum » fœderis, seu reconciliationis et pacis inter Deum et homines : quoniam factus est Dei ac hominum mediator; et I Tim. ii, 5.
figurabatur per arcum de quo in Genesi loquitur Deus : Arcum meum ponam in Gen. ix, 13.
nubibus, et erit signum fœderis inter me et terram. Hujusque reconciliationis et pacis, Christus est signum, non significative

dumtaxat, sed causaliter quoque, quum A dicat Apostolus : Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum; et denuo, Pacificans per sanguinem suum, sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra. Quidam exponunt sic : Positus est « in signum », id est in exemplum, videlicet : in exemplum humilitatis, cui contradicunt superbi ; in exemplum contemptus omnium terrenorum, seu paupertatis, cui contradicunt avari; in exemplum totius munditiæ, cui contradicunt libidinosi.

Ephes. II, 14. Coloss. I, 20.

Postquam S. Simeon Christi magnificen- B tiam excellentiamque deprompsit, vocando eum salutare Dei, lumen gentium, gloriam verorum Israelitarum, atque per hoc Matrem virgineam lætificavit; protinus de Christi passione subjungit, ut caritativo gaudio Matris pius compassionis dolor ad maximum ejus meritum misceatur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,* id est acutissimus ac intensissimus dolor compassionis maternæ. Hoc fuit potissimum in die Parasceves, quando passioni Christi affectuosissima Mater ejus inter- C fuit, et præcipue quando videbat eum pendentem inter latrones in cruce, quando dixit ad eam : Mulier, ecce filius tuus. Frequenter quoque ante passionem Christi, piissima Mater ejus condoluit ei, videndo et audiendo persecutiones, detractiones, blasphemias quibus perversi pravissimique Judæi suum unicum Filium impetebant. Imo sicut B. Brigitta vidua in suis revelationibus valde credibiliter scribit : Virgo sanctissima sæpe ab infantia Christi, cogitando de passione ejus futura, D gravissime tristabatur et amarissime torquebatur, in tantum quod interdum præ doloris vehementia pene defecit. Quemadmodum enim incomparabiliter Filium suum diligebat, sic summe ac incredibiliter ei condoluit : quod Deo disponente contigit ad maximum Virginis meritum atque omnium nostrum subsidium, quia per hoc quod Virgo Christifera suo in tantum condoluit Filio, meruit in omnibus exaudiri ab ipso, et compassionis illius merito innumerabiles peccatores misericordiam conversionisque gratiam assequuntur. De hoc demum gladio spirituali fertur de Joseph in Psalmo : Ferrum, id est dura tribulatio, pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

Joann. XIX, 26.

Ps. CIV, 18, 19.

Porro Ambrosius per gladium intelligit Verbum seu sapientiam (unde ait Apostolus : Accipite gladium spiritus, quod est verbum Dei), ut sit sensus : « Tuam ipsius animam pertransibit gladius », hoc est, verbum Dei seu sapientia infusa mentem tuam intime illustrabit, ita quod mysterii crucis non eris ignara, sed rationes et utilitates passionis Filii tui cognosces. Hanc etiam expositionem tangit vir illustrissimus ac disertus S. Paulinus episcopus, in sermone ad Augustinum. Et allegant hi Sancti illud Apostoli ad Hebræos : Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Hoc tamen ad litteram scribit Apostolus de increato sermone, Verbo æterno, Unigenito Patris. De quo sermone sub eodem contextu ibidem scribit Apostolus : Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Potest quoque per gladium passio Christi intelligi, quæ Mariæ animam per compassionem intimam penetravit. Et recte passio Christi gladius nuncupatur : quia de invisibilium hostium manibus nos abscidit; chirographum decreti quod erat contrarium nobis incidit, videlicet nostræ damnationis sententiam, qua propter originale peccatum omnes a regno excludebantur cœlesti; putredinem vitiorum ab hominibus amputavit, carcerem infernalem confregit, et cœlestis paradisi januam reseravit.

Ephes. VI, 17.

Hebr. IV, 12.

Ibid. 13.

Coloss. II, 14.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Verbum istud obscurum est, referrique potest ad particulam immediate præhabitam, scilicet, Et tuam, etc.; vel ad illud, Positus est hic in ruinam. Ex hoc etenim quod Christus venit in quorumdam resurrectionem sive salutem, atque in aliorum ruinam, et ex passione ejus compassioneque Matris ipsius, factum est ut multorum hominum cogitationes quæ ante

latebant, aliis per quædam signa manifestarentur. Inde namque innotuit, quis per bonas cogitationes Deum quæsierit, quis vere in Christum crediderit, quis ejus adventum sincere optaverit, quis temporalia promissa in Christi adventu danda exspectans, noluerit credere in præsentem, egenum ac humilem, quem credebat futurum. Denique tempore passionis Christi, ostenderunt Judæi cogitationes quas habuerunt de eo : nam multi eorum tunc eum publice negaverunt, quem in miraculis et in die Palmarum honoraverunt, et esse Messiam professi sunt. Juxta hanc expositionem, dictio *ut* tenetur concomitanter, non
Ps. L, 6. causaliter : sicut in Psalmo, Tibi soli peccavi, ut justificeris. Non enim ideo passus est Christus ut talis cogitationum manifestatio fieret, sed ad ejus passionem secuta est.

Secundo sic : « Ut revelentur », id est, in confessione seu humili sui ipsius accusatione aperiantur, « ex multis cordibus » peccatorum « cogitationes » iniquæ : quæ ante confessionem latebant, sed merito sanctitatis passionisque Christi data est, et datur quotidie hominibus, gratia confitendi salubriter. Sicque ly *ut* tenetur causaliter : nam ideo venit ac passus est Christus, ut hominibus gratiam hanc mereretur ac largiretur. Ita exponit Origenes, dicens : Cogitationes in hominibus malæ erant, quæ idcirco in medium sunt prolatæ, ut occideret eas qui pro hominibus mortuus est. Ideo itaque passus est Christus, et Virgo mater ejus compassa est ei, ut fideles Christi passionem et Matris compassionem cordialiter attendentes, de pravis ac vanis cogitationibus suis se reprehendant, accusent ac confiteantur.

Deinceps describitur testimonium Christo a sancta vidua Anna exhibitum. Ab utroque siquidem sexu testimonium voluit Christus habere, qui utrumque sexum venit salvare. *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser,* ita quod Phanuel iste pater Annæ fuit de progenie Aser, qui fuit unus duodecim Patriarcharum filiorum Jacob. *Hæc processerat in diebus multis,* id est, diu vixit, et virtuti-

A bus magis quam ætate profecit; *et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua,* id est ab eo tempore quo eam adhuc virginem sumpsit uxorem, incipiendo septennium a tempore quo talem eam accepit. *Et hæc vidua* fuit et mansit *usque ad annos octoginta quatuor,* id est, quousque ad illam ætatem pervenit. Sicque honorabilior et fide dignior fuit ob suam continentiam vidualem tam diuturnam, et ob suam venerabilem senectutem ac sapientiam. Scriptum est enim : Coram cano ca- *Lev.* XIX, 32.
B pite consurge, et honora personam senis ; et alibi, In antiquis est sapientia. *Job* XII, 12.

Quæ non discedebat de templo Jerusalem : non quod absque interruptione ibi permanserit, quum subdatur, Hæc ipsa hora superveniens; sed quoniam omni tempore opportuno, et præ ceteris ibi frequentius fuit. Juxta quem sensum ait Salvator, Oportet semper orare ; et de ho- *Luc.* XVIII, 1.
mine multum devoto et ecclesiam assidue visitante dicimus, quod semper est in ecclesia. *Jejuniis et obsecrationibus ser-*
C *viens* Deo, cui soli cultus latriæ est impendendus, *nocte ac die,* id est competentibus horis seu vicibus diei noctisque. Porro obsecratio proprie dicitur invocatio Dei cum alicujus sacri commemoratione, sicut dum dicimus : Secundum misericor- *Ps.* XXIV, 7.
diam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine ; vel, Per passionem tuam libera nos, Domine.

Et quamvis hæc vidua sancta, in omni virtute exercitiisque virtutum fuerit inclyta, specialiter tamen de orationibus et jeju-
D niis commendatur, quia in eis se specialiter occupavit et splenduit, sicut et Simeon de timore Dei et justitia præcipue collaudatur, qui in eis se specialiter occupavit ; itemque, quia orationibus jejuniisque insistere ad viduas specialiter pertinet, ut in continentia valeant viduali manere. Oratio namque et jejunium concupiscentias carnis refrenant. Jejunium vero ad orationem disponit, sobriam ac vigilem mentem præstando, loquacitatem, lasciviam pigritiamque pellendo : quæ omnia ex edacitate

nascuntur. Ad mentis etiam illuminationem totiusque gratiæ incrementum prodest jejunium. Sed et quanta sit virtus orationis atque jejunii, breviter tangit Christus, de pessimo genere dæmonum as-
Marc. IX, 28. serens : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

Itaque per longa jejunia, per orationes assiduas et ferventes, per devotissimam et continuam in templo demorationem, per continentiam vidualem, promeruit femina ista gratiam prophetalem. Per hæc enim ad Deum anima elevatur, culpa dimittitur, mens sanctificatur, ita ut instar speculi tersi, pervii ac politi, divinæ illustrationis sit capax. Si ergo et nos a vitiis expurgari, concupiscentias refrenare, in gratia atque virtutibus crescere, dæmonibus prævalere, desuper illustrari et sanctificari optamus, jejuniis et orationibus jugiter insistamus, in Dei templo stabiliter maneamus.

Et hæc sacratissima, *ipsa hora* qua Simeon amplexabatur infantem Jesum, *superveniens,* id est, templum ingrediens, instigante eam Spiritu Sancto, cujus revelatione cognovit quid in templo ageretur, et quod ibi Christus adesset, *confitebatur Domino,* id est, Deum laudavit, et Christo gratias egit quod juxta Prophetarum oracula ad mundi salvationem descendit. Est autem triplex confessio. Prima est propriæ
Jacob. V, 16. culpæ, de qua Jacobus ait apostolus : Confitemini alterutrum peccata vestra. Secunda est laudis divinæ, de qua loquitur Chri-
Matth. XI, 25; *Luc.* X, 21. stus : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ. Tertia est protestatio credendorum,
Rom. X, 10. de qua ait Apostolus : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Prima est actus pœnitentiæ; secunda, latriæ; tertia, fidei. *Et loquebatur de illo,* id est de Christo et ejus adventu, incarnatione, ceterisque mysteriis, *omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem,* id est liberationem Israeliticæ plebis a jugo peccati, a potestate diaboli, a condemnatione æterna. Unde per Jerusalem Judææ metropolim, tota plebs seu regio designatur. Omnibus ergo Christi adventum optanti-

A bus, quibus convenienter loqui poterat, Anna hæc sancta testabatur Christum jam advenisse. Verumtamen verba ista non sunt in speciali descripta.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, id est, postquam Maria et Joseph omnia in templo egerunt quæ secundum legis præcepta ad ritum purificationis spectabant, videlicet infantem in templo offerendo, et quinque siclis hunc redimendo, legalesque hostias immolando : *Lev.* XII, 8.
quamvis ad nullum tenebantur istorum,
B quia Christus de necessitate non fuit legi subjectus; *reversi sunt in Galilæam,* videlicet *in civitatem suam Nazareth :* quæ dicitur urbs eorum, quia habitaverunt in ea antequam venerunt in Bethlehem.

Puer autem crescebat, secundum quod homo, ætate et corporis quantitate : qui ut Deus, idem ipse est et invariabilis permanet, æternaliterque perfectus est; *et confortabatur* robore corporali, secundum incrementi mensuram. Vel, « confortabatur » spiritu, id est in anima sua a Spiritu San-
C cto, non per novam gratiæ aut virtutum susceptionem, vel earum augmentum, quia ab ipso incarnationis momento plenus fuit omni gratia, virtute ac dono Spiritus Sancti; sed confortabatur quantum ad suæ perfectionis manifestationem, quam tempore opportuno magis ac magis ostendit. Vel, « confortabatur », quia in confortatione spirituali animæ suæ in momento suæ creationis collata, incessabiliter conservabatur a Spiritu Sancto, seu tota gloriosissima Trinitate. *Plenus sapientia,* quia ut Deus,
D fuit substantialiter sapiens, et Sapientia ipsa æterna, increata, immensa. Anima quoque Christi fuit repleta sapientia creata infusa multiplici, ut infra dicetur. *Et gratia Dei erat in illo.* Tanta quippe plenitudo gratiæ fuit in illo secundum naturam assumptam, quantum capere poterat mens creata, ita quod tota capacitas animæ ejus fuit gratia Dei impleta a suæ creationis exordio. Verum de intelligentia hujus verbi plenius dicam in expositione evangelii sequentis dominicæ.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO QUILIBET CHRISTIANUS DEBEAT MIRARI DE IIS QUÆ DE CHRISTO IN SCRIPTURIS DICUNTUR.

A*MBULETIS digne Deo, per omnia crescentes in scientia Dei.* Coloss. I, 10.

In his verbis duo tanguntur. Primum est, exhortatio ut Deo digne vivamus, quum dicitur : Ambuletis digne Deo. Secundum est, admonitio ut in scientia Dei crescamus, dum subditur : Per omnia crescentes, etc.

Circa primum est considerandum, quid sit digne Deo ambulare. Scias ergo, o homo, quod Deo digne ambulare, est Domino summo et omnipotenti cum debita reverentia deservire, cum debita promptitudine obedire, cum debita puritate jugiter adhærere. Videmus namque in sæculo isto, quod majoribus principibus ac prælatis cum ampliori reverentia ac diligentia deservire oporteat : nonne ergo cum summa et incomparabili reverentia ac diligentia mentis, Deo majestatis immensæ ministrare necesse est? Merito ergo damnabiles, viles ac vitiosi censentur, qui homines magis quam Deum reverentur, timent ac erubescunt, qui in abscondito faciunt ea quæ turpe est dicere, qui coram Deo non erubescunt cogitare atque appetere quæ coram hominibus non auderent exprimere, quum tamen cogitationes cordis sint verba animæ coram Altissimo : qui etiam dum aliquid boni faciunt in Dei obsequio, cum aliquali saltem reverentia ac diligentia faciunt illud, ubi se ab hominibus putant videri ; alias, sine cura atque custodia, cum irreverentia et torpore faciunt illud. O excæcati ac miseri, qui nec angelorum præsentiam nec Divinitatis adspectum perpendunt, nec curant, nec reverentur! Quibus clamat Propheta : Maledictus qui opus Dei facit negligenter. (*Jer.* XLVIII, 10.) Quidquid

A ergo boni egerimus, sive orando, sive Deum laudando, sive divinum Officium audiendo, aut eleemosynas dando, aut confitendo vel communicando, cum tota mentis reverentia et omni cordis attentione agamus, propriam semper parvitatem atque divinam sublimitatem pensantes, ut in vera humilitate omnia faciamus.

Denique digne Deo ambulare, est omnia quæ præcepit fideliter observare, et tamen se servum inutilem ac indignum reputare : quoniam Deo nihil utilitatis attulimus,

B nil ei profecimus; sed pro propria salute, quæ Deus jussit implevimus, imo id ad quod tenebamur effecimus. Siquidem eo ipso quo a Deo conditi sumus, et quidquid habemus ac sumus accepimus, ei obedire tenemur, atque nos ipsos et omnia nostra in ejus obsequium et honorem expendere obligamur. Hinc omnem præsumptionem, jactantiam vanamque gloriam a nobis Christus excludere volens, apud Lucam loquitur : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; (*Luc.* XVII, 10.)

C quod debuimus facere, fecimus. Huicque verbo saluberrimo convenientissimam valde similitudinem præmisit Salvator, dicendo : Quis vestrum habens servum arantem aut boves pascentem, qui regresso illi de agro dicat, Statim transi et recumbe; et non dicat ei primo, Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et postea tu manducabis et bibes? Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. (*Ibid.* 7-10.) His verbis Christus adjecit quod al-

D legatum est : Sic et vos quum feceritis, etc. Et loquitur Christus in introductione hujus parabolæ secundum consuetudi-

nem regionum ubi sic observatur, sive in casu.

Præterea, ita digne Deo ambulando, debemus crescere «in scientia Dei», id est in notitia Domini Dei nostri, ac divinarum ac spiritualium rerum : quoniam ea quæ in Scripturis legimus, aut prædicari audivimus, debet quilibet Christifidelis diligenter attendere, memoriter retinere, et ex uno aliud considerare. Ideo ait Salvator : (*Luc.* XI, 28.) Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Et de beatissima Virgine scriptum est : (*Ibid.* II, 19.) Maria conservabat omnia verba de Christo prolata, conferens ea in corde suo. Apostolus quoque ait : (*Coloss.* I, 9.) Postulamus ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali.

Quoniam ergo magnalia Christi in principio expositionis evangelii hodierni prætacta, singulis annis prædicantur in ecclesia, debet ea ac cetera Christi mysteria atque miracula virtuosaque opera unusquisque fidelium intueri et humiliter admirari. Devota ergo et grata mente miretur quilibet nostrum, quod unigenitus Filius Dei tanti nos æstimavit, tanta pro nostra salute fecit ac pertulit; quod pro nostra redemptione factus est homo et puer unius diei, qui in divinitate sua æternus est ; quod in tam summa paupertate, humilitate ac obedientia vixit in sæculo isto, qui universorum creator ac dominus esse cognoscitur; quod tam inæstimabilis est misericordia ejus super nos in vita præsenti, quia quacumque hora ingemiscit peccator (*Ezech.* XVIII, 21, 22.) vere ex corde, ignoscitur ei; quod item tam rigorosa ac inflexibilis est justitia ejus post vitam hanc, quia pro uno peccato mortali pœnam infligit æternam. Quoniam ergo ipsemet Unigenitus Dei tanti nos æstimavit, tanta pro nobis assumpsit, egit et passus est, atque ad æternam beatitudinem nos creavit, negligentes vero, impios et ingratos perpetue condemnabit, tanto districtius, quanto pro eis plura fecit et toleravit : hinc non parvi pendamus causam animæ nostræ quam habet cum Deo, non negligamus nos ipsos; sed universa quæ dicta sunt vivaciter semper pensemus, et digne Deo ambulare cum sancta sollicitudine satagamus.

Mirabilia quoque atque magnalia quæ de Christo credimus, legimus seu audimus, taliter admiremur cum reverentia et congratulatione, congaudendo videlicet gloriæ et excellentiæ Christi, ut ea nequaquam præsumamus curiose scrutari aut comprehendere velle, quia ut Salomon ait : Sicut qui nimium comedit mel, non (*Prov.* XXV, 27.) est ei bonum, sed evomet illud, sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Propterea scriptum est : Altiora te (*Eccli.* III, 22.) ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Verumtamen pia, moderata ac sobria scrutatio mirabilium divinorum non exstat illicita, quum dicat Psalmista : Mirabilia testimonia tua, Domi- (*Ps.* CXVIII, 129.) ne, ideo scrutata est ea anima mea. Verbi gratia, quod Christus vere præsens est in Sacramento altaris, ita quod corpus ejus sub speciebus panis veraciter continetur, valde mirabile est; nec debemus hoc immoderate scrutari, aut comprehendere velle qualiter ibi sit, sed fide certissima præsupponere immobiliterque tenere quod ita sit, et quod Deus omnipotens hoc potest et facit modo prorsus imperscrutabili. Hoc quoque præsupposito, debemus pie, affectuose atque gratanter mirari omnipotentiam Dei in mirabilibus Sacramenti, et tantam caritatem, pietatem ac liberalitatem Christi ad homines.

Ad hanc quoque sobriam divinorum admirationem valde necessaria est discretio et illuminatio Spiritus Sancti : quia si be- (*Exod* XIX, 12, 13 ; [illegible] XII, 20.) stia tetigerit montem, lapidabitur, id est, si homo carnalis et grossus, aut curiosus vel præsumptuosus, perscrutationi se ingesserit divinorum, rejicietur et cadet. Ideo orat Psalmista : Revela oculos meos, (*Ps.* [illegible] 18.) Domine, et considerabo mirabilia de lege tua. Nempe ad tam sublimem contemplationem invalidum est mentis humanæ lumen naturale, nisi juvetur ac clarificetur

lumine gratiæ. Ad quam illuminationem A supernam maxime confert conversatio virtuosa, ut scilicet digne Deo conversetur, qui ab ipso ad divinorum sobriam admirationem illuminari conatur. Nam vita activa ad contemplativam disponit, et de activa vita itur ac scanditur ad contemplativam, sicut per januam intratur ad aulam, et per gradus ad solarium.

Legitur, quod frater Ægidius, qui fuit unus de primis discipulis ac Fratribus S. Francisci, fuit vir altæ et magnæ contemplationis, totiesque quotidie rapiebatur B ad Deum, quod inter homines vitam angelicam ducere videbatur, sicut et Bonaventura describit. In illis autem diebus vixit S. Ludovicus rex Franciæ; qui ex devotione præcipua septem annis peregre ambulavit occulte per mundum, et visitavit loca sacra, sanctosque viros. Tandem devenit ad locum in quo fuit præfatus frater Ægidius, cupiens alloqui eum. Ægidius vero inter Fratres exsistens, revelante Spiritu Sancto agnovit sancti regis illius præsentiam, atque ex spiritualis amoris fervore, et magnæ devotionis excessu, cœpit quasi ebrius ad januam, ante quam stetit rex, currere. Vidensque regem, prostravit se humiliter coram eo in terram; rex quoque similiter corruit super terram. Post aliquantulum horæ spatium ambo simul surgentes, et nil pariter conferentes, ab invicem discesserunt. Interrogatus autem ab uno de suis frater Ægidius cur regem allocutus non esset, respondit: Vidimus mutuo corda nostra tam clare, quod opus non erat aliquid loqui. Ecce quantam illuminationem Spiritus Sancti meretur virtuosa ac diligens vita. Deus namque, tanquam sol sapientiæ, ubi viderit mentem suæ illuminationis capacem, id est puram ac humilem, protinus eam illustrat. Puro ergo ac vigili corde Deo totius fonti munditiæ incessabiliter obsequamur.

SERMO TERTIUS

QUALITER CHRISTUS POSITUS SIT IN RUINAM ET RESURRECTIONEM MULTORUM IN POPULO CHRISTIANO, ET IN SIGNUM CUI CONTRADICITUR.

QUI *se dicit in Christo manere, debet* C *sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* I Joann. II, 6.

In hoc verbo sententiosissimo ac salubri, compendiosissime docet evangelista Joannes, qualis debeat esse vita cujuslibet Christiani. Talis etenim debet esse, qualis fuit in sæculo isto conversatio Christi, etsi non per æqualitatem, tamen per imitationem fidelem: discipuli equidem magistrum, servi dominum, membra caput, milites regem assequi debent. Ideo Christus perhibuit: Ego sum via, veritas et D vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et alibi: Ego sum (inquit) lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Joann. XIV, 6. — *Ibid.* VIII, 12.

Qualis autem fuit conversatio Christi in sæculo isto, ipsemet pandit, dum ait: Non reliquit me Pater solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper; et alibi, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; itemque, Ego non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me. Tota igitur vita Christi in mundo, fuit una summa atque continua honoratio Patris æterni, atque ipsius adimpletio præceptorum; incessanter etiam Christi anima fuit divinæ contemplationi intenta: sed hæc nullus nostrum sequi potest perfecte. Verum Christus est nobis omnibus omnium exemplar virtutum: cui quanto plus appropinquamus, tanto plus spiritualiter cresci-

Joann. VIII, 29. — *Ibid.* XIV, 31. — *Ibid.* VIII, 50.

mus, in gratia ac virtutibus proficiendo. In A omni etenim genere, primum est mensura et regula aliorum. Quamvis ergo in hoc Christum sequi non valeamus, quod ipse indesinenter et impermixte egit quæ Patri sunt placita, et ejus contemplationi sine interruptione vacavit, tamen in hoc sequi *Joann.* XIV, 31. eum tenemur, quod sicut mandatum dedit ei Pater, sic fecit. Ita et quilibet Christianus in primis observet Dei præcepta, se- *Matth* XIX, 17. cundum quod ait Salvator, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; præcepta quoque Ecclesiæ ac sui prælati.

Christus autem præcepta legis moralia, scilicet decem mandata, in Evangelio *Ibid.* V, 44. explanavit; multa quoque adjecit, inimicos amare præcipiens, et malefacientibus bona rependi jubens. Quicumque ergo inimicos suos non diligit, quicumque vindictam præter ordinem juris exquirit, qui mala pro malis rependit, vere christianus non est. Quicumque non est mitis et humilis corde, quicumque concupiscentiis suis non dominatur, quicumque propriam voluntatem divinæ legi non subjicit, ne- C quaquam dignus est christianus vocari. Quicumque toto corde Deum non diligit; quicumque non amat proximum (omnem videlicet hominem viatorem in mundo hoc conversantem) sicut se ipsum; qui non facit alteri quod rationabiliter vellet sibi fieri, et qui facit alteri quod rationabiliter sibi non vellet fieri : christianus dici non promeretur. Quicumque sibi de aliquo mortali conscius est peccato, vel probabiliter putat se esse in culpa mortali, et tamen statim inde non pœnitet, nec ma- D lum tale relinquere protinus ex toto corde proponit, christianus indigne vocatur.

Hinc in libro de Nomine christiano loquitur Augustinus : Christianus frustra vocatur, qui Christum non imitatur. Quid tibi prodest vocari quod non es? Si ergo christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere : fœdum namque et miserum est, te velle vocari quod non es. Qui christianus vocatur, Christum se habere dominum profitetur, et vere habet, si ei in omnibus obsequatur; si quo minus, non ille Christi famulus, sed subsannator et irrisor est, qui se ejus servum dicit cui servire dissimulat. Huic ergo duplex reservatur damnatio : una pro Dei subsannatione, quem mendaciter dominum appellavit; alia pro qualitate peccati. O stulte, irreverens et ingrate, qui nec Deo consentis, qui te potius vult sua pietate salvari quam tuo perire peccato! Nemo ergo sibi blandiatur, nemo se vana suspicione decipiat; nemo idcirco securus delinquat, quoniam B ira Dei non statim super peccatores descendit; nec ideo putet se impune peccasse, quia non statim a Deo punitur.

Itaque universis qui sola fide informi sunt christiani, id est fide sine caritate ac virtuosis operibus, qui in vitiis suis sordescunt, qui dicunt se nosse Deum, et tamen per reprobam scandalosamque vitam membra ac servi exsistunt diaboli, Christus venit in ruinam : quia multo gravioris damnationis occasio eis est, quod Christi Baptismum ac fidem sortiti sunt. His in Evangelio loquitur Christus : Quare dicitis *Luc.* VI, 46. mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Quibus et princeps apostolici chori in sua secunda ait Canonica : Melius erat II *Petr.* II, 21.22; *Prov.* XXVI, 11. illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti; contigit enim eis illud veri proverbii, Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti.

Hinc ad Hebræos terribiliter loquitur Apostolus : Irritam (inquiens) quis faciens *Hebr.* X, 28, 29. legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hoc faciunt omnes impii Christiani. Filium namque Dei conculcant, quem per peccata mortalia a se repellunt, et diabolo magis quam ei obtemperant atque consentiunt; sanguinem quoque testamenti, id est sanguinem Christi, quo novum confirmatum est testamentum, ducunt pollutum, id est, parvi

pendunt nec reputant, dum se ipsos, pro quorum salute sanguis ille effusus est, tam insipientissime negligunt, neque perpendunt cur pretiosissimum illum thesaurum, videlicet sanguinem suum, summus ac sapientissimus ille mercator Dominus Jesus Christus pro eis expenderit, neque æternam salutem et dona gratiæ, per quæ ad illam pertingitur, efficaciter quærunt; spiritui etiam gratiæ, id est Spiritui Sancto totius gratiæ fonti ac collatori, contumeliam faciunt, dum eum de cordis sui habitaculo per vitiosos affectus excludunt, atque pro ipso in anima sua diabolo locum præstant. Sed ad tantæ perversitatis ingratitudinisque evitationem saluberrime nos hortatur felicissimus Petrus, in prima sua
I *Petr.* I, 13-15, 18, 19. scribens epistola : Sobrii et perfecti, sperate in eam quæ vobis offertur gratiam et salutem, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ tenebris ; sed secundum eum qui vos vocavit sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis, scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati Jesu Christi.

Præterea veraciter christianis, piis, humilibus, castis, mansuetis, caritativis, timoratis innocentibusque hominibus, pœnitentibus quoque, Christus venit in resurrectionem, quia magna gratiæ et salutis causa est eis.

Universis quoque qui virtutibus et præceptis documentisque Christi agunt contraria, positus est in signum cui perversis moribus, terrenis carnalibusque affectibus, pravis operibus contradicunt. Quid agis, o Christiane superbe? Christus Dominus majestatis, cui omnes angelici spiritus obedientissime serviunt, qui etiam secundum suam humanitatem universis prælatus est creaturis, se in cunctis extreme ineffabiliterque humiliat; et tu immunditiæ saccus, vitiis plenus, spiritualibus ac corporalibus inquinamentis ac fœtoribus adimpletus, adhuc te ipsum extollis, magnum ac ceteris digniorem te
A ipsum reputas, nec attendis quod bestiis sis decies millies pejor ac vilior? Quid *Job* XV, 13, 12.
tumet contra Deum spiritus tuus? Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Numquid Christianus es, qui Christo in omnibus tuis actibus contrariaris? Sed quid agis et tu, Christiane avare? Nonne Filius Dei venit verbo et opere omnium terrenorum docere contemptum, ut spiritualia atque cœlestia fervide appetantur; et tu econtrario temporalibus rebus non satiaris? Attende quid
B dicat Scriptura : Nihil est iniquius quam *Eccli.* X, 10.
amare pecuniam. Avarus enim animam suam habet venalem : quam pro nummo tradit diabolo, dum amore pecuniæ in peccatum ruit mortale. Postremo, et tu homo carnalis, libidinosus, qui potius vis esse membrum meretricis quam Salvatoris, habitaculumque diaboli quam templum Spiritus Sancti, qua temeritate ad Christum pertinere te putas, qui coram Deo tam singulariter atque turpissime fœtes? Abjiciant igitur Christiani universa scelera et
C peccata, ut vere sint Christi membra ei per caritatem unita, et per gratiam Spiritus Sancti vivificentur ab ipso, bonorumque operum motum ab eodem suscipiant.

Denique quod impiis Christianis Christus sit positus in ruinam, hinc innotescit quod tales multo horribilius judicantur ac condemnantur a Christo quam infideles, ut Sarraceni, Judæi, ac ceteri infideles. Unde legitur in sexto libro Vitaspatrum, quod S. Macarius abbas, dum ambularet per eremum, invenit caput hominis mor-
D tui jacens. Quod quum movisset virga palmea quam habebat in manu, locutum est caput illud ad eum. Cui dixit Macarius : Quis es tu? Respondit caput : Ego eram sacerdos gentilium qui commanebant in loco hoc; tu vero es abbas Macarius, qui plenus es Spiritu Sancto. Dicit ei senex : Quomodo tecum est? Respondit caput : Quantum distat cœlum a terra, tantum est ignis sub pedibus nostris et supra caput nostrum ; et stantibus nobis in medio ignis, unus non videt alium. Iterum se-

nex dixit ad caput : Est etiam gravior A pœna in inferno quam hæc ? Respondit caput : Majus tormentum subtus nos est. Ait senex : Et qui sunt in illo ? Respondit caput : Nos qui ignoravimus Deum, vel ad modicum habemus aliquid misericordiæ; hi vero qui cognoverunt Deum, et negaverunt eum operibus, nec fecerunt voluntatem ipsius observando præcepta, ut impii Christiani, hi subtus nos sunt. Tunc senex lacrimas fundens, dixit : Væ homini illi qui mandata Dei transgreditur. B Et post hæc sepelivit sanctus abbas Macarius caput illud.

His concordat quod in Evangelio ait Salvator : Servus sciens voluntatem domini (*Luc.* XII, 47, 48.) sui, et non faciens, vapulabit plagis multis; qui autem non scivit, vapulabit plagis paucis. Verumtamen ignorantia juris seu præceptorum quæ homo scire tenetur, non excusat a culpa.

Christiani ergo tanto præ ceteris virtuosius vivant, quanto viam justitiæ melius norunt. Sed quidam sunt Christiani qui Judæos ac ceteros infideles vehementer despiciunt et abhorrent, nec pensant quod impii Christiani, et forsitan ipsimet, illis pejores sunt. Unusquisque ergo conversationem habeat rectæ fidei atque scientiæ suæ consonam et condignam, quia ut Jacobus dicit apostolus : Scienti bonum et (*Jacob.* IV, 17.) non facienti, peccatum est illi.

SERMO QUARTUS

DE CONVERSATIONE PERTINENTE AD VIDUAS.

ANNA *vidua non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens* Deo *die ac nocte.* Luc. II, 37.

In his verbis tria tanguntur, quæ ad viduas specialiter pertinere noscuntur. Primum est, quod beatissima illa Anna vidua in templo assidue fuit; secundum, quod abstinenter et sobriissime vixit; tertium, quod orationibus instanter ac devotissime die ac nocte inhæsit. Ex quo quartum elicitur, quod scilicet sanctis vigiliis fuit intenta, omnem somnolentiam pigritiamque devitans, et tempus suum fructuose omnino expendens, quemadmodum Jeremias propheta hortatur in Threnis : Consurge, (*Thren.* II, 19.) lauda in nocte in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini Dei tui; leva ad eum manus tuas, et miserebitur tui.

Hic primo videndum, cur castitas vidualis in novo Testamento laudetur, matrimonioque præferatur; secundo, qui actus virtutum spectent ad viduas in quantum sunt C viduæ; tertio, an consulendum sit viduis ut vidualem castimoniam Deo promittant.

Ad primum horum dicendum, quod tota hominis perfectio consistit in hoc, ut ab amore, occupatione et cogitatione terrenarum, temporalium atque carnalium rerum, ad amorem et contemplationem Dei ac spiritualium se extendat ac transferat. Unde tota evangelica Christi doctrina ordinatur et tendit ad hoc, ut creaturis transcensis et derelictis, Deo creatori pura ac stabili mente adhæreat homo, illum super D omnia diligendo, desiderando, contemplando, filialiter quoque timendo ac jugiter honorando. Porro ab hac perfectione non mediocriter impeditur homo per occupationes, inquietudines, curas et delectationes carnales statui matrimoniali annexas, ita quod non conjugati ac viduæ continenter viventes, ad præfatam perfectionem magis dispositi sunt quam conjugati. Mens enim humana tanto purius, integralius atque ferventius diligit Deum, quanto circa

carnalia et terrena minus distenditur, partitur et occupatur. Ideo ait Apostolus : Mulier innupta, id est vidua, et virgo, cogitat quæ sunt Dei, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Hinc itaque vidualis status ac castitas commendatur, non quia matrimonium malum sit, sed quia status et continentia vidualis est melior. Hinc ad virtuosam et inclytam viduam, Judith nomine, dixerunt pontifices et omnes Judæorum presbyteri tempore veteris Testamenti : Eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, ideo manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum.

I Cor. VII, 34. — *Judith* XV, 11.

Ad secundum dicendum, quod ad viduas in quantum viduæ sunt, primo pertinet, mundanas et sensuales consolationes ac delectationes contemnere, cachinnationes, dissolutiones et loquacitates vitare; in somno, vestitu, cibo ac potu, non voluptatem, sed necessitatem naturæ requirere, quum dicat Apostolus, Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est : vivens equidem vita naturæ, mortua est morte culpæ. Secundo, ad viduas pertinet, orationibus et sacris meditationibus instanter ac devote insistere, præsertim in ecclesia et tempore divini Officii, deinde in propria domo; in exterioribus quoque occupationibus cor ad Deum sæpe levare, orando ac salubria meditando : sicut de Anna vidua scribit Lucas evangelista; et de Judith vidua legitur, quod in superioribus domus suæ fecit sibi oratorium, in quo orationibus vacavit assidue. Tertio, spectat ad viduas, proprium corpus jejuniis ac sacris vigiliis et disciplinis exercitare, et Deo ac rationi illud subjicere : quemadmodum de Judith scriptum est, quod habuit super lumbos suos cilicium, et jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, quibus scilicet secundum legem Moysis id licuit; similiter de Anna prædictum est, quod jejuniis Deo servivit. Hæc tamen a viduis fieri debent cum discretione, non ultra vires. Quarto, ad viduas pertinet, opera misericordiæ exercere, pro posse pauperibus et infirmis servire, talesque visitare, consolari, hospitare atque vestire, prout Isaias hortatur : Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam; quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Quinto, ad viduas spectat, ut vestitu humili ac simplici sint contentæ, ne suo ornatu aliquem provocent ad affectum illicitum. Sexto, viduarum est, non multum foris apparere, sed quantum rationabiliter possunt domi manere, atque ibidem salubriter occupari, nisi quod ecclesiam et infirmos debent horis competentibus visitare. Hinc de Judith legitur, quod in oratorio domus suæ clausa morabatur. Patet quoque ex dictis, quod ecclesiam debeant frequentare, nec pro levi causa omittere quin quotidie audiant ad minus Missam. Postremo, quoniam castitas vidualis ordinatur ad hoc, ut viduæ corde tranquillo et puro, ardenti ac libero inhæreant Deo, ideo omnem inordinatam tristitiam, turbulentiam, iram, impatientiam, curam superfluam debent omnino abjicere, seque semper ad patientiam dare, veram mentis constantiam observare, et in adversis gratias agere.

I Tim. V, 6. — *Judith* VIII, 5. — *Ibid.* 6. — *Is.* LVIII, 7. — *Judith* VIII, 5.

Quemadmodum autem sanctus asserit Augustinus : Viduarum tria sunt genera. Primum est, earum quæ die ac nocte orationibus atque jejuniis vacant : de quibus ad Timotheum scribit Apostolus, Viduas honora, quæ vere sunt viduæ. Et istud est genus optimum viduarum. Secundum est, earum quæ circa curam domus ac sobolis occupantur, et tamen Deo fideliter serviunt. Tertium est, earum quæ epulis deliciisque intendunt : quibus æterna servatur damnatio. Prætacti igitur actus virtutum ad primum viduarum genus potissimum pertinent. Porro viduæ quæ sobolem habent, illam strenue regere debent, informando in moribus, instruendo, de necessariis providendo, corripiendo ac castigando pro vitiis. Talibus namque viduis multi conveniunt actus cum conjugatis.

I Tim. V, 3.

Præterea Augustinus in libro de Bono A viduali multas ponit doctrinas ad viduas pertinentes : inter cetera dicens, ut quidquid sollicitudinis et laboris feminæ maritatæ impendunt ad complacendum suis maritis, hoc viduæ ad complacendum Sponso cœlesti impendant, et pro carnalibus deliciis ad spirituales delectationes se transferant, in orando, Deum laudando, salubria meditando, ac ceteris bonis operibus delectando. Item, ut avaritiam specialiter vitent, ne in eis amor nummi succedat amori mariti. Sæpe namque expertum est in B quibusdam viduis repressa lascivia avaritiam excrevisse, sicut in sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, et econtra, quasi ex altero conentur supplere quod non habent ex altero. Ita frequenter carnalis cupiditas a carnalis copulæ voluptate cohibita, majoribus viribus in divitiarum et pecuniarum se porrigit appetitum. Sed in viduis amor divitiarum simul cum amore nuptiarum frigescat.

Insuper circa tertium advertendum, quod Augustinus in libro de Bono viduali, et C Origenes super Lucam, hortantur viduas ut vidualem Deo continentiam voveant. Imo consulit Origenes ut etiam feminæ conjugatæ proponant, si viri earum ante eas obierint, in viduitate manere, atque id Deo promittant, dicendo : Si mihi humanum aliquid quod non opto acciderit, ut scilicet vir meus ante me moriatur, hoc Deo promitto, quod aliud nihil faciam nisi vidua et incontaminata perseverabo. Et hoc consulit Origenes, quatenus etiam si feminæ ante suos viros obierint, pro bono ta- D men proposito et sancta promissione remunerentur a Deo. Nam facere bonum ex voto, est multo plus meritorium quam facere sine voto, quum vovere sit actus virtutis valde sublimis, quæ latria appellatur. Et qui facit bonum ex voto, offert Deo arborem simul cum fructu, id est voluntatem cum opere virtuoso; qui autem facit bonum absque promissione, fructum sine arbore immolat. Verumtamen quum feminæ sint naturaliter, ut in pluribus, satis instabiles, molles ac labiles, consulendum est eis ut absque bona deliberatione et invocatione divini subsidii istud non voveant, ne vovendo in suis confidant meritis aut viribus, sed in adjutorio gratiæ Dei : cujus adsistentiam incessantem etiam post votum semper implorent, et in omnibus custodite, devote ac timorate se habeant; et esse in omnibus exemplares conentur, ab omni specie mala se præca- *I Thess.* v, 22. ventes, ut nulli dent occasionem scandali aut male loquendi, quantum in ipsis est. Nempe votum frangere, gravissimum est peccatum, imo (ut S. Thomas asserit) gravius quam perjurium.

Legitur de sanctissima vidua illa Elisabeth de Thuringia, quæ fuit filia regis Hungariæ et uxor landgravii de Thuringia, quod viro suo defuncto, omnia quæ sunt mundi reliquit, pauperrimam atque humillimam vitam assumens. Nam et in hospitali pauperum propriis manibus servivit infirmis : imo hydropicos et leprosos ad necessaria naturæ portavit. Hinc Christus celeriter vocavit eam ad regnum cœleste. Sed et S. Hieronymus scribit de B. Paula vidua, quæ fuit conjux nobilis senatoris, quod viro suo defuncto, quamvis multos filios filiasque haberet, nihilo minus largissimas quotidie eleemosynas fecit ; et tandem Romam et omnes suos relinquens, cum una filiarum suarum ad Terram sanctam pervenit. Ibique religiosis ac pauperibus eleemosynas plurimas faciens, deinceps congregationem fundans Sororum sanctarum, cum eis Christo usque in finem fidelissime ministravit.

Quæ autem in isto sermone de viduis dicta sunt, etiam de viris uxoribus suis privatis accipi possunt. Viduæ ergo, juxta hic introducta, secundum exigentiam suæ vocationis digne et efficaciter conversentur ad gloriam Dei.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE BENEFICIIS NOBIS PER CHRISTUM COLLATIS.

U*BI venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Galat. IV, 4.

Tempus incarnationis apparitionisque Christi, merito plenitudo temporis appellatur, tempus præacceptabile et dies salutis : quia in ipso ipsemet Dominus Deus noster, qui ab exordio mundi, per angelos et homines sanctos, Patriarchas, Prophetas, genus visitavit humanum hominibusque locutus est, et legem per Moysen dedit, per se ipsum ad homines descendere, humanam naturam assumere, ex Virgine nasci, inter homines conversari, legem perfectissimam eis præstare atque pro ipsis mori dignatus est. Hinc tempus istud, tempus pietatis et gratiæ appellatur : tum *Tit.* III, 4. quia in ipso apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei; tum quia in ipso præ cunctis mundi ætatibus abundantissimarum gratiarum charismata largitus est Deus hominibus, non uni tantummodo plebi, sicut in veteri Testamento, sed omni populo, cunctis linguis et tribubus. Propter quod in Actibus beatissimus prin- *Act.* III, 24. ceps Apostolorum : Omnes (inquit) Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiarunt dies istos.

Deinceps inter omnia opera Dei, præclarissimum, mirabilissimum, potentissimum ac benignissimum est, quod Unigenitus *Philipp.* II, 7. Dei verus Deus exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Beneficia vero nobis per Dei Filium præstita, per ejus incarnationem ac passionem collata, sunt tot, tanta ac talia, A quod nec comprehendi queunt, nec numerari, nec dignum quid rependere Deo pro eis valemus. Nempe per Christi incarnationem, ineffabiliter exaltata est nostra natura, et Deus noster factus est frater noster, adoptivique Dei filii sumus effecti : quotquot enim receperunt eum, dedit *Joann.* I, 12. eis potestatem filios Dei fieri. Per Christum reparata est humana conditio, et genus humanum a jugo diaboli, a servitute peccati, ab omni peccato, ab infernali tormento est liberatum. Per Christum evan- B gelica lege sumus instructi, in Baptismo renati, ecclesiasticis sacramentis muniti, multiplici gratia decorati : imo ipse se ipsum nobis in superdignissimo Sacramento reliquit in salutarem animarum nostrarum refectionem. Ecce, carissimi, quam mira et magna, quam incomprehensibilis, præamanda ac amplectenda est super nos dilectio, dignatio, munificentia ac beneficentia totius superbeatissimæ Trinitatis. Sic etenim Deus Pater dilexit nos, ut Uni- *Ibid.* III, 16. genitum suum daret, mitteret sociaretque C nobis, ut per eum eruamur ab omni calamitate et pœna, impleamur omni virtute et gratia, beatificemur plenissime cœlesti in patria.

Denique proprio Filio suo non pepercit *Rom.* VIII, 32. Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit? Sed et unicus naturalisque Dei Filius dilexit nos, et tradidit *Ephes.* V, 2. semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. Non cor- I *Petr.* I, 18, 19. ruptibilibus auro et argento, sed pretio-

sissimo sanguine suo lavit nos a peccatis A
Rom. VIII, 17. nostris, et fecit nos sibi coheredes; fecitque
Apoc. I, 6. homines Deo Patri regnum et sacerdotes.

Insuper Spiritus Sanctus semetipsum nobis communicavit, et dando ac infundendo nobis dona sua gratiosissima, simul cum illis tribuit et infudit nobis se
Rom. V, 5. ipsum. Caritas namque Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. O quale donum est hoc! Cur homo infelix non pensat supernaturalem ac admirabilem, imo et maximam dignitatem sibi divinitus imperti- B
Ps. XLVIII, 13. tam? Certe sicut ait Propheta: Homo quum in honore esset, non intellexit; compara-
Ephes. V, 14. tus est jumentis insipientibus. Surge, qui
Is. LII, 2. dormis, qui torpore deprimeris; excutere de pulvere, qui carnalibus detineris affe-
Baruch V, 5. ctibus, luto fæcis infixus. Exsurge, et sta in excelso, in apice mentis, in luce con-
Ibid. IV, 36. siderationis sublimis; circumspice ad orientem lucis æternæ, ad summum cœli empyrei, ad viscera misericordiæ Patris altissimi, et vide jucunditatem tibi a Deo mirabiliter venientem: de qua Christo C
Luc. II, 10, 11. nato angelus protinus est locutus, Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.

Præterea, quanto in tempore isto major est beneficentia Dei in nobis, quo caritatem pietatemque suam nobis multiplicius, evidentius ac abundantius demonstravit, eo damnabilior est ingratitudo nostra, vitiosior negligentia nostra, odibilior carnalitas nostra, si ingrati, remissi, sensuales inventi fuerimus: præsertim quum simus D
Ps. XXX, 21. religiosi absconditi in abscondito faciei Domini Dei nostri, in secreto vultus Altissimi constituti, quorum est introrsum ambulare et confabulari cum Domino, contemplari quam magnifice et superpiissime egit nobiscum, regratiari indesinenter pro beneficiis ejus, suæque caritati ac liberalitati pro viribus semper vicem repende-
Luc. I, 74, 75. re, serviendo ei in sanctitate atque justitia coram ipso, in omni vitæ nostræ curriculo. Insuper quum idcirco Dei Filius factus sit homo, ut nos efficiamur dii, id est divini: quod ad religiosos potissimum certum est pertinere, qui ob id concupiscentiis ac terrenis rebus renuntiaverunt, ut casto, libero ac integro corde Deo intenti sint; idcirco in eis omnis carnalitas, omnis sensualis affectio, omnis vilis cupiditas, sunt vehementissime detestandæ, præsertim quum talia spiritualis amoris profectum summe impediant:
angustatum est etenim stratum cordis, ut *Is.* XXVIII, 20.
simul in eo non possint quiescere. Pro quanta equidem parte fuerit cor nostrum affectum ad aliquam rem non ordinate in Deo, pro tanta parte minus ad Deum afficitur, imo ab ipso avertitur; nec prodest reliquisse terrena et hereditaria omnia bona, si nunc cordis nostri affectum rebus parvis, vanis vilibusque immergimus. Studeamus ergo esse divini, hoc est, contemplationi ac Deitatis amori intenti, orationibus ac meditationibus dediti, lectioni, psalmodiæ, Scripturæ vacantes, ac semper
aliquid boni agentes, ut conversatio nostra *Philipp.* III, 20.
sit in cœlis.

Porro si ita egerimus, si in tam sanctis exercitiis perseverantes ac proficientes
manserimus, non dubium quin Spiritus *Rom.* VIII, 16.
Sanctus testimonium perhibebit spiritui
nostro, quod filii Dei sumus, replens nos *Ibid.* XV, 13.
gaudio et spe certa, agilitateque maxima
in credendo, ita ut viam mandatorum cur- *Ps.* CXVIII, 32.
ramus, et ea quæ Ordinis sunt promptis-
sima alacritate adimpleamus, adspicientes *Hebr.* XII, 2.
in auctorem fidei et consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit
crucem, confusione contempta; qui pro- II *Cor.* VIII, 9.
pter nos factus est pauper quum esset
dives, in tantum ut quo caput reclinaret *Matth.* VIII, 20.
non habuit, quum tamen ipsius esset terra *Ps.* XXIII, 1.
et plenitudo ejus; exinanivit quoque se *Philipp.* II, 7, 8.
ipsum, factus Patri obediens usque ad mortem: et hæc omnia propter nos, ut sequamur vestigia ejus. Tunc utique delectabile nobis erit Dei Filio compauperari, cum eo et propter eum adversa pati, irrideri ac vilipendi, ejus intuitu et amore
subesse ac obedire. Itaque non fatigemur *Hebr.* XII, 3.

animis nostris, et bene agendo non deficiamus, quum non sint condignæ passiones, labores et actiones vitæ præsentis, ad futuram illam sempiternam gloriam nobis in cœlo paratam. (Rom. VIII, 18.) Non vincamur a nobismetipsis, a propria animositate, ira, impatientia, voracitate, loquacitate, pigritia, carnalitate, cupiditate, negligentia ; sed A Christi humilitatem, mansuetudinem, patientiam, sobrietatem, modestiam, sanctitatem, fervorem jugiter recolendo atque utcumque pro posse sectando, omnia illa ipso auxiliante vincamus, propellamus, suppeditemus, ut Deo altissimo quotidie mente magis grata, pura, fervente ac custodita fideliter obsequamur.

SERMO SEXTUS

QUALITER CHRISTUS POSITUS SIT IN RUINAM ET RESURRECTIONEM MULTORUM RELIGIOSORUM, ET IN SIGNUM CUI A MULTIS RELIGIOSIS CONTRADICITUR.

E*CCE positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Luc. II, 34.

Hæc sunt verba beatissimi Simeonis ad sacratissimam Virginem de puero Jesu, in die quo præsentatus fuit in templo. Porro per « Israel », quod interpretatur vir videns Deum, recte ordo religiosorum, quorum est spiritualem ac contemplativam ducere vitam, accipitur. Christus autem verbo et exemplo, totius monasticæ ac religiosæ vitæ est institutor ac fundamentum, evangelica dando consilia in quibus omnis fundatur religio, quæ et ipsemet perfectissime adimplevit.

Omnibus itaque religiosis juxta suæ professionis exigentiam regulariter, virtuose ac fructuose viventibus, positus est Dominus Jesus in resurrectionem, in erectionem mentis a vitiis, in elevationem ad contemplationem cœlestium, in Deitatis amorem, atque in resurrectionem beatam in fine mundi futuram. Hi enim Christi consiliis vere acquiescentes, ejus quoque provocati exemplis, quod Deo voverunt fideliter implent, et usque ad finem in observantia permanent regulari : corpora sua castigantes, suasque animas a passionum irrefrenationibus, a vitiis distortisque moribus expurgantes, in omni gratia at- B que virtutibus proficientes assidue, satagentes quotidie in vera humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate, obedientia, puritate et caritate inveniri perfectiores. Quemadmodum ergo electis Israelitis, sanctis Apostolis ceterisque discipulis venit Christus in resurrectionem, ita et istis qui cum Apostolis omnia reliquerunt, et Dominum Salvatorem efficaciter assequuntur. Isti sunt optimi Christiani, angeli terrestres hominesque cœlestes in mundo, qui in medio nationis perversæ tanquam luminaria fulgent (Philipp. II, 15.) : de quibus ait Hieronymus, Non vidi meliores his qui in religione profecerunt. C

Porro his qui in cœnobio carnaliter ac negligenter se habent, irregulariter conversando, positus est Christus Dominus in ruinam, quoniam ad majorem eorum damnationem Christi consilia et exempla ipsis vertuntur. Non utique hoc contingit directe, sed occasionaliter tantum ex parte Christi; directe vero contingit ex negligentia et perversitate ipsorum : juxta quem D modum princeps Apostolorum in prima sua fatetur Canonica, quod Christus sit lapis offensionis et petra scandali incredulis et iniquis. (I Petr. II, 8.) Quemadmodum ergo Pharisæis, Scribis ac ceteris Judæis incredulis positus est Dei Filius in ruinam, ita et istis.

Denique horum irreligiosorum religiosorum, utpote professione et habitu religiosorum, conversatione vero irreligiosorum, duplex est gradus ac numerus. Quidam enim sunt manifeste collapsi, deformati, et prorsus irregulariter conversantes, qui nec substantialia Ordini suo observant, sed evidenter sunt proprietarii, aut etiam, quod pudor est dicere, incontinentes sive rebelles : quorum damnatio manifesta est atque gravissima, quum pene in cunctis quæ agunt, contra vota sua agere comprobentur. Quumque secundum doctores, votum fortius obliget quam juramentum, potissimum votum solenne, concluditur quod isti perjuris sunt deteriores : imo in omni actu quo proprietate utuntur aut aliquid suorum transgrediuntur votorum, in gravius crimen labuntur quam sit ipsum perjurium. Quumque in tali vita vel potius morte manendo celebrent sive communicent, aut quævis sacramenta dispensent aut tractent, constat quod supergravissime peccent, et tota eorum vita est quasi quoddam peccare continuum.

Alii vero sunt qui in congregationibus sunt devotis et domibus de observantia, ubi ad minus substantialia religioni servantur, et plurimi vere devoti inveniuntur : ipsique nihilo minus negligentes sunt et remissi ac tepidi, in psalmodia vagi ac somnolenti, in Horis distracti, in observatione silentii laxi, in cibo et potu superflui, ad surgendum in pulsu plumbei, leves in moribus, visitationibus sæcularium seu aliorum gaudentes, consolatiunculas vanas quærentes, in celebratione rari ac indevoti ; nec contra hæc mala prælium sacrum assumunt, sed de die in diem vadunt in sua superficialitate et negligentia ; nec passionum reformationi fideliter student, nec puritati internæ, nec compunctioni, nec interiori custodiæ, sed in quadam periculosa tendunt securitate ; dumque corripiuntur ac corriguntur, vix æquanimiter ferunt, præsidenti quoque faciliter indignantur. Isti præcedentibus manifeste irreligiose viventibus partim exstant vitu-

A perabiliores, quum sint inter devotos, et tam a præsidente quam a fratribus frequenter admoneantur atque corripiantur, probitatisque multa quotidie intueantur exempla. A principio quoque suæ conversionis bene sunt instituti.

Deinceps miseri isti etsi corpore contineant, nec habeant propria, turpibus tamen cogitationibus sæpius involvuntur, et inordinatius atque intensius ad parva ac vilia eis ad utendum concessa afficiuntur, quam sæculares locupletes ad magna quæ
B possident : non enim ipsam exstirpant cupiditatem, ob cujus eradicationem relinquuntur exteriora possessa. His ergo vehementer formidanda est Christi parabola
de homine qui cœpit ædificare, nec potuit *Luc.* XIV, 28-30.
consummare ; et quod asserit Salomon : Si *Eccle.* v, 3.
quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim ei stulta et infidelis promissio. Quibus verbis docemur stultam et infidelem esse eorum promissionem qui vota sua morantur seu differunt reddere. Tales autem sunt religiosi jam dicti, qui
C quum ex sua obligentur professione perfectioni studere et omni die proficere, non satagunt hoc implere.

Hinc ait Eusebius : Non nobis credamus sufficere quod nos in hac schola, scilicet claustro, cernimus congregatos, quum negligentias nostras in nobis vehementius professa condemnet perfectio : quia secundum Scripturam, qui multa promittunt, multum necesse est repetatur ab eis. O quantis proderit, et quantis contrario oberit opportunitas loci hujus et congruæ
D habitationis occasio ! Noverimus nihil nobis prodesse, si carnem nostram jejuniis atque vigiliis affligamus, et mentem nostram non emundemus. Quid prodest corporalis afflictio, si linguam nequitiis et obtrectationibus polluamus ? Nonne omnes labores nostri in nihilum rediguntur ? O quanti et quam diuturni labores subito pereunt, dum quod acquisivimus custodire negligimus ! Quapropter gratis nobis de corporis afflictione blandimur, si exterior homo noster sanctis laboribus exerceatur,

et interior non curetur : imo hoc est quomodo si quis faciat statuam a foris auream, intrinsecus luteam ; vel quomodo si quis domum magnifica arte constructam, extra pulcherrimis ornet coloribus, intusque plena sit serpentibus ac scorpionibus. Quid juvat si quispiam sit corpore castus et mente pollutus, quem depravat malitia, quem iracundiæ furor exagitat, quem superbia gratia Dei spoliat, quem mendaciis, juramentis aut maledictis lingua commaculat ? Nonne ipse se fallit, nonne se ipsum deridet ac decipit, si se credat jejuniis atque vigiliis sanctificandum ?

Hinc quoque S. Cæsarius ait ad monachos : Qui sola capitalia crimina cogitat, et contra ipsa tantummodo pugnare contendit, atque de parvis peccatis parvam aut nullam sollicitudinem gerit, non minus incurrit periculum, quam si majora committeret crimina. Non ergo parvi pendamus peccata nostra quia minuta sunt, sed timeamus quoniam plura sunt : nam et pluviarum guttæ minutæ sunt, sed quia plures sunt, flumina implent domusque subruunt, et impetu suo etiam aliquoties montes trahunt. De ipsis etenim scriptum
Eccli. XIX, 1. est : Qui spernit modica, paulatim decidit ;
Ps XVIII, 13. et iterum : Delicta quis intelligit ? Quis namque dinumerare valet peccata quæ quasi parvula et pene nulla reputantur a nobis, quum tamen Scriptura divina
Matth. V, 26. graviter nos pro illis puniendos testetur ?
Prov. IV, 23. Ideo secundum Salomonis sententiam, Omni custodia custodiamus cor nostrum : ut si minuta peccata ad integrum vitare non
A possumus, saltem tardius ac rarius ab ipsis præveniamur ; quotiesque victi fuerimus, purgare illa gemitibus atque suspiriis festinemus.

Postremo de his ait S. Bernardus : Video, quod doleo, nonnullos post spretam sæculi pompam, in schola humilitatis superbiam magis addiscere, et sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et magis impatientes fieri in cœnobio quam fuissent in sæculo ; quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non
B patiuntur se habere contemptui.

Ex his certissime innotescit quam periculosum sit atque damnabile in cœnobio vivere negligenter, et non ponderare quotidie quid promissum sit Deo. Quum enim peccata non solum peccata sint, sed et præcedentium pœnæ culparum, quoniam per peccatum quod pœnitentia protinus non deletur, meretur homo a Deo relinqui, sive totaliter per caritatis et gratiæ subtractionem, sive aliqualiter per earum debilitationem : hinc negligens religiosus, quanto
C perfectius conversari tenetur, eo quotidie amplius ruit et multiplicius peccat, dum conscientiam suam non discutit nec rite scrutatur, sed ex consuetudine arida confitetur et distracto celebrat corde, et ita quotidie plus cæcatur, induratur, totusque ad divina insensibilis redditur. Sed caveamus hanc foveam, quoniam impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit ; et nostram quotidie advertamus vocationem. Ad Dei honorem et gloriam. *Prov.* XVIII, 3.

SERMO SEPTIMUS

DE VIRTUTE ET MODO ORATIONIS.

ANNA *non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens* Domino *die ac nocte*. Luc. II, 37.

Multi Sanctorum affirmant summum ac
D specialissimum opus monachi esse, puram Deo orationem indesinenter offerre. Et si objiciatur, quod Deum laudare ac contemplari sit divinius atque sublimius quam

orare : dicendum, quod pura et perfecta oratio ad religiosos potissimum pertinens, laudem Dei ac contemplationem includit. In tali quippe oratione mens orantis divinæ majestatis ac pietatis contemplationi intenta est; et sicut propriam infirmitatem, defectuositatem et culpam fatetur, sic Dei omnipotentiam, opulentiam, sanctitatem et misericordiam recognoscit, extollit et miratur. Unde, secundum Damascenum, oratio est ascensus mentis in Deum. Propheta quoque : Laudans (inquit) invocabo Dominum. (*Ps.* xvii, 4.) Denique de hac re, Cassiano narrante, abbas Isaac ita disseruit : Omnis finis atque perfectio monachi ad jugem orationis perseverantiam tendit, et quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem puritatemque nititur. Et est inter orationem hujusmodi et virtutum perfectionem reciproca quædam inseparabilisque conjunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nec virtutes poterunt firmiter colligatæ ac perdurantes manere, nisi orationis instantia ac fervore hoc impetretur, et oratione custodiantur; nec ad indesinentem orationis puritatem ac tranquillitatem quis potest pertingere, nisi in omni virtute proficiendo atque ad perfectionem earum perveniendo.

Quum itaque tam præstantissimum religiosi exercitium sit orare, dicendum quid sit oratio, et qualiter ad eam præparare nos debeamus, qualiter etiam sit orandum. Itaque, juxta Damascenum, oratio est petitio decentium a Deo, hoc est postulatio rerum quas decet a Deo peti, puta pertinentium ad salutem. Hoc enim est petere in nomine Salvatoris, qui discipulis nondum spiritualibus nondumque ordinate petentibus dixit : Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. (*Joann.* xvi, 24.) Ideo ait Bernardus : Orare est Deum quærere. Non recte oras, si præter Deum aliquid quæris quod propter Deum non quæris, quia in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi quid-

A quid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Propterea optime cecinit sanctus, qui ait : In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. (*Ps.* lxi, 8.)

Præterea, quum oratio sit mentis cum Deo locutio, cum quo tanquam cum rege gloriæ et principe majestatis immensæ arcana omnia intuente, cum summa reverentia, attentione et puritate loquendum est, magnaque nimis sit humani instabilitas cordis; idcirco ante orationem para-

B re se debet homo ad orandum decenter, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo tentans Deum. (*Eccli.* xviii, 23.) Ante orationis ergo exordium abjiciendæ sunt de corde sollicitudines temporalium rerum et cogitationes earum, memoria sensatorum, inquietudo iræ, impatientiæ aliarumque passionum : sicque abstrahenda, simplificanda ac recolligenda est mens ipsa in Deo. Quidquid etenim ante orationis horam anima nostra conceperit, hoc

C ei in oratione occurrere solet; et ex præcedenti occupatione ac dispositione cor in oratione formatur, ac variis modis resolvitur, afficitur, et interdum ex occurrenti materia ad iram sive ad fatuum risum movetur. Rursus ante orationis accessum consideranda est indigentia, culpa atque miseria propria, et pericula quibus expositi sumus, ut ita orans profunde se ipsum humiliet, timorateque roget cum ingenti affectu; pensanda est quoque excellentia, sanctitas, justitia, pietas ac libe-

D ralitas Dei : ex quorum contemplatione, cum grandi reverentia et ardore atque interna custodia, cum fiducia quoque orare oportet, et item cum contritione præcordiali, quod talem ac tantum offendimus Dominum.

Ex quibus jam constat qualiter sit orandum, utpote recollecta, humili, intenta, timorata, fervente, contrita confidentique mente. Itaque quam intente et affectuose Omnipotentem orare oportet, consideremus : primo, ex suæ majestatis immensi-

tate; secundo, ex nostra inferioritate ac dispositione, videlicet culpa, inopia, periculositate; tertio, ex magnitudine mali quod precamur evadere, atque ex eminentia boni quod cupimus impetrare. Cupimus namque ab invisibilibus hostibus quibus vallamur, ab inferni suppliciis quæ peccando meremur, a vitiis præteritis, præsentibus futurisque erui, dona quoque gratiæ in præsenti, et bona gloriæ æternaliter adipisci. Ecce quanta sunt ista et qualia, quam æstimabiliter magna. Ecce quam affectuose et lacrimose precantur qui terreno principi tanquam rei mortis præsentantur, si eis sit spes evadendi; quantæ se emendationi exponunt, quantum se ipsos humiliant. Cur ergo nos peccatores miserrimi, qui toties promeruimus tormenta inferni, tam lente et inattente oramus Altissimum? Cur supernarum charismata gratiarum tam parum appretiamur? Cur beatitudinis sempiternæ desiderio tam modice inflammamur, quod tam frigido ac arido corde postulamus pro ipsis? Idcirco non exau-
Ps. cxl, 2. dimur, quoniam non dirigitur sicut incensum in conspectu Dei oratio nostra. Hinc ait Eusebius : Petamus, quæramus, pulsemus, atque in spe cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Non vult Deus noster bona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa et concupiscibilis merces fervidum amatorem et cupidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum. Lentum namque et parum gratum quærere gratiam divini muneris, maxima est injuria remuneratoris.

Denique in ipsa orationis prosecutione diligentissime vitanda est evagatio animi; et præsertim conandum est ut cum fervore incipiatur actio, fervide terminetur : nam virtus principii in sequentibus manet; a fine quoque solet judicium sumi. Quum ergo se senserit orans distra-
A ctum, protinus se revocare conetur ad Deum. Ideo dicit Bernardus : Oratio quanto efficacior est, si fiat ut debet, tanto callidius impediri ab adversario solet. Periculum est si fuerit nimis timida, ut est oratio pusillanimorum, non satis in divina pietate sperantium. Majus est periculum si fuerit temeraria, ut est oratio de suis meritis nimis præsumentium, audacium, sibi placentium. Tertium est periculum si fuerit tepida, ut est oratio negligentium. Timida quippe oratio non penetrat cœlum,
B quia restringit animum timor immoderatus, ne queat procedere; tepida autem in ascensu languescit ac deficit, quia non habet vigorem; temeraria vero ascendit, sed resilit, quia resistitur ei, nec obtinet gratiam, sed meretur offensam. Porro fidelis, humilis ac fervens oratio cœlos sine *Eccli.* xxxv, 21.
dubio penetrat.

Ex his reor satis patere, qualiter debeamus orare. Sed nunc interim redeamus ad nos, et qualiter orando, psallendo, Horas solvendo ac celebrando nos habeamus quo-
C tidie, ponderemus; quam imparate, incustodite ac frigide, quam vage, irreverenter, pigre atque insipide. Interdum et oculis evagamur, et aurem ad alia applicamus, ac manibus quidpiam operamur. Frequenter et circumstantias, locum, tempus, modum negligimus. Sicut accedimus, ita recedimus, nec fructum orationis consequimur : imo sæpe ex negligentia nostra in majorem ariditatem hebetudinemque dilabimur. Cum horrore incipimus, cum tædio continuamus, ad finem acceleramus.
D Heu, quanta est nostra miseria, quanta est excæcatio nostra; quomodo adversarius noster ad libitum suum debacchatur in nobis, et animabus nostris illudit! Ideo pœniteamus, et juxta præscripta documenta Sanctorum, ante orationem nos præparemus, in oratione nos custodiamus, post orationem devotiores simus ac perseveremus.

Postremo viri sancti, viri virtutum, viri heroici, in suis sæpe orationibus sic rapiuntur in Deum, sic in abyssum lucis

absorbentur æternæ, ut ceterorum omnium prorsus obliviscantur, nec se ipsos, nec proprium actum advertant. Hinc ex ore abbatis Isaac loquitur Cassianus : Conscientiæ spina de corde evulsa, dum mens orantis miserationes ac munificentias Dei retractat, ad illam ignitam orationem quæ ore hominum nec comprehendi potest, nec exprimi, ferventissime rapitur. Quumque in illum verum profecerit puritatis affectum, et in eo cœperit radicari, in modum cujusdam rapacissimæ flammæ cuncta pervolitans, ineffabiles ad Deum preces purissimi fundit vigoris : quas ipse Spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus, ignorantibus nobis emittit ad Deum, tanta in horæ illius momento concipiens atque ineffabiliter in supplicatione effundens, quanta nec ipsa mens valet postmodum recordari. Hinc beatissimus pater Antonius : Non est (inquit) perfecta oratio in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit. Unde idem Antonius in mentis excessu frequenter orans, sole oriente sæpe clamavit : Quid me impedis, sol, qui ad hoc modo oriris, ut me a veræ ac summæ lucis abstrahas claritate ?

Rom. VIII, 26.

Ad hujus ergo orationis perfectionem tendamus, atque cum S. Anna in jejuniis et orationibus Deo jugiter obsequamur. Non sine necessitate discurramus tempore divinorum a templo, a choro ; nec postmodum sine causa idonea hinc inde deambulemus, sed cellæ et silentio, quieti et orationi operam demus. Ad gloriam Creatoris.

DOMINICA SECUNDA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OBSECRO ITAQUE VOS, FRATRES, PER MISERICORDIAM DEI, ETC. Rom. XII, 1-5.

BEATUS Apostolus in præsenti epistola A instruit Romanos, imo universos Christianos, in moribus, et quid agere aut qualiter Deo debeant deservire; et ait :

Obsecro itaque vos, fratres. Obsecratio est efficacior atque ferventior species orationis, quum sit per aliquod sacrum petitio : cujus sacri virtute seu merito petitur fieri quod rogatur, sicut quum dicimus, Per passionem tuam libera nos, Domine. Et talis obsecratio interdum fit per aliquod sacrum increatum, ut quum ait Psalmi-
Ps. XXIV, 7. sta : Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. Daniel quoque propheta sic orat :
Dan. IX, 17, 18. Propter temetipsum, Deus meus, inclina aurem tuam et audi. Interdum fit obsecratio per sacrum creatum, ut in litaniis præcipue, ubi per Christi incarnationem, nativitatem, passionem, etc., petimus exaudiri.

Porro illa obsecratio affectuosissima est, atque ad impetrandum prævalida, quæ simul fit per sacrum increatum et per sacrum creatum : quemadmodum si dicatur, Propter infinitam tuam bonitatem, per omnia quæ Christus pro nostra salute fecit ac pertulit, audi nos, Domine. Tunc enim commemoratur sacrum increatum tanquam principale bonum seu medium cujus virtute et dignitate detur quod petitur; sacrum vero creatum commemoratur tanquam instrumentale et secundarium medium cujus virtute seu merito quod rogatur præstetur. Orationes autem Ecclesiæ quasi omnes communiter sunt obsecrationes, quia sic concluduntur, Per Dominum, vel, Per Christum Dominum nostrum. Efficacissimum namque ac præstantissimum medium cujus virtute et merito exaudiamur a Deo, est Jesus Christus Dei ac hominum mediator, et ea quæ pro hominibus assumpsit, fecit ac passus est; B et in hujusmodi obsecratione propriam indignitatem insufficientiamque fatemur. Idcirco per sacrum aliquod creatum seu increatum petimus exaudiri. Expedit ergo tali specie orationis uberius uti cum omni affectu, attentione et humilitate.

Apostolus quoque subjungit sacrum cujus virtute nunc obsecrat, dicens : *Per misericordiam Dei,* hoc est per bonitatem ac pietatem divinam, ut propter dignitatem ac reverentiam ejus acquiescatis petitioni, exhortationi instructionique meæ; C vel, « per misericordiam Dei », id est per divinæ pietatis effectum, puta per gratiam vobis et mihi concessam. Et potius ait, Obsecro, quam, Jubeo, quia ut Seneca loquitur, generosus est animus hominis, et facilius ducitur quam trahitur. Hinc Phi-
lemoni scribens Apostolus : Fiduciam (in- *Philem.* 8, 9.

quit) multam habens imperandi tibi, pro- A pter caritatem magis obsecro.

Ut exhibeatis, hoc est, spontanee offeratis atque per gratiam faciatis Domino (coacta quippe servitia Deo non placent, nec quidquam est meritorium vitæ æternæ, nisi ex libera prodeat voluntate formata caritate : Exod. xxv, 2. unde in Exodo habetur, In tabernaculo Domini nullus offert nisi ultroneus), *corpora vestra hostiam viventem,* id est bona et spiritualiter viva seu meritoria opera producentem, *sanctam,* hoc est a carnalium vitiorum inquinamentis purgatam, *Deo* B *placentem,* id est acceptam per respectum ad ultimum finem, felicitatem æternam, ita ut corpora simul cum animabus digna sint glorificari. Sic autem corpora Deo hostiam exhibere, est ea operum virtuosorum instrumenta præbere, ut in Dei obsequio serviant animæ; itemque, ea per abstinentias, vigilias, disciplinas ceterosque virtuosos labores a carnalibus desideriis coercere, a pravis actibus mortificare. Quantum ad primum istorum, ad Romanos Rom. vi, 12, 13. habetur : Non regnet peccatum in vestro C mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Quantum ad secundum, ad Colos- Coloss. iii, 5. senses scribitur, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram : quod dictum est, non quasi debeamus membra nostra abscidere substantialiterve necare, sed usum eorum illicitum semper vitare. Jux- Matth. xviii, 8. ta quem sensum locutus est Christus : Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide et projice abs te. D

Rationabile, hoc est moderatum atque discretum, sit *obsequium vestrum,* quo colitis Deum, quatenus secundum rationis censuram ac moderamen omnia peragatis et corpora castigetis : ne ultra vires macerata et debilitata, bonorum operum instrumenta de cetero esse non possint; ne etiam delicate nutrita molliterque tracta- Prov. xxix, 21. ta, lasciviant. Qui enim delicate nutrit servum suum, postea eum sentiet contumacem : hoc est, qui carnem suam laute fovet ac satiat, rationi rebellem invenit eam. Nempe quum corpus sit animæ instrumentum, regendum est secundum exigentiam utilitatemque animæ, ut tantum affligatur per moderantiam ac parsimoniam cibi et potus, somni atque vestitus, et omnium exteriorum consolationum, quantum expedit ad hoc quod per ipsum exerceat anima opera virtuosa. Hoc fit dum caro sic maceratur, quod natura servatur et vitia excluduntur. Hinc ait Hieronymus : Holocaustum de rapina offert, qui Is. lxi, 8. nimia austeritate corpus suum immoderanter affligit. Potissimum ergo necessaria est discretio, quæ est mater et custos, auriga et nutrix virtutum. Propterea in Levitico præceptum est : In omni oblatione Lev. ii, 13. offeres sal. Et ipsemet Christus : Habete Marc. ix, 49. (inquit) in vobis sal, id est discretionem, quæ omnium virtutum est condimentum, quemadmodum sal ciborum. Unde in Jeremia asseritur : Quia plus fecit quam Jer. xlviii, 36. potuit, idcirco periit. Corporalis ergo exercitatio moderanda est secundum quod expedit spirituali profectui animæ. Nam et juxta philosophos, sicut forma est finis materiæ, sic anima finis est corporis : media vero sunt disponenda secundum exigentiam finis.

Ostenso qualiter se homo habere debet in Dei obsequio quantum ad corpus, nunc idem ostenditur quantum ad animam. *Et nolite conformari huic sæculo,* id est carnalibus et mundanis hominibus, qui carnalia et terrena plus diligunt, quærunt et cogitant, quam spiritualia et divina; nec affectu, nec opere, neque consensu, nec aliqua vanitate, curiositate aut pompa similes sitis illis. Hæc quippe conformatio fit maxime per amorem carnalem sive mundanum. Generaliter namque illi rei homo assimilatur ad quam magis afficitur, quoniam divino Dionysio protestante, amor transformat amantem in amatum. De Divin. nom. c. iv. Ideo loquitur Augustinus : Si terram diligis, terra es; si aurum diligis, aurum es; si Deum diligis, deus es, hoc est divinus. Vult ergo Apostolus ut carnalem amorem

et sæcularem affectum cum actibus inde A nascentibus, funditus abjiciamus, juxta illud primæ Joannis (I Joann. II, 15.) : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quoniam si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.

Sed reformamini, hoc est, perditam per peccatum similitudinem Dei gratiosam rursus acquirite, *in novitate sensus vestri,* id est, adipiscendo spiritualem atque internam mentis vestræ innovationem, quæ est virtutum infusio sive adauctio. Deformatum namque est genus humanum B in primo parente per amissionem originalis justitiæ, per quam anima Deo assimilabatur, incurrendoque originale peccatum et quatuor vulnera ejus, puta malitiam, ignorantiam, concupiscentiam et infirmitatem, quibus primo parenti lapso conformamur. Insuper deformati sumus per actualia propriaque peccata, propter quæ gratiam et virtutes in Baptismo seu Pœnitentiæ sacramento susceptas perdidimus. Ephes. IV, 22, 24; Coloss. III, 9, 10. Jubemur ergo veterem hominem cum actibus suis exuere, id est peccata cuncta C relinquere, et induere novum qui secundum Deum creatus est, id est Christi virtutes sectari, quatenus renovetur sicut (Ps. CII, 5.) aquilæ juventus animæ nostræ, obtinendo quotidie virtutum augmenta, cœlestisque gratiæ recentem decorem seu incrementa, sicque redeamus ad baptismalis gratiæ innocentiam atque originalis justitiæ conformitatem, ac per hoc naturalis imago Dei in nobis vitiis deformata, gratia ac virtutibus reformetur, juxta illud ad Ephesios (Ephes. IV, 23.) : Renovamini spiritu mentis vestræ. D Ad quod beatissimus princeps Apostolorum nos hortatur (I Petr. II, 1, 2.) : Deponentes (inquit) omnem malitiam, quasi modo geniti infantes rationabiles, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem; Jeremias quoque (Thren. V, 21.) : Innova dies nostros sicut a principio.

Sic itaque reformari studete, *ut probetis,* id est, experimento discatis, atque per gustum Spiritus Sancti vos misericorditer inhabitantis experiri possitis, *quæ sit voluntas Dei,* id est, quid Deus velit, quid ei complaceat : cujus voluntas inflexibiliter *bona* est, imo totius bonitatis et virtutis regula ac mensura, primaque rectitudinis causa; *et beneplacens* suis ministris, qui approbant quæ approbat Deus, et respuunt quæ reprobat ille, quia per caritatem uniti sunt Deo; *et perfecta,* quia sanctissima, nec in aliquo diminuta.

Præterea advertendum, quod a Deo sumus formati in esse naturæ per creationem, a nobis ipsis seu primo parente deformati per culpam, a Deo reformati per gratiam, informati per doctrinam, conformati per virtutum imitationem, transformati per contemplationem et dilectionem, consummandi per gloriam.

Insuper advertendum, quod voluntas Dei interdum accipitur in Scripturis pro potentia seu actione volitiva exsistente in Deo, quod est ipsemet Deus volens : et hæc semper impletur, quemadmodum apud Isaiam testatur (Is. XLVI, 10.) : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. De qua ait Psalmista (Ps. CXXXIV, 6.) : Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra; itemque Apostolus (Rom. IX, 19.) : Voluntati ejus quis resistit? Hanc voluntatem vocant philosophi voluntatem immobilis complacentiæ; theologi, voluntatem beneplaciti. Si hæc voluntas Dei non impleretur in omnibus, non esset vere perfecteque felix. Et secundum hanc divinæ voluntatis acceptionem procedit expositio jam dicta. Qui enim virtuosam atque internam vitam ducit, experimentaliter noscit et gustat, quid placeat et quid displiceat Deo. Dum enim remorsum non habet, sed tranquilla mente Deo adhæret, et ei sollicite servit ac delectatur in ipso, omne peccatum detestans, tunc testimonium ei perhibet Spiritus Sanctus quod voluntas sua unita et concors sit Deo, et certificatur vicissim divinitus quod Deo complaceat. Idcirco ait Salvator (Joann. VII, 17.) : Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit.

Secundo, voluntas Dei vocatur id quod Deus vult, seu signum voluntatis divinæ. Et ita præceptum et consilium Dei dicun-

tur voluntas ejus : et hæc non semper impletur. Ideo petimus nobis dari gratiam *Matth.* VI, 10. eam semper implendi, dicentes : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Unde de hac etiam voluntate potest hic locus exponi hoc modo : « Probetis » per executionem, id est, opere ostendatis, « quæ sit voluntas », id est jussio, consultio, seu prohibitio, « Dei », implendo quæ jubet seu consulit, et vitando quæ prohibet : quæ voluntas, seu jussio, sive consultio, « bona » est, secundum quod respicit bona naturæ et statum incipientium seu conjugatorum, quibus competit fructus tricesimus; « et beneplacens » Deo et ejus ministris, secundum quod respicit dona gratiæ et statum proficientium seu viduarum, quibus competit fructus sexagesimus; « et perfecta », prout concernit dona gloriæ, quæ jubet finaliter desiderari, et statum perfectorum seu virginum, quibus competit fructus centesimus.

Denique, sicut superius docuit Apostolus ut obsequium et exercitium nostrum exterius sit « rationabile » seu discretum, ita nunc idem docet de exercitio interiori, et potissimum illo quod spectat ad intellectum. *Dico enim,* id est præcipio, *per gratiam quæ data est mihi,* id est apostolica auctoritate mihi gratiose collata, *omnibus qui sunt inter vos,* cujuscumque conditionis aut status sint, *non plus sapere quam oportet sapere,* id est, non magis investigare, discutere, contemplari Deum ac divina mysteria fideique arcana, quam expedit, quam Scriptura docet, quam intellectus vester capere potest, quam necessarium est vestræ aut proximorum saluti. Hinc divinus Dionysius et Damascenus affirmant, *De Divin. nom.* c. I. non esse audendum aliquid de superessentiali Deitate asserere, præter ea quæ nobis in sacris traduntur Scripturis. Salomon *Prov.* XXV, 27. quoque : Scrutator (inquit) majestatis opprimetur a gloria. Unde in Ecclesiastico *Eccli.* III, 22. legitur : Fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.

Quemadmodum enim sol suæ lucis ve- A hementia et excessu exteriorem visum reverberat, superat et excæcat, si immoderate figatur in solem ; si vero moderate adspiciat, sol eum delectat, quemadmodum scriptum est, Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem : *Eccle.* XI, 7. sic (imo incomparabiliter magis) sol sapientiæ Deus immensus, sua incircumscriptibili claritate omnem intellectum creatum transcendit et vincit, atque immoderanter perspicere præsumentem retundit ac dejicit ; moderanter vero intuentem delectat. Hinc B juxta Philosophum, sicut se habet oculus vespertilionis ad lumen solis, ita se habet intellectus noster ad cognitionem manifestissimorum naturæ, id est Dei ac intelligentiarum, quæ ex sua natura sunt maximæ cognoscibilitatis, sicut sunt maximæ actualitatis. Unde et in libro Sapientiæ habetur : Difficile æstimamus quæ in terra *Sap.* IX, 16. sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ autem in cœlo sunt quis investigabit ?

Verumtamen per hæc atque similia non C prohibetur humilis perscrutatio, profunda ac diligens inquisitio sacræ Scripturæ in difficilioribus locis, dummodo timorate ac moderate se habeat homo, et Dei innitatur auxilio, quum dicat Propheta : Mirabilia *Ps.* CXVIII, 129. testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Hinc subditur : *sed sapere,* id est divina cognoscere et scrutari, *ad sobrietatem,* id est temperate et sobrie secundum capacitatem humanam. *Et unicuique* vestrum præcipio sapere, *sicut Deus divisit mensuram fidei,* id est secundum modum D quem fides docet in his esse servandum, ut scilicet unusquisque secundum exigentiam status sui seu gradus aut officii se occupet in scientia divinorum. Non est enim in hoc omnibus una præfixa mensura : sed his quorum est fidem prædicare, persuadere et contra infideles defendere, competit ea quæ fidei sunt profundius investigare. Vel, « sicut Deus divisit mensuram fidei », id est secundum qualitatem donorum quæ per fidem præstantur. Qui namque majora sapientiæ atque scientiæ

sortiti sunt dona, profundius investigare possunt divina quam simplices : imo ut S. Dionysius adstruit, quod uni est cibus, alteri est venenum. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Non omnia omnibus expediunt. *Eccli.* XXXVII, 31.

Porro, quod diversis diversa data sint desuper dona, diversos actus habentia, probat Apostolus per simile in corpore humano. *Sicut enim in uno corpore* naturali, organico, animato, *multa membra habemus,* videlicet oculos, manus, pedes, *omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi* fideles *unum corpus* mysticum *sumus in Christo,* id est, per fidem et caritatem connectimur ac Christo unimur, atque ab ipso tanquam a capite vitam gratiæ motumque virtutum suscipimus, sicut a capite naturali cetera A membra influxum capiunt; *singuli autem alter alterius membra,* id est, quilibet nostrum est membrum alterius mysticum, utpote per spiritualem similitudinem et occultam gratiam : quoniam sicut unum membrum naturale servit atque communicat alteri suum usum seu utilitatem, quemadmodum oculus videt corpori toti, et manus pro totius corporis sustentatione laborant; sic unus fidelium dona gratiæ sibi concessæ alteri debet caritative communicare. Et præsertim dona gratiæ gratis B datæ ad aliorum utilitatem dantur ac ordinantur, ut prophetia, gratia miraculorum, potestas prælationis, gratia linguarum, ac talia. Propter quod gloriosissimus Archiapostolus loquitur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. I *Petr.* IV, 10.

SERMO PRIMUS

QUALITER PER ABSTINENTIAM ET ALIA EXERCITIA BONA DEBEAMUS DEO NOSTRA CORPORA QUOTIDIE IMMOLARE ; ET DE LAUDE JEJUNII EXERCITATIONISQUE CORPORALIS.

Q*UI autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Galat. V, 24.

In hoc verbo brevi et sententiosissimo, compendiosissime docet Apostolus distinctionem inter servos Christi et servos diaboli. Qui enim « sunt Christi », hoc est, per fidem et caritatem ad eum pertinent, tanquam veri servi et spiritualiter viva membra ipsius, « carnem suam crucifixerunt » : id est, corpus suum castigant, domant, rationi subjiciunt, in operibus pœnitentiæ illud affligunt, in bonis operibus D Deo servire compellunt; ita quod intus concupiscentiæ refrenantur, et foris opera vitiosa vitantur. Sicque a pravis voluptatibus corpus abstrahitur, ac per hoc spiritualiter atque salubriter mortificatur, ac Deo offertur, dum ejus honori ac cultui mancipatur.

C Istud ergo ad omnem pertinet Christianum. Primo, quia ad omnem Christianum de necessitate salutis exigitur ut per arctam viam incedat, id est, se ipsum in cunctis refrenet, custodiat et legi Dei subjiciat, divinis præceptis rectæque rationi atque Ecclesiæ in omnibus obediendo. Secundo, quia ad omnem spectat Christifidelem universa mortalia vitare peccata. Nam ut Jacobus ait apostolus : Si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Jacob.* II, 10. Ergo concupiscentias carnis et omnes inordinatas ac vitiosas affectiones tenetur reprimere, crucifigere, abdicare, ne eis consentiat ; exteriora quoque opera mala ex carnis affectionibus orientia fugere obligatur. Tertio, quia ad omnes Christifideles pertinet ducere vitam pœnitentialem, quum

dicat S. Bernardus : Ad hoc omne tempus vitæ tuæ tibi puta concessum, ut in eo pœnitentiæ opera agas, tempore scilicet opportuno. Nunc ergo examinet quilibet semetipsum an vere servus sit Christi. Si enim juxta prætacta corpus suum cum vitiis et concupiscentiis non crucifigit, sciat se alienum a Christo, et subjectum diabolo tanquam ministrum et membrum ipsius.

Præterea multæ sunt rationes cur debeamus corpora nostra Deo quotidie per abstinentiam, aut saltem per sobrietatem, ac talia exercitia virtutum, offerre. Primo, quia ut sacratissimus loquitur Petrus, (I *Petr.* II, 21.) Christus passus est pro nobis, exemplum nobis relinquens ut sequamur vestigia ejus. Quemadmodum ergo juxta apostolum Paulum, (*Ephes.* V, 2.) Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis; ita et nos pro modulo nostro debemus Christo vicem rependere, ipsum saltem rediligendo, qui prior tam ardentissime dilexit nos, et corpora nostra ei quotidie offerendo, ipsa pro nostris excessibus per sanctas vigilias, disciplinas et abstinentias puniendo, atque a propriis desideriis et vilibus voluptatibus mortificando. Etenim non solum per jejunia debemus Deo corpora nostra hostiam vivam ac sanctam offerre, sed et per cetera exercitia bona corporis afflictiva, videlicet : per sacras vigilias, tempore dormitionis seu noctis insistendo orationibus, salutaribus meditationibus et laudibus, de mane quoque surgendo ad audiendum matutinale officium, quemadmodum in Ecclesiastico legitur, (*Eccli.* XXXIX, 6.) Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur ; itemque per disciplinas, propria corpora flagellando, super stramina seu duras materias dormiendo, cilicio aut aliquo duro super corpus nudum nos vestiendo, ut cum Apostolo dicere valeamus : (I *Cor.* IX, 27.) Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Præfatis igitur modis debemus peccata nostra in nobismetipsis

A quotidie vindicare, atque ad majorem nos gratiam præparare, et Christo propter nos passo taliter conformari, quia ut ait Apostolus : Si compatimur, et conregnabimus ; (*Rom.* VIII, 17 ; II *Tim.* II, 12.) et, Si socii fuerimus passionis, socii erimus et consolationis. (II *Cor.* I, 7.)

Secundo, debemus corpora nostra Deo ita offerre : nam eo ipso quo conditi sumus a Deo, et quidquid habemus ab ipso accepimus, etiam nos ipsos et omnia quæ habemus Deo tenemur, et omnia ad ejus gloriam et honorem expendere obligamur. B Ergo et corpus nostrum ejusque membra præbere et exhibere debemus in omnibus bonorum operum instrumenta, prout ad Romanos dicit Apostolus : (*Rom.* VI, 19.) Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Tertio, facere hoc debemus in recompensationem justitiæ, atque in satisfactionem injuriæ Dei : ut quia contra justitiam in Creatoris injuriam satisfecimus desideriis C carnis nostræ in cibo, potu, vestitu, somno aut actibus turpibus, nunc corporibus nostris etiam de necessariis aliquid subtrahamus, de alimentis, vestimentis, somno ac talibus, cum discretione præcipua ; ut sic quasi quotidie sanguinem nostrum quodammodo effundamus, exterioresque sensus ab illicitis retrahamus, quatenus non venter tantum, sed cetera quoque membra ac singuli sensus suo modo jejunent. Hinc sanctus ait Bernardus : Si sola gula peccavit, ipsa sola jejunet, et D sufficit ; si vero peccaverunt et cetera membra, cur non jejunent et ipsa ? Jejunet ergo oculus a curiosis adspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens, a fabulis atque rumoribus, imo ab omnibus otiosis et detractoriis et ad salutem non pertinentibus verbis, sonis et cantibus. Jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis. Jejunet manus ab ope-

ribus, signis et motibus malis. Ipsaque A anima jejunet a vitiis universis, et a propria voluntate, ut sit divinæ voluntati in omnibus subdita. Nam absque hoc a vitiis et propria voluntate jejunio, cetera reprobantur a Deo jejunia, sicut per Isaiam
Is. LVIII, 3. testatur : Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra.

Etenim parum prodest ab alimentis corporalibus abstinere, nisi a vitiis omnibus abstineatur, dicente Gregorio : Incassum per abstinentiam corpus atteritur, si motibus inordinatis dimissa mens vitiis dissi- B petur. Isidorus quoque : Qui cibis abstinent et male vivunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest cibusque deest. Hinc loquitur Augustinus : Quid prodest attenuari corpus abstinentia, si animus intumescat superbia ? Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira, odio aut concupiscentia inebriari ? Verumtamen non ita intelligenda sunt ista, quasi inique carnaliterque viventes non debeant jejunare juxta præceptum Ecclesiæ, aut ex spontanea voluntate; sed ut sciant sibi jejunia C sua non esse meritoria vitæ æternæ, atque ut studeant sine mortali crimine vivere, sicque meritorie jejunare.

Insuper jejunia ex sua natura sunt ad multa valde proficua. Primo, ad satisfactionem pro peccatis præteritis, ut sicut corporis voluptate peccavimus, sic corporis afflictione satisfaciamus : per hoc quoque valet jejunium ad evadendum in parte sive totaliter purgatorii pœnas. Unde quum
Jonæ III, 4, 5, 10. Jonas propheta prædicasset Ninivitis, quod civitas eorum propter peccata sua esset a D Deo destruenda, Ninivitæ concorditer jejunaverunt, et suo jejunio, oratione ac humiliatione indulgentiam impetraverunt. Secundo, jejunium valet ad carnalium vitiorum repressionem, et ad concupiscentiæ refrenationem, ut corpus quod delicate nutritum aut male repletum, inobediens factum est rationi, jejunio castigatum, discat spiritui obedire. Tertio, valet ad corporis sanitatem ac vitæ diuturnitatem. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Qui abstinens est, adjiciet vitam ; et *Eccli.* XXXVII, 34.
rursus, Sanitas animæ et corporis est sobrius potus. *Ibid.* XXXI, 37.
Noxios namque humores jejunium siccat, quos crapula et quies corporis generant superflue. Quarto, disponit ad illuminationem divinam, a qua maxime impedit crapula. Hinc Gabriel angelus dixit ad Danielem prophetam : Ex quo po- *Dan.* X, 12, 14.
suisti cor tuum ut affligeres te in conspectu Domini Dei tui, ego veni ut doceam te. Quinto, valet ad vitandum peccata futura ac diabolica tentamenta, imo ad vitandum sollicitudines varias pro temporalibus rebus et cibariis præparandis. Valet quoque ad orandum devotius, ad meditandum subtilius, ad vivendum castius, ad dandum exemplum bonum hominibus, ad inchoandum ac prosequendum opera bona alacrius, ad effugandum somnolentiam ac torporem, loquacitatem et dissolutionem. Hinc ait Chrysostomus : Nihil sic sanitatem sensuumque acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, ut moderata refectio. Et Bernardus : Bonum (inquit) et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia dum remittuntur peccata ; nec solum est ablutio scelerum, sed est exstirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed meretur et gratiam ; nec solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed etiam repellit futura quæ committere poteramus. Sobrie ergo vivamus, ut nec in quantitate nec in qualitate victualium excedamus, plura aut delicata quærendo, aut nimis frequenter aut voraciter et indisciplinate edendo.

Denique quoddam rapinæ genus est (quod a paucis advertitur), ultra veram necessitatem aut animæ utilitatem comedere, atque consumere ea quibus alii amplius indigent. Ideo Christus ait : Væ vobis *Luc.* VI, 25.
qui saturati estis, quia esurietis. Advertant hæc divites et gulosi, qui de uno alimentorum genere sufficienter refecti, rursus per alia fercula sibi pariunt appetitum, quum pauperes vix panem et olera habeant.

Postremo in libro Danielis prophetæ le- *Dan.* I.

gitur, quod dum Nabuchodonosor rex Babylonis filios Israel captivasset, et præcepisset eunuchorum præposito ut aliquos juvenes ex filiis Israel de regia stirpe exortos ac speciosos et sapientes eligeret, et omni sapientia Chaldæorum eos instrueret per tres annos, quatenus post triennium satis edocti, stare possent coram rege præfato ; quumque præpositus eunuchorum elegisset Danielem et Azariam, Misaelem quoque et Ananiam, rex ille præcepit ut A de suo cibo ac vino alerentur. Daniel vero rogavit præpositum ut pro regio cibo ac potu daret sibi ac sociis suis legumina : quod et factum est. Et propter abstinentiam illam ac sobrietatem, dedit Deus Danieli et sociis ejus præfatis sapientiam singularem et illuminationem valde præcipuam, maxime Danieli, qui abstinentior fuit.

Castigemus ergo et Deo in omnibus subjiciamus corpora nostra, et non nisi licenter eis utamur ad gloriam Creatoris.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO OMNIA CUM DISCRETIONE FIERI DEBEANT.

RATIONABILE *obsequium vestrum*. B Rom. XII, 1.

Ps. CIII. 24. *Sap.* XI. 21. Sapientissimus Deus, qui omnia in sapientia fecit, atque in numero, mensura ac pondere cuncta constituit, exigit ut ei rationabiliter, id est sapienter sive discrete, in omnibus serviamus. Quod enim non fit sapienter ac discrete, fit inordinate, quum sapientis sit ordinare, secundum Philosophum. Omne autem inordinatum est reprehensibile, defectibile sive culpabile, ut loquitur Augustinus. Hinc ait Apostolus : *I Cor.* XIV, 40. Omnia honeste et secundum ordinem fiant C in vobis. Sanctus quoque Dionysius protestatur, *De Divin. nom. c.* IV. quod optimum hominis est esse secundum rationem, videlicet prout gratia, lege divina et vera prudentia est instructa.

Ad hoc ergo quod opera nostra sint vere virtuosa, et Deo complacita, atque æternæ vitæ meritoria, non sufficit quod sint bona ex genere, seu bona secundum se, ut est, dare eleemosynam, audire Missam, honorare parentes ; sed insuper necesse est ut fiant congruo loco, et tempore apto, et recta intentione, et debito modo, id est taliter ut oportet, itemque ut conveniant D personæ agentis, ut ei cui exhibentur. Unde si quis daret eleemosynam pro laude humana, vel de rebus super quas non habet dominium, vel ei cui danda non est, vel tempore noctis quando prohibitum est januam aperire, non esset actus virtuosus, sed potius vitiosus. Similiter si quis audiret Missam sacerdotis quem sciret ab exsecutione sacerdotalis officii esse suspensum, vituperabile esset.

Porro ad hoc quod opera bona fiant præfato modo, utpote suo loco et tempore, et taliter ut oportet, ac recta intentione, et secundum statum agentis, necessaria est homini prudentia sive discretio, quæ dirigat voluntatem in exsecutione operis boni prout circumstantiæ virtutum requirunt, ut in operibus moderamen servetur, et opportuno loco ac tempore fiant quæ bona sunt, ad gloriam Dei, ex caritate, pro æterna felicitate consequenda. Omnia etenim ista docet discretio, quæ inter bona ac mala discernit, et non solum manifesta mala, sed ea quoque quæ bona videntur nec sunt, reprobat ac devitat. Qui ergo discretus est, nec præceps est in agendo, nec remissus ; et oculum circumspectionis ac considerationis undique circumducit, ne aliquid agat quod scandalum parit pusillis, dummodo salva triplici veritate, scilicet

veritate vitæ, et doctrinæ, atque justitiæ, A queat id vitare. — Denique discretio ista ferventioribus in Dei obsequio præcipue necessaria est, ne ex caritatis fervore aut zelo justitiæ per immoderatas abstinentias, vigilias, disciplinas destruant corpora sua, sicque de cetero ad Dei obsequium consistant inepti ac impotentes.

Discretio quoque reddit hominem docilem, dirigibilem; et proprii sensus immansionem ac vanam singularitatem excludit, similiter animi perturbationem. Qui enim discrete procedit, tranquillitate lætatur; B qui indiscrete, multoties perturbatur. Id-
Eccli. XXIX, 26. circo in Ecclesiastico scriptum est : Qui multa conatur agere, incidet in judicium; id est, qui plura simul aut nimis cito agere nititur, in diversa peccata dilabitur. Id-
Eccle. III, 1. circo in Ecclesiaste Salomon dixit : Omnia tempus habent. Unumquodque enim suo loco et tempore secundum rationis discretionem agendum est. Unde ad proficiendum in omni gratia et virtute, ad pertingendum velociter ad perfectionem, maxime confert discretio; sicut et indiscretio pro- C fectum potissimum impedit, et omnem perfectionem excludit. Insuper maturitatem ac gravitatem docet discretio, impetuositatem abscindit, ordinationem custodit, omnesque virtutes dirigit in agendo.

Jugiter ergo Dominum exoremus ut veram nobis in universis discretionem præstare semper et conservare dignetur, ut intus et extra honeste, ordinate, decenter et sapienter nos habeamus, quemad-
Coloss. IV, 5. modum ait Apostolus : In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Nam sicut D ratio dirigit voluntatem, ita discretio omnem voluntatis virtutem et actionem. Hinc sanctus scribit Bernardus : Quo zelus ferventior, ac vehementior spiritus, atque profusior caritas, eo vigilantiori opus est discretione, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet caritatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit. Est enim discretio non tam virtus quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum, doctrixque morum et consummatio perfectionis. Tolle hanc, et virtus vitium erit. Hæc docet ne quid minus fiat aut magis quam expedit.

Præterea discretio sine caritatis fervore jacet ac deficit; fervor vehemens caritatis absque discretionis temperamento præcipitat. Idcirco laudabilis est cui neutrum istorum deest, quatenus fervor discretionem erigat, et discretio fervorem regat.
Hinc quoque ait Scriptura, Noli esse ni- *Eccle.* VII, 17.
mium justus : non quod reprehensibile sit esse aut velle esse sublimiter justum, imo quanto quis justior, tanto est melior; sed ideo dictum est hoc, quoniam homo moderate et ordinate habere se debet in actibus per quos ad justitiæ ac virtutum eminentiam tendit, ne subito justus et perfectus esse conetur. Propter quod ait Bernardus : Nolo repente esse perfectus, sed paulatim proficere volo. Iterum per discretionem interdum dimittit homo actum unius virtutis, imo et opera vitæ contemplativæ, ut actum alterius virtutis, seu opera vitæ activæ exerceat, dum causa id exigit, sicut dum proximus indiget. Ideo sanctus fatetur Gregorius : Plerumque virtus quum indiscrete tenetur, amittitur; quum discrete intermittitur, plus tenetur.

Ad hanc virtutem Christus nos admonens, Estote, inquit, prudentes sicut ser- *Matth.* X, 16.
pentes, et simplices sicut columbæ : ut scilicet prudentiam simplicitas temperet, excludendo calliditatem; simplicitatem quoque prudentia regat, excludendo inconsiderationem. Prudentiam ergo seu discretionem in omnibus observemus, quoniam ipsa docet, quid, quando, ubi, et qualiter sit agendum. Ipsius est providere ut opera nostra Deo sint grata seu placita, nobis utilia, proximis exemplaria.

Quarto enim Vitaspatrum legitur libro de sancto abbate Nytera, qui fuit discipulus abbatis Silvani, quod dum habitaret in cella sua in eremo in monte Sinai, mediocriter gubernabat vitam suam de his quæ erant necessaria corpori suo. Quando autem factus est episcopus in Pharan, multum rigorose tractavit se ipsum in abstinen-

tiis atque jejuniis. Dixit ergo ei discipulus suus : Abba, quando eramus in eremo, non ita te cruciabas. Respondit senex : Fili, illic solitudo erat, et paupertas ac quies ; propterea gubernavi ibi corpus meum cum mediocritate, ne infirmarer et quærerem quod non habebam, sicque mentis meæ quietem amitterem. Hic autem in mundo sumus, et occasiones hic sunt plurimæ excedendi ; et si infirmitatem incurrero, sunt hic qui succurrant, ne perdam propositum monachi. Ex hoc patet magna sancti abbatis illius præsulisque discretio. Unde et nos debemus tanto diligentius nos A ab omni custodire peccato, quanto plures habemus occasiones peccandi in aliquo loco. Quemadmodum legitur de S. Hugone Lincolniensi episcopo, qui fuit Cartusiensis, quod quando fuit in mensis regum ac principum, et cantus et symphonias audivit, tunc præcipue recollegit cor suum et dedit se ad considerationem divinorum ac devotionem, ne in aliquo delectaretur inaniter.

Provideamus ergo indesinenter ut per opera nostra interiora ac exteriora Deum B glorificemus, nobismetipsis beatitudinem acquiramus, et proximos ædificemus.

SERMO TERTIUS

DE REFORMATIONE MENTIS SEU INTERIORIS HOMINIS.

N*OLITE conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.* Rom. XII, 2.

In his verbis duo docet Apostolus : primo, ne carnalibus ac mundanis hominibus conformemur ; secundo, ut interius reformemur. Primo enim oportet vanitates, impietates, fraudes, injustitias, gulam, luxuriam, superfluitates et pompas hominum mundanorum vitare ; deinde interiores animæ vires, in quibus imago Dei consistit, videlicet intellectum, memoriam et voluntatem, reformare. Quia etenim non valemus repente ad summum venire, debemus paulatim de infimo ad medium, et de medio ad summum accedere. Sic Psalmista
Ps. LXXXIII, 6, 7. ait ad Dominum : Beatus vir cujus est auxilium abs te ; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.

Initium ergo reformationis rationis seu intellectus est, christianam fidem, et omnia quæ in sacra continentur Scriptura, et quæ docet Ecclesia, firmiter credere, eo quod Deus sit testis illorum. Ideo S. Athanasius dixit : Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem : quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æter- C num peribit. Quoniam ergo ratio nostra per ignorantiam et errores atque peccata multipliciter excæcatur et fallitur, Deus in Scripturis docuit nos de omnibus necessariis ad salutem ; idque requirit a quolibet nostrum, ut sanctis Scripturis sincere credamus juxta expositionem sanctæ matris Ecclesiæ, nec proprium sensum in aliquo præsumptuose sequamur, ut sic, juxta doctrinam Apostoli, in captivitatem redigamus intellectum nostrum in obsequium *II Cor.* x, 5.
Christi. Hinc in Ecclesiaste Salomon loqui- D tur : Quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno, his amplius, fili mi, ne requiras. *Eccle.* XII, 11, 12.

Porro profectus rationis est, ex illuminatione Spiritus Sancti rationes fidei aliqualiter noscere, et a terrenis ad considerationem divinorum se solito facilius atque frequentius elevare. Quamvis etenim fides naturalem rationem transcendat, ita quod ea quæ fidei sunt per sese propria virtute capere nequit ; illuminata tamen divinitus, conspicit nihil rationabilius esse fide ca-

tholica, cui omnis natura attestatur et omnis naturalis sapientia famulatur. Nam etsi unumquodque eorum quæ fidei sunt, per se seorsum acceptum, incomprehensibile videatur, omnia tamen simul sumpta sibi pulcherrime consonant. Propter quod ait Deo Psalmista : Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis. (*Ps. xcii, 5.*) Perfectio vero rationis in vita hac est, per mentis excessum supra se rapi, et non per ænigmata corporearum similitudinum, nec per argumenta ratiocinationum, sed pura mentis intelligentia per intellectualis luminis speciem contemplari divina, juxta illud Apostoli : Nos autem revelata facie gloriam Dei contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. (*II Cor. iii, 18.*)

Insuper initium reformationis memoriæ est, mentem a sua distractione ad divinorum considerationem cum labore reducere, orando, legendo aut superficialiter meditando. Profectus autem memoriæ est, in bonis meditationibus et orationibus ac laudibus Dei sine importuna evagatione posse intendere, atque in latitudine cordis in talibus cum Deo et secum deambulare. Perfectio quoque memoriæ est, ita in Deum per mentis excessum esse absorptum, ut sui ipsius et omnium creaturarum obliviscatur homo, atque in solo Creatore absque omnium volubilium cogitationum imaginationumque strepitu suaviter requiescat, quemadmodum scriptum est : In pace in id ipsum dormiam et requiescam. (*Ps. iv, 9.*)

Præterea initium reformationis voluntatis est, ex proposito vitiis dissentire ac reluctari, operibusque virtutum instare fideliter propter Deum. Nam quoniam propter aversionem a Deo, spiritualiter curva atque distorta effecta est inhærendo rebus caducis ac vanis, indiget rectificari, ut conversa Deo concordet, et motus rebelles compescat, suosque actus ad divinæ voluntatis rectitudinem in cunctis dirigat ac reflectat. Profectus voluntatis est, universas suas affectiones habere ordinatas virtutibusque formatas et ad Deum reductas, ut non libeat nisi quod Deo placet. Perfectio voluntatis est, unum cum Deo esse spiritum per ferventem amorem, et omnes affectiones habere simplificatas in Deo et sine rebellione subjectas, ut jam quasi non possit velle nisi Deum et quæ complacent ei, sicque divinæ bonitatis inebrietur dulcedine, ita ut dicat : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! (*Ps. xxx, 20.*) Unde hortatur Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. (*I Cor. xv, 58.*)

Ecce in his consistit reformatio hominis interioris. Et ad eam ordinanda sunt exteriora exercitia nostra. Nec ad eam possumus pervenire, nisi coram Deo in omnibus simus timorati et custoditi, a pravis ac superfluis verbis cavendo, similiter a risibus, dissolutionibus, jocis immoderatis, ac superfluitate cibi et potus, somni ac vestitus, a lascivis adspectibus, tactibus, osculis. Motus quoque iræ, impatientiæ, indignationis, superbiæ, ac ceteras animæ passiones refrenare et superare oportet, adversa omnia propter Deum æquanimiter sustinendo, et de temporalibus rebus non plus quam necessarium est aut utile pro salute animæ appetendo. Itaque ad præfatam reformationem unusquisque conetur pertingere, in virtutibus proficiendo quotidie, et Dei auxilium invocando jugiter indefesse.

Denique, sicut in Vitaspatrum habetur, ad hanc mentis reformationem pervenit sublimiter abbas Moyses, sanctus ille eremita. Qui quum prius fuisset homicida et vitæ pravissimæ, divina miseratione tactus, tandem a quodam eremita conversus est; et durissimam pœnitentiam fecit, pane et aqua solummodo ac parcissime vescens, et multis noctibus omnino non dormiens, sed incessanter stans et Deum exorans. Quem dæmones gravissime tentaverunt; atque semel quasi usque ad mortem a dæmone est percussus : sed auxiliante Spiritu Sancto tam viriliter restitit, et ad tantam perfectionem devenit, quod nos magis timemus muscas quam ipse timuit dæmones.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM FACTUS ESSET JESUS ANNORUM DUODECIM, ETC. Luc. II, 42-52.

IN evangeliis quæ in sacratissima solennitate Nativitatis Christi legit Ecclesia, docent beatissimi Evangelistæ Dominum nostrum Jesum Christum esse verum Deum et hominem in una persona, ita quod plenus fuit gratia et veritate, sapientia et virtute. Convenienter ergo præsens evangelium legitur in dominica ista prædictæ solennitati tam proxima, quia in evangelio isto describitur quando, ubi et qualiter Christus sapientiam suam primo monstravit. Præterea in festo Nativitatis Christi lectum est evangelium in quo describitur quomodo pastores Christum quæsierunt et invenerunt; in festo quoque Epiphaniæ evangelium lectum est in quo recitatur qualiter tres Magi Christum quæsierunt ac repererunt. (*Matth.* II, 1-11.) Nunc ergo evangelium legitur ubi narratur quomodo a propria Matre et patre putativo quæsitus atque inventus est Dominus Jesus. Ait ergo Lucas evangelista :

Quum factus esset Jesus *annorum duodecim,* secundum suam humanitatem : qui secundum divinitatem idem ipse est tanquam vere incommutabilis et æternus, omne tempus transcendens, quemadmodum in Apocalypsi ait, Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis; (*Apoc.* I, 8, 17; XXII, 13.) *ascendentibus illis,* puta Maria et Joseph, *Jerosolymam,* quæ situ altior fuit quam Galilæa, in qua Nazareth civitas fuit, a qua venire cœperunt quia habitaverunt in ipsa : ideo ascendisse dicuntur; *secundum consuetudinem diei festi,* id est, prout circa solennitatem paschalem tunc solitum fieri fuit. Consuetudo enim bona, quæ scilicet nec juri nec rationi contrariatur, vim legis sortitur.

Unde his verbis Lucas præmisit : Et (*Luc.* II, 41.) ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solenni Paschæ. Quod intelligendum est pro tempore illo quo Maria et Joseph cum Jesu in Nazareth morabantur : nam illis septem annis quibus in Ægypto manserunt, non venerunt ad urbem Jerusalem. Denique in Exodo præcepit lex Moysis, (*Exod.* XXIII, 17.) ut in quolibet anno ter, videlicet in festo Paschæ, Pentecostes, ac Tabernaculorum, omnis masculus Judæorum appareret coram Deo in loco templi ac cultus divini, qui fuit Jerusalem; sed cum his qui a loco hoc habitabant remote, dispensabatur quoad duas solennitates, videlicet Pentecostes et Tabernaculorum. Maria ergo et Joseph, quia a Jerusalem remote manebant, puta in Nazareth, quæ (ut legitur) per quatuor dietas a Jerusalem distat, non nisi in principali festo, scilicet Pascha, venerunt Jerusalem. Verumtamen de mulieribus non fuit præceptum ita venire Jerusalem; sed si comitabantur viros, ex devotione aut consuetudine fiebat. Maria autem ex summa devotione hoc fecit, præsertim quoniam unicum et supercarissimum Filium suum relinquere noluit.

Porro quod ait Evangelista, Ibant per singulos annos in Jerusalem in die solenni Paschæ, non est intelligendum quod in festo tam celebri ambulabant, sed quod iter sic arripiebant, ut in die illo in Jerusalem essent : imo in die proximo præcedenti ibi esse curabant, ut manducarent de agno paschali, qui tunc ad vesperam immolabatur, (*Ibid.* XII, 18.) luna quartadecima, prout in Exodo fuit præceptum.

Consummatisque diebus, hoc est transactis diebus quibus duravit in veteri lege paschalis solennitas : quæ septem diebus duravit, juxta illud Deuteronomii, Septem (*Deut.* XVI, 3.)

diebus comedes absque fermento. Alii tamen dicunt, sicut et Glossa, quod octo diebus duravit. Quod verum est, septem integris diebus festi hujus annumerando diem proxime præcedentem, in cujus vespera offerebatur agnus paschalis. *Quum redirent* Maria et Joseph a Jerusalem ad Nazareth. In hoc quod toto tempore solennitatis illius in Jerusalem permanserunt, commendatur continua eorum devotio, et docemur ne ab ecclesia discedamus ante finem divini Officii seu prædicationis : quo multorum indevotio instabilitasque notantur, qui sine rationabili causa ante finem verbi Dei seu divini Officii recedendo reprehensibiles valde sunt. *Remansit puer Jesus in Jerusalem.* Non casualiter, sed ex proposito ibi remansit : primo, ut amore sapientiæ ac spiritualis profectus doceret carnales parentes corporaliter relinquendos ; secundo, ut daret exemplum perseverandi in templo ac cultu divino etiam ultra debitum tempus ; tertio, ut daret exemplum vitandi jactantiam ac vanam gloriam, per hoc quod sapientiam suam non demonstravit durante festo, in præsentia omnium, et in conspectu concivium et cognatorum, et Matris atque nutricii.

Et non cognoverunt parentes ejus, id est vera Mater putativusque pater : quia ut Beda ac alii dicunt, viri et feminæ ad solennitatem eundo, ac redeundo, incedebant seorsum, ut devotius se haberent ; ideo Virgo beata putavit filium suum esse cum Joseph, Joseph quoque putavit quod esset cum Matre : nam pueri cum utroque parente poterant ire. Unde negligentes non erant Maria et Joseph circa custodiam pueri Jesu, quoniam de industria se subtraxit. Verumtamen Origenes subtilius aliquid tangit, nescio tamen an verius. Scribit namque, quod supernaturaliter et imperceptibiliter elapsus sit manus parentum, quemadmodum elapsus est manus Judæorum eum præcipitare aut lapidare volentium, ut Evangelistæ describunt : divina quippe virtute potuit se hominibus invisibilem exhibere.

Luc. IV, 30; *Joann.* VIII, 59; X, 39.

A Per hoc quoque quod Virgo beatissima et Joseph perdiderunt Jesum in tanto festo, figuratum est, quod multi Christiani in illis festis Christum plus perdunt, in quibus deberent eum diligentius quærere aut servare : ut sunt qui tunc curiose se ornant, ut videantur et videant, appetantur et appetant ; vel etiam qui licet bona intentione vadant ad ecclesias, ad festivitates, prædicationes, seu indulgentias, in ipso tamen itinere et in templo sunt incustoditi, oculis vagi, lingua irrefrenati, B sive gulosi, peccantque gravius quam si domi manerent, aut ferialibus diebus. Ideo in talibus locis, actibus atque temporibus debent singulariter esse custoditi, devoti ac temperati.

Existimantes autem illum esse in comitatu, id est inter eos qui pariter ibant, ita ut Mater sua putaret eum esse in comitatu seu turba virorum, Joseph vero, in comitatu feminarum, *venerunt iter diei,* id est, unius iter diei fecerunt a Jerusalem recedendo, *et requirebant eum inter co-* C *gnatos et notos.* Quum enim in fine primæ diei, Maria et Joseph conspicerent quod cum nullo ipsorum venisset aut esset, contristati atque turbati sunt valde, ex summa dilectione et reverentia quas habuerunt ad puerum, quem Dei Unigenitum agnoscebant ; cœperuntque quærere eum quam citissime valebant, forsitan ipso sero et die sequenti, in comitatu utroque, præcipue inter vicinos, cognatos et notos. *Et non invenientes* eum inter illos : per quod datur intelligi quod amor carnalis et pro- D pinquitas, societasque humana non timorata, plurimum impedit a vacatione Dei inventioneque Christi ; *regressi sunt in Jerusalem* tertia die, ut videtur, *requirentes eum,* ubi magis sperabant eum posse inveniri. Quo enim ardentius diligebant, eo sollicitius diligentiusque quærebant dilectum : quoniam teste Gregorio, vis amoris multiplicat ac renovat intentionem ac studium inquisitionis.

Et factum est, post triduum, utpote quarto die, *invenerunt illum in templo.*

Ibi enim, ut ait Origenes, invenitur Filius Dei : ergo et nos dum quærimus Jesum, intremus ecclesiam, oratorium, seu locum orationi devotionique aptum, quanquam ubique sit invenirique possit Filius Dei. Si ergo adoptivi filii sumus aut esse optamus Patris cœlestis, in domo ejus, hoc est in templo, libenter simus, non in tabernis aut locis vanitatum aut voluptatum, in quibus filii diaboli esse solent. *Sedentem in medio doctorum :* per quod Christus insinuavit quod pueri et indocti debent se doctoribus et prædicatoribus seu prælatis suis applicare, ut instruantur ac ædificentur ab eis, juxta illud Ecclesiastici : In multitudine presbyterorum sapientium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere; itemque, Si videris sensatum, statim evigila ad illum. Sed hujus oppositum faciunt multi, et ob hoc miserabiliter stulti, qui fabulatoribus, trufatoribus et scortatoribus magis se applicant, imitantes quemdam de quo legitur in vita philosophorum, qui quum vidisset Pythagoram philosophum discipulis suis legentem, irrisit, et dixit : Mallem esse inter mulieres quam inter philosophos. Cui respondit Pythagoras : Non mirum, quia et porci libentius volutantur in cœno quam fonte sereno.

Eccli. vi, 35.
Ibid. 36.

Audientem illos, et interrogantem. Audivit illos, non ut ab ipsis quidquam addisceret, sed ut juxta prolata ab eis convenienter interrogaret; et item, ut humilibus daret exemplum, informaretque pueros et subjectos, ut etiam si periti sint, nihilo minus magistros suos et prælatos ac seniores potius curent audire, quam docere præsumant, nec vana ostentatione se jactent, quum et Jacobus dicat : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. In Ecclesiastico quoque habetur : Adolescens, loquere in causa tua vix; si bis interrogatus fueris, habeat caput tuum responsum suum. Item : Loqui in medio magnatorum non præsumas; et ubi sunt senes, non multum loquaris.

Jacob. I, 19.
Eccli xxxii, 10, 11.
Ibid. 13.

Postquam autem Christus doctores patienter et plene audivit, quæstiones eis proposuit, ut occasionem cognoscendi veritatem eis conferret, atque ad Dei laudem induceret eos. Præterea hic est ordo congruus disciplinæ : primo, diligenter et plene audire, deinde circa audita pertinenter inquirere sive objicere, juxta illud Ecclesiastici : Audi tacens simul et quærens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Quidam vero præcipites et verbosi, non exspectata ad plenum responsione tentant objicere, seu non audita objectione plenarie incipiunt respondere, non attendentes quod in Proverbiis Salomon loquitur : Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum. Absit ergo a nobis impetuosa loquacitas, et sine bona deliberatione nec interrogemus, nec objiciamus, neque respondeamus : quoniam in Ecclesiastico scriptum est, Priusquam audias, non respondeas verbum. Et iterum ait Scriptura : Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus. Porro, quæ fuerint Christi interrogationes ac responsiones, Evangelista non exprimit. Arbitror vero, quod aliqua circa suum adventum et circa mysteria sua spectantia sciscitabatur, ut agnoscendæ veritatis eis ostium aperiret.

Eccli xxxii, 12, 9.
Prov. xviii, 13.
Eccli. xi, 8.
Ibid. xx, 7.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, hoc est, tam doctores quam circumstantes tam vehementer mirabantur, ut quasi stupidi redderentur, *super prudentia et responsis ejus,* id est de tam sublimi sapientia ac ordinatissimis eruditissimisque responsionibus pueri tam juvenis ac tenelli, quemadmodum regina Saba, audita sapientia Salomonis, præ admiratione non habuit ultra spiritum : et ecce plus quam Salomon hic. Christus namque ut Deus, fuit Salomone sapientior incomparabiliter; atque ut homo talis, videlicet humanitatem Verbo æterno habens unitam, sapientior exstitit Salomone inenarrabiliter. Elicitur autem ex textu, quod sicut Christus proposuit doctoribus quæstiones, ita econverso; sed ipsi non poterant ei respondere tam sapienter ac prompte ut

III *Reg.* x, 1-5
Matth. xii, 42.

ipse eis; vel forte, quum doctores non A possent Christi quæstionibus respondere, ipse personaliter doctrinaliterque respondit. Demum, ut asserit Origenes, ex eodem sapientiæ fonte procedit, sapienter inquirere, et convenienter respondere.

Et videntes universi qui aderant, corporali intuitu, puerum duodennem tam facete, reverenter ac constantissime se habentem, intellectualiter quoque cernentes quam sapiens et compositus esset in omnibus, *admirati sunt,* quod puer tantillus doctores ætate, studio, et humana erudi- B tione provectos, tam incomparabiliter superaret : cujus simile nec viderunt nec audierunt, quoniam supra cursum et ordinem fuit naturæ. Admirati sunt ergo : primo, propter sapientiæ ejus eminentiam; secundo, propter eloquentiæ elegantiam; tertio, propter mentis suæ constantiam, quia tam imperterritus et securus fuit in omnibus, quum videretur puer pauperculus : pueri namque tantilli in medio doctorum ac magnatorum solent timere et facie immutari; quarto, propter morum C ipsius decentissimam atque pulcherrimam venustatem; quinto, quia et vultu totoque corpore speciosissimus amabilissimusque puer fuit, et verborum suorum ordinatissima suavitate omnium animos fecit suspensos, fuitque ejus adspectus consolatorius valde. Unde in Ecclesiastico legitur : Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. Ex omnibus quoque prætactis valde inflammabantur amore pueri hujus, quum scriptum sit : Sapiens se ipsum in verbis amabilem D facit.

Eccli. XL, 21.

Ibid. XX, 13.

Præterea quæritur, cur Christus duodecimo suæ ætatis anno sapientiam suam sic orsus est declarare. Ad quod Gregorius respondet, quoniam duodecimo anno apud homines solet discretionis perfici ratio : idcirco non antea fecit hoc, ne phantasticum vel diabolicum putaretur; vel, ut tangit Ambrosius, quoniam duodenarius numerus fuerat Apostolis deputandus, qui Christi Evangelium omnibus prædicarent. Alii causam signant ex perfectione numeri hujus.

At vero affectuosissima atque piissima Mater et Virgo, viso unico et superamantissimo Filio suo, tanto amplius est gavisa, quo de ejus amissione plus fuerat contristata : verumtamen eum alloqui non præsumpsit, quamdiu vidit eum cum doctoribus occupatum. Sed Puer Matrem adesse conspiciens, actu illo completo, venit ad eam. Quæ mox maternis concussis visceribus et præ gaudio lacrimans, cum omni fiducia, humiliter, amorose ac dulciter, tanquam fidelissima mater ait ad eum : *Fili, quid fecisti nobis sic?* id est, cur me et Joseph ignorantibus hic mansisti, atque in tantam nos induxisti tristitiam, quos noveras de tua amissione sic affligendos? Quod benignissima Virgo locuta est, non per modum increpationis, sed piæ conquestionis ac avidæ inquisitionis : non enim consuetus fuit sic facere. Noverat autem sapiens Mater Filium suum esse Deum et hominem, nec posse peccare, nec sine rationabili causa mansisse aut aliquid peregisse. O vere felicissima, præstantissima incomparabilisque Maria, quæ Unigenitum Patris æterni tam vere ac fiducialiter nominat filium suum!

Ecce ego vera mater tua, *et pater tuus* putativus, *dolentes* de tua absentia, *quærebamus te* cum grandi sollicitudine et pavore. Cujus doloris causa secundum Glossam fuit, quia timebant ne quod Herodes conatus fuit facere puero in sua infantia, Archelaus et alii jam ei inferrent in provectiori ætate. Sed nonne sapiens Mater agnovit, quod Filius suus venit ut in virili ætate pro mundi crucifigeretur salute? Et respondendum, quod utique hoc cognovit : nihilo minus metuere potuit ne puero suo qui ad patiendum venit, aliquid adversitatis sive molestiæ infligeretur ab hostibus, quamvis sciret hoc sibi contra suam voluntatem non posse accidere. Denique Origenes scribit circa hoc subtiliter : Cur (inquiens) quærebant puerum cum dolore? An ideo, ne forte per-

ierit sive erraverit? Absit. Nunquam enim fieri potuit ut perditum formidarent, quem Dominum esse cognoverant; et maxime Maria id timere non valuit, quæ se de Spiritu Sancto noverat concepisse. Sed quomodo tu, dum Scripturas legis nec intelligis, quæris in eis sensum cum dolore quodam atque tormento, non quod Scripturas errasse arbitreris, sed quoniam veritatem quam continent nescis, et invenire desideras; sic illi quærebant Jesum, ne forte eos relinquens ad alia demigrasset, et quod magis puto, ne forte revertisset ad cœlos, quum ei placuisset iterum descensurus.

Itaque et nos, dum peccando amisimus Christum, seu, ipso dispensante, consolationem ipsius, protinus cordialiter doleamus, et cum sollicitudine ac pœnitentiali mœrore infatigabiliter eum quæramus; nec dissimulemus, neque dissolute ac negligenter pertranseamus, ut illi qui quærunt eum nec tamen inveniunt. Hinc in Deuteronomio asseritur : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. (Deut. IV, 29.) Nempe tanto plus de peccato et Christi amissione debemus dolere, quam de corporalium ac temporalium perditione, quanto malum culpæ deterius fugibiliusque consistit malo pœnæ, quanto etiam salus æterna et Deus ipse majoris est bonitatis ac dignitatis quam transitoria universa. Nihilo minus multi misera cæcaque mente, plus de transitoriarum rerum amissione quam de gratiæ ac salutis perditione tristantur.

Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? quasi dicat : Non fuit necesse me taliter quæri. Quibus verbis non increpat eos quasi culpabiliter egerint ita eum quærendo : imo valde meritorie in hoc egerunt, et propter augendum eorum meritum Christus permisit eos sic quærere et affligi. Sed insinuat se aliter potius fuisse quærendum : quemadmodum Christi voluntas de qua dixit, Pater, non quod ego volo, bona fuit; et tamen voluntas (Matth. XXVI, 39; Marc. XIV, 36.) qua dixit, Sed quod tu, melior fuit. Nec hoc derogat perfectioni Virginis gloriosæ, quia quotidie proficere potuit in sapientia et virtute, imo et summe profecit. Hinc subditur : *Nesciebatis*, id est, utique perpendere potuistis (nec tamen considerationis hujus omissio culpa fuit in eis), *quia in his quæ Patris mei sunt*, id est in cultu et templo Patris æterni, *oportet me esse?* Christus enim ad hoc venit in mundum, ut secundum assumptam humanitatem, Patris voluntatem in omnibus adimpleret. Propter quod ait apud Joannem : Quæ placita sunt ei, facio semper. (Joann. VIII, 29.)

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Non est putandum ignorasse eos, præsertim Mariam, quod per patrem intellexerit Patrem suum æternum; sed non intellexerunt plenarie quid Christus per verba ista prætenderet, hoc est, per quem modum assereret se esse oportere in his quæ Patris sunt, utpote quantum ad locum et tempus, aliasque circumstantias, et quoad actus determinatos : quia et verbum istud multipliciter intelligi potuit. Maria quoque non ignoravit Filium suum Deo Patri actibusque divinis indesinenter intentum; sed quando, qualiter, et quoties oporteret eum esse in templo, non ita distincte cognovit.

Et descendit cum eis a Jerusalem, *et venit Nazareth,* a qua cum illis ascendit Jerusalem. De qua sua ascensione ad festivitatem paschalem sive legalem, de se ipso prædixit per Zachariam : Vadam etiam ego. (Zach. VIII, 21.) Quibus verbis immediate ibi præmittitur : Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores unusquisque ad alterum, dicentes, Eamus et deprecemur faciem Domini. (Ibid. 20, 21.) Quibus verbis mox additur : Vadam etiam ego, scilicet Dominus exercituum, qui loquitur ista. Non enim Zacharias de se ipso hoc ait : quod super Zachariam clarius demonstravi.

Et erat subditus illis, non solum Matri, sed etiam Joseph, secundum naturam assumptam : et legem quam de ho-

noratione parentum contulit, adimplevit non necessitate, sed dignatione et pietate. Non enim communi legi fuit adstrictus, sed supra illam, non solum secundum quod Deus, sed insuper secundum naturam humanam, ut hypostatice Verbo æterno unitam atque per hoc omni creaturæ prælatam.

Præterea, secundum diversos gradus potestatis determinandus est obedientiæ gradus. Hinc potestati in spiritualibus præsidenti, est in spiritualibus obediendum; præsidenti autem in gubernatione rei publicæ, obediendum est in pertinentibus ad rei publicæ regimen; similiter præsidenti in regimine domus, obediendum est in pertinentibus ad gubernationem rei domesticæ. Christus autem simpliciter superior fuit sua Matre et Joseph : imo de jure fuit omnium hominum rex, salvator ac pontifex. Nihilo minus Matri suæ et Joseph parebat humillime serviebatque promptissime, ut impleret omnem justitiam, omnem humilitatem, dans omnibus nobis obediendi exemplum, obedientiæ formam, humilitatis insigne, et summæ subjectionis documentum reale, dum talis ac tantus, non solum Matri, sed et humili servo obediens fuit ac subditus : potissimum tamen dedit inferioribus, et filiis ac junioribus, exemplum obediendi superioribus, parentibus et senioribus. Hac ergo Christi humilitate ac obedientia vehementissime confunditur superbia nostra, damnatur rebellio nostra, dum superioribus nostris et parentibus carnalibus seu spiritualibus non obtemperamus : eo quod Dominus universorum, qui etiam secundum suam humanitatem ut Verbo unitam, præstantior, altior Deoque carior fuit toto universo, non solum pauperi Genitrici, sed et fabro obedivit lignario, idiotæ ac simplici. Nemo ergo ob suam sapientiam aut nobilitatem despiciat obedire prælato quantumlibet ignobili ac indocto, quum Christus virtus et sapientia Patris, obediens fuit ac subditus fabro.

Et Mater ejus conservabat omnia ver-

A *ba hæc,* id est verba et opera Christi, *in corde suo,* id est in memoria, tanquam optima atque docillima æternæ sapientiæ discipula, sapientiæ capacissima ac avidissima, quia et ingeniosissimæ et quietissimæ ac dispositissimæ mentis fuit; et quidquid Filius ejus fecit aut dixit, cum summa veneratione pensavit, et eminenter inde profecit : non ut puerum aut hominem, sed ut Deum verum illum attendens. Et nec ipsa, nec Joseph, sine grandi reverentia aliquid ei injunxit.

B *Et Jesus proficiebat ætate,* quoniam tempus quod sibi accrevit, fructuosissime expendebat, *et sapientia et gratia apud Deum et homines,* hoc est, veraciter coram Deo atque hominibus, Deum in cunctis conscientia pura honorans, hominesque ædificans, quibus et sapientiam, perfectionem et gratiam suam paulatim opportuno tempore declaravit, ut per hoc ad Dei honorem provocarentur et gloriam. Porro bona conscientia necessaria est homini propter Deum, qui cordis inspector est; sed pro-
C pter homines exigitur bona fama, exemplarisque vita. Quam qui negligit, est crudelis : nam quantum in ipso est, alios scandalizat et spiritualiter lædit, et Dei inhonorationem adauget. Et nos ergo sapientia et gratia, id est in cognitione seu contemplatione divinorum charismatibusque virtutum, debemus proficere, præsertim quum non proficere sit deficere : et hoc, coram Deo ad gloriam ejus, et coram hominibus ad ædificationem eorum, sicut ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram *Matth.* v,
D hominibus, ut videant bona facta vestra, et 16.
glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Apostolus quoque : Providentes (in- *Rom.* xii,
quit) bona non solum coram Deo, sed 17.
etiam coram hominibus.

Postremo nunc intuendum, qualiter Christus profecit sapientia et gratia. Quocirca pensandum, quod quum Christus sit Deus et homo in unitate personæ, duplex fuit et est in eo sapientia, scilicet : increata, quæ est substantialiter ipsummet Verbum æternum ac divina essentia. Quæ sapientia

quamvis sit tribus adorandis personis com- A munis, tamen Filio appropriatur, eo quod Filius procedat a Patre per modum intellectualis emanationis, sitque verbum et emanatio intellectus : sapientia autem ad intellectum pertinet. Et est in Christo sapientia creata : et hæc multiplex assignatur. Itaque advertendum, quod in eodem instanti anima Christi est creata, carni unita, ac simul cum corpore suo assumpta a Verbo æterno, ac suppositata in esse ejus personali et increato; in eodem quoque instanti elevata est ad beatificam Di- B vinitatis fruitionem, quam tunc cœpit videre tam clare ut modo conspicit eam; in eodem demum instanti impleta est omni charismate gratiæ, sapientia ac virtute. Est ergo et a principio creationis animæ suæ fuit in Christo homine, sapientia creata, quæ dicitur sapientia Beatorum, qua anima sua omnia indesinenter cognovit in Verbo æterno seu in divina essentia, sicut Beati in patria, imo ineffabiliter clarius eis, et breviter tam clare et plene ut capax fuit seu esse potest mens creata. Fuit C item in Christo homine a suæ animæ creatione, sapientia indita seu infusa, qua cognoscit omnia per eorum proprias species suæ animæ concreatas, connaturales et proportionatas. Nulla quippe naturalis perfectio defuit animæ Christi, secundum Damascenum. Unde, quemadmodum secundum Augustinum, Deus a principio indidit angelis intelligibiles rerum species, per quas cognoscunt res cognitione vespertina, præter cognitionem matutinam, qua omnia cognoscuntur in Verbo; sic Verbum D æternum animæ Christi sibi unitæ indidit species intelligibiles rerum.

Ultra has sapientias, ponunt quidam theologi in anima Christi sapientiam acquisitam seu experimentalem : quam S. Thomas primo negavit esse in Christo, puta in Scripto suo super tertium Sententiarum; sed postea, scilicet in tertia parte
q. 9, art. 4. Summæ, hoc retractavit, asserens talem sapientiam in Christo ponendam : quia ut ait, nihil eorum defuit Christo quæ Deus in natura plantavit humana (ut etiam Damascenus fatetur libro tertio), ideo Christus habuit intellectum agentem, ejusque operationem. Quæ est, a phantasmatibus intelligibiles formas abstrahere, atque in intellectu eas possibili ponere, ut tertio de Anima patet. In intellectu ergo possibili animæ Christi fuerunt hujusmodi species sic abstractæ : quod est scientiam acquisitam seu experimentalem in ipsa consistere. De qua ad Hebræos ait Apostolus, loquens de Christo : Didicit ex his quæ Hebr. v, 8.
passus est obedientiam. Et sumitur ibi Discere, pro Experiri. Christus namque non didicit ab aliis scientiam acquisitam, sed per propriam inventionem eam adeptus est. Hæc secundum Thomam sint dicta.

Ex quibus ostenditur, quod Christus in nulla sapientia seu scientia profecit quantum ad habitum ejus, nisi in sapientia acquisita. In aliarum quoque sapientiarum actu fuit anima Christi a sua creatione æque perfecta : idcirco in nulla earum profecit, nisi quantum ad manifestationem; sed in actu ac habitu sapientiæ acquisitæ profecit, secundum ponentes illam in Christo.

Insuper fuit in anima Christi ab incarnationis exordio gratia habitualis, tam perfecta, ut de plenitudine ejus omnibus suis possit influere membris sive fidelibus spiritualem sensum atque vivificum motum virtutum. Hinc gratia habitualis et gratia capitis ponitur esse una eademque in Christo : in qua etiam, secundum rem nunquam profecit, sed secundum manifestationem dumtaxat; fuit enim et est tam magna in Christo, quod mens creata majoris capax non est. — Ponitur quoque in Christo gratia unionis, quæ secundum quosdam est ipsum increatum esse Verbi, humanitati Christi sola pietate sine omni merito ejus communicatum : de qua asserit Augustinus, quod sola gratia unita est Verbo humanitas Christi, id est sola dignatione divina. Aliqui tamen dicunt, quod gratia unionis sit quid creatum; sed

hi gratiam unionis aliter sumunt. Idcirco A diversitas horum consistit in verbis. Itaque, quoniam humanitati Christi a suæ creationis initio communicata est hypostatica unio cum Verbo æterno, quod est super omne donum creatum, etiam ex tunc data est ei plenitudo gratiæ et gloriæ, sapientiæ atque scientiæ, donorum et virtutum, beatitudinum et fructuum, imperfectionem in sua ratione non includentium ; potestas quoque et auctoritas super omne creatum.

SERMO QUARTUS

QUOMODO PARENTES SE HABERE DEBEANT AD FILIOS SUOS ET FILIAS.

PATRES, *educate filios vestros in disciplina et correptione Domini.* Ephes. vi, 4.

In his verbis compendiosissime tangit Apostolus tria quæ parentes filiis suis ac filiabus exhibere tenentur. Primum est, ut eos corporaliter nutriant, et etiam de necessariis vitæ eis pro posse competenter provideant, quum ait : Patres, educate filios. Nam quod ait de patre, de matre quoque debet intelligi. Secundum est, ut simul cum corporali educatione etiam spiritualiter eos enutriant et informent in notitia C Dei et moribus bonis, quum subdit : In disciplina. Tertium est, ut peccantem sobolem caritative ac juste corripiant et castigent, dum additur : Et correptione Domini. Et hæc omnia etiam ex præsenti evangelio possent considerari.

In primis ergo parentes tenentur sobolem corporaliter educare ab infantia usque ad congrua incrementa in quibus soboles possit, si indiget, personaliter necessaria vitæ acquirere seu lucrari. Et sicut parentes tenentur sobolem suam taliter edu- D care, ita eamdem tenentur a corporalibus læsionibus præservare ac custodire. Hinc Joseph, qui reputabatur pater Christi, fuit ipsius nutritor. Tenentur quoque parentes soboli suæ competentem facere provisionem in temporalibus, juxta exigentiam suæ possibilitatis ac status, quum dicat Apostolus : Non debent filii parentibus (II *Cor.* xii, 14.) thesaurizare, sed parentes filiis. Hinc parentes qui bona sua inutiliter, gulose et prodigaliter seu immoderanter consumunt et vendunt, et prolem suam depauperant, enormiter peccant. Deinde hereditaria bona sine rationabili causa vendere non est leve peccatum. Legitur enim tertio Regum, quod quum Achab rex Israel emere vellet vineam Naboth viri timorati, eo (III *Reg.* xxi, 1-13.) quod vicina esset suo palatio, Naboth respondit : Propitius sit mihi Dominus, ne dem seu vendam tibi hereditatem patrum meorum. Ob hoc indignatus est Achab rex, et conquestus est illud conjugi suæ, quæ pessima fuit et fecit illum Naboth occidi. Et quoniam ista de causa occisus est Naboth, S. Ambrosius libro de Officiis vocat eum sanctum ; et dicit quod martyr sit, quia pro justitia obiit. Unde patet, quam injustum sit paternam hereditatem irrationabiliter vendere ; et singulariter stulti sunt, qui in juventute sua hoc faciunt : siquidem quo magis senescunt, eo pluribus indigent.

Secundo, parentes tenentur filiis suis ac filiabus informationem salutarem in moribus atque virtutibus et credendis, ut a pueritia discant Deum aliqualiter cognoscere, colere ac timere, ecclesiam visitare, parentibus et senioribus ac superioribus honorem obedientiamque impendere, verecundi, faceti ac formidolosi consistere, et præcepta secundum exigentiam ac pro-

cessum suæ ætatis implere. Deinceps, si adsit facultas parentibus, faciant eos frequentare scholas, ad minus tamdiu quousque discant Orationem dominicam cum Salutatione angelica, et Symbolum fidei, discantque scribere et saltem maternum legere idioma. Melius vero est, si tamdiu frequentent quousque Latinum intelligant et loqui id congrue sciant, ut ea quæ in ecclesia leguntur sive cantantur, intelligere possint, atque ad Missam queant servire. Sed in hoc, proh dolor ! multi parentes satis divites, præsertim in villis, sunt valde culpabiles, quoniam sobolem suam parum aut nihil faciunt frequentare : imo mox dum alicujus est discretionis, faciunt eam pascere et custodire oves seu alia pecora, nec instruunt eam in moribus. Hi ergo emendent se, et exemplo Virginis gloriosæ, quæ Filium suum per tot milliaria et dietas duxit secum ad templum, assuescant pueros suos ad ecclesiam ducere, ut divinum Officium et verbum prædicationis audiant ; et instruendi sunt ut quotidie aliquas legant orationes, scilicet, Pater noster et Ave Maria frequenter. Sed quidam inveniuntur parentes qui filios suos ac filias citius et libentius ducunt ad spectacula et choreas quam ad ecclesias ; ducunt eos aut ire permittunt
Marc. VI, 22-28. ad choreas mundi, in quibus saltavit Herodiadis filia, quæ decollari procuravit Joannem Baptistam. Timendum est quod tandem simul ducentur ad choreas inferni, ubi de summo calore ad maximum frigus, et de frigore ad calorem, absque
Job XXIV, 19. fine saltabunt, juxta illud Job : Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium.

Instruenda est ergo proles in bonis, non in trufis, nequitiis atque malitiis, quo-
Prov. XIII, 24. niam Salomon loquitur : Qui diligit filium suum, instanter erudit illum. In Ecclesia-
Eccli. XXX, 2, 5. stico quoque habetur : Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in obitu suo non contristabitur de illo. Hinc olim in veteri Testamento, sancti Patres etiam quum morituri mox erant, filios suos ad se vocatos salubriter instruxerunt ; quemadmodum primo Paralipomenon describitur quod David rex protinus moriturus, vocavit ad se filium suum Salomonem, et dixit : Fili mi, scito Deum patris tui, et *I Par.* XXVIII, 9.
servito ei corde perfecto et animo voluntario.

Tertio, parentes tenentur pueris suis correptionem et correctionem dum peccant. Dum enim minoris ætatis sunt, non solum sunt verbis corripiendi, sed et verberibus corrigendi ; quum autem hoc convenienter fieri nequit, verbis sunt acriter arguendi juxta mensuram exigentiamque peccati, aut alio modo durius puniendi. De hoc Scriptura sacra copiosissime loquitur. Nam in libro Proverbiorum Salomon protestatur : Qui parcit virgæ, odit filium *Prov.* XIII, 24.
suum. Noli subtrahere a puero discipli- *Ibid.* XXIII, 13, 14.
nam ; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. Et rursus : Stul- *Ibid.* XXII, 15.
titia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. Hinc in Ecclesiastico legitur : Qui diligit filium suum, as- *Eccli.* XXX, 1, 11, 12.
siduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo. Non des filio potestatem in juventute sua, sed curva cervicem illius, et tunde latera ejus dum infans est. Et rursus Scriptura ait : Filius qui relinquitur voluntati *Prov.* XXIX, 15.
suæ, confundit matrem suam.

Enormiter ergo peccant qui ex negligentia aut carnali amore omittunt filios suos aut filias, dum peccant, digne corripere seu juste corrigere. Ideo omnia filiorum et filiarum peccata in tales redundant parentes, quemadmodum vitia subditorum pravorum redundant in animas negligentium atque pravorum ac carnalium prælatorum. Et sicut sunt quidam prælati in se ipsis competenter boni et pii, qui nihilo minus æternaliter pereunt, quoniam plebem eis commissam non satis instanter ac digne erudiunt, corripiunt et castigant ; sic multis contingit parentibus in se satis piis et bonis æternaliter condemnari, quoniam circa sobolis suæ instructionem, correptionem et castigationem miserabiliter sunt negligentes : quod est contra legem naturalem atque divinam.

Hinc demum graviter peccant parentes, A dum noscunt filios suos vane incontinenterque vivere, et tamen dissimulant. Et quamvis intendant filios suos conjugio sociare, nihilo minus propter quædam temporalia terrenaque commoda per longum differunt tempus, magis caventes exteriora incommoda, quam animarum pericula ac peccata, et Dei offensam. Quod est directe contra ordinem caritatis et contra spiritualem amorem, estque mortale peccatum : quod, heu! paucissimi nunc perpendunt. Denique quædam sunt feminæ B nimium molles et carnaliter piæ, quæ si audierint suos maritos circa prolem culpabilem in corripiendo et corrigendo aliqualiter strenuos, æquanimiter ferre non possunt, vel potius nolunt, atque muliebriter ac fatue condolent, sicque prolem suam in vitiis fovent : quod periculosum est valde, et spirituali amori quo sobolem suam diligere obligantur, directe contrarium. Insuper, quam damnabile ac nocivum sit pueros in adolescentia non refrenare ac debite castigare, constat ex eo C quod in Proverbiis Salomon loquitur : Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. *Prov.* XXII, 6.

Porro de sobolis malitia atque nequitia parentibus summe dolendum est, juxta illud Ecclesiastici : Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; melior est unus timens Deum quam mille filii impii, et utilius est mori sine filiis quam relinquere filios impios. Quemadmodum ergo virgo Maria, secundum Glossam, pavebat ne Filius suus in manus Archelai ac impio- D rum veniret, sic parentes semper debent timere ne filii aut filiæ eorum in diaboli veniant potestatem, et spiritualiter mortui sint per peccata ac æternaliter condemnentur. Sed heu! multi sunt obtenebrati parentes qui de impia ac carnali suæ sobolis vita non contristantur nec curant, sed potius rident. Dolent si lupus porcum asportet, et non dolent quod lupus infernalis sobolem eorum spiritualiter necat, absorbet ac possidet; sed tales vehementer dolebunt, quum impiam sobolem suam viderint ad infernale supplicium duci, imo se simul cum illis damnari. Quidquid ergo culpæ in verbis aut factis seu omissionibus in sobole sua cognoverint, diligenter corripiant et castigent; atque ad moderantiam cibi ac potus, somni ac vestium, eam pro posse inducant; a choreis quoque, inhonestis ludis, spectaculis atque similibus vanitatibus avertant eamdem. Postremo, filiæ ac puellæ sunt singulariter instruendæ, custodiendæ ac coercendæ, ne fiant audaces, inverecundæ, lascivæ, vagæ aut garrulæ, vel saltatrices aut procaces*. *Eccli.* XVI, 1, 3, 4.

* *alias* procatrices

Nec sufficit coram Deo remissa et rara correptio, sed seriose, frequenter ac rigorose oportet hoc facere, dum magnitudo culpæ id exigit. Nam ideo Heli sacerdos et judex filiorum Israel a Deo est reprehensus, et vita sacerdotioque privatus, quoniam filios suos peccantes non satis rigorose corripuit ac correxit, ut legitur in primo Regum. Verumtamen sic corripiendi sunt filii cum discretione et maturitate, ut non exasperentur nec ad pejora labantur : nam propter juvenilem ætatem sanguinisque fervorem, ad indignationem, iram ac alias quasdam passiones sunt proni. Ideo ad Ephesios scribit Apostolus : Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. I *Reg.* II-IV. *Ephes.* VI, 4; *Coloss.* III, 21.

Legitur secundo Regum, quod dum Amnon filius David regis propriam violasset sororem, David rex non digne corripuit incestuosum filium illum : idcirco Deus justo judicio permisit quod Absalon filius ejusdem David occidit fratrem suum Amnon; et multa mala venerunt ex hoc quod David filium illum vitiosum non satis juste corripuit ac correxit. II *Reg.* XIII.

Ideo juxta præinductorum sanctorum Patrum doctrinam, parentes ad suam se habeant sobolem ad gloriam Dei. Et ista publice ac privatim, frequenter, seriose ac fervide prædicanda sunt parochianis : alias tota illorum culpa et negligentia circa ista, in negligentes redundaret pastores.

SERMO QUINTUS

QUALITER FILII AC FILIÆ HABERE SE DEBEANT CIRCA PARENTES.

A FILII, *obedite parentibus vestris in Domino.* Ephes. VI, 1.

In his verbis sanctus docet Apostolus, ut filii ac filiæ parentibus suis obediant « in Domino », id est in licitis ac honestis quæ complacent Deo. Quod tamen intelligendum est de his ad quæ se extendit prælatio seu potestas parentum super sobolem suam. Non enim absolute in omnibus licitis et honestis soboles tenetur carnalibus obedire parentibus, ut si præciperent religionis ingressum aut continentiæ votum; B sed in his quæ concernunt regimen domus, et curam rei domesticæ, et bonos mores, qui sunt de necessitate salutis, obedire filii ac filiæ obligantur parentibus.

Deinde filii ac filiæ in primis tenentur parentes suos cordialiter valde diligere tam naturali quam spirituali amore, propter præcipua beneficia quæ acceperunt ab eis, videlicet esse et nutrimentum, custodiam et informationem, et correctionem ac provisionem, et propter graves labores, multiplices curas atque dolores quos propter ipsos sustinuerunt eorum parentes. C Propter quod Aristoteles ait, quod Deo et parentibus non potest reddi æquivalens.

Secundo, filii tenentur parentibus suis gratitudinem, ut scilicet recognoscant quanta a parentibus sint sortiti, et sic grati sint eis pro posse, quia plene regratiari non valent; et hoc ipsum debent attendere, ut semper cum humilitate grati sint ipsis.

Tertio, tenentur parentibus vicissitudinem, id est beneficiorum recompensationem pro viribus. Quamvis namque per se conveniat parentibus necessaria vitæ mi- D nistrare soboli suæ, juxta præmemorata verba Apostoli, Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis; per (II *Cor.* XII, 14.) accidens tamen, id est in casu necessitatis seu indigentiæ, tenentur filii et filiæ suis parentibus ac progenitoribus in vitæ necessariis subvenire : imo in extrema necessitate magis subveniendum esset parentibus quam propriæ uxori ac soboli, ut asserit S. Thomas.

Quarto, tenentur parentibus reverentiam in assurgendo et consimilibus, et debent eos ex animo honorare tanquam principium exsistentiæ suæ. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet eis in opere et sermone cum omni patientia. (*Eccli.* III, 8, 9.) Unde Tobias filio suo præcepit : Honori semper habebis matrem tuam; memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit in utero suo propter te. (*Tob.* IV, 3, 4.)

Quinto, tenentur eis obedientiam in his quæ ad paternalem auctoritatem ac præsidentiam spectant, ut tactum est. Unde per Moysen Deus præcepit : Honora patrem tuum et matrem tuam. (*Exod.* XX, 12; *Deut.* V, 16.) Quod etiam proportionabiliter intelligendum est de honoratione avi aut aviæ, et spiritualium patrum, scilicet prælatorum, ac principum. Gravissime ergo peccant filii filiæque rebelles, ingrati et duri, qui parentibus suis irrationabiliter atque facile indignantur, irascuntur, irreverenter loquuntur, maledicunt, detrahunt, aut aspernanter se habent ad eos : de quibus loquitur Augustinus, mirum esse quod terra eos protinus non absorbeat. Hinc in Ecclesiastico scribitur : Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vita sua; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum. (*Eccli.* III, 14, 15, 18.) Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem! Et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Per Moysen quoque Deus

Exod. xxi, 17; *Lev.* xx, 9. præcepit : Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et iterum, inobedientem et contumacem filium, comessationibus ebrietatibusque vacantem, præcepit Deus per Moysen lapidum ictibus obrui et occidi. Graviter ergo peccant, qui parentum bona vitiose consumunt, turpiterque seu lascive expendunt. *Deut.* xxi, 20, 21.

Præterea, ut prætacta impendant filii ac filiæ parentibus Deo placenter ac meritorie, oportet ut faciant ea non solum nec principaliter ex naturali amore, sed præcipue quoniam sic Deus jussit et exigit, et ex spirituali amore, ad gloriam Dei, non propter laudem humanam, aut propter propria commoda, vel solum ad complacendum parentibus.

Postremo, quam enorme sit ad parentes irreverenter se habere, constat ex eo quod *Gen.* ix, 20-22, 24-27. sanctus ille patriarcha Noe maledixit filio suo Cham, eo quod irrisus fuit ab ipso. Quum enim Noe post diluvium plantasset vineam, et ex vino inebriatus fuisset, non ex gula, sed ex inexperientia fortitudinis vini, sicque obdormisset in terra et nudato sinu jaceret, filius ejus Cham patrem suum sic inventum non operuit, sed fratribus suis ostendit verecundiora patris sui : ideo meruit maledici.

De hac materia legitur in libro Apum unum exemplum valde horribile atque notabile, in iis verbis : In Normanniæ partibus fuit vir ignobilis valde dives, unicum habens filium valde carum, quem delicate nutrivit. Fuit quoque ibi miles non multum dives, qui induxit virum illum ad hoc quod filio suo acciperet filiam suam in uxorem, hoc pacto quod universis possessionibus suis mox cederet, et filius ejus sibi ac conjugi suæ quamdiu viverent abundantissime provideret. Quod vir ille, quamvis invitus et graviter, tandem tamen peregit. Factis igitur nuptiis, filius ille parentibus suis primo anno satis copiose providit, sed anno secundo parcius, tertio anno plus parce. Quarto autem anno, suggerente diabolo suaque uxore, parentibus suis parvam domunculam ex opposito do-

A mus suæ constituit, ut senum præsentia sibi minus esset molesta ; et ibi parcissime eis providit, ita quod parentes magnam egestatem ibi perpessi sunt, in tantum quod vix audebant domum filii introire.

Quadam die uxor viri illius dixit ad eum : Ecce in domo filii nostri auca verui est infixa; vade, et semel imple esurientem ventrem tuum, quia me feminam magis decet paucis esse contentam. Tunc senex innixus baculo, ad domum filii sui

B properavit. Cujus adventum sentiens filius, aucam retraxit atque abscondit, et patri obviam veniens, quid quæreret inquisivit; pater autem factum notans, dissimulavit, domumque rediit. Tunc filius præcepit puellæ ut aucam reponeret ad ignem. Intrans ergo cameram puella pro auca, vidit maximum bufonem aucæ pectori inhærentem; puella vero territa et clamante, filius ille accurrit. Quumque bufonem excutere conaretur, bufo tam fortiter faciem ejus invasit, ut nulla arte nulloque consilio pos-

C set deponi aut excuti; sed taliter inhærendo multis annis, hominis illius pravitatem punivit. Et erat hoc supremi stuporis miraculum, quod quando aliqua illius monstri pars tangebatur, tam graviter homo ille lædebatur, quasi percussus fuisset in corde. Territus igitur et contritus, accessit terræ illius episcopum, et cum omni dolore confessus est ei sua peccata : qui pro pœnitentia ei injunxit ut per omnes fines Normanniæ civitatesque Galliæ revelata facie circuiret, et cur ista pateretur ubi-

D que narraret, ut filii omnes exemplo hoc discerent quam gravissimum sit peccatum non honorare parentes, nec vicem eis rependere. Peracta autem pœnitentia illa, precibus quorumdam sanctorum liberatus est miser ille, ita quod fœdum monstrum illud repente disparuit.

Ecce quam crudelissimi, perversissimi ac ingratissimi sunt filii ac filiæ parentibus indigentibus non subvenientes sufficienter ac plene pro posse suo. Sed et quidam sunt filii qui licet parentes habeant

in eadem secum mensa sedentes, non tamen condividunt eis de meliori cibo ac potu quibus ipsi vescuntur. O quam durum et improbum est cor talium filiorum, A qui senibus suis non miserentur parentibus ! Igitur juxta præhabita filii ac filiæ ad suos habeant se parentes, ne æternaliter condemnentur.

SERMO SEXTUS

DE VIRTUTE ET FRUCTIBUS OBEDIENTIÆ.

OBEDITE *præpositis vestris, et subjacete illis.* Hebr. XIII, 17.

Quoniam Christus in præsentis dominicæ evangelio plenissimum totius sanctæ obedientiæ legitur præbuisse exemplum contulisseque documentum, subdendo se et humiliter obediendo Matri suæ, cujus creator fuit et Deus, et nutricio ac ministro, videlicet Joseph ; congruit ut ad Christi præconium, de laude, virtute ac multiplici obedientiæ fructu sive effectu introducam sermonem.

Porro obedientia ad justitiam pertinet, estque voluntas implendi præceptum sive mandatum superioris. Est autem tanta obedientiæ dignitas, quod humano ore satis nequit laudari. Idcirco in omnibus prompte ac libentissime obedire debet superiori suo quilibet Christianus. Et ad hoc multa possent et debent unumquemque inducere :

Primo, quod ad obediendum sacra scriptura novi ac veteris Testamenti tam frequenter ac copiose nos exhortatur. Siquidem in Deuteronomio Moyses loquitur :

Deut. x, 12, 13. Et nunc, Israel, quid Dominus petit a te, nisi ut obedias ei ? Et Salomon ait : Au-
Prov. I, 8. di, fili mi, disciplinam patris tui. Atque
Rom. XIII, 1. Apostolus : Omnis anima potestatibus su-
I *Thess.* IV, 8. blimioribus subdita sit. Et rursus : Qui hæc spernit, videlicet non obediendo, non hominem spernit, sed Deum ; itemque :
Ibid. v, 12, 13. Rogo vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos B abundantius in caritate propter opus illorum ; pacem habete cum eis. Ex quibus verbis concluditur, quod superioribus non solum est obediendum, sed quod singulariter a subditis sunt diligendi atque pacifice honorandi. Gloriosissimus quoque princeps Apostolorum in prima sua scribit
Canonica : Subjecti estote omni humanæ *I Petr.* II, 13.
creaturæ propter Deum.

Secundo, quod Scriptura obedientiam tam summe commendat, inobedientiam vero summe vituperat. Tanta enim est obe- C dientiæ virtus, ut perfecte obedientibus faciat Deum quodammodo obedientem. Unde in libro Josue, quo habetur quemadmodum
Josue dixit, Sol, contra Gabaon ne movea- *Josue* x, 12.
ris, subditur : Non festinavit sol descen- *Ibid.* 13, 14.
dere spatio unius diei, obediente Domino voci hominis. Hinc primo Regum Samuel
ait propheta : Melior est obedientia quam *I Reg.* XV, 22, 23.
victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum ; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Ex qui- D bus verbis infert Gregorius, quod vitium paganitatis incurrit, qui suis superioribus in honestis et licitis non obedit. In libro quoque Proverbiorum Dominus ait inobe-
dientibus atque rebellibus : Quia vocavi, et *Prov.* I, 24-26.
renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit. Hinc per Moysen Spiritus Sanctus
locutus est : Anima quæ per superbiam *Num.* XV, 30.

aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit.

Tertio, ad obediendum monemur exemplo irrationabilium et inanimatarum creaturarum, quæ omnes creatori suo obediunt,
Ps. CXLVIII, 6, 8. juxta illud in Psalmo: Præceptum posuit, et non præteribit; ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Ideo ait Ambrosius : Non mediocris pudor, imperio Dei insensibilia elementa parere, et homines non obedire, quibus ab ipso data est ratio.

Quarto, singulariter ad idem inducit consideratio cœlestium corporum, quæ indesinenter ac velocissime ad Creatoris imperium die ac nocte moventur, et ordinem suum inviolabiliter servant. Quorum corporum pulchritudinem, magnitudinem, causalitatem quis poterit explicare?

Quinto, quod secundum doctrinam sacræ Scripturæ tot exempla obedientiæ Deus in electis suis nobis proposuit, quos imitari tenemur. Et specialiter valent ad hoc exempla obedientiæ Abrahæ patriarchæ : qui Deo jubente propriam terram, cognationem ac plebem reliquit, et unigenitum atque carissimum filium suum immolare, id est ad Dei honorem propriis manibus occidere, fuit paratus; et in aliis multis arduissimis Deo promptissime obedivit, ut circumcidendo se quum vetulus esset, et filium suum Ismaelem cum matre sua ejiciendo de domo sua. Specialissime vero in omnibus prompte ac devotissime obedire docemur exemplo Christi, qui
Joann. v, 30. ut ipsemet ait, non venit facere propriam voluntatem, sed Patris qui misit eum, et
Philipp. II, 8. qui factus est Deo Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : imo non solum Patri æterno, sed et humili
Luc. II, 51. Matri et nutricio idiotæ subditus fuit ac paruit. Quis ergo tam magnus, tam nobilis, tam potens aut sapiens erit, ut ab obedientia excusetur sui superioris, quantumcumque superior ille secundum carnis propaginem videatur ignobilis, aut simplex, aut modicus? præsertim quum obediendum sit prælato aut præsidenti, non

A in quantum est ille homo, vel talis aut talis in se, sed in quantum est Dei vicarius et Christum Dominum repræsentans. Propter quod Christus ait suis vicariis : Qui vos audit, me audit; et qui vos sper- *Luc.* x, 16.
nit, me spernit.

Sexto, quod inobedientiam Deus tam multipliciter ac terribiliter legitur punivisse, obedientiam vero tam sublimiter præmiasse. Nam propter inobedientiam suam, primi parentes de paradiso irrevocabiliter sunt ejecti, originali justitia destituti,
B variis pœnalitatibus, miseriis laboribusque subjecti; nec solum in se, sed in omni sua posteritate graviter nimis puniti sunt, in tantum quod propter originale peccatum etiam justi a cœlesti gloria usque ad Christi passionem sint retardati et in limbo detenti. Dathan quoque et Abiron, et *Num.* XVI, 1-33.
Core et Hon, qui fuerunt viri præcipui inter filios Israel, propter hoc quod Moysi obedire spreverunt, a terra vivi absorpti sunt cum tabernaculis suis. Et unum ex *Ibid.* xv, 32, 36.
filiis Israel præcepit Dominus lapidari,
C quoniam contra obedientiam ligna collegit in sabbato. Abraham vero et Josue, Ezechias atque Josias, quoniam Deo diligentissime obedierunt, ab ipso sunt mirabiliter sublimati et honorati, non solum post vitam sæculi, sed etiam in hoc mundo. Nam propter obedientiam suam benedixit *Gen.* XXII, 16-18.
Dominus Abrahæ in omnibus, tam in corporalibus quam in spiritualibus bonis; Josue quoque propter obedientiam suam fa- I *Mach.* II, 55.
ctus est princeps Israeliticæ plebis; et propter obedientiam Ezechiæ regis, Deus
D per manum angeli occidit in castris Assy- IV *Reg* XIX, 35.
riorum centum octoginta quinque millia hominum impiorum.

Septimo, quod secundum præcepta sacræ Scripturæ, non solum obediendum est prælatis et superioribus virtuosis ac bonis, sed etiam impiis, quamdiu nihil præcipiunt contra Deum et rationem sive Ecclesiam, nec limites suæ auctoritatis seu jurisdictionis excedunt. Hinc prima Petri habetur : Servi, subditi estote in omni ti- I *Petr.* II, 18.
more dominis, non solum bonis et mode-

stis, sed etiam dyscolis. Et prima ad Timotheum præcipitur : Qui sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. (I *Tim.* VI, 1.) Et iterum scribit Apostolus ad Ephesios : Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo ; cum bona voluntate servientes, sicut Domino, non sicut hominibus. (*Ephes.* VI, 5-7.) Si ergo juxta apostolica documenta, tam prompte ac timorate obediendum est temporalibus dominis, non solum modestis, sed etiam vitiosis ; quanto reverentialius atque devotius obediendum est spiritualibus patribus ac prælatis, præcipue virtuosis ? quam item vitiosum ac damnabile est eis non obedire? Hinc sacratissima Thebæorum legio, puta S. Mauritius cum sociis suis, obedivit imperatori Romano, quamvis pagano, etiam in difficillimis rebus.

Octavo, quia per obedientiam efficitur homo non solum servus, sed insuper amicus ac filius Dei, imo omni genere attinentiæ attinens Christo, quemadmodum apud Matthæum protestatur : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est. (*Matth.* XII, 50 ; *Marc.* III, 35.)

Nono, per obedientiam elevatur homo super naturalem cursum ac ordinem rerum, ita quod supernaturalia atque miracula operatur. Unde recitat abbas Cassianus, quod dum quidam sæcularis volens ingredi religionem, venisset cum parvulo filio in claustrum, et invenisset abbatem cœnobii juxta fornacem ardentem, abbas dixit ad eum : Si vis cœnobium intrare, oportet te in omnibus obedire. Quo respondente, Obedire in omnibus paratus sum, abbas adjecit : Projice ergo filium tuum in fornacem. Quod quum ille immediate fecisset, ignis nil læsionis intulit puero illi, sed illæsus extractus est. Refert A quoque Gregorius in libro Dialogorum, quod quum discipulus S. Benedicti, nomine Placidus, ivisset haurire aquam, in flumen delapsus est et per undam longe protractus. Quod quum B. Benedictus sedens in cella cognovisset in spiritu, vocavit discipulum suum nomine Maurum, præcipiens ei ut curreret et Placidum ex aqua retraheret. Mox Maurus obediens, cucurrit super aquas et puerum Placidum per capillos extraxit, et super aquas cum eo deambulans rediit. Multa talia scripta sunt verissime B in Vitaspatrum, et alibi.

Ideo superioribus nostris propter Deum et propter æternam nostram salutem, libenter, reverenter ac caritative obediamus, ne et propter inobedientiam nostram æternaliter condemnemur. Et quamvis superiores sint conversationis injustæ ac turpis, tamen propter eum a quo est omnis potestas, et cujus vicem circa nos gerunt, eos venerari debemus, quia hoc valde complacet Deo.

Hinc ait Gregorius : Obedientia sola virtus C est quæ menti virtutes ceteras inserit, et insertas custodit ; et obedientia victimis rite præfertur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam autem propria mactatur voluntas. (I *Reg.* XV, 22.) Iterum ait : Obedientia non servili metu, sed caritatis affectu servanda est ; non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

Postremo S. Bernardus affirmat : Nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrima pœnitentis, extra obedientiam prodesse possunt. Et D denuo : Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, seque totum intus recolligit, ut superioris mandatum adimpleat. Certum est quoque, quod sicut obedientia signum est humilitatis, sic inobedientia elationis. Idcirco infatigabili animo obedientes simus Deo et ejus vicariis.

AD RELIGIOSOS

SERMO SEPTIMUS

QUO PACTO INDIGENTIIS SOLATIISQUE NATURÆ INDULGENDUM SIT; ET VERUS MODUS RECTE ORANDI.

NOLITE conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus. Rom. XII, 2. A

Quamvis epistola hujus dominicæ omnium Christianorum sit instructiva, specialiter tamen religiosos informat; atque in ejus exordio duo nobis tacite innuuntur. Primum est ardentissimum sancti Apostoli desiderium quo proximorum optavit *Cf.* p. 142A. salutem, quia cum obsecratione ipsos hortatur ac instruit ad salutem. Obsecratio namque est affectuosior atque præstantior species orationis. In hoc prælati præcipue B sequi debent Apostolum, ut zelo salutis fraternæ, præsertim gregis eis commissi, totaliter sint accensi, et verbo et facto eos ad salutaria provocent. Secundum est modestia sive humilitas sancti Apostoli, quia non ait, Jubeo, sed, Obsecro : quo rursus instruuntur qui præsunt, ne sint inconsiderati ac nimium proni ad præcipiendum, ut vitetur periculum. Nam præcipere est quasi gladium spiritualem extrahere. Quidam autem præsidentes sunt nimium audaces, indiscreti, animosi et vituperabili- C ter calidi, qui omnia cum auctoritate et potentia, aut etiam austeritate, agere atque exigere volunt, duri et pungitivi in verbis: per quod subditorum corda vulnerant magis quam curant, ædificant et informant, non pensantes quod Seneca loquitur, Generosus est animus hominis, et facilius ducitur quam trahitur. Hinc Philemoni scribens Apostolus : Fiduciam (inquit) multam *Philem.* 8, 9. habens imperandi tibi, propter caritatem magis obsecro. Denique princeps Apostolorum hanc ipsam servavit in scribendo humilitatem atque modestiam, siquidem in prima sua ait Canonica : Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis; itemque, *I Petr.* II, 11. Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei. *Ibid.* V, 1, 2. Multo magis inferiores ac subditi debent in loquendo et exhortando esse humiles et modesti. Nihilo minus præsidentes pro loco et tempore, exigenteque causa, possunt et debent præcipere. Unde ad Titum dicit Apostolus : Loquere, exhortare, et argue cum omni imperio. *Tit.* II, 15.

Præterea obsecratio est petitio per aliquod sacrum. Fitque interdum per sacrum increatum, sicut in Psalmo, Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine; *Ps.* XXIV, 7. interdum per sacrum creatum, sicut quum dicimus, Per passionem tuam libera nos, Domine. Quumque fit per sanctum increatum ad Deum, fit per illud tanquam propter principalem rationem exaudiendi; quum vero fit per sanctum creatum ad Dominum, fit per illud tanquam per medium secundarium seu instrumentale, et tanquam per exauditionis meritoriam rationem. Estque efficacissima oratio, dum fit per sanctum utrumque, ut ita orando : Omnipotens Deus, propter tuam bonitatem immensam, per Christi incarnationem et passionem, exaudi me. In talibus namque orationibus excellentia Dei magis laudatur, mens fortius inflammatur ac elevatur, et plures exaudiendi rationes tanguntur. Nec solum

per Christi mysteria, sed per aliorum quo- A que Sanctorum preces et merita obsecrare debemus, atque orando nos ipsos humiliter accusare, et divina justificare judicia. Hinc sancti veteris Testamenti in suis orationibus frequenter sic deprecati sunt, et sanctorum patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob meritis exaudiri postulaverunt.

Hac itaque obsecratione orando utamur hoc modo, aut simili aliquo : O benignissime Deus, propter infinitam bonitatem, caritatem et misericordiam tuam, propter infinitas divitias gloriæ tuæ, ob omnem B liberalitatem, dulcedinem et beatitudinem tuam, propter tuam, o summa Trinitas, mutuam intuitionem, mutuam dilectionem, complacentiam, fruitionem, ob emanationem et communicationem tuam ad intra, propter beatissimam et æternam consistentiam tuam; per Jesum Christum, per omnem dilectionem ejus ad nos, omnem oblationem ejus pro nobis, omnia mysteria ac beneficia ejus, per omnia quæ pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, per beatissimam virginem Mariam, omni- C umque Sanctorum ac devotorum preces ac merita, ad laudem et gloriam ac reverentiam tui ipsius, cui sit omnis honor et gloria, atque beatitudo prorsus immensa : miserere universæ Ecclesiæ tuæ, eam in omnibus reformare digneris; miserere mihi miserrimo, pravissimo, vilissimo peccatori ; ignosce parentibus meis, omnibus propinquis, commissis et benefactoribus meis, omnibus vivis ac mortuis, etc.

Denique, quum sanctus Apostolus tam *Rom.* XII, 1. affectuose obsecret nos ut exhibeamus cor- D pora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, acquiescamus tam saluberrimæ obsecrationi exhortationique ejus, corpora nostra per opera virtuosa Deo creatori subdendo ac offerendo, ut nostris deserviant animabus in omni Deitatis obsequio, et a carnalibus desideriis ac voluptatibus refrenentur vigiliis, jejuniis, disciplinis, ac sanctis exerceantur laboribus. Quum enim hoc ipsum ad cunctos pertineat Christianos, dicente Apostolo,

A Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ; *Galat.* v, 24. quanto magis ad religiosos, qui ad tenuitatem victus atque vestitus, ad corporis afflictionem, domationem ac sobrietatem indispensabiliter obligantur, et qui per votum solenne se totos Domino obtulerunt in holocaustum, utpote divinis totaliter mancipati ? Audiant hæc religiosi qui nullam pati volunt inopiam : et quid dico, inopiam ? nullam certo tenuitatem aut mediocritatem, sed semper abundare desiderant. B Si vero non fuerint saturati, protinus *Ps.* LVIII, 16. murmurabunt, et de suis superioribus temeraria forsan ferent judicia. Non enim *Ps.* XXXV, 2. est timor Dei ante talium oculos, nec suam volunt vocationem attendere, sed propriæ satisfacere voluntati. Et ibi est quod beatus ait Apostolus : Mortificate membra ve- *Coloss.* III, 5. stra quæ sunt super terram ; itemque : Si *Rom.* VIII, 13. secundum carnem vixeritis, moriemini ; et, Non quæ sua sunt singuli quærentes, sed *Philipp.* II, 4, 21. quæ Jesu Christi.

Attendamus quod S. Thomas loquitur : C Ad abstinentiam (inquit) prout est virtus acquisita et naturalis, pertinet tantum de cibo et potu accipere, quantum convenit animæ ad exercenda opera rationis; ad abstinentiam vero prout est virtus infusa, pertinet etiam de necessariis corporis aliquid ei subtrahere, ut homo pro suis castigetur peccatis, passiones mortificet, Deique gratiam mereatur. Quid ad hoc dicemus, qui ventrem usque ad eructationem replemus, et ultra quam necessarium et utile est naturæ ingerimus, in tantum quod D unus purus philosophus reprobaret tales ac derideret ?

Humiliemus ergo et emendemus nos valde. Verumtamen, juxta præsentis documentum epistolæ, rationabile et discre- *Rom.* XII, 1. tum debet esse obsequium nostrum : quia quum corpus sit animæ instrumentum, regendum est secundum exigentiam profectumque animæ, quatenus tantum affligatur in parsimonia alimentorum et somni ac vestium, quantum anima ferre potest absque corporis defectione. Sobrietati ergo

studeamus, et confidamus in Domino, confortationem gratiæ ejus fiducialiter flagitantes, atque directionem Spiritus Sancti in omnibus invocantes jugiter, quia discretio est mater, custos et auriga virtutum : sine qua virtutes vergunt in vitia, et fervor præcipitatur, immoderatusque cursus ante perventionem facit deficere.

Insuper, juxta doctrinam hodiernæ epistolæ, nequaquam conformemur « huic sæculo », id est mundanis hominibus, affectu, consensu, actu aut moribus, siquidem
Jacob. iv, 4. amicitia hujus mundi inimica est Deo ; sed cunctis mundi vanitatibus, carnalitatibus, levitatibus, factis et moribus mortui simus, aut saltem quotidie moriamur. Nec coram sæcularibus effundamus nos insipienter, nec dissoluti aut garruli simus, sed exemplares ædificatoriique in verbis. Væ itaque religiosis pigris, negligentibus, carnalibus, quibus cœleste manna in nauseam vertitur, et corde redeunt in Ægyptum : quorum cor aperitur quando cum sæcularibus fabulari conceditur ; qui quum in spiritualibus non delectentur, in exterioribus quærunt solatium. Quibus formidandum est quod in secunda sua Canonica gloriosissimus loquitur princeps Apo-
II *Petr.* ii, 21, 22. stolorum : Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti ; contigit enim illis illud
Prov. xxvi, 11. veri proverbii, Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti.

Rom xii, 3. Præterea, juxta Apostolum, non plus quam oportet, sed sobrie, sapiamus ; nec

A

divina secreta atque incomprehensibilia fidei præsumamus discutere, sed moderate, timorate et humiliter ea consideremus, quoniam scrutator majestatis opprimetur *Prov.* xxv, 27.
a gloria. Et nihilo minus ait Propheta : Mirabilia testimonia tua, Domine ; ideo scru- *Ps.* cxviii, 129.
tata est ea anima mea, etc. Itaque consideremus quantum beneficium Dei est, quanta caritas, gratia et liberalitas Salvatoris, ut suum corpus ac sanguinem nobis quotidie in Sacramento largiatur. Qualiter autem corpus Christi seu totus Christus in

B

Sacramento altaris sit, discutere non tentemus nec audeamus, quum in Ecclesiastico dictum sit : Altiora te ne quæsieris, *Eccli.* iii, 22.
et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Nam et si bestia tetigerit montem, la- *Exod.* xix, 12, 13, *Hebr.* xii, 20.
pidabitur.

Postremo, quum simus unum mysticum *Rom.* xii, 5.
corpus in Christo, et singuli alter alterius membra, debemus semper valde caritativi et obsequiosi esse ad invicem, atque in Dei obsequio esse concordes, et mutuo

C

ædificare, adjuvare, non alicujus conscientiam per culpam aut negligentiam nostram ferire, quum tam terribiliter dicat Salvator : Qui scandalizaverit unum de pusillis, *Matth.* xviii, 6 ; *Marc* ix, 41.
expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur. Caveat igitur unusquisque ne sua inquietudine, impetuositate aut tarditate quemquam perturbet aut gravet ; sed mansuetudine, diligentia, alacritate nos invicem ædificare simus semper solliciti.

SERMO OCTAVUS

DE OBEDIENTIA, POTISSIMUM MONASTICA ET PERFECTA.

DESCENDIT Jesus *cum eis, et erat subditus illis.* Luc. ii, 51.

Quemadmodum S. Lucas in evangelio
Cf. p. 154 B. recitat hodierno, ignorantibus suis paren-

D

tibus, puer Jesus mansit in templo : in quo post triduum ab illis inventus in exercitio sancto, utpote doctores interrogans illosque audiens, nihilo minus a Matre

piissima interrogatus cur ita egisset, et eidem rationabilem causam assignans, quod scilicet in his quæ Patris sui æterni sunt, eum oportuerit esse, mox quasi proprio cedens judicio atque ab actu desistens incepto, Matris voluntati obtemperavit, revertens cum ea, nec ei dumtaxat, sed simplici Joseph de cetero se subdens atque obediens.

Ecce si Filius Dei, sapientia Patris verusque Deus, cujus sapientiæ non est finis, in tam sancto loco, in tam salubri actu repertus, juxta unius mulieris, quamvis sanctissimæ, tamen non omnia cognoscentis, voluntatem reversus est, et ei ejusque ministro de cetero fuit obediens; quid excusationis de sua inobedientia prætendere poterit religiosus, si superiori suo in aliquo inobediens fuerit, quantumcumque videatur doctus aut magnus, sive salubriter occupatus ? Itaque in hoc Salvatoris facto non solum docemur obedire, sed et obedientiam cunctarum operibus virtutum præferre. Simus igitur prompte obedientes in omnibus : tum quia obedire promisimus, et ipsum obedientiæ votum alia duo religionis vota valde excellit; tum quia per obedientiam nos ipsos Deo totaliter immolamus, nec fructum tantum, sed arborem simul cum fructu damus; tum quoniam Patres sanctissimi obedientiam in religiosis summe commendaverunt, et omnes sancti religiosi eam affectuosissime, diligentissime ac fidelissime servaverunt; tum quia per obedientiæ promptitudinem religiosi potissimum crescunt in omni perfectione et gratia, Deo quoque præcipue placent, imo, quod plus est et mirabiliter sonat, Omnipotentem sibi quasi obedientem efficiunt, et omni rerum natura superiores potentioresque fiunt.

Unde obedientium preces Deus maxime exaudire asseritur; et viri sancti per obedientiæ suæ meritum præclarissima fecerunt miracula, per quæ declaravit Altissimus quam ineffabiliter et incomparabiliter sibi religiosorum perfecta et indiscreta obedientia placeat. Hinc ad imperium Josue fecit solem et lunam stare in medio cœli, *Josue* x,13. spatio unius diei : non enim præterivit *Ibid.* xi,15. Josue de universis mandatis Domini, ne unum quidem verbum. Quantum etiam inobedientia displiceat Deo, satis ostensum est in perhorribili illa plaga quæ illata est Dathan et Abiron, Core et Hon, quos terra *Num.* xvi, 31-33. absorbuit vivos. Denique, quodam religioso proprium filium in fornacem ardentem ad spiritualis patris præceptum projiciente, mansit puer in fornace illæsus. Abbas vero Paphnutius in suæ exordio conversionis, proprium voluit jactare natum in fluvium, patre monasterii id jubente. Sic et beatissimus Maurus adhuc puer, sanctissimo patre Benedicto præcipiente, super aquarum fluenta quasi super aridam cucurrit, rediitque incolumis. Discipulus quoque abbatis Pauli draconem horribilem cingulo suo vinxit ac secum perduxit. Per quæ omnia Deus sublimis virtuti obedientiæ attestari dignatus est. Ecce tanta est bonitas atque dignatio Dei, ut his qui propriam voluntatem propter ipsum plane abjiciunt, ipse suam voluntatem quasi subjiciat.

Hinc ab antiquo fuit in solennissimis monasteriis sancta ac saluberrima consuetudo, quod Fratres tam a Patribus suis quam a se invicem multipliciter exercitabantur, ut suam in omnibus discerent frangere voluntatem seque humiliare. Imo ista ex causa superiores frequenter quædam in se penitus arida et inutilia, aut etiam prima facie irrationabilia, Fratribus ac discipulis suis jusserunt : in quibus discipuli mira simplicitate, sapienti indiscretione atque invicta constantia obedierunt; et per hoc quidam eorum ad gratiam prophetiæ, ad miraculorum virtutem, ad summam perducti sunt sanctitatem.

Hinc S. Benedictus, pater monachorum præcipuus, ait in Regula sua : Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit his qui nihil sibi Christo carius æstimant : qui propter servitium sanctum quod professi sunt, mox ut aliquid imperatum fuerit a majore, moram

facere nesciunt in exsequendo. De quibus *Ps.* xvii, 45. Dominus dicit : In auditu auris obedivit mihi. Hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede, jubentis vocem factis sequuntur ; et veluti uno momento prædicta magistri jussio et perfecta discipuli operatio, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter verbo citius explicantur. Hi angustam viam quæ ducit ad vitam arripiunt, ut non suo vivant arbitrio, nec propriis desideriis voluptatibusque obediant, sed alieno vivant judicio atque imperio. *Joann.* vi, 38. Hi imitantur Christum dicentem : Non veni ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

Porro tunc obedientia ista est acceptabilis Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur : quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. *Luc.* x, 16. Ipse enim ait : Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo a discipulis eam præberi *II Cor.* ix, 7. oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam si cum malo animo obedierit discipulus, et si non solum ore, sed et corde murmuraverit, quamvis impleat jussionem, tamen acceptum non erit Deo, quoniam Deus animum respicit murmurantis ; et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo et murmurantium pœnam incurrit, nisi cum satisfactione emendaverit.

Hæc sanctissimi Benedicti singula verba diligentissime sunt pensanda, in quibus affirmat non pigre, non trepide, non tepide, neque cum murmuratione aut dura responsione, sed bono et prompto corde obediendum necessario esse.

Præterea in Regula sua sanctus scribit Hieronymus : Hortor, moneo et exoro vos, carissimæ filiæ, ut subjiciatis vos in omni obedientia, timore ac reverentia, præpositæ Matri vestræ, ut jam omnino nil aliud velle aut nolle aliter liceat nisi quæ Mater mandaverit facienda. Nihil grave, nihil A videatur importabile, si jussum propriæ non concordet voluntati : vere obediens, et qui pro Christo omni voluntatis caret arbitrio, nihil novit difficile, nil injustum. Mementote quod in religionis ingressu Christo omnem volendi et nolendi licentiam dimisistis, nisi quæ per ejus vices gerentes ordinaret de vobis. Obeditis enim Christo firmissime, quum præpositæ Matris votis parere studetis : vicarii namque honor redundat in Dominum. Æmulemini semper in hac Dei æmulatione, et certa- B tim ad invicem altera conetur alteram excedere in obedientia. Non est monasterium, non religiosi, non monachi, ubi subditis obedientia deest erga prælatum. Destructioni est corpus expositum, quum membra discordant a capite.

Hinc demum in statutis Cartusiensis dicitur Ordinis : Licet multa sint quæ facimus, uno tamen et solo obedientiæ bono omnia nobis profutura speramus. Quæ si defuerit, tot et tanti labores non solum salutem non consequentur, sed etiam dam- C nationem incurrent.

Nunc igitur applicet unusquisque hæc sibi, discutiatque se ipsum an hucusque in Ordine vere obediens fuerit, et suo satisfecerit voto : alioqui pœniteat et emendet.

Postremo, si juxta Sanctorum doctrinam, non solum in virtuosis operibus, sed etiam in indifferentibus, imo et insuper in his quæ prima facie videntur absurda, obediendum esset indiscrete ; quid damnationis imminet his qui in licitis et honestis ac bonis, aut non aut difficulter D ad obediendum moventur ? Qui, si eis aliquid injungatur eorum voluntati contrarium, statim mente gravantur, turbantur, aut etiam indignantur, reclamant, se excusant ac renituntur : qui propriam voluntatem Deo in manu vicarii ejus cum solenni voto oblatam, tam impudenter resumentes, sacrilegi fiunt, et spiritualiter fures atque raptores, coram Deo mendaces, suique voti transgressores. Adspiciamus ergo et ponderemus debitum nostræ vocationis, Deoque digne in resignata vo-

luntate ambulare semper conemur. Gaudeamus dum nobis aliquid operandum injungitur, quia tunc nobis maxima promerendi causa offertur.

De hac autem materia multo plura hic A allegarem ; sed modo prætermitto, quoniam infra de hac sancta obedientiæ virtute frequenter fari oportet, et tanto frequentius, quanto plus necessaria est ad salutem, magisque necessaria monacho.

SERMO NONUS

DE QUOTIDIANO PROFECTU SAPIENTIÆ, ÆTATIS ET GRATIÆ APUD DEUM ET HOMINES.

JESUS *proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines.* Luc. II, 52.

Quum universa Christi actio nostra sit instructio, debemus et nos quotidie sapientia, ætate gratiaque proficere. Porro, qualiter Christo competebat sapientia et gratia proficere, alibi dictum est, et nunc (Cf. p. 158 D'.) breviter tangi potest. Certumque est, quod secundum humanitatem suam, non secundum incommutabilem deitatem, conveniebat ei sapientia, gratia et ætate proficere. Fuit autem in anima Christi multiplex sapientia creata, utpote : sapientia beatificæ visionis, qua a primo incarnationis instanti anima ejus vidit Deum clare ac fruitive per speciem : et in hac sapientia non profecit. Fuit quoque in eo sapientia indita seu animæ suæ a primo suæ creationis momento infusa, qua omnia per concreatas et proprias species novit : nec in ista profecit secundum esse et veritatem, sed solum secundum manifestationem qua se omnia scire hominibus declaravit. Ponunt autem nonnulli etiam in Christo sapientiam acquisitam per abstractionem intellectus agentis, quem dicunt in Christo non fuisse otiosum a propria actione, quæ est specierum abstractio : et in ista, secundum eos, Christus vere profecit. Fuit autem in Christo sapientia illa quæ est primum et summum donum Spiritus Sancti inter septem ipsius dona : nec in ista sapientia Christus profecit, sicut neque in caritate, neque in gratia habituali creata B infusa, sed omnia ista per creationem infusa sunt animæ Christi in tanta perfectione, ut mens creata eorum in majori perfectione capax non fuerit.

Præterea, ad intelligendum qualiter et nos in sapientia debeamus proficere, advertendum quod de multiplici sapientia loquitur sacra Scriptura. Primo, de sapientia increata, quæ Deus est ; deinde, de sapientia creata seu acquisita : et ista est multiplex. Est namque sapientia mundana, quæ non est vera sapientia, sed potius C quædam astutia et carnalis prudentia. Unde ait Scriptura : Deus comprehendit sapientes in astutia eorum ; et Apostolus : (Job v, 13 ; I Cor. III, 19.) Prudentia (inquit) carnis mors est. Hæc (Rom. VIII, 6.) sapientia in quibusdam etiam regnat religiosis, qui providi sunt, et media sua astute disponunt, ad obtinendum carnalia commoda sive honores, et pristinas libertates. Tales sunt Fratres delicati et ambitiosi, coram Deo vani, stulti atque miserrimi.

Secundo loquitur Scriptura de sapientia D naturali et philosophica. Unde ad Romanos ait Apostolus : Quod notum est Dei, manifestum est in illis ; quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, etc. (Ibid. I, 19, 21.) Et circa hanc quidam etiam religiosi immoderate se occupant curiosique sunt, suam negligentes salutem, et ea quæ Deus ab ipsis non exigit, cum fervore stulto studentes.

Tertio, de sapientia legis divinæ seu

sacræ Scripturæ acquisita atque scholastica, quæ potest esse informis et sine caritate, imo cum omni mortali culpa haberi. Unde in Evangelio dixit Salvator : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, id est Scribis et Pharisæis in lege peritis, secundum unam expositionem. Verumtamen sapientia ista in se bona et appetibilis est, et per infusionem potest haberi : sicque Apostolis data fuit in die sacratissimo Pentecostes. Idcirco ei studere debemus et in ea proficere, ut intelligamus Scripturas, sicque per eam in vita sancta atque in Dei crescamus amore. Certis ergo horis lectioni vacandum est moderate et recta intentione. Unde de hac sapientia asserit Augustinus : Adde scientiæ caritatem, et utilis erit scientia. Ad Timotheum quoque scribit Apostolus : Attende lectioni. Et S. Benedictus jubet in Regula sua ut Fratres determinatis temporibus studeant.

Matth. XI, 25; *Luc.* X, 21.

I Tim. IV, 13.

Quarto loquitur Scriptura de sapientia quæ est donum Spiritus Sancti, nec sine caritate et gratia gratum faciente potest haberi. Est namque affectuosa et sapida divinorum notitia. Hæc est sapientia salutaris, in qua cum omni fervore debemus omni die proficere. Unde ad Ephesios orat Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, in agnitione ejus ; et alibi : Postulamus (inquit) ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali.

Ephes. I, 17.

Coloss. I, 9.

Insuper in hac saluberrima sapientia plus proficit homo orando quam legendo, seque profunde humiliando, interiori puritati studendo, in divino amore crescendo, quam libros plurimos revolvendo, subtiliter disputando, atque in magnis et mirabilibus super se ambulando. Salomone itaque protestante, Ubi humilitas, ibi sapientia. Et ipsemet Christus quum dixisset, Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus ; mox adjecit, Et revelasti ea parvulis, id est humilibus. Humilia etenim corda divinæ sunt illustrationis atque supernæ un-

Prov. XI, 2.

Matth. XI, 25.

Ibidem.

A ctionis capacia. Hinc ex ore sancti anachoretæ abbatis Nesterotis scribit Cassianus, quod sit duplex scientia. Una dicitur ethica seu moralis et actualis ac practica, quæ docet passionum impetus refrenare, vitia exstirpare, mores componere. Alia vocatur theorica seu contemplativa, quæ est sapientia vera, per quam mens contemplatur divina. Et sicut per januam intratur in domum, ita per ethicam ad theoricam ingredi nos oportet. Idcirco si in sapientia salutari optamus proficere, reformationi B purificationique animæ fortiter studeamus, passiones vincendo, peccata vitando, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, pietatem, modestiam, discretionem in nostris cordibus radicando ac perficiendo ; et quanto in istis virtutibus perfectiores efficiemur, tanto ab Altissimo copiosius illuminabimur, et in dono sapientiæ magis crescemus.

Præterea, quum sapientia ista ad caritatem potissimum spectet (est enim amorosa et dulcis quædam agnitio Dei), idcirco C quanto plus in divino amore proficimus, tanto in sapientia ista efficimur altiores ; tanto autem plus in Dei proficimus caritate, quanto amplius ab omni carnali affectu, privato amore ac sæculari desiderio emundamur ac elongamur : et quanto hoc plus in nobis peragitur, tanto veraciter sapientiores consistimus. Unde et sapientiæ huic opponitur vitium puerilitatis, quæ appellatur stultitia, qua homo carnalia et caduca veris ac spiritualibus bonis, imo summo, æterno ac incommutabili bono, D præponit. Discamus ergo omnia ista carnalia et terrena, vana et sæcularia, pro nihilo intueri, ac toto cordis conatu summum bonum incomparabiliter appretiari, ad Deum fervide affici, in ejus altitudinem contemplandam elevari, sicque in increatum et incircumscriptibile bonum toto corde transferri, transformari ac stabiliri. Et tunc donum sapientiæ in tantum perficietur in nobis, quod per ipsum efficiemur quasi secretarii et consiliarii Dei, amici filiique Altissimi, qui tam occulte

atque profunde et copiose nos illustrabit, quod cum Propheta ex sententia grata
Ps. L, 8. mente cantabimus : Incerta et occulta sapientiæ tuæ, Domine, manifestasti mihi. Quum enim Creator piissimus viderit mentem reformatam, purgatam, amore sancto accensam et supernam illuminationem devotissime implorantem, tunc ipse liberalissime ac misericordissime aderit, exaudiet, illustrabit, et gratiarum divitiis eam implebit, atque ad suæ majestatis contemplationem eriget, rapiet, et absorbebit eam in sua immensitate. Tunc ipsa mens gustabit et videbit quam dulcis sit Dominus, quam infinita sit excellentia ejus in omni perfectione, sanctitate et gloria, et quod ipse verissime sit sapientia interminata, pulchritudo immensa, dulcedo illimitata, omnipotens virtus, simplicissima mens, purissima vita ; et quidquid dignum, suave, nobile ac beatum excogitari potest, hoc ei competit, et hoc ipse est cum eminentia ac perfectione prorsus incomprehensibili et immensa. Hæc autem contemplando debemus ejus saluberrima dilectione totaliter inflammari, in eo firmari, ejusque postmodum recordari, et quidquid ab ejus contemplatione, dilectione, amplexu impedit, diligentissime semper vitare.

Porro sic in sapientia ista proficere, est vere in ætate et gratia profectum accipere. Dies quippe justorum profectum, incrementum ac plenitudinem sortiuntur, quoniam fructuose et laudabiliter expenduntur ; dies vero pravorum defectum accipiunt, inanes vacuique consistunt, quia in vanitatibus consumuntur. Hinc justi leguntur pleni dierum obiisse ; impii autem *Gen.* XXV, 8.
et insipientes, etsi annis senuerint, nihilo minus pueri appellantur, juxta illud Isaiæ : Puer centum annorum morietur. *Is.* LXV, 20.

Postremo, his modis in sapientia, ætate et gratia debemus proficere, non coram Deo dumtaxat, sed et coram hominibus, ut nostros ædificemus confratres ac ceteros, simusque bonus odor Christi in omni lo- *II Cor.* II, 14, 15.
co. Unicuique namque mandavit Deus de *Eccli.* XVII, 12.
proximo suo. Et Salvator : Luceat (ait) lux vestra coram hominibus, ut videant opera *Matth.* V, 16.
vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Sicque, secundum doctrinam Apostoli, provideamus bona non *Rom.* XII, 17.
solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Deo equidem debemus conscientiam puram, proximo bonam famam seu virtutis exemplum. Unde et scriptum est : Curam habe de bono nomine. *Eccli.* XLI, 15.
Quod qui negligit, crudelis censetur, quoniam quantum in ipso est, alios scandalizat ac perimit. Sic ergo non ad nostram honorificentiam temporalem, sed ad Dei gloriam proficiamus, ipsum in omnibus per nos ipsos atque per alios glorificare optantes, qui est super omnia æternaliter benedictus, gloriosus et superexaltatus. Amen.

DOMINICA TERTIA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

HABENTES AUTEM DONATIONES SECUNDUM GRATIAM QUÆ DATA EST NOBIS, ETC. Rom. XII, 6-16.

SANCTUS Apostolus in præsenti decla- A rat epistola, qualiter diversi Christifideles diversa habeant dona gratiæ gratis datæ, per quæ unus alteri subvenit ac deservit. Porro gratiæ gratis datæ, sunt bonis et malis communes, et dantur ob aliorum utilitatem, ut prophetia, prælatio, gratia faciendi miracula. Et ita per dona ista, unus fidelium alteri servit, quemadmodum in corpore naturali unum membrum obsequitur alteri. Ait ergo :

Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, B id est, nos fideles sumus habentes dona distincta, secundum quod uni collata est gratia major, alteri minor. Hæc enim dona ex Dei liberalitate, absque meritis hominum libere dantur, secundum quod alibi
I *Cor.* VII, 7. ait Apostolus : Donum suum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic, secundum quod misericordia et gratia Dei magis abundat in uno quam in alio.

Deinde exprimit aliqua horum donorum in speciali. *Sive prophetiam,* id est revelationem secretorum, maxime futurorum C humanam rationem transcendentium : quæ certitudinaliter præagnoscere soli Deo competit per naturam, aliis vero non nisi per gratiam seu revelationem divinam, juxta
Is. XLI, 23. illud Isaiæ, Quæ futura sunt annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos. Itaque habemus prophetiam : et hoc, *secundum rationem fidei,* id est secundum finem et exigentiam fidei christianæ. Prophetia namque ordinatur ad fidei confirmationem, et proprie est de his quæ pertinent ad salutem, id est, accommoda sunt ad beatitudinem obtinendam, quæ est finis quem fides proponit et docet. Fides namque est lumen et oculus mentis æternam beatitudinem exspectandam ostendens ; ipsaque fidei obscura cognitio ordinatur ac tendit ad beatificam visionem quæ fidei succedit, quemadmodum perfecta ordinantur ad perfectiora. *Sive ministerium,* id est ecclesiasticum officium, *in ministrando,* id est, ad hoc ut fidelibus ministremus sacramenta Ecclesiæ : quod ad sacerdotes et præsules maxime pertinet.

Sive qui docet, id est auctoritatem seu gratiam instruendi alios habens, deserviat aliis *in doctrina,* illos actualiter instruendo sicut ad suum spectat donum sive officium, ne talentum sibi concessum abscondat, sed magis communicet. *Qui exhortatur,* id est gratiam exhortationis habens, deserviat aliis tanquam membrum *in exhortando* eos ad meliora. *Qui tribuit* eleemosynam, agat hoc *in simplicitate,* id est recta ac simplici intentione, ad gloriam Dei, non ob laudem humanam, prout in Matthæo loquitur Christus :

Matth. VI, 3. Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra
tua quid faciat dextera tua. Hinc in Jacobi
Jacob. IV, 8. Canonica habetur : Purificate corda, du-
plices animo; id est, intentionem simpli-
ficate, ut soli Deo optetis finaliter com-
placere, et non aliis nisi in Deo. *Qui
præest,* id est prælatus seu princeps, præ-
sit sibi commissis *in sollicitudine,* id est
cum vigilantia magna et formidolose, ut
quanto pluribus præest, tanto timoratior
diligentiorque consistat et debitum sui
officii impleat; neque inaniter glorietur
aut intumescat, sed incessabiliter penset
Sap. VI, 6. illud Sapientiæ, Judicium durissimum in
his qui præsunt, fiet : sicque prælationem
reputet onus potius quam honorem.

Qui miseretur, id est, aliis condolet et
succurrit, *in hilaritate,* id est, prompte,
jucunde et libenter hoc faciat, ne sua au-
steritate aut mœrore indigentem magis af-
Ps. CXI, 5. fligat. Ideo ait Psalmista : Jucundus homo
qui miseretur et commodat. Hinc in Eccle-
Eccli. XXXV, 11. siastico docetur : In omni dato hilarem fac
Ibid. IV, 2, 7. vultum tuum; et rursus, Ne exasperes pau-
perem, sed congregationi pauperum te af-
II *Cor.* IX, 7. fabilem facito. Unde et Apostolus ait : Hi-
larem datorem diligit Deus. Quidam autem
austeritatem in vultu ac verbis miseris et
afflictis ostendunt : quibus competit illud
Job XVI, 2. Job, Consolatores onerosi vos estis. Nec
Rom. XII, 15. obest quod alibi ait Apostolus, Flere cum
flentibus. Quamvis enim qui miseretur,
aliis compatiatur, beneficium tamen sub-
ventionis debet libenter impendere, et niti
ad hoc ut alterius tristitiam sive inopiam
Eccli. VII, 38. relevet, juxta illud Ecclesiastici : Non de-
sis plorantibus in consolatione.

Dilectio Dei et proximi sit vere in vobis
Job XXXVI, 13. *sine simulatione.* Simulatores enim et cal-
lidi provocant iram Dei, ut dicitur in Job;
et simulata æquitas est duplex iniquitas.
I *Joann.* III, 18. Ideo in Joanne scriptum est : Non diliga-
mus verbo, neque lingua, sed opere et
veritate. Unde secundum Philosophum, qui
falsificant amicitiam, magis digni sunt
morte quam falsificantes pecuniam. Hinc
Prov. XXVII, 6. in Proverbiis legitur : Meliora sunt vul-
nera diligentis quam fraudulenta odientis

A oscula. Porro ficta dilectio pessimum est
venenum, et plus nocet fictus amicus quam
publicus inimicus. Tales tamen sunt mul-
ti, qui dum gravius quærunt nocere, ami-
citiam simulant ampliorem. Quibus com-
petit illud Jeremiæ : Sagitta vulnerans *Jer.* IX, 8.
lingua eorum; in ore suo pacem cum ami-
co loquitur, et occulte ponit ei insidias.

Odientes malum culpæ in vobis ac pro-
ximis : qui enim diligit iniquitatem, odit *Ps.* X, 6.
animam suam. Ideo sic amandus est pro-
ximus, ut odio habeantur ejus peccata.
B *Adhærentes bono,* hoc est donis gratiæ
ac virtutum, ac virtuosis hominibus, ju-
stitiamque zelantes, secundum quod di-
citur in Ecclesiastico : Cum viro sancto *Eccli.* XXXVII, 15.
assiduus esto, quemcumque cognoveris ob-
servantem timorem Domini. *Caritatem fra-
ternitatis,* id est mutuam dilectionem con-
fratrum, *invicem diligentes,* ut vobis ex
caritate complaceat quod fratres seu pro-
ximi se mutuo spiritualiter diligunt : ne
sitis seminatores discordiæ, aut fraternæ
gratiæ invidentes, quoniam in Proverbiis
C Salomon ait : Detestatur anima mea eum *Prov.* VI, 16, 19.
qui seminat inter fratres discordiam.

Honore invicem prævenientes, id est,
mutua exhibitione reverentiæ unus præve-
niat alterum ex humilitate. Quilibet enim
potest considerare aliquid boni in alio
quod ipse non habet. Potest etiam et debet
quilibet alium honorare in quantum est
ad Dei imaginem similitudinemque crea-
tus, Christi sanguine liberatus, et ad æter-
nam beatitudinem conditus; vel propter
id quod forsitan est in prædestinatione
D divina, in qua qui nunc pessimus vide-
tur, forsitan valde electus et optimus est.
His igitur modis potest unus alium præ-
venire honore, vel intus in corde, vel foris
in verbo, aut signo, aut facto. Præterea
exteriori honore invicem prævenire, ma-
xime spectat ad inferiores et juniores : et
ista præventio exemplaris est, caritatem-
que nutrit. Ideo princeps Apostolorum :
Omnes (inquit) honorate. In Ecclesiastico I *Petr.* II, 17.
quoque docetur : Quanto major es, humi- *Eccli.* III, 20.
lia te in omnibus, et invenies gratiam co-

ram Deo et hominibus. Sed et Christus in
Matth. xxiii, 11; Marc. x, 43. Evangelio dicit : Qui major est vestrum, sit vester minister. Verum quidam sunt dura cervice, qui nec honorantes se sciunt rehonorare, nec superioribus debitam reverentiam exhibere : quibus competit quod
Is. xlviii, 4. in Isaia habetur, Scio quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. Hæc autem honoratio est actus duliæ : quæ est virtus moralis creaturis debitam reverentiam exhibens, quemadmodum latria virtus est Deo cultum cærimoniamque impendens.

Sollicitudine non pigri, id est non tardi ad habendam sollicitudinem bonam, quæ est diligentia cordis in bonis agendis aut procurandis, seu malis vitandis. Est autem et alia sollicitudo vana atque superflua circa temporalia congreganda aut conservanda, seu opposita mala vitanda, de qua in Proverbiis scribitur :
Prov. xi, 7. Exspectatio sollicitorum peribit; et Apo-
Philipp. iv, 6. stolus, Nihil (inquit) solliciti sitis. Dicit demum Isidorus, quod sollicitus dicitur quasi solers et citus, prout videlicet ex solertia animi fit homo citus seu velox ad prosequendum bona fugiendumve mala. *Spiritu,* id est mente, *ferventes* igne di-
Luc. xii, 49. vini amoris, de quo ait Salvator : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Abjiciendus est ergo torpor pigritiæ, frigus acediæ, et negligentia omnis, ne Christus nobis dicat illud Apocaly-
Apoc. ii, 4. psis : Habeo adversus te, quia caritatem tuam primam reliquisti. *Domino servientes* servitute latriæ, observando divina præcepta. De qua servitute scriptum est in
Deut. vi, 13. Deuteronomio : Dominum Deum timebis, et illi soli servies.

Spe gaudentes, id est, in exspectatione futuræ beatitudinis spiritualiter gloriantes. Nihil enim felicius Christiano, cui promittitur regnum cœlorum, ut ait Hieronymus. Quemadmodum autem exspectatio miseriæ et pœnarum causat tristitiam, ita exspectatio felicitatis et gaudiorum parit læti-
Matth. v, 12; Luc. vi, 23. tiam. Propter quod apud Matthæum loquitur Dominus : Gaudete et exsultate, quia

A merces vestra copiosa est in cœlis. *In tribulatione patientes,* id est, sine tristitia immoderata in tribulationibus permanete, adversa æquanimiter sustinendo : quoniam tribulatio, quamvis in se pœna quædam exsistat, est tamen multipliciter fructuosa si propter Deum pie feratur. Per eam etenim delentur peccata, gratia impetratur; et Christo pro se passo tribulatus conformatur, a futuris pœnis redimitur, ad æternam felicitatem compendiosius fructuosiusque perducitur. Ideo Jacobus ait apo-
B stolus : Omne gaudium existimate, quum Jacob. i, 2.
in diversas tentationes incideritis; et Paulus : Per multas (inquit) tribulationes opor- Act. xiv, 21.
tet nos intrare in regnum cœlorum. *Orationi instantes.*

Necessitatibus sanctorum, id est penuriis servorum Christi, estote *communicantes,* id est condividentes ea quæ vestræ necessitati supersunt. Hinc ad Hebræos scribitur : Beneficentiæ et communionis nolite obli- Hebr. xiii, 16.
visci. Joannes quoque apostolus in prima sua loquitur epistola : Si quis habuerit I Joann. iii, 17.
C substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo? *Hospitalitatem sectantes,* hoc est, assidue observantes, pauperes et peregrinos hospitando, reficiendo, pascendo et bene tractando propter Christum, tanquam membra ipsius, secundum illud Isaiæ : Egenos vagosque induc in domum Is. lviii, 7.
tuam. Unde sanctus Job de se veraciter profitetur : Foris non mansit peregrinus, Job xxxi, 32.
ostium meum viatori patuit. Et princeps
D Apostolorum in prima sua ait Canonica : Hospitales invicem sine murmuratione. I Petr. iv, 9.

Benedicite persequentibus vos, id est, bona eis optate et dicite, non ulciscamini; *benedicite* eis, *et nolite maledicere,* quia non nisi justo Dei permittente judicio contingit vobis persecutio talis : et ipsa, si bene perpendimus, multipliciter expedit nobis, ita ut persequentes plus nobis proficiant quam laudantes. Repetitio ista Apostoli, magnæ confirmationis et seriositatis est signum. Ideo istud diligenter omnino

implere debemus, quia et Christus ait apud A Matthæum : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. *Matth.* v, 44. 45.

Hortor insuper vos, *gaudere cum gaudentibus,* hoc est bene et spiritualiter gloriantibus congaudere ex caritate. Qui autem lætantur quum malefecerint, et in actibus pravis exsultant, sunt deplorandi. *Prov* ii, 14. *Flere* quoque debetis *cum flentibus,* illis B compatiendo, sicut Job loquitur de se ipso: Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. *Job* xxx, 25. Verumtamen non est cum omnibus flentibus æqualiter flendum. Est enim aliquis fletus inordinatus et vitiosus, quo propter amissionem temporalium rerum, aut inhonorationem seu adversitatem quamcumque, quis superflue contristatur ac luget, aut peccata sua sine spe veniæ deflet, ut desperantes. Cum sic flentibus debemus flere, compatiendo eorum errori, vel etiam C damno, cum moderamine. Alius est fletus ordinatus seu virtuosus, quo quis luget propter sua aut aliorum peccata, vel propter gloriæ dilationem. Cum sic flentibus flere debemus, ut veniam seu gratiam ampliorem consequantur aut gloriam, non autem ut fletus talis statim tollatur ab eis, nisi forte per accidens obesset spiritui, corpus debilitando aliterve nocendo. Imo simpliciter de virtuoso alterius fletu gaudendum est. Si vero quis moderate tristetur propter adversa, videlicet de morte carorum aut damno, condolendum est ei; et sufficit flere interiori ploratu, præsertim si desit plorandi foris facultas.

Id ipsum invicem sentientes, ne sitis discordes, sed intellectu et affectu conformes. Unde in Ecclesiastico habetur : In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. *Eccli.* xxv, 1, 2. *Non alta sapientes,* hoc est, non magna de vobismetipsis præsumentes, nec superbientes, sicut ait Propheta : Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. *Ps.* cxxx, 1. Unde in Job dicitur : Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? *Job* xv, 12. *Sed humilibus* hominibus estote *consentientes,* illorum humilitatem sequendo, vel humilibus cogitationibus consentiendo, parva et vilia æstimando de vobis. Ait namque Bernardus : In veritate didici nihil ita proficere ad salutem, sicut si omni tempore inveniaris non alta sapere de te, sed timere.

SERMO PRIMUS

CUJUSMODI DEBEAT ESSE AMOR ATQUE DILIGENTIA RECTORUM IN SIBI SUBJECTOS : ET DE PERICULO NEGLIGENTIUM PRÆLATORUM.

Qui *præest, in sollicitudine* præsit. D Rom. xii, 8.

Omne genus hominum docet Apostolus in ista epistola. Item prælatis specialiter jubet ut sollicite præsint, quia nisi hoc fecerint, maximum et ineffabile periculum imminet tam eis quam commissis subditisque eorum. Ipsi namque tot mortibus sempiternis, tot damnationibus ac infernalibus suppliciis digni sunt, quot ex eorum negligentia carnalique vita perierint animæ; et nihilo minus subditi simul cum ipsis magna ex parte pereunt et damnantur, sicut per Jeremiam Dominus lo-

Jer. x, 21. quitur : Quia stulte egerunt pastores, et A Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est.

Secundo, debent prælati et eorum vicarii præesse sollicite, et omne debitum sui officii fideliter exercere, propter nobilitatem clenodii seu thesauri eis commissi, videlicet plebis christianæ, quam susceperunt spiritualiter nutriendam verbo salutaris doctrinæ, atque exemplis virtuosæ et irreprehensibilis vitæ regendam, et custodiendam ab invisibilibus hostibus et infernalibus lupis, a seductoribus quoque B hominibus. Tanta est namque pretiositas hujus thesauri sive clenodii, quod unigenitus Filius Dei pretiosissimo suo sanguine ipsum emit, imo se ipsum pro illo exposuit et Patri in crucis patibulo obtulit. Propter quod ait princeps Apostolo-
I *Petr.* I, 18, 19. rum : Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati Jesu Christi; Paulus quoque
I *Cor.* VI, 20. apostolus : Empti (inquit) estis pretio magno. Ex hac consideratione sanctus ille Bernardus dixit : Si stillantem in cruce C Christi sanguinem collegissem, et apud me in vase vitreo haberem repositum, cum quanta illum diligentia custodirem ? Et certe hi mihi commissi sunt, pro quibus mercator non insipiens, imo Sapientia ipsa Unigenitus Dei sanguinem suum effudit et in mortem tradidit semetipsum. Quid dicam, quo me vertam, si depositum istud negligenter custodiero, utpote gregem mihi commissum ? Si vir ille sanctissimus cum tanta sollicitudine atque formidine præfuit credito sibi gregi devotissimo ac D ferventi, cum quanta cura et anxietate ceteros qui imperfecti sunt et imperfectis, defectuosis et carnalibus præsunt, præesse oportet, ne quisquam ex eorum negligentia pereat ?

Tertio, prælati et omnes qui præsunt debent præesse sollicite, propter districtissimum metuendissimumque judicium Dei quod imminet eis : quia non solum pro se, sed et pro subditis reddituri sunt rationem; et quidquid vitiositatis in subditis invenerit Deus, imputabit prælatis seu præsidentibus, nisi debitum sui expleverint circa subjectos officii. Ideo in libro Sapientiæ dicitur eis : Altissimus interro- *Sap.* VI, 4, 6, 5.
gabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur; cito et horrende apparebit vobis, quoniam quum essetis ministri regni ejus, non recte judicastis neque custodistis legem justitiæ. O quantum irascetur et indignabitur Christus eis quorum negligentia et carnalis scandalosaque vita perdidit animas sanguine suo redemptas, pro quarum salute ipse tot et tanta fecit et pertulit! Hinc ait Gregorius : Penset qui præest, quod ipse qui ad satisfaciendum districto Judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quot subditis præest, tot animas tempore reddendæ rationis solus habet, id est, pro tot animabus rationem redditurus est. Quæ cogitatio si assidue mentem exerceat, omnem superbiæ premit tumorem, et potestatem acceptam non honorem sed onus facit putari. Unusquisque autem rector toties ad apostasiæ culpam delabitur, quoties præesse hominibus delectatur, et honoris sui singularitate lætatur. Numerari etenim culpæ nequeunt quæ ex ambitione procedunt. Itaque quum ad unumquemque spectet fidelium quod ait Apostolus, Cum metu, timore et *Philipp.* II, 12.
tremore vestram operamini salutem; omnis qui præest tanto timoratior ac formidolosior debet consistere, quanto se conspicit pluribus præsidere. Et quoniam hi qui præsunt, speciali et ampliori auxilio gratiæ Dei indigent, idcirco præ ceteris debent esse humiliores et custoditiores in omnibus : quia humilitas potissimum mentem ad Dei gratiam aptat, et cordis custodia gratiam servat, auget ac perficit.

Insuper ad universos tam subditos quam prælatos spectat quod ait Apostolus : Dilectio sit sine simulatione, id est vera, non ficta. Dilectio namque est omnium virtutum vita, imperatrix, mater, conservatrix et custos; et nisi fuerit vera, tota hominis conversatio est Deo ingrata, quoniam nullius actus virtutis sine vera caritate est

meritorius. Imo coram Deo est homo vile fœtidumque cadaver, nisi vera ac spirituali Dei ac proximi intus ornatus sit caritate : qua habita, anima ejus sponsa est Christi ; qua perdita, anima ejus adultera exstat diaboli. Ideo asserit Augustinus : Dilectio sola discernit inter filios Dei filiosque diaboli. Signent se omnes signo crucis; respondeant omnes, Amen; cantent singuli, Alleluia; intrent ecclesias, baptizentur, impleant parietes basilicarum : non tamen discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate. Magnum judicium, magna discretio. Quidquid vis habe; hoc solum nisi habeas, nihil tibi prodest.

Porro ille solum veram habet dilectionem, qui Deum in omnibus et super omnia, etiam plus quam se ipsum incomparabiliter diligit, proximum quoque plus quam proprium corpus corporalemque vitam. Ideo Hugo de S. Victore testatur : Dilectio Dei est omnia commoda atque incommoda postponere, causa fruendi Deo ; dilectio proximi est commoda privata postponere pro salute illius, ut et ipse Deo fruatur. Hinc causa et ratio diligendi proximum prima ac proxima debet esse ipsemet Deus, ut ideo proximum diligamus, quia ad Dei imaginem factus est et ejus bonitatem participat, et quoniam Deus hoc jubet et exigit, et quia ad perfruendum Deo est conditus, et Christi passione redemptus. Deinceps diligendus est proximus, vel quia virtuosus et bonus, vel ut fiat et sit talis. Propterea ait Hieronymus : Vera illa amicitia, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola et palpans adulatio, sed timor Dei et virtutes conciliant. Hoc est quod ait Isidorus : Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat ; nam cito desinunt nisi semper acceperint. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur; qui autem propter Deum diligit proximum, sive ille rediligat, sive odiat, nihilo minus diligit
Eccli. VI, 7, 8. illum. Hinc in Ecclesiastico asseritur : Si possides amicum, in tentatione posside

A eum, et non facile credas ei te ipsum ; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in tempore tribulationis. Amorem igitur nostrum circa proximum plus bona opera loquantur quam lingua, ut in ipso bono opere proximus amari se videat ; et dum tantum operari non possumus quantum volumus, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt.

Præterea, juxta doctrinam Apostoli, non solum debet in nobis esse dilectio vera, sed etiam fervens, ut in Dei amore cone-
B mur crescere et accendi quotidie : ad quod omnia nostra exercitia ordinare debemus, et Deum jugiter exorare ut suam semper in nobis caritatem augeat ac inflammet. Considerare Deum debemus, infinitam, puram prorsusque deliciosissimam atque dulcissimam Dei bonitatem, et beneficia ejus, itemque promissa : ex quorum consideratione caritas nostra merito succendetur. Ait etenim Augustinus : Non numerositas operum, non longiturnitas temporum, sed major caritas auget meritum. Unde non cre-
C scit in essentialis præmii merito, qui non crescit in caritatis augmento. Propter quod ait Gregorius : In quantum quisque Deum amat, in tantum ad ingressum regni propinquat; in quantum vero diligere negligit, in tantum intrare recusat. Simus ergo spiritu ferventes, et ea ipsa bona quæ agimus, quamvis sint parva et pauca, tamen ex fervida voluntate atque ardente Dei amore agamus. Sed hoc implere non possumus, nisi Dei auxilium in omnibus invocemus, peccata et passiones, ut iram,
D superbiam, immunditiam, cupiditatem, pigritiam, fugiamus ac funditus evellamus. Non ergo simus magni in oculis nostris, nec alta de nobis ipsis, sed potius de proximis, sentiamus, et honore præveniamus alterutrum.

Legitur, quod quidam vir sanctus et abbas nomine Joannes, quum Romam ad visitandum limina Apostolorum venisset, et S. Gregorium Papam per medium civitatis transire vidisset, voluit ei occurrere et ut decebat reverentiam exhibere. Cernens er-

go B. Gregorius quod abbas ille vellet se A coram ipso in terram prosternere, festinavit et primo se coram illo in terram projecit, nec inde surrexit quousque abbas ille primo surrexit. Similiter legitur, quod dum S. Bernardus abbas venisset gratia visitandi ad S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum, sanctus ille episcopus cernens ad se venire Bernardum, protinus surgens obviam ei ivit, et se coram illo primo in terram prostravit. Videns autem Bernardus episcopum illum grandævum et sanctitate magnum, famosum, coram se prostratum, vehementer expavit et velociter etiam se in terram projecit. Deinde pariter surrexerunt; atque ex eo die duo illi filii splendoris facti sunt unum in Christo.

Tantorum ergo Patrum humilitatem ceterasque sequamur virtutes.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NUPTIÆ FACTÆ SUNT IN CANA GALILÆÆ, ETC. Joann. II, 1-11.

SECUNDUM doctores sanctos, in die Epi- B phaniæ celebratur triplex apparitio seu declaratio Christi, quæ eodem die annis revolutis creditur facta. Prima fuit quando stella Magos ad Christum perduxit. Secunda, quando Christus cœpit attingere tricesimum annum, et a Joanne est baptizatus : tunc enim aperti sunt cœli, et vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus. (*Matth.* III, 16, 17.) Tertia facta est anno uno revoluto, quando Christus aquam convertit in vinum, prout in evangelio isto describitur. In die ergo Epiphaniæ legitur evangelium C in quo describitur apparitio prima; in octavis apparitionis est evangelium in quo recitatur declaratio secunda; in præsenti autem dominica legitur evangelium in quo tertia manifestatio enarratur. Ait ergo evangelista Joannes :

Nuptiæ factæ sunt in Cana villa *Galilææ. Et erat Mater Jesu ibi,* quia secundum B. Hieronymum, Bedam et Glossam, sponsus in nuptiis istis fuit Joannes evangelista, filius sororis Virginis gloriosæ : et ita ex caritate et pietate ivit ad sui nu- D ptias consobrini, prout fuit rogata.

Vocatus est autem, id est reverenter invitatus, *et Jesus, et discipuli ejus.* Quamvis enim Christus nondum fecisset manifesta miracula, tamen propter testimonium quod ei perhibuit Joannes Baptista, et propter sanctitatem ejus, et sapientiam ac eloquentiam ejus, et etiam propter aliqua mirabilia ejus occulta, sicut quod Nathanaeli doctori, fratri Philippi apostoli, manifestavit quid cogitavit, dixit ac fecit in Christi absentia, prout Joannes describit, cœperunt aliqui sequi Christum tanquam discipuli ejus. (*Joann.* I, 47, 48.) *Ad nuptias.* Et ivit ad eas propter varias causas. Primo, ad declarandum quod nuptiæ sint licitæ et divinitus institutæ, ut confunderet futuros hæreticos qui dixerunt nuptias esse malas et a diabolo introductas. Secundo, ut consuetudinem approbaret laudabilem qua consanguinei et vicini pergunt ad nuptias propinquorum ac vicinorum suorum : bona etenim consuetudo habet vim legis. Tertio, ut occasione inopiæ quam in nuptiis illis futuram præscivit, operaretur præclarum miraculum ad suæ divinitatis declarationem, ad discipulorum informationem. Quarto, ut penuriæ sponsi succurreret; atque, ut aliqui dicunt, quatenus sponsum illum suum consobrinum Joannem apostolum a nuptiis illis carnalibus revocaret, et spiritualibus manciparet obsequiis. Dicunt namque nonnulli, quod fa-

cto miraculo conversionis aquæ in vinum, Christus ad suum discipulatum vocavit sponsum illum, quem dicunt fuisse Joannem; et quod ideo eum præ ceteris familiarius dilexit, et spiritualibus consolationibus copiosius fovit, quia a carnalibus eum retraxit deliciis.

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum, quem novit esse omnipotentem : *Vinum non habent.* Hoc misericordissima Virgo dixit ex compassione qua sponsi ac sponsæ paupertati ac confusioni, aliorumque siti et defectioni condoluit. Defecit itaque vinum, vel quia totum fuerat epotatum, vel quia valde parum remansit : sponsus ergo et sponsa non habuerunt vinum sufficiens ad præstandum convivis, nec convivæ ad potandum. Insuper, sicut Virgo piissima illorum corporali defectui compassa est et subvenit, ita et nostris spiritualibus indigentiis invocata libenter subveniet : quod et uberrime facit, etiam non rogata. Considerandum quoque, quam fiducialiter, breviter et succinctim dixit ad Filium suum : « Vinum non habent ». Certissima namque fuit de Filii omnipotentia; de caritate vero et pietate ipsius confidebat plenissime, nec fuit ambigua : ideo satis putavit ei causam simpliciter insinuare, nec oportere precem subjungere. Hic quippe est modus loquendi plene fiducialiterque amantium, quemadmodum Maria Magdalene et Martha, fratre suo Lazaro ægrotante, miserunt ad Christum, di-
Joann. XI, 3. centes : Domine, ecce quem amas infirmatur.

Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier? Responsio ista quodammodo dura videtur; sed non sine causa mystica sic locutus est. Ideo quippe ita respondit, ut doceret nos non habere affectum nimis carnalem et mollem ad carnales parentes ceterosque propinquos, ne ex inordinato illorum amore Deum offendamus, aut viam perfectionis atque justitiæ relinquamus.

Exponit autem Augustinus sic passum istum : « Quid mihi et tibi est, mulier » ? id est, nihil commune est mihi et tibi, ex A parte cujus seu cujus virtute conveniat mihi miracula facere, seu istis de vino supernaturaliter providere, ut implicite petis : hoc enim competit mihi divina virtute, quam non sumpsi ex te. Ideo quoad hoc, ut scilicet miracula faciam, tibi non teneor obedire. *Nondum venit hora mea,* hoc est tempus persecutionis passionisque meæ, in quo agam et patiar ea quæ mihi conveniunt ex parte naturæ ex te sumptæ, et tunc ero sollicitus de te, committendo te discipulo prædilecto. Expositio ista vi- B detur satis obscura.

Porro Chrysostomus sic exponit : « Quid mihi et tibi est, mulier » ? id est, in isto quod petis a me, non convenis seu concordas mecum quantum ad determinatam horam faciendi miraculum istud, nec est tibi mecum commune hujusmodi horam scire. « Nondum venit hora mea », hoc est, adhuc non est tempus faciendi miraculum istud. Imaginatur quippe Chrysostomus, quod virgo Maria videns quod parum superesset de vino, voluit confu- C sionem quæ sponso imminebat ex vini defectu, prævenire et per anticipationem auferre, et optavit ut Filius suus provideret miraculose de vino sufficienti, antequam vinum quod supererat ebiberetur. Christus vero scivit hoc non expedire, quia tunc miraculum non fuisset tam notum et gratum. Quoniam ergo Christus voluit suam divinitatem ostendere, et discipulorum fidem corroborare, exspectare decrevit quousque nihil de vino permansit : tunc namque supernaturalis de vino provisio magis D grata fuit vescentibus, notiorque præsentibus. Verum hæc expositio aliquid ambiguitatis videtur includere. Maria enim absolute dixit ad Jesum : « Vinum non habent ». Ex quo apparet ambiguum an quidquam de vino superfuit.

Idcirco videtur sic posse exponi, quamvis prætactas expositiones nequaquam redarguam : « Quid mihi et tibi est, mulier »? hoc est, quid ad te et me, qui pauperes sumus, et temporalium rerum sollicitudinem non habemus, in quantum pertinet

istis providere de vino? « Nondum venit hora mea », id est, necdum impletum est tempus in quo manifeste ac passim miracula agam. Quamvis etenim Christus ante incarcerationem Joannis Baptistæ prædicavit, baptizavit, saltem Apostolos, et alios per illos, atque miracula aliqua fecit, hoc tamen non fecit ubertim, aperte ac passim, sed raro, et comparative modice, coram paucis. Propter quod Matthæus, Marcus et Lucas illa scribere omiserunt, inchoantes a Christi miraculis ac doctrinis post Joannis incarcerationem inceptis, ut manifeste patet ex Matthæo, Marco et Luca.

Dicit Mater ejus ministris, qui vinum propinabant edentibus : *Quodcumque dixerit vobis* Filius meus, *facite.* Noverat optima Virgo se a Filio suo non increpatam, nec se reprehensibiliter esse locutam, et quod Filius suus sibi nihil negaret : nunquam enim aliquid austeritatis aut repulsæ fuit ab eo experta. Imo scivit se ab eo tam singulariter præamari ac honorari, ut non pateretur repulsam.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ, id est urnæ, *sex positæ, secundum purificationem Judæorum,* id est secundum consuetudinem et observantiam quam habebant Judæi purificando sive lavando se et utensilia sua, quando aliquam immunditiam incurrebant secundum legem; aut secundum seniorum suorum traditionem, ex quorum institutione habebant consuetudinem frequenter lavandi manus, et vasa, ac alia multa : ideo positæ erant ibi hydriæ, ut haberent aquam in promptu. Hinc in Marco scriptum est : Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebro lavent manus suas, non manducant; et a foro (supple, redeuntes) nisi baptizentur, id est laventur, non comedunt; et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum. *Capientes singulæ,* id est, quælibet hydria capiebat, *metretas,* id est mensuras decem sextariorum, *binas vel ternas,* id est duplicatas vel triplicatas. Ut enim ait Isidorus, metreta est mensura continens decem sextarios. Sextarius autem continet duas libras. Verumtamen mensuræ hujusmodi secundum diversitatem locorum diversificantur, et diversa sortiuntur vocabula, sicut monetæ et pondera.

Marc. VII, 3, 4.

Dicit eis, puta ministris, *Jesus : Implete hydrias aqua.* Hydriæ namque a lavantibus se erant vel partim vel totaliter evacuatæ. *Et impleverunt eas usque ad summum,* id est tantum ut capere poterant. *Et dicit eis Jesus : Haurite nunc,* id est, vinum ex hydriis sumite modo, quia divina virtute, in instanti tota aqua quæ erat in hydriis istis in vinum optimum est conversa : virtus namque divina quum sit infinita, agit quum vult in instanti; *et ferte,* id est, vinum ex hydriis istis sumptum portate, *architriclino.* Triclinium, secundum Bedam, est domus sublimata, trino discumbentium ordine distincta, ubi tres ordines sunt mensarum. Architriclinus vero dicitur principalis inter convivas, vel dispensator seu ordinator convivii. Voluit ergo Christus ut ei primo vinum istud præberetur gustandum, secundum Chrysostomum : primo, quoniam unusquisque honorandus est secundum exigentiam sui gradus atque officii; secundo, quoniam architriclino amplius credebatur; tertio, quia fortassis occasione suæ occupationis, adhuc non multum manducavit aut bibit, sicque per sobrietatem suam aptior fuit ad judicandum de vini valore. *Et tulerunt* ministri vinum hoc ad architriclinum.

Ut autem, id est postquam, *gustavit architriclinus aquam vinum factam,* id est vinum in quod fuit aqua conversa. Ex aqua enim tanquam ex causa materiali factum fuit hoc vinum instantanee, forma aquæ corrupta. *Et non sciebat* architriclinus *unde esset,* id est, a quo et qualiter allatum esset tam nobile vinum ; *ministri autem sciebant* unde esset, *qui hauserant aquam* quam fuderunt in hydrias, quæ in vinum fuit conversa. *Vocat sponsum architriclinus,* ut argueret eum, *et dicit ei :*

Omnis homo primum bonum vinum po-

nit, et quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Distributio ista non est simpliciter intelligenda de universis hominibus, quia nec omnis homo habet vinum, nec omnis homo habens vinum, ponit illud ante alios, nec omnis qui ponit ante alios vinum bonum, ponit vinum deterius inebriatis bibentibus. Est ergo distributio accommoda, et locutio consuetudinalis, seu sermo intelligendus secundum id quod communiter fit, ut sit sensus : Omnis homo ponens vinum ante alios, « primum », id est in principio potationis, et antequam aliud vinum ponat, « bonum vinum ponit », si habeat illud, et dummodo prudenter agat : id est, saporosum clarumque vinum ponit coram bibentibus, ne reprehendatur ab illis de invaletudine vini. In principio enim potationis, ratione vigente et gustu nondum indisposito, sunt homines ad judicandum de valore vini magis idonei. « Et quum inebriati fuerint » epulantes seu bibentes, tunc omnis homo communiter ponit « id quod deterius est », id est vilius vinum : inebriati namque non ita discernunt de vini valore ut sobrii. Denique, si quis ante inebriatos ponat deterius vinum ut illos decipiat, inordinatum lucrum quærendo, videlicet tantam pecuniam sumendo pro vino viliori quantam pro meliori, non excusatur a culpa : imo mortaliter peccat, si notabile infert proximis damnum. Si vero sic faciat ne bibentes gravius lædantur a forti meliorive vino, nec amplius inebrientur, minuatque de pretio, prout ratio dictat, non facit male.

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc, quando quasi comestum est, et contra consuetudinem rationabilem hoc fecisti : hoc enim architriclinus putavit, utpote quod sponsus habuisset hoc vinum ante convivii inceptionem. Ex prædictis perpenditur quod vinum istud exstitit valde bonum. Nam operatio Creatoris excellit operationem naturæ creatæ. Opera quoque Christi fuerunt perfecta, juxta illud Deuteronomii : Dei perfecta sunt opera. Unde (Deut. XXXII, 4.)

A quos sanavit corporaliter, curavit et spiritualiter.

Hoc fecit initium signorum Jesus, id est, mutatio ista aquæ in vinum fuit primum Christi miraculum quod fecit natura assumpta; et fecit hoc *in Cana* villa *Galilææ.* Sed contra hoc objici potest, quia in libro de Infantia Salvatoris, et in evangelio Nazaræorum, scribitur Christum multa fecisse signa sive miracula ante istud. Christus quoque miraculose seu supernaturaliter exivit de clauso Virginis utero. Et

B quum esset annorum duodecim, sedit inter doctores, tam sapienter interrogans ac respondens, quod omnes qui aderant, præ admiratione obstupuerunt super prudentia et responsionibus ejus. Legitur demum apud Joannem, quemadmodum Nathanael credidit Jesum esse Messiam propter mirabilia et supernaturalia quæ consideravit in ipso. Quadraginta etiam diebus et noctibus jejunavit, nil prorsus manducans aut bibens. (Luc. II, 46, 47.) (Joann. I, 49.) (Luc. IV, 2.)

Et respondendum, quod potestas faci-

C endi miracula et gratia prophetiæ atque similia fuerunt in Christo a suæ incarnationis principio. Quum itaque ait Evangelista, istud fuisse primum Christi signum, non est intelligendum quod ante hoc tempus non fecit nec habuit supernaturalem aliquem actum; sed quod non fecit ante hoc signum, in aliis rebus, immediate per semetipsum, supernaturalia opera quibus ratio miraculi proprie sumpti conveniat. Miraculum enim proprie dictum, est opus supernaturale manifestum

D ac evidens, valens ad fidei confirmationem. Liber autem de Infantia Salvatoris reprobatur in decreto Gelasii Papæ, tanquam ab hæreticis editus et confictus. Similiter evangelium Nazaræorum inter falsa a doctoribus computatur.

Hoc igitur modo fecit Christus primo hoc signum; *et manifestavit gloriam suam,* id est, omnipotentiam ac veritatem suæ divinitatis aliis declaravit per signum hoc, propria potestate et auctoritate hoc faciendo. *Et crediderunt in eum discipuli*

ejus, qui secum fuerunt ad nuptias has vocati. Qui etiam ante hoc signum ei credebant, sed non ita perfecte ut viso tanto miraculo tam auctoritative atque facillime A facto : siquidem, teste Philosopho, addiscentem oportet credere. Crediderunt autem, sicut Joannes Baptista dicebat, quod Jesus esset Messias, Filius Dei, rex Israel. *Joann.* I, 49.

SERMO SECUNDUS

DE MULTIPLICIBUS NUPTIIS SEU MATRIMONIIS.

S*PONSABO te mihi in fide.* Osee II, 20. Sacra Scriptura de diversis loquitur nuptiis. Primo, de nuptiis carnalibus, ut in præsenti evangelio, et ad Hebræos : *Hebr.* XIII, 4. Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Dum nuptiæ istæ fiunt legitime, sacramentales dicuntur. Matrimonium namque est unum septem sacramentorum : est enim sacrum signum rei spiritualis, videlicet conjunctionis Christi atque Ecclesiæ, itemque naturæ humanæ cum Unigenito Dei Verbo æterno in unitate personæ.

Porro nuptiæ istæ commendabiles sunt : primo, ex parte causæ earum, quoniam ipsemet Deus eas instituit; secundo, ex parte loci, quia in paradiso terrestri sunt institutæ; tertio, ex parte temporis, quoniam in statu innocentiæ, scilicet ante primorum parentum lapsum, institutæ fuerunt; quarto, ratione significationis, quia ut dictum est, præfiguraverunt unionem Christi cum humana natura et cum Ecclesia, imo et cum qualibet anima vere devota; quinto, ratione multiplicis utilitatis ex eis sequentis.

Valent namque hæ nuptiæ primo ad prolificationem, per quam genus conservatur humanum, seu species perpetuatur, secundum philosophos. Imo per prolem hujusmodi augetur et conservatur Ecclesia militans, atque Ecclesia impletur triumphans. Secundo, valent nuptiæ ad vitandum peccata, videlicet fornicationem. Est enim matrimonium non solum officium B naturæ, sed et remedium culpæ. Ideo ait Apostolus : Propter fornicationem, scilicet *I Cor.* VII, 2. vitandam, unusquisque suam habeat uxorem. Et S. Gregorius docet ut hi qui continenter vivere nolunt, nubant, ut per hoc quod licet vitent quod non licet. Tertio, valent nuptiæ ad sobolis convenientiorem educationem, informationem ac provisionem. Per hoc enim quod vir et uxor sibi matrimonialiter et inseparabiliter juncti sunt, melius possunt intendere enutritioni, instructioni, correctioni, gubernationi C ac provisioni sobolis suæ. Quarto, valent ad domus atque substantiæ aptiorem administrationem et gubernationem : dum scilicet maritus et conjux se mutuo juvant, et unusquisque id facit quod ad ipsum plus pertinet. Quinto, valent ad mutuam subventionem et obsequii exhibitionem ac consolationem. Hinc in principio mundi Deus locutus est : Non est *Gen.* II, 18. bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi. Sexto, valent ad amicitiæ conservationem et multiplicatio- D nem. Videmus enim quod ex matrimoniali vinculo, non solum maritus et uxor se mutuo diligunt, sed et amborum cognati amicitia sociantur et fiunt affines, invicemque sibi succurrunt, præsertim dum ex matrimonio proles est genita. Septimo, valent ad pacem conservandam ac reformandam. Videmus quippe quod pene per nullam rem tam apte atque facile conservatur ac reformatur pax inter principes terræ, sicut per matrimonium, ita ut ex

uno conjugio sæpe duo aut plura territoria pacificantur, et innumerabilibus malis finis imponitur. Maledicti sunt ergo hæretici qui nuptias damnaverunt, et matrimonium a diabolo institutum esse mentiti sunt.

Verumtamen multa sunt mala statui conjugali annexa, per quæ homo a Dei puro obsequio, a cordis munditia, ab interna quiete, a spirituali profectu multipliciter impeditur. Propter quod non solum castitas virginalis, sed etiam continentia vidualis præfertur conjugio.

Secundo loquitur Scriptura de nuptiis spiritualibus : et istæ sunt duplices. Primæ sunt mysteriales, videlicet unio hypostatica Verbi æterni seu Filii Dei cum natura humana : quæ dicuntur nuptiæ incarnationis, et celebratæ sunt in utero Virginis, juxta illud in Psalmo, In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. (*Ps.* xviii, 6.) In hac nempe nuptiali conjunctione, natura humana a Filio Dei assumpta habet se quasi sponsam illius, et est ei immediate inseparabiliterque unita, atque ab ipso abundantissime spiritualiter imprægnata seu fecundata, hoc est omni virtute et gratia adimpleta. Secundæ sunt nuptiæ gratiales, virtuales seu internales, utpote : conjunctio Christi cum Ecclesia militanti, quæ est sponsa Christi universalis; conjunctio quoque Christi cum qualibet anima amorosa, fideli, quæ est sponsa ejus particularis, et specialissime cum Virgine gloriosa, quæ est sponsa Christi singularis. De his nuptiis exponuntur Cantica canticorum. Hæ nuptiæ fiunt per unionem fidei et caritatis cum Deo.

Tertio loquitur sacra Scriptura de nuptiis fruitialibus, quæ sunt nuptiæ beatificæ fruitionis et consummatæ unionis cum Deo, appellanturque nuptiæ æternales : quæ celebrantur in supercœlesti palatio supergloriosissimæ Trinitatis. De quibus in Apocalypsi legitur : Regnavit Dominus Deus noster omnipotens; gaudeamus, quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. (*Apoc.* xix, 6, 7.) Itemque : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. (*Apoc.* xix, 9.) Hæ nuptiæ sunt plenum et consummatum connubium omnium Beatorum cum Deo in patria, ubi plenarie in amplexibus amorosis sui creatoris æternaliter conquiescunt, et ab eo suavissime reficiuntur et implentur, ita quod penitus contentantur.

Celebremus ergo quotidie, imo qualibet hora, spirituales nuptias in anima nostra cum Deo creatore salvatoreque nostro, cor nostrum elevando ad ipsum per sancta desideria, per orationes devotas, per meditationes salubres, per ferventem amorem. Suscipiamus Christum in nobis, quia per fidem et caritatem demoratur in nobis; et quoties in gratia crescimus, spiritualiterque proficimus, et amorose ac pie ad Deum afficimur, toties Christus per donorum suorum augmentationem corda nostra ingreditur, et ipsum in nobis suscipimus. Amplectamur eum brachiis caritatis. Quod facimus, dum ferventer appetimus ut ipse incessanter in nobis gratiose permaneat, nosque semper in se conservet, donec de isto exsilio ad cœlestes et æternas nuptias nos perducat, quemadmodum tertio libro Regum Salomon orat : Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos neque projiciens; sed inclinet corda nostra post se, ut ambulemus in omnibus viis ejus. (III *Reg.* viii, 57, 58.) In hujusmodi autem amoroso nuptiali et interno Dei amplexu, anima nostra tanquam cara sponsa illius imprægnatur ab ipso cœlesti semine, hoc est lumine gratiæ copioso, ita ut valde fecunda efficiatur in sanctis cogitationibus et puris affectibus, in verbis et virtuosis operibus, ita ut cum Propheta ad gloriam Sponsi æterni dicere queat : Ego autem tanquam oliva fructifera in domo Dei. (*Ps.* li, 10.)

Sed proh dolor! multæ sunt animæ quæ Sponso cœlesti fidelitatem non servant, sed ab illo se avertentes, carnalibus desideriis acquiescunt, spiritualiterque cum diabolo cui consentiunt, corporaliter quoque cum rebus sensibilibus fornicantur.

Osee iv, 12. De quibus in Osee asseritur : Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Tales sunt, qui rebus carnalibus, caducis et vanis magis quam Deo adhærent, utpote qui contra Dei præceptum creaturis fruuntur, quibus solum utendum est referendo usum earum ad Creatorem.

O quanta est dignitas animæ quæ per caritatem et gratiam Spiritus Sancti est sponsa, amica, heres ac filia Dei et creatoris salvatorisque sui ! Quanta demum est vilitas animæ quæ Dei amisso amore B spirituali infuso, per carnalem et mundanum amorem diaboli est adultera, membrum, heres ac filia ! Talis utique ingrata, stulta ac misera anima, infernali quotidie semine, id est diabolica suggestione, vitiosa affectione et actibus tenebrarum, impletur. De talibus Dominus ait apud Jeremiam : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt se a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ? (Jer. ii, 5.)

Ecce quam fatua, infidelis ac turpis esset C puella paupercula, si eam alicujus regis terreni pulcherrimus, virtuosus atque ditissimus filius decorasset et in sponsam sumpsisset, ipsa vero se ab illo averteret et cum alicujus bubulci pravo, vilissimo ac turpissimo filio fornicaretur ! Quis non despiceret illam ? Quis ejus fatuitatem ac turpitudinem satis posset mirari ? Quanto viliores, turpiores, infideliores et iniquiores sunt animæ nostræ, dum Sponso cœlesti relicto, cujus sapientiæ, sanctitatis, nobilitatis ac opulentiæ nullus est finis, cum D dæmonibus fornicantur, id est, diabolicis inspirationibus immunditiisque consentiunt, et unius cum illis voluntatis ac turpitudinis fiunt ? Custodiamus ergo nos semper in divino amore. Quod facimus, si omne peccatum mortale vitamus.

Postremo, quamvis carnale matrimonium bonum ac licitum sit, spirituale tamen conjugium animæ nostræ cum Deo in tantum est melius atque divinius, quod multi præelecti a Deo, omnes carnales nuptias, etiam post initum matrimoniale carnale conjugium, sed nondum per carnalem copulam consummatum, spreverunt, ut in puriori, perfectiori liberiorique mente Deo vacarent. Unde et S. Ephrem scribit de beatissimo Abraham eremita, quod quum esset unicus filius, et ditissimos haberet parentes, qui eum tenerrime diligebant, quia mansuetus atque pulcherrimus juvenis fuit, parentes ejus desponsaverunt ei puellam valde decoram. Sed ille, antequam eam cognovit, discessit occulte, et in cella quadam multum remote abscondit se; ibique Deo die ac nocte in orationibus et jejuniis ac ceteris virtuosis exercitiis deservivit. Qui postea factus est vir sanctissimæ conversationis et in omni virtute perfectus, atque angelicum habuit vultum; et tanta gratia consolationis fuit in eo, ut quicumque afflictus et tristis seu tentatus eum accessit, consolatus recesserit. Fuit quoque tunc quædam villa gentilium qui fuerunt durissimi, quos nullus quivit convertere. Episcopus vero terræ illius audiens sanctissimam vitam Abrahæ eremitæ, fecit eum presbyterum, et misit eum ad villam illam pro conversione illorum gentilium : a quibus gravissimas persecutiones, percussiones ac læsiones sustinuit. Tandem per ineffabilem suam caritatem, sanctitatem ac patientiam illos convertit, in tantum ut christianissimi sint effecti.

Custodiamus igitur animas nostras, ut jugiter Christi sint sponsæ.

SERMO TERTIUS

QUOMODO VIR ET UXOR SE SIMUL DEBEANT HABERE, ET QUID SIBI INVICEM DEBEANT.

H*ONORABILE connubium in omnibus, et torus immaculatus.* Hebr. XIII, 4.

Juxta doctrinam Apostoli, unusquisque *Ephes.* IV, 1. fidelium debet vivere digne vocatione qua vocatus est, hoc est, secundum quod status in quo est requirit. Quemadmodum ergo religiosi conversari tenentur secundum Ordinis sui regulam seu statuta, sic conjugati vivere debent secundum præcepta ac documenta ad conjugalem statum spectantia. Non autem possunt sic vivere, nisi præcepta ac documenta hujusmodi sciant : idcirco in talibus sunt instruendi. Oportet igitur scire quid vir teneatur suæ uxori, et quomodo ad illam se habere debeat ; et quid etiam uxor teneatur suo marito, et qualiter habere se debeat ad illum.

Itaque vir primo tenetur suæ uxori specialem ac cordialem dilectionem. Ideo ait *Ibid.* V, 25. Apostolus : Viri, diligite uxores vestras ; *Ibid.* 28. et rursus, Viri diligere debent uxores suas sicut corpora sua. Secundo, tenetur vir conjugi instructionem pro posse. Propter quod dixit Apostolus : Mulieres si *I Cor.* XIV, 35. quid discere volunt, domi viros suos interrogent. Tertio, tenetur ei caritativam correptionem dum errat aut peccat, quemadmodum Job corripuit suam conjugem, *Job* II, 10. dicens : Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Quarto, honorem. Unde princeps Apostolorum in prima sua docet epistola, *I Petr.* III, 7. ut viri uxoribus suis quasi infirmiori vasculo impendant honorem. Quinto, in majoribus rebus gubernationem. Nam ut ait *I Cor.* XI, 3. Apostolus, vir caput est mulieris : idcirco eam dirigere debet. Sexto, fomentum et sustentationem. Vir enim et conjux sunt *Gen.* II, 24; *Ephes.* V, 29. una caro : et unusquisque carnem suam sustentat. Septimo, socialem cohabitationem, juxta illud Genesis : Relinquet homo *Gen.* II, 24. patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Octavo, carnalis debiti solutionem, dicente Apostolo : Uxori vir *I Cor.* VII, 3. debitum reddat. Nono, tori fidem. Decimo, piam atque pacificam commorationem. Unde secundum beatissimum Petrum apostolum, viri debent uxoribus suis cum *I Petr.* III, 7. discretione cohabitare. Et Paulus : Viri, *Coloss.* III, 19. inquit, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad eas. Et istud est contra multos viros irrationabiles ac perversos, qui ad conjuges suas se habent amare et indignanter, iracunde et aspernanter, clamorose ac turbulenter.

Denique aliqua prædictorum tenentur etiam uxores suis maritis, puta : in primis præcipuam dilectionem. Unde in libro Tobiæ, parentes Saræ docuerunt eam diligere *Tob.* X, 13. maritum. Secundo, fidem tori, dicente Apostolo : Mulier vocabitur adultera, si *Rom.* VII, 3. vivente viro suo fuerit cum altero. Tertio, reverentiam in verbis, sicut in Genesi legitur quod Sara vocavit Abraham virum *Gen.* XVIII, 12. suum, dominum. Quarto, cohabitationem, quemadmodum ait Apostolus : Præcipio *I Cor.* VII, 10. uxorem a viro suo non discedere. Quinto, uxor specialiter suo debet marito subjectionem quamdam in obsequiis, prout in Genesi Dominus dixit ad mulierem : Sub *Gen.* III, 16. viri potestate eris. Et Apostolus loquitur : Mulieres viris suis subditæ sint. Sexto, *Ephes.* V, 22. obedientiam in mandatis, sicut Sara obediebat *I Petr.* III, 6. Abrahæ. Septimo, timorem, secundum illud Apostoli : Uxor timeat virum *Ephes.* V, 33. suum. Octavo, adjutorium in cooperatione, hoc est in domus regimine et necessariorum provisione.

Omnia ergo hæc vir et uxor sibi mutuo exhibeant et persolvant.

I *Cor.* xi, 3. Itaque vir caput est mulieris, quia aliqualiter superior ea; et in regimine domus ac facultatum, et sobolis atque familiæ, maritus est principalis, pertinetque ad eum uxorem de cognoscendis et agendis instruere, atque in moribus eam dirigere. I *Tim.* ii, 12. Idcirco ait Apostolus : Mulierem docere non permitto, nec dominari in virum, sed esse subjectam. Viri namque communiter sunt feminis in naturalibus perfectiores, animo constantiores, in ratione fortiores ac prudentiores : quamvis interdum contingat oppositum. Propterea, si vir viderit conjugem suam prudentem, probam, honestam, potest et debet ei committere plura et majora, nec ejus consilia spernere. Verumtamen vir non debet se habere ad uxorem suam sicut ad ancillam, sed tanquam ad contoralem ac sociam. Ad quod designandum, Deus in mundi exordio fecit mulierem primam non de capite aut pede sed de latere viri. *Gen.* ii, 22. Vir ergo ad conjugem suam habere se debet humiliter, non superbe, dulciter, non acerbe, reverenter et pie, exemplariter et honeste. Hinc S. Ambrosius acerrime scribit contra viros qui ad conjuges suas se habent aspernanter, severiter et amare, dicens quod serpentibus sint pejores. Præterea, quoniam viri debent uxores suas in moribus seu virtutibus informare, oportet ut præbeant eis bonum exemplum, et in verbis ac factis eas coerceant a feminea levitate, loquacitate, contentione, mollitie, et ceteris malis ad quæ eas viderint esse pronas.

Insuper conjugati se invicem debent diligere, non solum nec principaliter amore carnali ac sociali, sed primo et maxime amore puro ac spirituali, optando sibi invicem virtutes, dona ac gratiam Spiritus Sancti in præsenti, beatitudinemque æternam in regno cœlesti. Hinc de rebus spiritualibus et pertinentibus ad salutem debent frequenter conferre, atque ad opera pietatis ac virtutum se mutuo caritative exhortari et adjuvare. Quum etenim universi fideles teneantur se invicem diligere amore spirituali, multo magis vir et conjux, qui una sunt caro, quorum una est domus, una mensa, unus lectus unaque proles, debent se invicem spirituali dilectione ardenter, singulariter jugiterque diligere. Propter quod ait Apostolus : Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea. *Ephes.* v, 25.

Amplius, circa carnalis debiti petitionem ac solutionem, conjugati temperate, timorate ac discrete habere se debent. Quocirca sciendum, quod secundum Sanctorum doctrinam, actus ille carnalis matrimonialis non est in se illicitus : imo potest esse et fieri sine omni peccato, quoniam Deus sic ordinavit, ut ex legitima conjunctione viri et mulieris homines generentur. Imo actus ille cadit sub præcepto, ita quod conjugati tenentur sibi invicem reddere debitum : qui autem facit ad quod tenetur, non peccat, dum faciat ubi et quando et sicut fieri debet.

Imo actus ille potest esse opus virtutis : et secundum doctores, potest esse trium virtutum. Primo, justitiæ, quia ut dictum est, vir et mulier tenentur sibi invicem reddere debitum carnis, eo quod per contractum matrimonialem corpus unius transfertur in potestatem alterius, et econtra, dicente Apostolo : Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier; similiter mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. I *Cor.* vii, 4. Secundo, potest esse actus virtutis quæ latria appellatur. Latria quippe est virtus per quam Deo debitum cultum ac venerationem exhibemus. Dum ergo conjugati se cognoscunt desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, in qua christiana fides atque religio augeantur, tunc actus ille est latriæ opus. Tertio, potest esse opus pietatis, ut si conjugem vir cognoscat, timens de ruina illius et ne cadat. Et quoniam caritas est summa virtus movens omnes alias virtutes ad operandum, idcirco ille actus potest etiam esse actus caritatis, hoc est spiritualis amoris. Imo quum omne virtutis opus ex caritate fieri debeat, constat quod actus ille ex caritate

imperialiter ac principaliter debeat fieri, sive procedat ex justitia, scilicet causa reddendi debitum, sive ex latria, utpote desiderio prolis ad Dei servitium educandæ. Porro ad hoc quod actus ille sit modo præfato opus virtutis in viro aut conjuge, oportet quod sint in caritate et gratia, vivendo absque peccato mortali. Rursus, dum viro constat quod uxor est imprægnata, vel ipsa hoc scit, non potest ille actus esse latriæ opus, quia tunc fieri nequit desiderio prolis; similiter si mulier sit sterilis aut annosa : potest tamen tunc actus esse justitiæ.

Præterea secundum Augustinum aliosque doctores, tria sunt bona matrimonii per quæ actus ille conjugalis honestatur et licitus redditur, scilicet, fides, proles et sacramentum, intelligendo per fidem fidelitatem conjugalem, quam conjugati sibi invicem spondent, ne alteri misceantur. Matrimonium quoque est sacramentum, quia designat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, seu Verbi æterni cum natura humana in Christo : et ex hac parte habet actum illum honestare et ab omni vitio excusare.

Interea agnoscendum, quod actus ille conjugatorum quandoque est absque omni peccato, interdum fit cum veniali, aliquando cum mortali. Dum enim homo movetur ad illum actum ex aliqua prædictarum virtutum, est absque peccato; sed quando ad ipsum movet concupiscentia carnis seu desiderium voluptatis, tunc est culpabilis. Si ergo vir et uxor moveantur ad actum illum ex concupiscentia prædominante, tunc est mortale peccatum. Dicitur quoque concupiscentia prædominans, quando omnino prævalet, ita quod homo tanto ardore libidinis ad actum illum procedit, ut ad eum procederet quamvis persona cum qua miscetur non esset ei conjugio sociata. Unde a sapientibus dictum est, quod omnis amator ferventior est adulter, videlicet quod non maritali sed adulterino affectu conjugem suam accedit; et idem est si conjux sit viri sui amatrix ferventior. Porro si maritus uxorem accedit non ex concupiscentia prædominante, sed infra terminos matrimonii permanente, ita ut non accederet eam si uxor ejus non esset, tunc est veniale peccatum ; et idem de uxoris accessu ad virum.

Præterea secundum doctores, vir et uxor tenentur sibi mutuo reddere debitum ex præcepto divino, ita ut illud importune negando, peccarent mortaliter : quoniam per contractum matrimonialem corpus unius transfertur in potestatem alterius, et etiam quia conjugium non est solum institutum in officium naturæ, videlicet ad prolis procreationem, sed et in remedium culpæ, hoc est ad vitandum fornicationem. Si autem uxor negaret viro suo debitum importune, daret occasionem adulterandi aut aliam inquinationem incidendi ; et idem est si vir negaret uxori suæ debitum importune. Verumtamen si debitum peteretur ultra vires naturæ, vel tempore infirmitatis, vel tam immoderate ut corpus debilitaretur, non esset reddendum, sed petens informari deberet quod rationabiliter se haberet : imo tunc non esset veraciter debitum. Nec solum reddendum est debitum conjugi, si expresse per verba id petat, sed etiam si vir deprehendit per signa probabilia aut expressa quod hoc postulet, quamvis præ verecundia non loquatur.

Præterea quæri potest, quibus temporibus reddendum est debitum. Et respondendum, quod ut sanctus ait Ambrosius super Lucam, tempus quo decet peti debitum, breve est, quia a tempore imprægnationis uxoris usque ad purificationem ejus post partum, non decet hoc peti; non tamen prohibitum est petere propter periculum incidendi lubricum carnis cum alia persona; vel si petitur propter voluptatem carnis infra terminos matrimonii, non est mortale peccatum, secundum Thomam. Quamvis autem copula conjugalis possit esse absque peccato, tamen propter voluptatem annexam deprimit mentem, et

facit hominem ad spiritualia opera indispositum. Quoniam ergo tempore sacro et in festis est operibus pœnitentiæ et orationibus ac spiritualibus exercitiis insistendum plus solito, non decet tunc petere debitum. Non est tamen per modum præcepti prohibitum, sed per modum doctrinæ dissuasum. Et si aliqui Sancti dicunt illud non esse licitum, intelligendum est, quod non licet, id est, non decet, et quod non debet peti, loquendo de debito moralitatis, quod est debitum condecentiæ, non autem loquendo de debito legali, quod est debitum justitiæ. Est quoque majus peccatum tunc petere debitum propter voluptatem, quam propter fornicationis vitationem. Et quamvis aliquo modo peccet qui petit, tamen si petit instanter, reddendum est; nec reddere est peccatum, sed justum, si solum fiat causa redditionis debiti, non propter voluptatem. Imo uxor graviter peccaret negando importune, quoniam occasionem adulterandi daret marito, et contra justitiam ageret; et idem est, si vir uxori negaret, siquidem in petitione et redditione debiti sunt æquales.

Postremo quæri potest, an liceat mulieri menstruatæ debitum petere. Et quamvis hæc quæstio non sit publice coram vulgo proponenda aut solvenda, nihilo minus expedit ut sacerdos propter informationem secretam cognoscat hujus rei veritatem. Ideo respondendum secundum Thomam super quartum Sententiarum, quod fluxus menstruorum in mulieribus interdum est naturalis, videlicet quando determinatis temporibus fit quando sunt sanæ. Et tempore hujusmodi fluxus non licet mulieri petere debitum, nec viro eam accedere, si scit eam sic esse dispositam : tunc enim concipiuntur fetus monstruosi, claudi, cæci, seu alias defectuosi, secundum Hieronymum. Talis vero fluxus non diu durat. Interdum autem fluxus menstruorum in feminis est innaturalis, quando videlicet fit inordinate et quasi continue ex aliqua infirmitate. Et tempore

A talis fluxus non est prohibitum viro uxorem accedere, neque uxori ita illicitum petere debitum, quia durante hujusmodi fluxu non potest concipere. Est quoque specialis difficultas, an mulier naturalem fluxum patiens debeat debitum reddere. Et dixerunt quidam, quod non. Alii dicunt : Si vir petit tunc debitum, sciens in uxore esse hujusmodi fluxum, debet eum uxor avertere precibus et monitis quantum congrue potest, non tamen ita instanter ut præbeat ei occasionem incidendi alias in-
B quinationes, præsertim si ad eas pronus credatur; si autem petit tunc debitum, ignorans fluxum illum uxoris, debet uxor aliquam occasionem prætendere et infirmitatem simulare seu allegare, ne debitum reddatur, nisi timeatur viro periculum. Tamen si finaliter vir debitum petit, uxor reddere debet; nec est semper tutum ut passionem suam indicet viro, ne forsan abominationem ad eam concipiat, nisi præsumatur de viri prudentia. Et hanc opinionem sequitur S. Thomas.

C Insuper, quoniam omnes fideles ad fraternam correptionem tenentur, si uxor scit virum suum esse adulterum, debet eum quatuor modis corripere, secundum Augustinum in libro quinquagesimo Homiliarum : primo, caritative admonendo; secundo, si admonitio illa non prodest, dure objurgando; et si non proficit, debet eum tertio coercere, Ecclesiam interpellando, maxime si peccatum sit notorium; quarto, ad Deum et ad viros sanctos recurrendo, si vir in sua malitia manet. Oret ergo
D Deum uxor, ut viro suo det gratiam emendationis; oret etiam viros sanctos, ut invocent Deum pro viro suo. Verum ut asserit Augustinus, triplici causa feminæ tacent in hujusmodi casu : vel quia timent a suis maritis flagellari, sed magis debent timere Deum præcipientem quam virum flagellantem; aut quia viri blandiuntur eis, et laudant eas quod eos sustinent patienter, sed patientia illa est mala et saluti virorum contraria; vel falsa persuasione seductæ, dum viri dicunt : Nos sumus

viri, vos feminæ. Cui uxor respondeat : Si vir es, vince libidinem tuam. Secundo, dicunt viri ad conjuges : Nos sumus domini, vos ancillæ. Quibus uxores respon- I Cor. vii, 4. deant : Vir potestatem corporis sui non habet, sed uxor. Tertio, viri dicunt ad conjuges : Nos sumus capita, vos autem membra. Quibus uxores respondeant : Si capita estis, nolite ire ubi non vultis ut membra vos sequantur. Et licet viri adulteri sint, non tamen conjuges dicant, Sicut viri non servant nobis fidem, ita nec nos servabimus eis. Imo magis permittant illos solos perire, nec velint damnari cum illis : nam Deo pudorem tenentur ac fidem.

Itaque juxta præhabita documenta vir et uxor mutuo conversentur; et si velint A totaliter continere, ex communi faciant hoc consensu. — Denique ad conversandum taliter simul, induci debent exemplo Patriarcharum veteris Testamenti, qui cum suis uxoribus temperate, honestissime ac virtuose vixerunt, cum omni caritate, humanitate, pace et patientia, sicut in Genesi legitur de Abraham et Sara conjuge ejus, de Isaac et Rebecca, de Jacob et ejus conjugibus. — Legitur secundo Regum de Michol conjuge David regis, quod quia virum II Reg. vi, 16, 20, 23. suum sanctum David injuste despexit, irrationabiliter increpavit, non est natus filius ei usque ad diem mortis suæ. Ex quo patet, quam grave peccatum sit si uxor virum suum injuste contemnat : in omnibus enim est justitia servanda.

SERMO QUARTUS

DE SIGNIFICATIONE SEX HYDRIARUM, ET QUOMODO SPIRITUALITER AQUA IN NOBIS CONVERTATUR IN VINUM.

LAVAMINI, *mundi estote, dicit Dominus.* Is. I, 16.

Deus puritatis immensæ, atque totius munditiæ fons, dator atque amator, sola peccata odit in nobis, et cordis munditiam requirit in nobis : aliter animæ nostræ sponsæ ejus esse non valent. Jam autem in primo circa evangelium præsens sermone prætactum est, qualiter animæ nostræ sponsæ sint Christi, et quomodo quotidianas cum Christo nuptias et amplexus possint debeantque habere ac celebrare. Prov. viii, 31. Deliciæ namque Sponsi cœlestis sunt esse cum filiis hominum. Sed quoniam in nuptiis istis negligentias multas et maculas quasdam omni, heu, die incurrimus, quemadmodum Ibid. xxiv, 16. scriptum est, Justus septies cadit in die; indigemus diversis purificationibus atque remediis, quibus purgemur spiritualiterque curemur, ne Sponso displiceamus cœlesti, et ne a parvis culpis C ad graviores labamur. Nempe ut Sapiens protestatur, Qui modica negligit, paulatim Eccli. xix, 1. decidit. Ideo qui semetipsum non custodit sollicite a Dei offensa, cito in mortalia ruit peccata. Indigemus ergo sex hydriis, in quibus mox quum peccaverimus, nos lavemus.

Prima est cordis contritio, hoc est cordialis et intimus dolor de peccatis, in quantum sunt Dei inhonorativa ac offensiva. Qui autem de suis doleret peccatis solum aut principaliter in quantum per D ea meruit aut incurrere metuit pœnas, non haberet veram et salutarem contritionem. Ad hoc quoque quod sit salutaris contritio, exigitur ut proportionetur peccatis, quatenus quanto peccata fuerint plura atque majora, eo contritio major exsistat, ut beatus ait Hieronymus. Hæc est prima lotio, hydria sive purgatio. De qua in Ezechiele Dominus loquitur : In quacumque Ezech. xviii, 21, 22.

hora peccator ingemuerit, omnium iniqui- A
tatum ejus non recordabor amplius. Unde
Jer. IV, 14. per Jeremiam Deus præcepit : Lava a ma-
litia cor tuum, ut salvus fias ; usquequo
morabuntur in te cogitationes noxiæ ?

Secunda hydria est confessio, quæ debet
esse pura, dolorosa et integra. De qua ait
Ps. XXXI, 5. Scriptura : Omnia in confessione lavantur.
Prov. XXVIII, 13. Unde et Salomon dixit : Qui abscondit sce-
lera sua, non dirigetur; qui autem con-
fessus fuerit et reliquerit ea, misericordi-
am consequetur. Nec solum debemus in
confessione sacramentali peccata nostra B
humiliter aperire ; sed etiam a superiori-
bus, proximis et amicis caritative correpti,
debemus protinus culpas nostras fateri,
veniam deprecari, atque ad emendationem
nos exponere et offerre. Propter quod in
Ibid. XV, 32. Proverbiis scriptum est : Qui acquiescit
increpationibus, possessor est cordis. Con-
tra hoc insipientissime agunt, qui peccata
sua defendunt, se ipsos false excusant,
corripientibus indignantur, castigantibus
renituntur. Contra quos scriptum est in
Eccli. XXI, 1. Ecclesiastico : Fili, peccasti ? ne adjicias C
iterum ; sed de præteritis deprecare ut tibi
dimittantur. Augustinus quoque affirmat :
Illis non judex, sed advocatus est Chri-
stus, qui propria confessione se damnant.

Tertia hydria est satisfactio pro pecca-
tis, ut id quod pro peccatis injungitur,
humiliter atque fideliter impleatur : quia
enim peccando propriæ voluntati contra
Dei præcepta perverse acquievimus et sa-
tisfecimus, oportet ut pro peccatis nostris
nos ipsos in operibus et laboribus pœni-
tentiæ contra propriæ voluntatis inclina- D
tionem perversam rationabiliter affliga-
mus, ut recompensatio fiat justitiæ. Idcirco
ait Gregorius : Nequaquam satisfacimus
si ab iniquitate cessamus, nisi et volupta-
tes pravas quas dilexerimus, econtrario
lamentis oppositis insequamur.

Quarta hydria est injuriarum remissio,
Matth. VI, 12. sicut in Oratione dominica dicimus : Di-
mitte nobis debita nostra, sicut et nos
Eccli. XXVIII, 2. dimittimus debitoribus nostris. Unde in
Ecclesiastico habetur : Relinque proximo
tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi
peccata solventur. Sed et Christus in Evan-
gelio contestatur : Si non dimiseritis, nec *Matth.* VI, 15.
Pater vester cœlestis dimittet vobis pec-
cata vestra. Et justissime hoc contingit :
injuria namque et inhonoratio quam pec-
cando facimus Deo, est incomparabiliter
major et gravior quam injuria quam ab
hominibus patimur, etiamsi quotidie nobis
millies injurientur, quum injuria tanto sit
gravior, quanto dignior et beneficentior
est is cui infertur. Si ergo proximis nobis
injuriantibus non ignoscimus, qua fronte
oramus ut Deus nobis indulgeat ?

Quinta hydria est operum misericordiæ
tam spiritualium quam corporalium ex-
hibitio : quia ut ait Salvator, Beati miseri- *Ibid.* V, 7.
cordes, quoniam misericordiam consequen-
tur. Jacobus quoque apostolus : Judicium *Jacob.* II, 13.
(inquit) sine misericordia fiet ei qui non
fecerit misericordiam. Et in Proverbiis
legitur : Per misericordiam et fidem pur- *Prov.* XV, 27.
gantur peccata. Hinc Daniel dixit Nabu-
chodonosor regi : Consilium meum tibi, *Dan.* IV, 24.
o rex, placeat, et peccata tua eleemosynis
redime, et iniquitates tuas misericordiis
pauperum. Semper ergo affluat anima no-
stra visceribus pietatis, et pauperibus cor-
dialiter inclinemur, atque pro posse prom-
pte, liberaliter ac hilariter succurramus.
Hoc quippe valde singulariter complacet
Deo, imo et deiformes nos efficit. Hinc ad
Colossenses hortatur Apostolus : Induite *Coloss.* III, 12, 13.
vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ,
benignitatem, modestiam, patientiam, sup-
portantes invicem, et donantes vobismet-
ipsis, si quis adversus aliquem habet que-
relam, sicut et Christus donavit nobis.
Omnis ergo amaritudo, indignatio, aversio *Ephes.* IV, 31.
a nostris procul sit cordibus.

Sexta hydria poni posset oratio, seu cor-
poris castigatio, sive jejunium ; sed omnia
hæc sub satisfactione pro peccatis satis
includi videntur, quia ut ait beatissimus
Leo Papa, oratione propitiatio Dei quæri-
tur, jejunio concupiscentia castigatur. Sex-
ta ergo hydria est fervens dilectio Dei, quæ
est ignis spiritualis dulciter ardens, sic

peccata consumens sicut stipulam flam- A
1 Petr. iv, 8. ma. Propterea S. Petrus præcipit : Ante omnia caritatem in vobis continuam habete, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Hinc de electissima sua discipula Maria Magdalene dixit Salvator :
Luc. vii, 47. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Quocirca scribit Gregorius : Incendit plane peccati rubiginem, quoniam valde arsit per amoris ignem. Deum enim fervide diligendo efficimur ei præcipue cari, nec aliquid facit nos Deo tam caros, ut caritas ejus. Certum est autem quod B diligens facile dilecto suo ignoscit. Imo per caritatis fervorem non solum culpa dimittitur, sed et pœna debita minoratur; possetque homo tantum in caritatis fervore proficere, quod absque exteriori satisfactione tota pœna sibi a Deo dimitteretur.

Unde legitur, quod quum S. Bernardus quemdam virum sæcularem magnum ac divitem convertisset, et vir ille in cœnobio confiteretur S. Bernardo cum maxima cordis contritione et ingenti caritatis fervore universa quæ unquam commisit pec- C cata, ipse beatus pater Bernardus, non ad peccatorum magnitudinem multitudinemque adspiciens, sed viri illius contritionem ac fervorem attendens, injunxit pro pœnitentia (si bene recordor) dicere ter Pater noster et Ave Maria. Quo audito, vir ille, cui videbatur quod totus mundus non erat sufficiens pro peccatis suis satisfacere, admirans dixit Bernardo : Ne illudas servo tuo, beatissime pater. Sed Bernardus nil majus pro pœnitentia sibi injunxit.

His igitur hydriis, quotiescumque peccaverimus, nos purgemus. Eligamus nunc aspera, et quæ carnis sunt afflictiva et pro vitiis satisfactiva, ut post hanc vitam consolationem inveniamus æternam. Mundus quippe bonum vinum primo amatoribus suis exhibet, hoc est delectabilia et prospera vitæ carnali ; sed quum inebriati fuerint, id est vitiis excæcati ac obdurati, et ad spiritualia insensibiles constituti, tunc exhibet eis quod deterius est, quia in fine vitæ præsentis, pro suis delectationibus et peccatis damnationem sortiuntur perpetuam. Porro Deus amatoribus suis primo exhibet adversa ac dura, ut per talia emundati, ad gaudia pertingant cœlestia, quæ sunt optima fercula ac pretiosissima vina.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUOMODO ABSQUE FICTIONE ET HYPOCRISI, DULCITER, AMOROSE SOLLICITEQUE VIVENDUM SIT IN RELIGIONE.

DILECTIO *sine simulatione.* Rom. xii, 9. D Dominus noster Jesus Christus, qui secundum suam deitatem est veritas ipsa, et secundum suam humanitatem plenissimus fuit omni virtute sincera, verbo et opere multipliciter docuit et præcepit ut simus sinceri, non ficti ; veraciter, non simulatorie, virtuosi ; omnem detestantes hypocrisim, habentes in omnibus rectam intentionem, ut nec verbo, nec signo, nec facto simus dolosi. Hinc in hodierna epistola ait Apostolus : « Dilectio sine simulatione », supple, sit in vobis. Hoc est quod in prima sua Canonica jubet prædilectus Christi discipulus : Non diligamus verbo 1 Joann. iii, 18.
neque lingua, sed opere et veritate.

Diligamus ergo nos invicem cordiali af- A fectu, communicatione consilii, exhibitione auxilii; et quidquid fraterna requirit dilectio, mutuo impendamus pro posse, loco et tempore opportuno, alterutrum exhortando, caritative corripiendo, sapientialiter instruendo, compatiendo, consolando et obsequendo. Absit ut unus alium callide unquam observet, aut ejus defectus et culpas malitiose conscribat, aut de ejus adversitate, ruina, turbatione lætetur : hoc enim diabolicum esset, non religiosum aut christianum.

B Deinceps, quum similitudo sit causa amoris, et ipse Dominus Deus noster omnipotens, sit simplicissima atque purissima mens, constat quod puram et simplicem præcipue diligat mentem. Eos vero quorum corda plica dolositatis aut simulationis tegumento sunt obvoluta, maxime detestatur; et tales in Scripturis sæpissime ac specialissime reprehendit. Imo et omnium doctor virtutum et totius perfectionis magister, Filius Dei Dominus Jesus Christus, in Evangelio, de simulatione, hy- C pocrisi et ficta justitia potissimum reprehendit Scribas et Pharisæos; et laudem humanam, cujus amore multi simulatione utuntur, vanamque gloriam, vehementer jubet abominari. Hinc felicissimus princeps Apostolorum : Deponentes (inquit) *I Petr.* II, 1, 2. omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac, id est innocentiæ ac puritatis nitorem atque dulcorem, concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Hinc rursus ait D Scriptura: Simulatores et callidi provocant *Job* XXXVI, 13. iram Dei; et, Vir versutus odibilis est; *Prov.* XIV, 17. et, Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis; *Jacob.* I, 8. et, Qui blandis fictisque sermonibus decipit amicum suum, maledicenti similis erit. *Prov.* XXIX, 5; XXVII, 14. Sed et qui sophistice loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur; non est illi data gratia a Domino, omni enim sapientia defraudatus est. *Eccli.* XXXVII, 23, 24. Ecce quantum Scriptura detestatur, vituperat et condemnat hoc vitium maledictum.

Amplius, tales aliis non confidunt, et faciliter de aliis sentiunt male et obloquuntur, atque ab eis sibi malum inferri verentur, arbitrantes alios sibi esse consimiles. Sicque impletur in eis illud Job : Sonitus terroris semper in auribus impii; *Job* XV, 21. et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Istis dolosis ac simulatis frequenter male succedit etiam in hac vita, et justo judicio agitur ut quod aliis facere moliuntur, ipsis contingat. Nec eorum versutia solet diu manere ignota, quia ut Seneca ac Tullius fassi sunt, omnia fucata et ficta cito ut flosculi decidunt, et in suam relabuntur naturam; quumque innotuerint, contemnuntur, nec creditur eis.

Præterea, quamvis hoc vitium sit adeo detestabile in omni Christiano, præsertim in religioso, nihilo minus quidam religiosi eo coram Deo sunt infecti : imo nonnulli simulatione ac hypocrisi pleni sunt, qui coram aliis maturitatem ac devotionem prætendunt, et in suo secreto indevote, irreverenter et incustodite se habent coram Altissimo, ejusque opus efficiunt negligenter. Quorum damnatio erit gravissima, quum simulata æquitas sit duplex iniquitas. Si ergo unquam Deo placere, vere proficere, proximisque amabiles esse optamus, abjiciamus omnino a nobis hoc crimen; sintque corda nostra coram Judice summo sincera et recta, ut absque omni obliquitate humanæ astutiæ, duplicitatis ac fraudulentiæ, linealiter extendamur ac moveamur ad Dominum. Tuncque indubitanter visitabimur atque ditabimur ab eodem gratiarum charismatibus copiose, quia ut Salomon ait, cum simplicibus est sermocinatio Dei. *Prov.* III, 32.

Insuper, non solum ad proximos, sed item ad Deum, debemus habere dilectionem absque simulatione, ne eum verbis laudemus et factis inhonoremus, ne dicamus nos eum diligere, et mentis aversione atque præceptorum transgressione dissentiamus ab eo, quemadmodum de quibusdam conqueritur : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *Is.* XXIX, 13.

A Itaque caveamus ne orando, psallendo, celebrando, cordibus vagi simus ac Dominum offendamus.

Deinde docet in præsenti epistola sanctus *Rom.* XII, 10. Apostolus, ut honore invicem præveniamus. Hoc etenim requirit plena humilitas, hoc caritatem fovet, et intuentes ædificat. Tamen in hoc debent juniores Fratres senioribus suis deferre ; seniores nihilo minus in hoc ipso et aliis omnibus bonis debent exemplum salubre junioribus exhibere. Hinc in regula S. Benedicti habetur, ut B juniores Fratres senioribus assurgant locumque præbeant, neque resideant nisi a senioribus jussi. In statutis quoque Ordinis fertur Cartusiensis, ut Fratres mutuo obviantes, sibi invicem modice ac reverenter inclinent ac decenter. Nullus ergo sit duræ cervicis aut tumidi cordis, sed in se ipso ea intueatur propter quæ se aspernetur, in alio autem ea propter quæ ipsum veneretur.

Itemque, juxta hodiernæ doctrinam epi- *Ibid.* 11. stolæ, simus sollicitudine non pigri, id est C prompti ad sollicitudinem. Sed huic videtur contrarium quod alibi dicit Apostolus, *Philipp.* IV, 6. Non solliciti sitis ; et quod Salomon *Prov.* XI, 7. asserit, Exspectatio sollicitorum peribit. Quocirca scire oportet, quod duplex est sollicitudo : una pro temporalibus acquirendis, augendis aut conservandis. Et ista si sit moderata, non est vitiosa, sed bona, et actus prudentiæ : non tamen ad religiosos pertinet simplices, sed ad quorumdam religiosorum Patres ac procuratores poterit pertinere. Si vero sit immoderata nimisque anxia, vituperabilis est atque a D Christo prohibita. Alia est sollicitudo pro spiritualibus bonis, videlicet gratia ac virtutibus, obtinendis, augendis ac custodiendis, ne Deus offendatur, ne ab æterna quis impediatur salute, ne in gehennæ labatur supplicia. Hæc est sollicitudo bona ac optima, ex caritate et filiali procedens timore. Ad quam princeps Apostolorum nos *I Petr.* V, 8. hortans : Sobrii (ait) estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

Ad hanc ergo sollicitudinem semper habendam simus non pigri, sed coram Deo nostro ambulemus solliciti, exemplo beati Job protestantis : Considerans Deum, timore sollicitor, et semper quasi tumentes *Job* XXIII, 15 ; XXXI, 23. super me fluctus timui Deum. Et utinam tam solliciti essemus nos religiosi ad vitandum periculum animarum, ad evadendum laqueos inimici, ad effugiendum tormenta inferni, et ne Dei offendamus præsentiam, ne gratiam ejus perdamus et gloriam, atque ad proficiendum ac perseverandum in omni virtute ac dono Spiritus Sancti, quam solliciti sunt sæculi amatores ne temporalia damna incurrant, et ut in rebus crescant terrenis : quum tamen in infinitum major sit ratio sollicitudinis pro spiritualibus bonis habendis quam pro temporalibus rebus. Verum, et proh dolor ! ut ait Salvator, filii hujus *Luc.* XVI, 8. sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Videmus quod negotiatores, non obstantibus pluviis, pestilentiis variisque difficultatibus atque periculis, assumunt laborem et gradiuntur ad nundinas pro temporalibus lucris ; et nos religiosi, qui omni pene momento proficere in caritate et gratia Dei valemus, æternæ quoque beatitudinis præmium ineffabiliter nobis augere, pro levi occasione ac modicis causis absentamus nos a divinis, et a multis virtutum cessamus operibus. Quod totum ex negligentia excæcationeque nostra provenire monstratur.

Insuper, vicissim tanta laxatione opprimimur, tanta securitate resolvimur, quasi ad terminum pervenerimus concupitum, ad finem beatum, quum tamen adhuc in medio laqueorum versemur. Sed consideremus quæ restant, et quanto efficimur seniores, tanto simus sollicitiores, utpote ad Dei judicium magis appropinquantes. Nam et in ipso mortis periculo, in infirmitate extrema, summum instat periculum atque durissimum prælium ; et quanto quempiam viderint dæmones magis proficientem, tanto acrius eum impugnant ac nequius ei insidiantur. Durante ergo arcta

hac via, nunquam inaniter resolvamur: A quia beatus homo qui semper est pavidus; et cedri Libani corruerunt, multique vitæ eximiæ circa finem suum devicti sunt. Non vane aut jactanter gloriemur quod diu in Ordine fuimus; sed contristemur ac lugeamus quod tam negligenter in eo viximus, quod tam parum profecimus, et tanto simus ferventiores, quanto fini viciniores. Nihilo minus ne abundantiori absorbeamur tristitia, spe simus gaudentes, in futuræ beatitudinis præstolatione humiliter gloriantes. Quam ut assequi mereamur, omnia æquanimiter patiamur adversa, pro malis reddamus bona, simus quoque in Deo concordes, nec magna et alta, sed parva et humilia sentiamus de nobis.

Prov. XXVIII, 14. — II *Cor.* II, 7. — *Rom.* XII, 12.

SERMO SEXTUS

DE SPIRITUALIBUS NUPTIIS CHRISTI ET HUMANÆ NATURÆ, CHRISTI ET ECCLESIÆ, ITEMQUE CHRISTI ET ANIMÆ SANCTÆ.

VOCATUS est Jesus et discipuli ejus B *ad nuptias.* Joann. II, 2.

De multiplicibus nuptiis loquitur sancta Scriptura. Primo, de carnalibus, ut in evangelio hodierno. Et hæ nuptiæ non solum carnales sunt, sed etiam sacramentales. Matrimonium namque est sacramentum, id est sacræ rei signum, videlicet conjunctionis Christi atque Ecclesiæ, dicente Apostolo, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia; est etiam sacrum signum conjunctionis Verbi æterni atque naturæ humanæ in C Christo. Secundo Scriptura loquitur de nuptiis mysterialibus, hoc est de profundissimo illo connubio quod est inter Unigenitum Dei et naturam ab eo assumptam. Unde in Evangelio legitur: Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Quia tunc Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, dum ei in utero Virginis humanam conjunxit naturam. Hæ sunt nuptiæ incarnationis Verbi, et hypostaticæ unionis humanitatis cum illo, de qua ait Psalmista: Tanquam sponsus pro- D cedens de thalamo suo. Tertiæ sunt nuptiæ spirituales seu nuptiæ gratiæ: de quibus nunc plenius est tangendum. Quartæ sunt nuptiæ æternæ seu nuptiæ gloriæ, utpote beatifica unio Sanctorum cum Sponso æterno, Deo altissimo.

Ephes. V, 32. — *Matth.* XXII, 2. — *Ps.* XVIII, 6.

Porro nuptiæ spirituales sunt duplices. Est enim spirituale connubium unum inter Christum et sponsam ejus universalem, puta militantem Ecclesiam; alterum est inter sponsum Christum et sponsam ejus particularem, videlicet unamquamque fidelem devotamque animam: de quo nunc specialiter est dicendum. Sunt ergo hæ nuptiæ seu spirituale istud connubium, gratiosa conjunctio qua anima christiana per fidem et caritatem cœlesti conjungitur Sponso, atque ab ipso suaviter amplexatur, spiritualiter fecundatur, sponsaliter adamatur. Sic omnis anima in caritate et statu salutis exsistens, sponsa est Salvatoris, Augustino dicente: Omnis anima christiana, imo simpliciter omnis anima rationalis, aut sponsa est Christi, aut certe adultera diaboli: quia si in caritate consistit, Christi sponsa est; si in mortali culpa, diaboli est adultera, quia cum eo pravæ voluntatis miscetur consensu, atque diabolicis suggestionibus constupratur, ac impia parit opera tanquam degeneres proles. Itaque huic spirituali connubio Christi ac animæ virtuosæ directe contrariatur omne mortale peccatum, quod est spirituale adul-

terium, et in Scripturis fornicatio appella-
Osee IV, 12. tur, juxta illud Osee : Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Est quippe hæc fornicatio aversio
Ps. LXXII, 27. mentis a Deo, cui ait Psalmista : Quia ecce qui elongant se a te peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Denique fornicationem hanc committit anima per singula quæque sui corporis membra, atque per diversas suas potentias. Unde in Ezechiele loquitur Deus :
Ezech. VI, 9. Contrivi cor eorum fornicans. Atque per
Num. XV, 38, 39. Moysen præcepit Dominus filiis Israel ut facerent sibi fimbrias quatuor per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Domini, nec sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes. Intellectus ergo animæ fornicatur per vanas cogitationes, per errores, ignorantias atque perfidias, per studia superstitiosa et curiosa; voluntas autem, per desideria prava, per invidias, injustitias, atque quascumque malitias ; memoria, per recordationes illicitas ac varias distractiones; appetitus sensitivus, per passionum immoderantias, per concupiscentias pravas, inordinatos timores, mœrores, cupiditates, delectationes : sensus quidem interior, per vanas et frivolas imaginationes; visus exterior, per lascivos et irrefrenatos adspectus; auditus, per verborum scurrilium et detractionum atque illicitorum sermonum advertentiam complacentem; tactus, per palpationes incautas, molles et provocativas; gustus, per delectationes saporum inordinatas ; sicque de aliis. Itaque animam Sponso cœlesti fidelem atque unitam manere volentem, oportet omnes has spirituales fornicationes et adulterationes abjicere.

Insuper, sicut ad carnale adulterium disponunt colloquia vana, incauti adspectus, attactus, munuscula; ita ad spirituale adulterium jam præfatum (quod fit per omne mortale peccatum) disponunt cogitationes, distractiones, affectiones inutiles, joca, risus, ludi, verbositates, et singula

A venialia quæque peccata. Et sicut qui illa carnalis adulterii non vitat præambula, cito in adulterium illud dilabitur; ita qui venialia ista non fugit, faciliter in spirituale adulterium ruere verissime perhibetur. Præterea, sicut fidelissima conjux ac pudicissima et prudentissima sponsa viro et sponso suo ita fidelis est, quod non solum nefarias abhorret commixtiones, sed et prætactas dispositiones ad eas : sic anima virtuosa quæ Sponso cœlesti fidelissime ac pudicissime est cohærens, non so-
B lum mortalia, sed et venialia quæque, et quæ ab aliis minima reputantur, tota diligentia vitat; nec talia reputat parva, quamvis comparative sint parva, sed quo ardentius supernum diligit Sponsum, quo ad ejus castissimos magis suspirat amplexus, quo ejus dulcissimis admixtionibus amplius appetit recreari, eo venialia magis abhorret, gravius ponderat, dolorosius deflet, diligentius vitat, acrius in se punit.

Et revera non debemus quodcumque peccatum reputare leve et parvum, quum
C in Regula sua dicat beatissimus Hieronymus : Pro minimo delicto non habent unde restituant homines simul universi, nisi ipse velit remittere, cui est restitutio facienda. Abbas quoque Nesteros, Cassiano recitante, disseruit : Omnis cogitatio non solum turpis, sed etiam otiosa et a Deo quantulumcumque discedens, a viro perfecto immundissima fornicatio reputatur. Hinc etiam Eusebius Emisenus fatetur : Nescio quod peccatum debeant leve putare, qui de omni verbo otioso daturi sunt
D rationem.

Non itaque venialia parva et levia judicemus, ne simus ad ea vitanda remissi, et maxime quia ut sanctus ait Hieronymus, nimium zelotypus est Sponsus cœlestis. Nullatenus patitur sponsas proferri in publicum, ne inordinate concupiscantur ; semper vult solus ludere, semper solus cum solis morari. Sic quasi superbus est, ut si alius quæratur aut admittatur amator, statim discedat, protinus omne conjugium dissolvat.

Postremo, quum spirituale istud connubium ad animas potissimum spectet religiosorum, qui idcirco omnia deseruerunt terrena ut Sponso cœlesti integrius, stabilius, liberius, perfectius atque ardentius queant conjungi, vacare, misceri ; satagamus omni hora mentes nostras huic altissimo applicare, imprimere atque immergere Sponso. Studeamus ejus pulchritudinem, dulcedinem, amabilitatem, excellentiam contemplari, et ex harum contemplatione A ejus amore vehementer accendi et in ipso constabiliri. Rogemus eum ut animas nostras gratiosissime visitet, lumine suo fecundet, sua caritate semper inflammet, easque consoletur et in se roborare dignetur, atque ab ejus intuitu et actuali amore cessantes et humana fragilitate deficientes, exsuscitare, reducere, confortare ac jugiter conservare non desinat, quatenus tandem de nuptiis spiritualibus gratiæ ad æternales perducamur nuptias gloriæ.

SERMO SEPTIMUS

DE MYSTICA SIGNIFICATIONE SEX HYDRIARUM, ET AQUÆ ET VINI.

DIXIT *Mater Jesu ad eum : Vinum non habent.* Joann. II, 3.

Sponsus cœlestis Dominus Jesus animam sibi fide et caritate desponsatam non semper uniformiter neque æqualiter visitat. Imo sæpe gratiosissime prævenit eam, consolationibus etiam non rogantem adimplet, et sua eam dilectione accendit, atque tam alacrem reddit, ut viam mandatorum, semitam consiliorum, et quidquid requirit religio, currendo et quasi volando hilariter exsequatur. Tuncque omnia in anima sunt serena, festiva, jucunda ; et tunc in nuptiis illis spiritualibus vinum abundat et copiose præbetur, ut regiam condecet maje-
Esther I, 7. statem, et ut olim in convivio Assueri, imo incomparabiliter modo præclariori. Tunc
Cant. II, 4. anima gratias agens fatetur : Introduxit me rex in cellam vinariam.

Interdum Sponsus hic admirabilis vultum suum quasi abscondit ab anima amorosa ; et tanquam ipsius fidelitatem experiri volens, prætactam consolationem, fervorem, alacritatem et omnem sensibilem subtrahit ei devotionem, atque in quadam ariditate, insipiditate ac duritia eam relinquit, ita ut semita vitæ, observantia regularis, diuturnitas obsequii Dei, pro- B priæ voluntatis in omnibus fractio, sibi videantur laboriosæ, difficiles et non dulces. Tunc anima desolata sæpius veretur se Sponsum offendisse ; atque ad benignissimam ejus confugiens Genitricem, ipsius misericordiam deprecatur, ut Filium suum roget pro se, et pristinam ei gratiæ redundantiam impetrare dignetur. Tunc pietatis Regina, fidelissima advocata, loquitur Filio suo : Vinum non habent. Respondetque Filius animæ tali : Imple hydrias aqua.

Istæ sex hydriæ sunt sex potentiæ ani- C mæ, quas oportet bene implere. Quarum tres sunt in superiori animæ parte, in quibus et summæ Trinitatis imago attenditur, utpote intellectus, voluntas et memoria. Tres autem sunt in parte animæ inferiori, videlicet appetitus sensitivus, vis cogitativa visque memorativa : quanquam appetitus sensitivus sit duplex, puta concupiscibilis et irascibilis. Memoria quoque superior et intellectus non realiter ab invicem distinguuntur.

Aqua vero qua implendæ sunt hydriæ D istæ, est duplex. Una est quasi aqua grossa et simplex ; alia est quasi aqua viva ac fluens. Aqua grossa et simplex, est operatio rationis naturalis et acquisitarum et natu-

ralium virtutum : quibus si homo bene A utatur, per eas ad virtutes infusas, formatas et supernaturales suscipiendas disponitur. Quum ergo dona naturæ donis subserviant gratiæ in bene eis utente, et ad ea disponant, præcipit Christus ut si velimus cœlesti refici vino, naturalibus donis atque habitibus acquisitis rite utamur, usum et actus eorum ad dona gratiæ et ad Dei honorem referendo, sicque per ea nos ad gratiarum charismata præparando, quod scilicet in nobis est faciendo : et hoc, quantum ad eos qui in caritate et gratia non exsistunt; B quantum vero ad eos qui exsistunt in gratia, ut per dona naturalia crescant in ea.

Porro aqua viva et fluens, est operatio gratiæ ac infusarum virtutum absque consolatione et delectatione interna et absque sensibili devotione exhibita. Talis equidem actio recte viva fluensque aqua vocatur, quum sit meritoria vitæ æternæ et Deo accepta, imo interdum multo acceptior quam operatio sensibili devotione ac consolatione interiori fulcita. Dum ergo conquerimur unum præfatum, puta fervorem, consolati- C onem ac perceptibilem illam devotionem, nobis deesse, jubet Salvator ut nihilo minus actibus insistamus virtutum, faciendo quod a nobis requiritur, cum intellectuali et vera devotione : quæ est promptitudo voluntatis ad ea quæ Dei sunt exsequenda, sive hoc sit cum sensibili devotione et jucunditate ac tranquillitate suavi, sive cum quadam animi ariditate atque duritia. Et tunc est vera devotio, dum homo cordialiter odit et fugit peccata, præsertim mortalia, in quantum sunt Dei inho- D norativa ac offensiva, et Deo placere unirique appetit, et facit bona quæ potest. Imo istud est certius signum caritatis et gratiæ, quam devotio illa sensibilis et perceptibilis fervor, delectatioque interior in actibus bonis ex genere seu qui boni putantur : nam omnia ista possunt esse in homine culpæ mortali obnoxio, quum et Judæi et Sarraceni atque hæretici in suis orationibus ac sacrificiis fortiter accendantur, plorent et delectentur.

Deficiente itaque vino consolationis cœlestis ac fervidæ alacritatis, maneat anima nostra Sponso superno fidelis, renuens viliter consolari sive ad exteriora vane effundi; solitisque exercitiis devotionis incessabiliter sit insistens, atque cœlestis Sponsi reditum longanimiter atque constanter exspectans, et cum sancto Job di-
cens, Etiam si occiderit me, in ipso spe- *Job* XIII, 15.
rabo; et cum Propheta, Exspectabo Deum *Mich.* VII, 7;
salvatorem meum, et præstolabor eum. Et *Is.* VIII, 17.
tunc cito experietur visitationem dilecti, reditum Sponsi, consolationem Spiritus Sancti, quemadmodum in Psalmo subtiliter tangitur, ubi quum sanctus vir cecinit
Deo, Avertisti faciem tuam a me, et factus *Ps.* XXIX, 8.
sum conturbatus, subjungit remedium :
Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum me- *Ibid.* 9.
um deprecabor. Cujus petitionis fructum
paulo post innuit, subdens : Audivit Do- *Ibid.* 11-13.
minus et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus; convertisti planctum meum in gaudium mihi, ut cantet tibi gloria mea. Ecce quomodo aqua mœroris ac fletus conversa est in gaudium veri fervoris atque supernæ consolationis, merito devotæ ac stabilis orationis et longanimis fiducialisque exspectationis. Unde rursus ait Psalmographus : Exspe-
ctans exspectavi Dominum, et intendit *Ps.* XXXIX, 2.
mihi.

Denique vino præfato in anima deficiente, implendus est appetitus sensitivus aqua, id est passionum refrenatione ac ordinata affectione circa sua objecta. Vis etiam cogitativa a suis est evagationibus refrenanda, ut de pœnis inferni, de horrore finalis judicii, de mortis acerbitate ac consimilibus cogitet; taliumque speciebus vis memorativa est adimplenda.

Postremo, ut in omni eventu valeamus in Deo stabiles permanere, et nec vane extolli nec animo dejici, sed cum quadam sancta indifferentia Domino adhærere, nitamur implere quod in Ecclesiastico scri-
ptum est : In die bonorum ne immemor sis *Eccli.* XI, 27.
malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum. Dum ergo spiritualium af-

fluentia jucundamur et vino cœlesti exhilaramur, non tanta resolvamur securitate, quasi in illa dispositione simus semper mansuri; sed donum gratiæ Dei recognoscentes, datori piissimo humiliter regratiemur, ad futura quoque nos prælia præparemus, ne extollamur. Affluentia autem ista subtracta, non dejiciamur; sed pristinæ gratiæ memores, ad eam cum fiducia ac longanimitate fideliter respiremus. Sed et conscientias nostras quotidie discutiamus diligentissime, ne forte propter culpas et negligentias nostras subtractio illa gratiæ acciderit nobis.

Præfato autem vino indigni sunt religiosi qui carnales consolatiunculas suas in cibo, potu, risu, colloquio, somno immoderato, curiosisque rebus ac ornamentis quibuscumque exquirunt. Denique multo indigniores sunt gustu vini illius, qui detractionum veneno, indignatione, amaritudine, ira, aversione, malevolentia, inebriant corda sua. De quibus beatissimus Moyses est locutus : De vinea Sodomorum vinea eorum, et uva eorum uva fellis; fel draconum vinum eorum, et venenum aspi- *Deut.* XXXII, 32, 33.

A dum insanabile. Istis clamat Apostolus : Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, tollatur a vobis; estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Ephes.* IV, 31, 32. Unde rursus in Deuteronomio Moyses jubet, imo per Moysen Deus : Non sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. *Deut.* XXIX, 18. Ad Hebræos quoque hortatur Apostolus : Pacem sequimini cum omnibus, contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur *Hebr.* XII, 14, 15. B multi. Vere, sicut in Ecclesiastico scriptum est, non est sensus ubi abundat amaritudo, quum se ipsum affligat amarus. *Eccli.* XXI, 15. Caritativum ergo, pium et dulcem ad invicem habeamus affectum.

Præterea, quod hydriæ illæ acceperunt singulæ metretas duas aut ternas, sic rite potest intelligi quia præfatæ potentiæ impleri possunt actibus naturæ ac gratiæ in præsenti, actibus quoque et gloriæ in futuro. Ad quam nos dignetur Christus sponsus perducere, qui cum Patre et Spiritu C Sancto unus verus est Deus super omnia benedictus. Amen.

DOMINICA QUARTA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NOLITE ESSE PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS, ETC. Rom. XII, 16-21.

BEATUS Apostolus in præsenti epistola [A] verbis brevissima, sed sensu plenissima, totam vitam nostram saluberrime instruit : *Nolite,* inquiens, *esse prudentes apud vosmetipsos,* hoc est in oculis propriis, reputando vos sapientes, aut ceteris magis sensatos. Unde in Proverbiis Salomon protestatur [Prov. XXVI, 12.] : Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem stultus habebit; et Isaias [Is. V, 21.] : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.

Sed contra hæc objici potest. Nam ipse- [B] met Paulus vocat se sapientem, dicendo [I Cor. III, 10.] : Ut sapiens architectus fundamentum posui. Et ad Ephesios scribens [Ephes. III, 4.] : Potestis (inquit) intelligere prudentiam meam in mysterio Christi; itemque [Coloss. I, 28.], Docentes, scilicet nos Apostoli, omnem hominem in omni sapientia. Deinde idem Apostolus loquitur [I Cor. II, 12.] : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Ergo ad veram pertinet perfectionem virtutum, ut homo sciat quid sibi a Deo collatum [C] est. Et quomodo gratias aget datori altissimo, si non recognoscit quid ab illo accepit? Ergo viri virtuosi et illuminati, in quibus sunt dona sapientiæ atque scientiæ, et viri eruditi, præsertim qui Scripturas exponunt et populum instruunt, scire et reputare se debent sapientes sive prudentes. — Et respondendum, quod septem dona Spiritus Sancti sunt caritati infusæ et gratiæ gratum facienti inseparabiliter certitudinaliterque connexa. Ideo, sicut sine revelatione divina certo scire non possumus quod sumus in caritate et gratia, ita nec hoc, quod habemus sapientiam et scientiam prout sunt dona Spiritus Sancti, proprie loquendo de donis, videlicet prout sunt habitus supernaturales. Possumus tamen certo scire habere nos sapientiam, scientiam sive prudentiam, prout sunt habitus naturales seu acquisiti. Porro Apostoli ac Prophetæ, multique alii viri heroici, ex revelatione divina aut aliquo æquipollenti certo agnoverunt se caritatem, sapientiam prudentiamque infusam habere. Ideo non est omnifarie illicitum quod homo se recognoscat, advertat seu reputet sapientem sive prudentem, quum Salomon dicat [Eccle. II, 9.] : Sapientia perseveravit mecum. Et auctor libri Sapientiæ [Sap. VII, 7.] : Invocavi (inquit) et venit in me spiritus sapientiæ. Ecclesiasticus quoque fatetur [Eccli. LI, 20-22.] : A juventute mea investigavi sapientiam, inclinavi modice aurem meam, et multum profeci in ea. Sic et Isaias testatur [Is. L, 4.] : Dominus dedit mihi linguam eruditam.

Quum ergo ait Apostolus, Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, hoc docere

intendit, ut non immoderanter neque inaniter immoremur considerationi hujusmodi qua reputamus nos sapientes sive prudentes, ne extollamur; nec alios contemnamus, neque putemus nos sapientiores esse quam sumus, nec nobis ipsis attribuamus dona Dei, sed Deo; nec vane in nobis lætemur, nec proprio sensui confidamus aut de prudentia nostra nimis præsumamus, et sic minus confugiamus ad Dei auxilium. Hinc enim in Proverbiis scriptum
Prov. III, 5. est : Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ; B
Ibid. 6, 7. et denuo : In omnibus viis tuis cogita Deum, et ipse diriget gressus tuos; et non sis sapiens apud temetipsum. Si quis autem reputet se sapientem sive prudentem vel eruditum cum humilitate et gratiarum actione, omne quod habet Deo grata ac humili mente attribuendo, imo et de sua scientia amplius formidando, eo quod juxta scientiam sibi collatam aut acquisitam non satis digne ac exemplariter conversetur, sicque vereatur sibi gravius imminere judicium occasione suæ scientiæ, juxta il- C
Is. XLVII, 10. lud Isaiæ, Sapientia tua et scientia tua decepit te; laudabile est taliter se sapientem, doctum aut prudentem reputare aut probabiliter æstimare.

Præterea, juxta doctrinam Sanctorum, homo magis debet attendere mala quæ habet, et bona quæ nondum sortitus est, quam bona quæ habet. Rursus, quædam sunt bona in genere et in se, quibus tamen non expedit passim uti sive insistere propter annexum periculum : sicut jurare, quod secundum se actus est latriæ; nec D tamen sine grandi necessitate vel utilitate jurandum est, ne ex assiduitate jurandi incurratur perjurium, aut sine debita reverentia juretur. Itaque, quamvis considerare dona et eminentiam quamdam sui ipsius, non sit malum in se, imo bonum esse valeat secundum modum prætactum; ne tamen ex tali consideratione quis intumescat et sibi vane complaceat, aut cetera mala quæ tacta sunt incidat, non expedit tali reputationi multum insistere, ne con-

A tingat illud quod per Ezechielem de principe Tyri sive diabolo dicitur : Elevatum *Ezech.*
est cor tuum in decore tuo, et perdidisti XXVIII, 17.
sapientiam tuam in decore tuo.

Verumtamen præinductum verbum Apostoli quidam exponunt de falsa prudentia, quæ similitudinarie prudentia nuncupatur, ut sit sensus : « Nolite esse prudentes », hoc est astuti et callidi, « apud vosmetipsos », id est in cogitationibus pravis. Alii exponunt sic : « Nolite esse prudentes apud vosmetipsos », hoc est, non solum circa vos ipsos exerceatis prudentiam vestram, sed et aliis eam communicate, et eam circa proximos exercete. Sed prima expositio mihi aptior videtur.

Nulli etiam sitis *malum pro malo reddentes.* Hoc est quod in Proverbiis legitur : Ne dicas, Reddam malum pro malo; *Prov.* XX,
exspecta Dominum, et liberabit te. Et Psal- 22.
mista : Si reddidi retribuentibus mihi mala, *Ps.* VII, 5.
decidam merito ab inimicis meis inanis. In
Levitico quoque scribitur : Non quæras *Lev.* XIX, 18.
ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Nec istud videtur sufficere, quum
dicat Salvator : Benefacite his qui oderunt *Matth.* V,
vos. Et beatissimus Petrus in prima sua 44.
Canonica : Non reddentes (inquit) malum I *Petr.* III, 9.
pro malo, sed econtrario benedicentes; in hoc enim vocati estis.

Sed si hæc ita se habent, ergo judex peccat qui reos occidit; item, si non est reddendum malum pro malo, impii sine formidine et mensura spoliarent, opprimerent tribularentque justos, et bona Ecclesiæ diriperentur, ac derogaretur justitiæ. Et respondendum, quod verbum istud Apostoli secundum unum sensum est consilium potius quam præceptum. Consilium quippe est, non solum culpam sed et pœnam seu satisfactionem quæ secundum juris processum exigi potest, dimittere propter Deum, quantum in se est, et in quantum injuria in propriam injuriati redundat personam; sed quando ex tali remissione respublica turbaretur, ac rigor seu observatio justitiæ deperiret, et mali sumerent peccandi audaciam, laudabilius

est secundum juris processum, et communi, non propria, auctoritate, inferre vindictam ad Dei honorem, et propter justitiæ conservationem ac propter repressionem malitiæ, ex caritate quoque fraterna, ut impii in præsenti sæculo puniantur, ne æternaliter condemnentur. Et istud S. Gregorius super Job diffuse pertractat, et S. Thomas in secunda secundæ allegat. *Eccli.* XXVIII, 1. Unde quod in Ecclesiastico asseritur, Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, intelligendum est quod non ultionis livore liceat pœnam pro culpa inferre.

Providentes, id est, provide agentes seu disponentes, *bona, non tantum coram Deo,* id est in secreto cordis, cujus Deus inspector est, *sed etiam coram omnibus hominibus,* ut ædificentur in vobis. Unde alibi I *Thess.* IV, 12. dicit Apostolus : Honeste ambuletis ad eos II *Cor.* VI, 3. qui foris sunt; et rursus : Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Hinc loquitur Chri- *Matth.* V, 16. stus : Luceat lux vestra coram homini- *Ibid.* XVIII, 10. bus; et, Videte ne scandalizetis unum ex iis pusillis. Deo enim debemus obsequium, proximis bonum exemplum. Quædam tamen sunt opera supererogationis et specialis devotionis, ad quæ quis non tenetur : et illa sunt potius occultanda quam publice peragenda.

Si fieri potest quod dicam, *quod ex vobis est,* id est, vestram possibilitatem et diligentiam ad hoc facite, ut sitis *cum omnibus hominibus pacem habentes,* id est veram et spiritualem pacem seu ordinatam concordiam. Denique in nostra potestate est, pacem pectoris, id est mentis tranquillitatem, habere cum omnibus, *Ps.* CXIX, 7. juxta illud, Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus; non autem pacem temporis seu exteriorem quietem. Est etiam quædam pax simulata, quædam pax carnalis, et quædam pax inquinata. Unde ait Salva- *Matth.* X, 34. tor : Non veni pacem mittere, sed gladi- *Luc.* XIX, 42. um; et ad Jerusalem : Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; atque in Psal- *Ps.* LXXII, 3. mo : Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Hujusmodi pacem habent

A qui in vitiis sunt concordes; sed pax talis vitanda est : cum vitiis enim habendum est bellum, nec pravitati est consentiendum.

Non vosmetipsos defendentes, carissimi, repercutiendo aut violentiam rependendo, quum dicat Salvator : Si quis te percusse- *Matth.* V, 39; *Luc.* VI, 29. rit in unam maxillam, præbe ei et alteram; *sed date locum iræ,* id est, iracundiæ adversarii cedite, et eum quod vult facere sinite, non vindicando vos ipsos : quod intelligendum est sicut et illud quod paulo B ante præmisit, Nulli malum pro malo reddentes. Sed objici potest, quia ut dicitur, licet vim vi repellere, et interdum clavum clavo retundere. Et respondendum, quod licet secundum leges civiles liceat vim vi repellere, adhibita inculpata tutela, melius tamen est sine hujusmodi repulsione propter Deum æquanimiter sustinere, nisi in casibus prætactis circa illud, Nulli malum pro malo reddentes. Imo, secundum Augustinum, pro defensione propriæ vitæ non licet occidere alium propria auctori- C tate : magis enim diligendus est omnis proximus, etiam inimicus, quam proprium corpus corporalisve vita; et eas res quæ auferri possunt nobis, quamvis invitis, oportet pro Deo, pro caritate, pro futuræ vitæ amore contemnere.

Scriptum est enim in Deuteronomio : *Mihi vindictam* committite, *et ego retri- Deut.* XXXII, 35. *buam, dicit Dominus,* qui facio judicium *Ps.* XCIV, 1. injuriam patientibus. Nostra translatio habet : Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore. Vel in Ezechiele istud habe- D tur : siquidem ubi Hieronymus transtulit, Appropinquaverunt visitationes urbis, Sep- *Ezech.* IX, 1. tuaginta transtulerunt : Mihi vindictam, etc. Verumtamen non debemus appetere ut Deus vindicet nostras injurias, ex livore, vel in quantum sunt contra nos, sed ex caritate, in quantum sunt Dei offensivæ, Deus in præsenti corripiat, ne æternaliter puniat : quoniam nullum malum relinquitur impunitum, juxta illud Job, Deus inultum abire non patitur. *Job* XXIV, 12.

Sed si esurierit inimicus tuus qui odit

te, *ciba illum* corporaliter; *si sitit, potum* A *da illi,* præsertim in extrema necessitate, etiam si non petit; et pari ratione, cetera opera misericordiæ inimico sunt impendenda, dum causa occurrit. *Hoc enim faciens, carbones ignis,* id est fomenta atque materiam dilectionis, *congeres,* id est, pones et colliges, *super caput ipsius,* id est in mente ejus, quia per hoc das ei causam deponendi rancorem et assumendi amorem ad te. Hoc idem in Proverbiis habetur; et consonat illud Proverbiorum : Munus absconditum exstinguit iras, et donum B in sinu, indignationem maximam. Ex quibus ostenditur error Judæorum, dicentium quod secundum Mosaicæ legis intentionem, inimici sint odiendi, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad naturam. Sic enim non esset eis benefaciendum, sed malum optandum. Contra quod scriptum est in Proverbiis : Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Et sanctus Job loquitur : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui oderat me, et exsultavi eo quod invenisset eum malum. Unde in Ecclesiastico docetur : Desine inimicari, et ne irascaris proximo, et abstine te a lite. Denique Samuel deplanxit Saulem hostem suum letalem, usque ad diem mortis suæ; et David rex eidem Sauli sibi inimicissimo multa bona impendit, eruendo eum crebro a morte, ut primo Regum describitur.

Prov. xxv, 21, 22. *Ibid.* xxi, 14. *Ibid.* xxiv, 17. *Job* xxxi, 29. *Eccli.* xxviii, 6, 8, 10. I *Reg.* xv, 35.

Noli vinci per impatientiam seu rancorem, aut aliam culpam, *a malo* homine, vel a malo quod infert tibi : vincitur enim qui ad peccatum inducitur. Unde sancti martyres non sunt a persecutoribus victi, mortem patiendo : imo vicerunt, in veritate et justitia persistendo. Qui autem pœnis cesserunt, victi sunt, mortem fugiendo et a virtutibus corruendo. *Sed vince in bono,* id est tua bonitate, patientia et virtute, *malum,* ut quo alter plus malignatur, eo benigniorem te præbeas ei, ut sic eum convertas, vel non subvertaris ab eo.

SERMO PRIMUS

QUOD NEMO PROPTER GRATIAS GRATIS DATAS SE EXTOLLERE AUT ALIIS PRÆFERRE SE DEBEAT.

VÆ *qui sapientes estis in oculis vestris.* C Is. v, 21.

His quæ ad excellentiam quamdam pertinent, homo prudenter uti debet, ne fiant sibi elationis occasio. Talia autem sunt ingenii subtilitas, scientia, pulchritudo, eloquentia, atque similia. Unde ait Apostolus : Scientia inflat. Qui ergo præ ceteris ingeniosus ac eruditus est, potius comparare se debet ad altiores, ut respectu illorum se ipsum humiliet, quam ad inferiores, ne eorum comparatione se erigat.

I *Cor.* viii, 1.

Consideremus ergo quam parva, imo D quasi quam nulla est ingeniositas et scientia nostra, non solum per comparationem ad Deum, cujus respectu omnis nostra sapientia et scientia non solum pro nihilo est, imo et velut quædam insipientia computatur, Jeremia testante, Stultus factus est omnis homo a scientia sua; sed etiam respectu angelorum et omnium Beatorum. Non enim aliquis in hoc mundo, quantumcumque ingeniosus et doctus, tantum excedit in ingenio et scientia quempiam rusticanum et idiotam, quantum infimus Beatorum ipsum in omni sapientia atque acumine mentis excedit. Hæc ergo una est ratio cur debeamus nos potius reputare insipientes et obtusos, quam sapientes ac ingeniosos. Unde dicitur apud

Jer. x, 14.

Job xxxvii, 19. Job : Nos quippe involvimur tenebris. Secunda ratio est, quoniam ea quæ scimus, minima sunt comparatione eorum quæ ignoramus, et ea ipsa quæ scimus, valde imperfecte scimus. Hinc in Ecclesiaste habetur : *Eccle.* i, 8. Cunctæ res difficiles ; non potest eas homo explicare sermone. Nemo ergo de sua præsumat scientia, quum et Apostolus dicat : *I Cor.* viii, 2. Qui se putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire ; hoc est, qui de scientia sua præsumit, et eam plus quam oportet magnificat, nondum scit quam humiliter scire et de se sentire oportet. Tertia ratio est, quoniam tam frequenter insipienter et irrationabiliter, vane et leviter nos habemus in cogitando, imaginando, appetendo, loquendo, ridendo, operando, omittendo, et aliis multis, et tam proni sumus ad deceptiones et errores, nisi divinitus adjuvemur, quod utique magis reputare nos debemus insipientes et fatuos, quam prudentes.

Sed quidam eruditi ista non attendentes, quanto ceteris se viderint doctiores, tanto sunt ad elationem, præsumptionem et indignationem procliviores. In quibus verificatur illud Ecclesiastæ : *Eccle.* i, 18. In multa sapientia multa est indignatio. Tales etenim quum sint sapientes et magni in oculis suis, volunt ut multum teneatur et curetur de eis, ut et ipsis deferatur : idcirco dum contra eorum voluntatem quid agitur, indignantur. Porro qui vere illuminatus et spiritualiter sapiens est, et cujus sapientia caritate ac humilitate ornatur, quanto præ ceteris sapientior, tanto patientior atque constantior mente est, suisque passionibus dominatur. Non ergo simus sapientes in oculis nostris, nec præsumamus de nobis, sed in omnibus directionem Spiritus Sancti affectuosissime atque humillime imploremus, dicentes : *Ps.* cxviii, 133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

Rom. xii, 17. Præterea, juxta doctrinam Apostoli, nulli malum pro malo reddamus, neque dicamus, Sicut fecit mihi, sic faciam ei ; sed A attendamus quod qui malum pro malo reddit, id est injuriam pro injuria, convitium pro convitio, irrisionem pro irrisione, et ita de ceteris, se ipsum gravius lædit : siquidem uniuscujusque malum in proprium redundat auctorem, juxta illud Psalmi, *Ps.* vii, 16. Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Unde in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* xxvii, 30, 31. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniat illusio. Non ergo ita obtenebremur atque B vincamur vitiis et passionibus nostris, ut dum aliis indignamur, insidiamur, irascimur sive obloquimur, illis et non potius nobismetipsis nocere putemus : imo omnino nobis ipsis ineffabiliter damnabiliterque nocemus. Contra hanc Apostoli instructionem faciunt qui tam leviter offenduntur, qui pro uno verbo aut signo contra proximum amaricantur, et aversionem, amaritudinem ac displicentiam portant in animo contra illum : quorum corda coram Deo perversa ac fœda sunt. Deus C enim in Deuteronomio jussit : *Deut.* xxix, 18. Non sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. In Ecclesiastico quoque scriptum est : *Eccli.* xxi, 15. Non est sensus ubi abundat amaritudo. Amorosum ergo, dulcem et pium geramus ad omnes affectum.

Insuper, juxta doctrinam Apostoli, provideamus bona non solum coram Deo, sed *Rom.* xii, 17. etiam coram hominibus universis, ne simus alicui causa ruinæ ac perditionis, et ne simus causa inhonorationis offensionisque Dei. Imo pro posse omnes ad meliora D trahamus, et Dei honorationem in aliis augeamus. Quemadmodum enim ille in Dei amore perfectior dicitur, qui plures ad ejus amorem trahit ; sic ille Deum plus veneratur, qui ad ejus honorationem plures trahere sincere conatur. Verbis ergo et factis ac moribus simus proximis exemplares, non leves ac dissoluti. Porro hypocritæ provident bona coram hominibus, non coram Deo. Imperfecti autem provident bona coram Deo utcumque, sed non satis coram hominibus. Perfecti vero co-

ram Deo et hominibus provident bona, A quemadmodum de se ait Apostolus : II *Cor.* VIII, 21. Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Contra doctrinam hanc agunt qui dicunt : Non curamus quidquid homines dicunt, dummodo Deo complaceamus. Tales namque dum famam negligunt, sunt crudeles, quoniam proximorum animas vulnerant, nec pro posse hoc vitant.

Postremo, quantum nobis possibile est, *Rom.* XII, 18. cum omnibus pacem habeamus atque pacifice conversemur, ut angeli pacis delectentur esse nobiscum. Et ut pacem mereamur habere cum omnibus, Deo in cunctis placere nitamur, eumque jugiter pro pace hac deprecemur. Unde in Proverbiis ait *Prov.* XVI, 7. Scriptura : Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Itaque satagat unusquisque fidelis sua bonitate alterius superare malitiam, sua caritate aliorum invidiam, sua humilitate proximorum superbiam, sua mansuetudine ac patientia aliorum iram *Rom.* XII, 21. et impatientiam. Et hoc est vincere in bono malum : quod ad prælatos et perfectos maxime pertinet. Denique talis fuit sanctus rex David. Qui quum a Saule superbissimo rege innumerabiles atque gravissimas sustineret persecutiones, ita quod Saul sæpe nitebatur eum lancea perforare ac hostium manibus tradere, et deinde ipse David cum parentibus suis, fratribus ac tota progenie de terra sua expulsus est, et sex annis profugus mansit ; tamen in tot persecutionibus quas sine culpa sua sustinuit, nunquam contra regem illum B persecutorem suum concepit invidiam, sed patientissimus fuit, et eidem bona pro malis exhibuit : quia Deo sic disponente, interdum rex ille incidit in manus David, ita quod unus militum ejus voluit regem illum occidere ; sed hoc David omnino prohibuit. Quumque tandem rex ille occubuisset in prælio, in quo hostes fugiens I *Reg.* XXVI, 9. proprio se peremit gladio, sanctus David illum ubertim deflevit. Tanti ergo regis, II *Reg.* I, 11, 12. videlicet David, sequamur virtutes, et juxta præinductam apostolicam conversemur C doctrinam.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM AUTEM DESCENDISSET JESUS DE MONTE, ETC. Matth. VIII, 1-13.

SALVATOR noster in evangelio præsenti describitur duos curasse infirmos, qui ambo morbum habuerunt naturaliter in- D curabilem, quia unus eorum fuit leprosus, alter fuerat naturaliter protinus moriturus : quorum unus fuit Judæus, alter gentilis ; ad insinuandum quod ad utriusque populi, utpote Judæorum atque gentilium, salvationem Christus advenit. Ait ergo evangelista Matthæus :

Quum autem descendisset Jesus *de monte.* Mons iste fuit in Galilæa, in quo Christus fecit sermonem ad turbas, juxta illud *Matth.* V, 1. Matthæi : Videns Jesus turbas, ascendit in montem. Nec fuit mons Oliveti, ut aliqui putaverunt : quia mons Oliveti est prope Jerusalem ; sed mons iste non multum distabat a Capharnaum, quæ fuit principalis civitas Galilææ, ut ex sequentibus innotescit. *Secutæ sunt eum turbæ multæ,* quæ prædicationem ejus audierunt in monte. Et sermone illo completo, non recesserunt a Christo, sed secutæ sunt eum ex causis diversis : primo, ut plenius instruerentur ab eo ; secundo, quia in ejus eloquentia, pulchritudine et venustissimis moribus delectabantur, et præsentia Christi fuit consolatoria valde ; tertio, ut vi-

derent ejus miracula, et quidam curarentur ab ipso.

Marc. I, 40; Luc. V, 12. *Et ecce leprosus veniens, adoravit eum, dicens.* Secundum Origenem et Chrysostomum, leprosus iste credidit Jesum esse Christum in lege promissum ac verum Deum, secundum quod Christus insinuavit Matth. VII, 22. in sermone facto in monte, dicendo : Multi dicent mihi in die illa, id est in die judicii : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas, id est miracula, fecimus ? Talia autem fieri nequeunt nisi in nomine Dei. Si ergo leprosus hoc advertit et credidit, tunc dicendum, quod adoratione latriæ adoraverit Christum. Si autem putavit Christum non esse nisi prophetam et hominem purum, quamvis sanctum, tunc adoravit eum ad- Josue V, 15. oratione duliæ : quemadmodum Josue adoravit angelum adoratione duliæ, et Salo- III Reg. II, 19. mon suam matrem, illaque David regem, ut Ibid. I, 16, 31. legitur tertio Regum.

Denique, post Christi prædicationem congruenter se obtulit occasio faciendi miraculum, ut supernaturalis doctrina Christi per supernaturalia opera probaretur esse a Deo, qui ad confirmationem doctrinæ Christi talia sibi soli possibilia operabatur. Deus enim esse non potest confirmator aut testis falsitatis. Hinc in Evangelio secundum Joannem loquitur Christus : Joann. V, 36. Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium Ibid. XV, 22, 24. perhibent de me ; itemque, Si non venissem, et opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent, videlicet infideles Judæi. Quemadmodum ergo naturalis doctrina philosophorum probatur per humanæ rationis argumenta, sic supernaturalis doctrina Christi per supernaturalia divinæ potestatis miracula. Unde Hebr. II, 3, 4. ad Hebræos ait Apostolus : Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus ?

Domine, si vis, potes me mundare, tanquam dicat : Hoc maxime cupio ut me a A lepra ista curare digneris, et de potestate tua non dubito, sed pietatem tuam imploro. Credidit enim iste leprosus Jesum esse verum omnipotentemque Deum, aut certe virum sanctum Deo tam carum quod impetrare a Deo facillime posset quidquid rogaret. *Et extendens Jesus manum,* non dubium quin dexteram, *tetigit eum, dicens : Volo, mundare,* id est, hoc volo ac jubeo ut a lepra munderis : ut legantur hæc verba divisim. In lege Moysis tangere le- Lev. XIII, 46. prosum fuit prohibitum ; sed Christus legi B non fuit subjectus, imo dominus legis fuit et ea superior. Intentio quoque legis fuit idcirco prohibere tactum leprosi, ne tangens inquinaretur ab illo. Christus ergo qui suo tactu potuit lepram curare, nec poterat inquinari ab ea, communi illi præcepto non fuit subjectus. Denique sine manus extensione et tactu potuit Christus leprosum curare solo imperio ; sed quoniam humanitatem assumpsit, per eam quasi per medium quoddam ac organum operatus est quæ divina sunt et quæ ad C nostram spectant salutem. Quemadmodum enim corpus nostrum est animæ nostræ instrumentum animatum, proprium, conjunctum et immediatum, sic Christi humanitas fuit suæ divinitatis instrumentum animatum, conjunctum ac proprium. Ideo agnoscamus totam nostram salvationem per Christi humanitatem quasi instrumentaliter esse completam, sed principaliter a Verbo æterno.

Et confestim mundata, hoc est ablata, *est lepra ejus :* nec solum exterior lepra, D sed interior quoque, id est iniquitas ejus, deleta est, quia quos Christus sanavit in corpore, mundavit in anima. In hoc demum miraculo non minus mirabilis et gloriosus est modus agendi (quod scilicet tam imperialiter libenter ac potenter operatus est signum hoc), quam actio illa miraculosa.

Et ait illi Jesus : Vide, id est, perpendo et imple quod tibi injungo, *nemini dixeris* quod te curaverim. Nonne in præsentia multorum Christus sanavit leprosum,

etiam ad suæ doctrinæ confirmationem, et ad utilitatem communem? Nam gratiæ gratis datæ, inter quas gratia miraculorum collocatur, ad utilitatem conferuntur communem. Cur ergo jussit curatum tacere? Imo, si voluit miraculum esse occultum, quare non magis curavit eum silenter, solo nutu, quam verbo et tactu? Et respondendum, quod jussit eum tacere, ut doceret nos ostentationem et vanam gloriam fugere, atque in actibus mirificis malle abscondi, quantum in nobis est, quam videri aut nosci, quamvis interdum propter aliorum profectum oporteat talia propalari. Secundo, ut ait Hieronymus, quia necesse non erat ut voce jactaret quod corpore præferebat. Tertio, secundum Chrysostomum, ne si fama curationis ejus ad sacerdotes pervolaret, renuerent ipsum, ex Christi invidia, judicare mundatum.

Sed vade, ostende te sacerdotibus, ut judicent te mundatum, sicque inter homines converseris : quia secundum legem *Lev.* XIII. Mosaicam ad sacerdotes pertinuit judicare quis esset leprosus, quis non; *et offer munus tuum,* id est debitam oblationem Deo pro gratiarum actione beneficii tibi collati, *quod præcepit Moyses in testimonium illis,* id est, ad hoc quod a sacerdotibus testimonium eis præstetur, quod sint vere a lepra purgati. Siquidem in Levitico legitur, quod Deus per Moysen jussit ut purgatus a lepra offerret tortam panis, duosque turtures, atque sextarium olei, juxta ritum qui ibi describitur. *Ibid.* XIV, 2-32.

Porro Christus, qui non venit legem solvere, nec cærimonialia reprobare ante suam passionem, misit purgatum a lepra ut legalem hostiam immolaret, quoniam cærimonialia legis usque ad Christi passionem durabant et obligabant Judæos. Atque, ut ait Hieronymus, ob varias causas misit Christus leprosum mundatum ad sacerdotes : primo, ex humilitate, ut sacerdotibus videretur deferre ; secundo, ne videretur legem infringere; tertio, ut sacerdotes aut credendo per tantum miraculum salvarentur, aut non credendo inexcusabiles fierent. Est quoque et mystica ratio, puta figura futuri. Misit namque eum ad sacerdotes, ad præfigurandum quod Christiani, quamvis per contritionem et gratiæ infusionem sint ab animæ lepra, hoc est a vitiis, expurgati, tenentur tamen congruo tempore, si adsit facultas, sacerdotibus Ecclesiæ se ipsos per confessionem sacramentalem ostendere, et eorum judicio satisfacere : quia nec Deus dimittit peccatum, nisi sub hac conditione, ut scilicet pœnitens proponat suo tempore confiteri secundum Christi præceptum. *Matth.* V, 17.

Præterea, istam particulam, « in testimonium illis », aliter exponit Chrysostomus, dicens : Non sic intelligas, quod Moyses præcepit munus offerri in testimonium illis; sed vade tu, et offer in testimonium illis, hoc est in accusationem et attestationem incredulitatis sacerdotum. Christus enim prævidit eos ex miraculo isto non credituros : nihilo minus pro illorum conversione fecit quod in se fuit.

Quum autem introisset Capharnaum, quæ tunc fuit metropolis Galilææ, *accessit ad eum centurio,* id est princeps centum militum, seu hominum armatorum, *rogans eum, et dicens.* Verumtamen centurio iste per se ipsum non ivit ad Christum, sed per eos quos misit ad ipsum. Scriptum est enim in Luca : Misit ad Jesum seniores Judæorum. At illi quum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes : Quia dignus est ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. Et paulo post ipsemet centurio ait : Me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te. Sed quoniam homo dicitur facere quod per alios facit, præcipue per amicos, quemadmodum dicimus regem obsidere aliquam civitatem, quia id eo jubente populus ejus facit; hinc Matthæus scribit centurionem accessisse ad Jesum. *Luc.* VII, 3-5. *Ibid.* 7.

Denique, postquam Salvator Judæos instruxit in monte, intravit Capharnaum, ad insinuandum quod post electorum Judæo-

rum mundationem et conversionem venit A per Apostolos ad gentiles. Capharnaum namque, quæ villa pinguedinis, seu ager consolationis interpretatur, Ecclesiam ex gentibus collectam designat: quæ spirituali pinguedine, hoc est virtutum perfectione et copiosa devotione, est repleta, secundum *Ps.* LXII, 6. illud, Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et inter pressuras sæculi contemplatione et spe cœlestium consolatur, *Ps.* XCIII, 19. juxta illud Psalmi, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam B meam.

Domine, puer, id est servus, *meus jacet in domo paralyticus,* id est paralysim sustinens, *et male torquetur,* hoc est, gravissime infirmatur : quia ut dicitur in Luca, *Luc.* VII, 2. moriturus fuit ex illo languore secundum naturalem processum.

Et ait illi Jesus, id est, per internuntios ei respondit. Non enim immediate dixit centurioni verba sequentia : *Ego veniam, et curabo eum.* Quomodo verum est hoc? Nam ut statim subjungitur, Christus non C venit ad centurionis domum. Respondetur dupliciter : primo, quia ut apud Lucam *Ibid.* 6. legitur, Christus cœpit ire ad domum centurionis, et appropinquavit ad eam, ideo ait, Veniam, scilicet usque ad locum domui tuæ propinquum; secundo, quod Christus conditionaliter hoc dixit, ut sit sensus, Veniam, id est, venire paratus sum, si optas : ut sit promissio benevolentiæ, non assertio facti.

Præterea tam promptum se obtulit Christus ad veniendum atque curandum, propter D centurionis fidem præcipuam, humilitatem profundam, sapientiam veram, caritatem ferventem. Fides enim centurionis apparuit in hoc, quod credidit Christum posse curare letaliter ægrotantem : quod fuit quasi tantum miraculum ut suscitare defunctum. Humilitas, quod se reputavit indignum in propria persona Christum accedere, alloqui, intueri, aut in domo *Ibid.* v, 8. sua suscipere : sicut et Petrus dixit, Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Caritas, quia pro servo tam instanter et affectuose rogavit : quem et puerum nominavit, propter dilectionem ad illum. Unde legitur, quod puer fuit ei pretiosus, id *Luc.* VII, 2. est carus, quia fidelis et agilis fuit. Sicque centurio implevit illud Ecclesiastici : Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima *Eccli.* VII, 23. tua; et alibi, Servus fidelis sit tibi quasi *Ibid.* XXXIII, 31. filius. Est quoque consuetudo Scripturæ, servos pueros appellare, juxta illud Regum : Venit Elias in Bersabee, et dimisit III *Reg.* XIX, 3. ibi puerum suum. Sapientia autem centurionis patet in hoc, quod Christi divinitatem cognovit, eumque solo verbo atque angelorum ministerio posse curare pensavit.

Insuper, propter reverentiam et instantiam seniorum Judæorum quos misit centurio, et quia Judæos tanquam veri Dei cultores dilexit, imo et ad gloriam Dei pro augendo ejus obsequio Judæis synagogam construxit, Christus tam prompte se obtulit. Item, ad dandum humilitatis exemplum. Nam ut legitur, Christus rogatus *Joann.* IV, 47-50. a regulo ut veniret et curaret filium ejus, venire non acquievit; sed venire ad servum centurionis paratissimus fuit, ut doceret nos non dedignari visitare abjectas pauperesque personas. In quo facto, secundum Gregorium, superbia nostra retunditur, qui in hominibus, non naturam qua ad Dei imaginem facti sunt, sed honores et divitias veneramur. Hinc ait Bernardus : Ad sanandum filium reguli Christus ire noluit, ne honorare divitias videretur; ad servum pergit, ne servilem conditionem spernere putaretur. Sed hujus oppositum faciunt multi, qui visitare et consolari ac relevare pauperes aspernantur : quibus in epistola sua Jacobus ait, Vos *Jacob.* II, 6. exhonorastis pauperes. Hi non sunt imitatores Dei, qui teste Apostolo, elegit stul- I *Cor.* I, 27, 28. ta, abjecta et contemptibilia mundi, ut confundat fortes ac sapientes.

Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Istam responsionem fecit centurio per intermedios nuntios. Quum enim quidam

narrassent ei verba hæc Christi, Ego veniam, remisit nuntios ex parte sui, dicen- *Luc.* vii, 6. tes, Domine, non sum dignus, ut in Luca patet. Itaque, « non sum dignus ut intres sub tectum meum », id est in domum meam tecto opertam : quum tu genere sis Judæus, ego gentilis; tu Salvator, ego pec- II *Cor.* vi, 14. cator; tu Deus, ego homo. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Et quid tritico *Jer.* xxiii, 28. cum paleis? Agnovit ergo centurio quam abominabile erat Judæis alienigenam seu gentilem accedere, aut cum illo manducare, bibere, ingredi, conversari. Aliqui autem imaginantur, quod ideo dixit centurio hæc verba, quia fortasse habuit idola in domo sua. Sed hoc non videtur proba- *Luc.* vii, 5. bile, quia (ut dictum est) ipse ædificavit synagogam Judæis : quo constat quod fuit unius veri Dei fervidus cultor, sicut Cornelius centurio; et sic fuit neophytus, id est ad Judaismum conversus. Quis enim nunc sponte construeret Christianis ecclesiam, nisi coleret Christum? *Sed tantum dic verbo,* id est præcipe, *et sanabitur puer meus :* quia solo verbo ac nutu hoc *Ibid.* i, 37. potes, quum sis Deus, apud quem non est impossibile omne verbum. Sed unde habuit centurio tantam de Christi potentia fidem? Respondetur, quod forsan ex fama qua audivit qualiter Christus curavit leprosum, et aquam convertit in vinum, et alia quædam mirabilia fecit. Ambrosius tamen et Beda fatentur, quod ex revelatione seu inspiratione divina hoc fuit. Fuit enim vir religiosus et bonus, habens virtutes infusas, quia in caritate et gratia fuit.

Insuper, quod non exigeretur corporalis præsentia Christi, probat per locum a majori. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* id est imperatori subjectus. Ex parte enim Romanorum positus fuit in Capharnaum, ut eam secundum legem regeret Romanorum. Fuit quoque centurio non solum inferior imperatore, sed etiam præside ac tribuno. *Habens sub me milites* centum mihi obedientes. *Et dico huic, Vade, et vadit,* hoc est, uni militi jubeo ire, et protinus transit; *et alio* (secundum

A antiquam grammaticam), *Veni, et venit,* id est, alteri præcipio militi ut veniat, et obedit; *et servo meo* dico, *Fac hoc, et facit.* Per hæc verba insinuavit centurio, quod multo plus Christus omnium Dominus solo imperio, et angelorum ministerio, posset etiam absens sanitatem conferre.

Audiens autem Jesus verba centurionis, *miratus est* tantam fidem, humilitatem et sapientiam viri gentilis. Quæritur, quomodo in Christo fuit miratio? Ad hoc aliqui dicunt, quod in Christo non fuit miratio B secundum veritatem, sed secundum apparentiam, quia per modum mirantis se habuit, secundum quod Deo adscribitur ira seu furor. Ut enim asserit Damascenus, admiratio ex subita imaginatione alicujus novi procedit, hoc est ex nova et repentina apprehensione alicujus insoliti prius incogniti aut non considerati. Christus autem ut homo, a primo suæ conceptionis momento clare vidit in Verbo æterno beatifica visione, omnia quæ unquam fuerunt, sunt aut erunt : ideo nil de novo appre- C hendit unde in admirationem deductus sit. Sed fuit in eo admiratio secundum exteriorem apparentiam : quæ non fuit deceptoria, sed ad nostram informationem ordinata, ut attendamus quantum Christo complaceat fides, et centurionis fidem Judæorumque infidelitatem miremur. Sic enim et Deus per modum mirantis se habuit, de Sodomitis loquendo : Descendam, *Gen.* xviii, 21. et videbo si juxta clamorem qui venit ad me faciant, an non est ita, ut sciam. Horum opinioni videtur consonare quod su- D per Genesim loquitur Augustinus contra Manichæos : Quis in centurione fecerat illam fidem, nisi ipse Christus qui admirabatur? Quod si et alius eam fecisset, ut quid miraretur qui præscius erat? Quod ergo miratur Dominus, nobis mirandum esse designat, quibus adhuc opus est sic moveri. Omnes enim tales motus in Christo, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium. — Alii dicunt, quod in Christo fuit vera admiratio, non quantum ad scientiam beatificæ visionis, nec

quantum ad scientiam habitualem infu- A sam seu inditam, qua cognovit res in proprio genere per species suæ animæ a suæ creationis exordio concreatas, sed quantum ad scientiam acquisitam seu experimentalem, quam ponunt in Christo, ut Cf. p. 159 D. supra in expositione evangelii dominicæ primæ dictum est plenius.

Et sequentibus se turbis *dixit : Amen dico vobis,* id est vere, *non inveni tantam fidem in Israel,* id est in populo Judæorum sicut in hoc centurione. Sed quomodo intelligendum est hoc ? Nonne major B fuit fides Virginis gloriosæ et Joseph, atque Joannis Baptistæ et parentum ipsius, Simeonis quoque et Annæ, quam centurionis istius ? Imo Patriarcharum et Prophetarum fides nonne major fuit quam fides hujus centurionis ? Ad hoc multipliciter respondetur. Primo, quod Christus per Israel intelligit Judæos distinctos ab his qui eum sequebantur, juxta modum loquendi quo aliquis intrans domum cum multis, in qua præter secum venientes neminem invenit, dicit, Nullum inveni in C domo illa. Secundo, per Israel intellexit Synagogam, prout distincta fuit a primitiva Ecclesia, ad quam pertinebant omnes ex Judaismo Christo fideliter adhærentes. Tertio, quod fides centurionis præfertur fidei Israel quantum ad facilitatem credendi. Quarto, quod Christus loquitur secundum illum modum loquendi quo quod modicum est pro nihilo reputatur. Quia ergo ex Judæis paucissimi erant in Christum perfecte credentes comparatione incredulorum, ideo Christus asseruit : Non D inveni tantam fidem in Israel. Juxta quem Ps. LXVIII, 21. sensum ait Psalmista, Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; quamvis utique discipuli ejus, et beatissima Mater ipsius cum multis mulieribus ei vehementissime condoluisse legantur. Sunt autem et aliæ responsiones, quas tetigi super Matthæum.

Et quoniam iste centurio fuit gentilis, atque per eum fides Ecclesiæ ex gentibus congregatæ figurabatur, ideo Christus de gentilium vocatione et fide subdit : *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente,* id est ab omnibus finibus mundi, per has duas principales terræ partes signatis, *venient* ad fidem et gratiam per Apostolorum prædicationem. De quibus prædictum est : In omnem terram exivit Ps. XVIII, 5. sonus eorum. Et in Isaia : Cantate Domino Is. XLII, 10. canticum novum, laus ejus ab extremis terræ. Ecce isti de longe venient, et ecce Ibid. XLIX, 12. illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. *Et recumbent,* id est, feliciter requiescent, et spiritualiter reficientur, *cum Abraham et Isaac et Jacob,* hoc est sanctis illis Patriarchis et electis filiis posterisque eorum. Specialiter autem exprimuntur simul hi tres Patriarchæ, quia ab eis ceteri descenderunt, et quia in multis valde famosi et præcipui exstiterunt ; eis Gen. XII, 7 ; XIII, 15, 17 ; XV, 18 ; XVII, 8 ; XXVI, 3, 4 ; XXVIII, 13 ; XXXV, 12. quoque specialiter fuit facta promissio Terræ sanctæ, per quam cœlestis figurabatur hereditas. *In regno cœlorum.*

Filii autem regni, id est reprobi, infideles Judæi : qui ad cœleste regnum specialiter invitabantur, et in quibus Deus regnavit per gratiam, quando credebant in Christum futurum, in quem credere noluerunt præsentem et inter eos corporaliter conversantem. Filii ergo fuerunt vocatione, non prædestinatione. De qualibus alibi conqueritur Deus : Filios enu- Is. I, 2. trivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. *Ejicientur* a consortio electorum, *in tenebras exteriores,* id est in corporales atque palpabiles tenebras carceris infernalis : in quas projiciuntur reprobi, quantum ad animam, statim dum moriuntur, sed quoad corpus et animam, in die universalis judicii, quando dicturus est Christus, Ite, maledicti, in ignem æternum. Matth. XXV, 41.

Denique tenebræ, proprie loquendo, non sunt aliquid positivum, sed tantum privatio luminis. Lumen vero est duplex : et secundum hoc sunt duplices tenebræ. Nam quoddam est lumen spirituale, ut sapientia, gratia, virtus : et hujus lucis privatio sunt tenebræ interiores. Unde in Psalmo hoc totum innuitur, quo habetur : Nesci- Ps. LXXXI, 5.

erunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Istæ sunt tenebræ mentis. Hinc in prima Joannis Canonica asseritur : Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet; qui autem odit fratrem suum, in tenebris est et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. (I *Joann.* II, 10, 11.) Aliud est lumen sensibile : cujus privatio sunt tenebræ exteriores, quæ sentiuntur per privationem, sicut silentium fertur audiri. Quamvis autem in inferno sit intensissimus ignis, ille tamen obscurus est et fumosus, non lucidus, nisi forsitan in tantum ut damnati possint mutuo se videre ad suæ augmentum miseriæ. Sunt tamen in inferno multa loca penitus tenebrosa, imo tenebrosissima et horrendissima, caliginis densitate repleta. Potest quoque per tenebras exteriores infernus intelligi. De quo sanctus Job ait : Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. (*Job* X, 20-22.)

Ibi erit fletus, et stridor dentium. Fletus et stridor dentium non sunt corporaliter in animabus separatis atque dæmonibus; sed ante diem judicii est in eis fletus, hoc est summa tristitia, ex qua corporalis solet fletus causari, et dentium stridor, id est

A interiorum viscerum horrenda et nimis mœsta concussio. Porro, post diem judicii, erit in hominibus condemnatis stridor dentium corporalis ex frigore infernali, quoniam a calore nimio ibunt ad aquas (*Job* XXIV, 19.) nivium, hoc est ad intensissimum frigus, quod per aquas nivis, quæ ceteris frigidiores dicuntur, exprimitur. In fletu autem corporali duo considerantur, videlicet, oculorum cerebrique turbatio, et resolutio lacrimarum. Quantum ergo ad primum istorum erit fletus in condemnatis post

B resurrectionem, non quantum ad secundum, quia cessante primi mobilis motu, omnis corruptio generatioque cessabunt. Talis demum fluxus seu resolutio lacrimarum non posset perpetuari in reprobis, nisi Deus miraculose multiplicaret in eis materiam lacrimarum, puta humorem in corpore.

Et dixit Jesus centurioni, per internuntios : *Vade,* ad puerum tuum ægrum pro quo sollicitus es redi, et ab hac tua anxietate desiste; *et sicut credidisti* pue-

C rum tuum posse sanari a me solo imperio, potestate divina, *fiat tibi,* hoc est, puer curetur ad tuam consolationem et utilitatem. *Et sanatus est puer in illa hora,* imo eodem (ut puto) momento quo Christus verba hæc protulit. Nam ejus dixisse, fecisse fuit : qui in exordio dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt omnia. (*Ps.* XXXII, 9; CXLVIII, 5.)

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI CURATIONE A LEPRA.

D*OMINE, si vis, potes me mundare.* Matth. VIII, 2.

Sicut evangelista Matthæus testatur, quum Christus descendisset de monte in quo discipulos docuit, curavit leprosum. (*Matth.* VIII, 1.) Per montem istum, intelligitur altitudo regni cœlorum : in quo Christus a principio

D mundi, discipulos suos, hoc est angelos sanctos, suæ essentiæ beatifica visione edocuit, qui in ipsum optant prospicere; (I *Petr.* I, 12.) quibus etiam multa secreta de suis mysteriis et futuris operibus atque judiciis revelavit. Per superiores quoque docuit inferiores, ut S. Dionysius docet. (*De Cœlest. hier.* c. IV, VIII.) Quum autem

Christus per suæ incarnationis mysterium A de hoc monte in mundum inferiorem de-
Ps. xviii, 7. scendit (juxta illud Psalmistæ : A summo cœlo egressio ejus), statim occurrit ei leprosus, hoc est, genus humanum, pro cujus curatione et salute descendit, reperit lepra, id est originali peccato actualibusque vitiis, plenum. Mox quoque nonnullæ generis humani personæ desuper illustratæ, Dei Filium venisse scientes, cœperunt ab eo postulare medelam, opem et salutem. Imo beatissima Virgo mater ipsius, natum ex se cernens Filium Dei, adoravit B eum non solum ut Deum et Creatorem, sed etiam ut Salvatorem. Deinde Joseph, pastores, Magi, Simeon, Anna, et alii, adoraverunt eum ut Deum et Salvatorem; quem et Joannes Baptista nondum ex Virgine natum cognovit exsistens in utero matris, et ejus parentes. Isti ac ceteri Christifideles petierunt curationem et salvationem a Christo, sicut modo quotidie faciunt Christiani.

Christus ergo tanquam optimus, potentissimus, sapientissimus ac misericordis- C simus medicus, universis ægris, id est peccatoribus, ad se confugientibus, salutis impendit remedium; et manum suam extendens, id est, pietatis suæ auxilium tribuens, et gratiose succurrens, unicuique dicit : Volo, mundare. Quacumque etenim hora peccator se ad Christum per contritionem ac gemitum, imo vel per attritionem, faciendo quod in se est, vertit, protinus curatur, illustratur, roboratur ab eo. Verumtamen curatos mittit ad sacerdotes, non solum ad confitendum, sed D etiam ad suscipiendum alia quædam sacramenta a sacerdotibus ministris Ecclesiæ. Nam quantumlibet adultus aliquis mente contritus sit et conversus, si nondum sit baptizatus, tenetur, si adest facultas, a ministris Ecclesiæ Baptismum suscipere. Et sicut Eliseus propheta in Christi persona curavit Naaman a lepra in Jordane, ita Christus omne genus hominum in ipsum credentium in Baptismo purgat ab omni peccato.

Præterea, per leprosum non solum intelligitur genus humanum, sed et unusquisque peccator. Recte etenim leproso comparatur peccator. Nam sicut leprosus tanquam abominabilis, immundus, vilis ac sordidus, aliorumque infectivus, a communi hominum habitatione atque consortio separatur, et sibi similibus sociatur, inter quos conversari permittitur; sic omnis qui in mortali peccato est, in quantum hujusmodi, coram Deo et angelis ac omnibus Sanctis abominabilis, odibilis, immundus, vilis sordidusque consistit, et aliorum est spiritualiter infectivus, quemadmodum scriptum est, Cum perverso Ps. xvii, 27.
perverteris; atque a communi hominum habitatione ac societate, hoc est ab Ecclesiæ communione, a mystico corpore Christi, dividitur, ac dæmoni, ejusque reprobo corpori, id est impiorum collectioni, incorporatur. Quicumque enim mortaliter peccat, desinit esse in Ecclesia virtute et merito, et participatione bonorum quæ in Ecclesia fiunt privatur : et ita quodammodo excommunicatur, id est, extra communionem bonorum spiritualium ac meritoriorum christiani populi ponitur. Nec talis est verum vivumque membrum Christi, quia non vivificatur ab ipso per caritatem et gratiam; sed est membrum diaboli, civis Babylonis seu hujus sæculi nequam.

Præterea, sicut lepra omnes corporis sensus vitiatos efficit et corruptos, et aggravat atque mœstificat hominem; sic peccata mortalia universas animæ vires superiores et rationis participes spiritualesque sensus inficiunt et corrumpunt, ita ut in mortali culpa exsistens, spiritualia et divina, et quæ suam concernunt salutem, clare non adspicit, nec saporose vivaciterque perpendit. Unde in libro Sapientiæ habetur : Excæcavit eos malitia eorum. Sap. ii, 21.
Talis demum aure cordis verba Dei non percipit, dicente Apostolo : Animalis ho- I Cor. ii, 14.
mo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Iterum, sicut lepra est morbus contagiosus, ita mortale peccatum, præsertim si

sit apertum, est infectivum, quia aliorum A scandalizativum. Sed quanto anima est nobilior corpore, et quanto deteriora sunt mala quæ peccatum infert animabus, quam quæ lepra corporibus, tanto plus fugiamus animarum quam corporum lepras, hoc est omne peccatum mortale, quo solo a Creatore, a gratia, a profectu, ab æterna impedimur salute, et dæmonibus ac inferno
Is. xxvii, 9. donamur. Ideo loquitur Isaias : Hic est omnis fructus, ut auferatur iniquitas. Christum igitur invocemus, ut ab omni spiritu-
Matth. viii, 2. ali nos mundet lepra, dicentes, Domine, si B vis, potes mundare nos; et cum Prophe-
Ps. l, 12. ta, Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ad quod hortatur Apostolus nos, dicen-
II *Cor.* vii, 1. do : Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

Denique peccatum instar lepræ gravat hominem, quia a meditationibus spiritualium rerum, a contemplationibus divinorum, a desiderio Dei impedit eum, ita ut
Thren. iii, 28. homo non levet se super se, appetendo C cœlestia, sed in more porcorum, in carnalibus ac sensibilibus volutatur, occupatur, inquinatur. Propter quod clamat Pro-
Ps. iv, 3. pheta : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Peccatum quoque quasi lepra amaricat atque mœstificat animam, maxime sua vitia attendentem : nam et synderesis remurmurat malo, et conscientia remorsum habet de eo. Propter quod
Jer. ii, 19. scriptum est in Jeremia : Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te D Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Hinc Salomon loquitur :
Eccle. ii, 26. Homini bono dedit Dominus sapientiam, et scientiam, atque lætitiam; peccatori autem, afflictionem et curam superfluam.

Legitur in Vitaspatrum, quod fuit vir quidam nomine Eulogius, scholasticus et eruditus, qui divino compunctus amore, civitates reliquit, et bona sua pauperibus dedit, pauca sibi reservans, quia operari non potuit, nec monasterium ingredi. Quumque invenisset in platea quemdam leprosum qui nec manus habuit, nec pedes, dixit ad eum : Si vis, pater, suscipio te in domum meam, et propter Deum repausabo. Respondit leprosus : Si digneris facere, gratias ago. Accepit ergo eum Eulogius in domum suam, et quindecim annis servivit ei diligenter, et necessaria ministravit, quatenus ipse per obsequium istud misericordiam consequeretur a Deo. Post quindecim annos, instigante diabolo, cœpit leprosus ille clamare, convitiari ac maledicere Eulogio, et detrahere ei, et furtum ei imponere; et clamabat : Jacta me in plateam ubi ante jacebam, carnes desidero manducare. Quo audito, Eulogius dedit ei carnes manducare. Sed rursus ille clamavit : Non contentor, homines volo videre; jacta me ubi me invenisti. Hinc contristatus Eulogius, ex religiosorum virorum consilio, assumpsit secum leprosum et perrexit ad S. Antonium, adhuc in corpore tunc viventem.

Constituto autem die venit S. Antonius in monasterium discipulorum suorum; et facto vespere omnibus Fratribus convocatis, subito exclamavit Antonius : Eulogi, Eulogi. Quumque tertio exclamasset, Eulogius non respondit, quia putavit quod alium vocasset Eulogium. Tunc dixit B. Antonius : Tibi dico, Eulogi, qui ab Alexandria advenisti. Respondit Eulogius : Quid jubes, domine Pater? Interrogavit eum Antonius : Cur huc venisti? Respondit Eulogius : Et quis tibi revelavit nomen meum et causam meam? Respondit Antonius : Scio cur veneris, sed coram omnibus recita, ut et ipsi sciant. Tunc Eulogius retulit qualiter in domum suam accepit illum leprosum, et quoniam ille leprosus ipsum afflixit, et ad priorem locum rejici voluit, et quod cogitavit eum rejicere, sed primo voluit uti consilio ejus, puta S. Antonii, ideoque venisset ad eum. Tunc austero vultu S. Antonius respexit Eulogium, dicens : Tu projicis eum, sed qui creavit eum non projicit eum. Et territus Eulogius siluit. Deinde S. Antonius acrio-

ribus verbis increpavit leprosum cum clamore, et dixit : Leprose, inveterate dierum malorum, indigne cœlo et terra, non cessas blasphemare Deum? Ignoras quod Christus tibi ministrat? Nonne propter Christum tam diu tibi servivit Eulogius? Quomodo ergo ausus es talia loqui? Deinde S. Antonius informavit Eulogium et leprosum, exhortans ut non separarentur ab invicem, prænuntians quoque quod ambo cito essent morituri, et ideo tentatio illa contigisset eis. Tunc ambo cum festinatione redierunt in cellam suam. Et post quadraginta dies defunctus est Eulogius, et post tres alios dies obiit ille leprosus; et ambo coronam gloriæ sunt adepti.

Dan. XIII, 52.

SERMO TERTIUS

DE RE SIGNIFICATA PER CURATIONEM PARALYTICI; ET CONTRA ACEDIAM.

DOMINE, *puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.* Matth. VIII, 6.

Sicut per lepram, ita per paralysim quodlibet potest peccatum mortale intelligi. Verumtamen per paralysim specialiter designatur acedia. Quemadmodum paralyticus tardus seu impotens est ad motum aut sensum membrorum, sic acediosus tardus et quasi immobilis est ad Dei vere devotum obsequium, ad exercitia veraciter virtuosa, atque ad omnia quæ Dei honorem propriamque concernunt salutem. Et ita acedia caritati est contraria, et divini amoris fervori repugnans : caritas namque promptum facit amantem ad ea quæ Dei sunt et salutis. Ideo, sicut Deum diligens et in ejus obsequio fervens, est specialiter valde laudabilis, ita acediosus est valde specialiter vituperabilis et culpandus. Unde in Apocalypsi loquitur Deus pigro seu acedioso : Utinam calidus esses aut frigidus; sed quia tepidus es, et nec calidus nec frigidus, incipiam te evomere de ore meo. Interdum enim frigidi, hoc est omnino vagi atque mundani, facilius convertuntur quam tepidi, qui ex eo quod aliquid boni facere videntur, quamdam sumunt fiduciam, nec putant sibi emendationem esse tam necessariam. Spiritualis ergo paralysis est nostra acedia : quæ ut S. Gregorius ait, est de laudabili virtutum exercitio languida seu tædiosa dejectio hominis, dum nec orare, nec meditari, nec aliquid spirituale et virtuosum agere libet.

Apoc. III, 15, 16.

Præterea, acediæ tres species signantur. Prima est quædam amaritudo mentis qua nihil jucundum aut salubre libet seu placet, sed tædio quodam pascitur homo, et aliorum fastidit consortium. Hanc amaritudinem vocat Apostolus sæculi tristitiam quæ mortem operatur, mortem videlicet culpæ in præsenti, et mortem æternæ miseriæ in futuro. Est enim proclivis in desperationem ac diffidentiam, suspicionesque malas; interdum quoque instigat hominem ad sui ipsius necem nefariam. Et oritur ista amaritudo, tristitia, sive acedia, quandoque ex præcedenti impatientia magna, vel quia non potuit quis adipisci quod multum optavit. Interdum tamen generatur ex prædominantibus melancholicis humoribus : et tunc possunt medici subvenire. Et ista tristitia induxit Achitophel, consiliarium David regis, et Judam proditorem, ad occidendum se ipsos. Secunda species acediæ est quidam torpor quo quis somnum et omnia corporis commoda amat, labores abhorret, aspera fugit, otio pascitur : hæc est proprie pigritia. Tertia species acediæ est quæ sola fastidit ea quæ Dei sunt; ad alia vero alacris agi-

II *Cor.* VII, 10.

II *Reg.* XVII, 23. *Matth.* XXVII, 5.

lisque consistit. Interesse divino Officio, A orationibus et laudibus Dei, ac similibus bonis insistere actibus, grave est ei, et tanquam crux quædam : idcirco a talibus se absentat, vel ante finem recedit; aut cum tædio talia agit, dissoluto corde, oculis vagis, et cum irreverentia magna.

De hoc vitio sanctus affirmat Hieronymus : Sola tepiditas est quæ solet Dei vomitum provocare. Væ homini in quo regnat acedia. Acediosi enim sunt similes ingratissimis filiis Israel, quibus Deus pluit ac contulit manna, hoc est panem cœle- B stem ; sed quia carnales et pigri erant, contempserunt hujusmodi cibum, nec sa-
Num. xxi, 5. puit eis : imo dixerunt, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Sed bonis ac virtuosis filiis Israel, qui pauci fuerunt, optime sapuit manna. Sic acediosis carnalibusque hominibus spiritualia ac divina, quæ ex sua natura vere dulcissima atque amabilissima exstant, non sapiunt, sed in nauseam convertuntur; vana vero, sensibilia et transitoria sunt eis suaviora. Panis eis in fastidio est, venenum eos de- C lectat. Insuper, per acediam perdit homo omne donum caritatis et gratiæ, et vitiis adimpletur; tempus amittit, dæmonum ludus est, et æternaliter perit.

Abjiciamus ergo hoc vitium maledictum, et alacres, prompti ac fervidi simus ad honorificentiam Creatoris, ad actus virtutum, ad omne opus bonum. Et ad hoc primo valet consideratio infinitæ dignitatis ac honorabilitatis Domini Dei. Quam si bene attendimus, omnem acediam expellemus. Secundo, valet ad hoc D consideratio ineffabilis felicitatis et gloriæ sempiternæ quæ pro his modicis ac brevibus virtutum operibus condonatur.
Rom. viii, 18. Unde dixit Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Tertio, valet ad idem strenua agilitas incipiendi bonum quod quis novit esse agendum. Multi quippe ex horrore difficultatis negligunt bonum incipere, et interdum dicunt, Vellem me esse talem aut talem, aut in tali vel tali regione; sed mala dejecti formidine, non audent incipere. Isti non pensant quam bonus sit Deus, et quam fideliter, copiose ac libentissime subveniat omnibus qui ex corde quærunt et invocant ipsum. Ejus ergo opem implorent, ac strenue inchoent, et non tardent, ne interim peccent ac pereant. Hinc etenim ab
Isaia dicitur : Qui ambulat in tenebris, et *Is.* L, 10.
non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum; ab Ec-
clesiastico quoque : Respicite, filii, nationes *Eccli.* II, 11, 12.
hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est; aut quis invocavit eum, et despexit illum? Hinc iterum
ait Scriptura : Non tardes converti ad Do- *Ibid.* v, 8, 9.
minum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius. Quarto, valet ad idem velocitas se abstrahendi a parvis et consuetis peccatis. Ad quod etiam valet consideratio damnationis ac pœnæ æternæ, quæ pro unoquoque mortali infligitur peccato; consideratio quoque divini metuendi judicii, et mortis atque incertitudinis ejus; et considerare quam infinite periculosum sit in peccatis manere. Ex his rationibus et motivis omnem abjiciamus acediam, alacriter surgamus ad divinum obsequium, nec ab ecclesia ante finem divini Officii sine causa abeamus condigna.

Porro, per paralyticum istum pro quo rogavit centurio Christum, intelligitur quilibet subditus piger, pro quo centurio, id est prælatus ipsius, Deum fideliter, instanter ac fervide invocare protinus debet, ut subditum sibi commissum gratiose et pie visitare, curare et inflammare dignetur, quatenus in omni Divinitatis obsequio sit devotus. Præterea, sicut centurio habuit milites et ministros sibi ad nutum obedientes, sic unusquisque Christifidelis debet esse tam perfectus ac virtuosus, ut universæ cogitationes et affectiones, imaginationes, passiones et actiones suæ sint sibi ad libitum subditæ, ita ut ad ejus imperium illa cogitatio mala mox abeat, et illa bona accedat, una etiam bona interdum

alteri bonæ cedat, prout ratio dictat et causa requirit.

Legitur in libro Apum, quod in quadam devota congregatione Sororum Ordinis S. Dominici præfuit Mater multum devota, sed ita paralytica ut de lecto exire non posset, sed jacens in lecto, cum Sororibus capitulum tenuit. Idcirco rogavit superiores suos ut eam ab officio suo absolverent. Sorores vero rogabant ut non absolveretur, propter virtutes ejus ac discretionem : et ita non absolvebatur. Itaque quadam die Mater illa Sororibus condolens, interim quod Sorores in refectorio erant, fecit se cum lecto in ecclesiam deportari; et ibi ante imaginem crucifixi rogavit devotissime Christum ut vel eam ab infirmitate illa sanaret, vel Sorores ab ejus onere liberaret. Et ecce subito Christus eam exaudivit atque curavit, ita ut illa de lecto exsiliens, Sororibus a refectorio egredientibus obviaret. Quæ visa ea A perterritæ cœperunt fugere, putantes phantasma esse; et revocans eas, exposuit eis qualiter esset a Deo curata. Quo cognito, Sorores illæ sunt vehementer gavisæ in Domino, et immensas ei gratias retulerunt. Nos igitur, hoc exemplo, indesinenter cum omni spe ad Dominum exclamemus, pensantes quod sanctus ait Bernardus : Quum te acedia aut tædio affici sentis, noli diffidere, neque a studio spirituali deficere, sed manum require juvantis, orando, Trahe me post te : *Cant.* I, 3. quia et vir spiritualis B ac fervens sæpe tentatur acedia, sed dissentiendo resistendoque prævalet.

Acedia quoque est coram Deo irreverenter se habere in stando, sedendo, seu alio corporis situ, potissimum in divinis. Propterea loquitur Leo Papa : O homo impudens, millia millium angelorum Deo mini- *Dan.* VII, 10. strant, et decies millies centena millia ei adsistunt, et tu sedere præsumis? Cum me- *Hebr.* XII, 28. tu ergo et reverentia Domino serviamus.

SERMO QUARTUS

DE POENIS INFERNI.

IBI *erit fletus, et stridor dentium.* Matth. VIII, 12.

Ad contemptum omnium sæcularium vanitatum atque carnalium voluptatum, universorumque vitiorum, sufficientissime inducere potest hominem diligens consideratio infernalium tormentorum. Ut ergo, o homo, universa peccata abhorreas, et Deo timorate deservias, sapienter attende quid sit æterna damnatio, quam intolerabile sit amarissima illa gehennæ supplicia perpetue pati.

Deinceps circa pœnas inferni multa sunt D considerandа. Primum est ineffabilis earum acerbitas. Gravissima etenim pœna quæ in sæculo isto sustineri potest, minor est minima pœna purgatorii. Ideo asserit Augustinus : Miro modo gravis et afflicti- C vus est purgatorii ignis, quamvis æternus non sit; excedit enim omnem pœnam quam aliquis in hoc mundo perpessus est, quamvis mirabilia passi sint martyres sancti.

Secundum est infernalium pœnarum diversitas. Et in Scripturis reperiuntur novem pœnæ expressæ.

Prima est ignis æternus ; secunda est vermis immortalis. De quibus duabus pœnis in Isaia scribitur : Vermis eorum non *Is.* LXVI, 24. morietur, et ignis eorum non exstinguetur; in Judith quoque : Dominus omni- *Judith* XVI, 20, 21. potens dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum; atque in Ecclesiastico : Vin- *Eccli.* VII, 19. dicta carnis impii, ignis et vermis.

Tertia est fœtor intolerabilis ac sulfureus, juxta illud Psalmistæ : Ignis, sulfur *Ps.* X, 7.

et spiritus procellarum, pars calicis eorum; et in Isaia : Flatus Domini quasi torrens sulfuris succendens eam. De hoc in Apocalypsi testatur Joannes : Pars impiorum erit in stagno ardenti igne et sulfure. In hujus rei figuram Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulfur, ita quod igne sulfureo, qui calidissimus ac fœdissimus erat, incendebantur comburebanturque Sodomitæ. Sunt namque in inferno horrendi ac profundissimi putei sulfureo igne repleti, in quibus indicibiliter torquentur iniqui. Qui modo has pœnas digne perpendere negligunt, ideo eas æternaliter sustinebunt.

Is. xxx, 33. *Apoc.* xxi, 8. *Gen.* xix, 24.

Quarta est intensissimum frigus, quod in libro Job per aquas nivium designatur. Nam et infernus in medio terræ creditur situs, et ibi est maximum frigus. Atque in hoc ultra æstimationem augetur pœna tartarea, quod a summo calore pergunt ad maximum frigus absque temperamento et reductione ad medium : sicque in utroque est ibi summus excessus pœnarum.

Job xxiv, 19.

Quinta est fames et sitis gravissima. Unde dives in inferno petiit guttam aquæ pro refrigerio ardoris sui ac sitis. Et in Isaia loquitur Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Est namque in inferno inopia summa : quod patet ex eo quod dives epulo guttam aquæ impetrare nequivit. Imo tantus est ibi omnium bonorum defectus, quod mors, quæ in hoc mundo maxime formidatur, ibi maxime desideratur, secundum illud Apocalypsis : Quærent mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab illis. Utilius esset damnatis quod possent se ipsos occidere, quam quod possent dæmones trucidare, quia occisis dæmonibus, non cessaret cruciatus ipsorum. Porro maxima damnatorum penuria est divinæ visionis carentia.

Luc. xvi, 24. *Is.* lxv, 13. *Apoc.* ix, 6.

Sexta pœna est tortio infernalium exactorum. De qua apud Matthæum habetur : Tradidit eum Dominus tortoribus, donec redderet debitum universum.

Matth. xviii, 34.

A Septima est horror tam loci infernalis quam habitatorum ejus, videlicet dæmonum et omnium damnatorum. Unde sanctus Job ait : Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Est namque infernus maxima et latissima concavitas, carcer et fovea in medio terræ sita, tenebrosissima, omni horrore, B inquietudine, ululatu, desperatione, mœrore, igne, frigore, blasphemia, odio plena. Et si tam horrenda ac intolerabilis est unius dæmonis apparitio momentanea in hac vita : quam horrendum horribilissimumque est cum dæmonibus inseparabiliter commorari, et jugiter illos inspicere multo turpiores ac horribiliores et furiosiores quam in hac vita soleant apparere, quia si taliter hominibus apparerent, ferri non possent? Est quippe, ut divinus Dionysius docet, in dæmonibus irrationabi- C lis concupiscentia, phantasia proterva, et amens furor. Si ergo tantum habet horrorem unus ministrorum et habitatorum carceris gehennalis, quam inæstimabilem habet horrorem carcer ipse cum universis ministris et vinctis seu habitatoribus suis?

Job x, 20-22. De Divin. nom. c. iv.

Octava pœna est maxima illa caligo; nona, vincula. De quibus duabus pœnis ait Salvator : Ligatis manibus et pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Unde secundum Gregorium, ignis infernalis ardorem et concremationem habet, et lucem D non habet.

Matth. xxii, 13.

Nec solum erit in inferno ista pœnarum varietas, sed et earum contrarietas, dicente Gregorio : Horrendo modo erunt tunc miseri : dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Et in reproborum punitione, ipsa a suis qualitatibus tormenta discordant, quia a Conditoris voluntate, dum hic vixerant, impii discrepabant. Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia mors in eis semper vivit, et finis semper incipit, et

defectus deficere nescit. Quia enim cum A diabolo creaturis diversis perverse concordaverunt, creaturæ contrariæ ad eorum pœnas conveniunt et concordant.

Tertium circa pœnas inferni pensandum, est earum diuturnitas, hoc est æternitas. Tædiosum valde esset viginti annis jacere continue in lecto, quamvis mollissimo : quam intolerabile ergo est in medio gehennalium tormentorum in æternum jacere cum pœnalissima desperatione? Cogitemus hoc modo : Si esset mons arenosus tam magnus ut totus est mundus, et B una avicula in mille annis auferret unam arenam de monte illo, mons ille tandem consumeretur, præsupposita temporis atque aviculæ perpetuitate, quia omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur; et tamen monte illo consumpto, adhuc pœna inferni restabit, sine fine mansura.

Quartum est pœnarum universalitas, quia in toto corpore et anima, in singulis corporis membris et animæ viribus punientur. Si ergo tam grave esset unum digitum in flamma candelæ tenere, quam gra- C vissimum erit toto corpore sine fine ardere?

Quintum est consolationis defectus et desperatio maxima. — Sed et alia multa sunt in inferno interiora et exteriora supplicia, quæ pro maxima parte nos latent; et aliqua patent, videlicet : odium et blasphemia Dei, detestatio omnis boni honesti, summa inordinatio animi.

Hæc ergo quotidie ponderemus, et divinam contemplemur justitiam ac metuendissimum Dei judicium, qui peccata tam incomprehensibiliter odit, tamque ri- D gorose ulciscitur. Cumque pro uno peccato mortali omnia jam prædicta infligantur tormenta, qualis et quanta erit eorum damnatio qui quotidie tam irrefrenate et quasi innumerabiliter peccant, et uno die tot peccata incurrunt mortalia; qui in vitiis indurantur, ita ut eis non sapiat quidquid de pertinentibus ad salutem? Eis dicatur : Resipiscite ergo, o miseri; et si non amore vestri Creatoris ac Salvatoris, si non desiderio æternæ felicitatis pœnitetis et vitam corrigitis, saltem timore damnationis infernalis hoc agere inchoate.

Legitur in Vitaspatrum, quod quidam Frater dixit cuidam sancto Patri : Abba, tædium patior sedendo in cella. Cui Pater ille respondit : Si bene attenderis supplicia impiis præparata, etiam si cella tua plena esset vermibus usque ad collum, tamen libenter ac patienter sederes in ea. Legitur quoque in libro de Actibus mirabilibus B. Francisci, quod quadam vice tres famosos latrones convertit, et facti sunt Fratres Minores : quorum duo post emendationem pœnitentiamque condignam migraverunt ad Dominum. Tertius vero supervivens, per quindecim annos asperrimam pœnitentiam fecit, una tunica etiam in hieme contentus, et qualibet hebdomada ter in pane et aqua jejunans, post Matutinas quoque non dormiens. Tandem circa finem vitæ suæ, quadam nocte raptus in spiritu, ab angelo sancto ductus est ad pœnalia loca inferni, et pœnas inferni vidit et partim sustinuit. Postmodum ductus in spiritu, vidit gloriam Beatorum, et S. Franciscum cum personis Ordinis sui defunctis quæ ejus vestigia fuerant vere secutæ. Prædixit quoque S. Franciscus Fratri illi rapto in spiritu, quod post dies septem moreretur, et secum in illa gloria æternaliter permaneret. His visis et auditis, Frater ille rediit ad se ipsum, et statim in cœnobio suo pulsabatur ad Primam. Sed Fratri illi apparuit quod multo plus quam per centum et quinquaginta annos fuisset in pœnis illis quas pertulit. Ex quo constat, quam magnæ sint pœnæ inferni, et quam longa videatur damnatis brevis morula sive duratio : quo enim in graviori supplicio tædioque sunt, eo tempus eis videtur longius esse. Sunt quoque in exspectatione dolorosissima futuri judicii, et resurrectionis venturæ, in qua eorum pœna inæstimabiliter est augenda.

Hæc ergo omnia semper præ oculis habeamus, et Deo justissimo in vera justitia jugiter serviamus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUOMODO NEMO RELIGIOSORUM SE IN SE DEBEAT REPUTARE SAPIENTEM, RELIGIOSUM AUT DOCTUM, AUT ULLI SE PRÆFERRE.

NOLITE *esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes.* Rom. XII, 16, 17.

In exordio hodiernæ epistolæ docet nos sanctus Apostolus, ne prudentes aut sapientes simus in propriis oculis, nec ceteris nos arbitremur sapientiores, quum et Salomon protestetur : Vidisti hominem sapientem sibi videri ? magis illo spem stultus habebit. Isaias quoque propheta : Væ (inquit) qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Sed quæri potest, quomodo intelligenda sint ista, quum beatus Apostolus doctorem se gentium et sapientem architectum appellet. Et rursus : Sapientiam (ait) loquimur inter perfectos ; et, Docentes omnem hominem in omni sapientia. Denique ad perfectionem pertinet ut homo dona sibi desuper præstita recognoscat, quatenus gratias agat Altissimo. Propter quod loquitur Apostolus : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

Prov. XXVI, 12. — *Is.* V, 21. — I *Tim.* II, 7. — I *Cor.* III, 10. — *Ibid.* II, 6. — *Coloss.* I, 28. — I *Cor.* II, 12.

Sed ad hæc atque similia respondendum est, quod per verba thematis introducti non aliud intendit Apostolus, nisi ut nemo se in se reputet sapientem, nec in se quasi præ aliis prudens inaniter glorietur, aut simplices aspernetur, neque de sapientia sua nimis confidat sive præsumat, nec prudentiorem se putet quam est, nec etiam considerationi sapientiæ suæ nimium immoretur, ne extollatur, juxta illud, Scientia

Ibid. VIII, 1.

A inflat ; sed potius quid desit sibi humiliter contempletur, seque tanquam defectuosum et insipientem humiliet ; et quidquid sapientiæ aut scientiæ sibi inest, non sibi aut meritis propriis, sed Deo ac gratiæ ejus grata ac humili attribuat mente. Imo quantumlibet quis in vita ista sit prudens aut sapiens, tamen comparatione sapientiæ Dei, imo et angelorum ac omnium Beatorum, quasi insipientem potest se veraciter reputare. Rursus, quum ea quæ scimus minima sint respectu eorum quæ ignora-

B mus, potest vir doctus, prudens et sapiens, insipientem, indoctum et imprudentem se judicare ac dicere, hac scilicet consideratione, quia non perfecta sed valde imperfecta est sua doctrina, sapientia atque prudentia. Verumtamen, loquendo de sapientia quæ est donum, et caritati inseparabiliter est annexa, nemo potest certo scire se esse sapientem, nisi ex revelatione divina. Idcirco vir doctissimus potest sibi aliquem fratrem simplicissimum in sapientia vere præferre, pie credendo quod frater hujus-

C modi dono sapientiæ decoretur, quam ipse sibi inesse pro certo non novit : quum sapientia illa quæ donum est, incomparabiliter præstantior sit atque salubrior quam sapientia acquisita, aut etiam infusa, ad dona pertinens gratiæ gratis datæ.

Insuper, si quis sapientior videtur aut doctior fratribus suis, non vane lætetur aut intumescat, sed timoratior, humilior mitiorque sit, quoniam Christo testante, Cui plus datum est, plus requiretur ab *Luc.* XII, 48.

[*Luc.* XII, 47.] eo ; et, Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis verberabitur multis. Nam et talis exemplarior esse tenetur, et alios scandalizando gravius peccare cognoscitur. Hinc in Canonica sua [*Jacob.* III, 13.] apostolus Jacobus optime loquitur : Quis sapiens et disciplinatus inter vos ? Ostendat ex bona conversatione suam operationem in mansuetudine sapientiæ. Qui etiam [*Ibid* IV, 17.] ait : Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi.

Deinceps, quamvis ad omnem pertineat Christianum, non esse in propriis oculis prudentem ac sapientem, juxta sensum inductum, istud tamen ad religiosos potissimum spectat, qui propriæ voluntati ac sensui renuntiaverunt, nec suo judicio stare debent, sed præsidentis. Verum contra hoc agunt filii proprii sensus, et religiosi sui capitis, qui pertinaces ac immansueti sunt in apprehensionibus, judiciis ac desideriis suis, nec superiori obtemperant, nisi in quibus ipsis placet, et in quibus eum bene sentire sive præcipere judicant; in ceteris vero proprio pertinaciter innituntur judicio. Idcirco fatui sunt atque sacrilegi transgressoresque voti solennis, et omni vera ac salutari sapientia ostendunt se destitutos ac penitus indiscretos, quum beatissimus Jacobus apostolus di- [*Ibid.* III, 17.] cat : Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Tales namque sunt inverecundi, frontosi, loquaces, cum suo superiore etiam in capitulo disputantes, rixantes, indocibiles, nec sibi ipsis tam enormiter deviantibus, nec superioris sui tristitiæ qua de eorum perversitatibus mœstus est, condolentes ; nec fructibus bonis, sed infructuosis tenebrarum sunt pleni operibus.

Nunc ergo qui tales sunt, audiant qualis eorum sapientia esse dicatur. Idem quippe [*Ibid.* III, 15.] Apostolus ait : Si zelum amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem : non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica. Istis certissime summe pavendum est quod Samuel est locutus : Quoniam quasi [I *Reg.* XV, 23.] peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Ex quibus concludit Gregorius : Scelus idololatriæ incurrit quisquis superiori suo non acquiescit. Unde et Paulus : Noli (inquit) [II *Tim.* II, 14.] verbis contendere ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Impleat ergo quilibet nostrum quod Salomon jubet : Habe fiduciam ex toto corde in [*Prov.* III, 5.] Domino tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ ; itemque, Prudentiæ tuæ pone mo- [*Ibid.* XXIII, 4.] dum. Etenim quum prima pars prudentiæ sit docilitas, isti insuasibiles, indociles, prima hac prudentiæ parte carentes, vera se pandunt destitutos prudentia, quia se ipsos præcipitant ac diversis exponunt periculis, quemadmodum in libro Proverbiorum legitur : Sapiens timet, et declinat [*Ibid.* XIV, 16.] a malo ; stultus confidit, et transilit. Quum superioris nostri monita, increpationes, informationes, præcepta audimus, non hominem, sed Deum per hominem nobis loquentem existimemus ; et Dei vicario, quasi Deo, obedientiam, reverentiam advertentiamque præstemus, quum Dominus suis loquatur vicariis : Qui vos audit, me [*Luc.* X, 16.] audit ; et qui vos spernit, me spernit.

Præterea, juxta præsentis doctrinam epistolæ, « nulli malum pro malo » reddamus. Si hoc ad omnem pertinet Christifidelem, quid coram Deo nos religiosi dicemus, qui nec modicum verbum aut signum aspernationis pati valemus, sed protinus pro posse nos ipsos ulciscimur ? Imo ex indignationis, iræ et impatientiæ vehementia, majora, si possumus, retribuimus mala, et pro parva injuria (si tamen injuria) magnam vindictam. Et ubi est quod jubet Salvator, Diligite inimicos vestros, bene- [*Matth.* V, 44.] facite his qui oderunt vos ? Itaque non sufficit nobis malum pro malo non reddere, sed bona pro malis obligamur rependere. Quod etiam in hac epistola copiose docet Apostolus, dicens : Si esurierit inimicus [*Rom.* XII, 20, 21.] tuus, ciba illum ; si sitierit, potum da illi.

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum : hoc est, alterius improbitate, perversitate, persecutione, injuria, non movearis ad iram, impatientiam aut rancorem ; sed bona pro malis ex caritate ac patientia rependendo, vince illius malitiam, ut tua caritate, beneficentia, mansuetudine, patientia, ejus invidia, pravitas, ira, impatientia exstinguantur, et ædificatus ex te, incipiat te amare.

Hoc est quod in epistola ista et in Proverbiorum libro habetur. (*Prov.* xxv, 21, 22.) Hoc enim faciens, id est ita ad tuum te adversarium habens, carbones ignis, id est materiam dilectionis, congeres, id est, congregabis et compones, super caput ipsius, id est in mente æmuli tui, qui bonitatem tuam et beneficia tua pensando, de sua erubescet malitia. Hinc rursus in Proverbiorum libro asseritur : (*Ibid.* xxi, 14.) Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu, indignationem maximam. Unde et denuo Salomon ait : (*Ibid.* xx, 22.) Ne dicas, Reddam malum pro malo ; exspecta Dominum, et liberabit te. Hoc est quod princeps Apostolorum hortatur : Non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes ; in hoc enim vocati estis. (I *Petr.* iii, 9.)

Nihilo minus præsidens pro malo culpæ potest et debet malum pœnæ, id est justam ac debitam correptionem atque correctionem, Fratribus irrogare, præsertim quum Hieronymus in Regula sua dicat : Nihil est periculosius in prælato quam vana humilitas et negligentia ad corrigendum subjectos. Non autem reddi debet malum pro malo ex desiderio ultionis, quamvis ex caritate et zelo justitiæ possit interdum correctio expeti, et Frater culpabilis proclamari. In religioso tamen maxime commendabile perhibetur, non esse querulosum aut vindicativum, sed patientem et mansuetum.

Postremo, ex eo quod ait Apostolus, Non vosmetipsos defendentes, carissimi, (*Rom.* xii, 19.) non prohibetur quis se ipsum humiliter excusare, si culpa qua sibi conscius non est ei objiciatur, præsertim si sit culpa gravis, ne alii scandalizentur in ipso, atque ut veritas innotescat.

SERMO SEXTUS

QUOMODO RELIGIOSI COMMUNITER VIVENTES, CUM GRANDI MERITO DILIGENTES, ET CUM GRANDI PERICULO NEGLIGENTES SINT.

P*ROVIDENTES bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Rom. xii, 17.

Juxta Gregorium, qui in conspectu populi male agit, tot lædit aut perimit, a quot conspicitur. Ideo hortatur Scriptura : (*Eccli.* xli, 15.) Curam habe de bono nomine. Salomon quoque : (*Eccle.* vii, 2.) Melius (inquit) est nomen bonum, quam pretiosa unguenta. Quemadmodum enim per bonum exemplum et famam laudabilem proximos ædificamus, et eos ad Dei laudationem inducimus, ita per prava exempla ac vituperabilem famam proximos scandalizamus, et Deum inhonoramus. Ideo jussit Salvator : Videte ne scandalizetis unum de pusillis istis ; (*Matth.* xviii, 10.) itemque, Luceat (inquit) lux vestra coram (*Ibid.* v, 16.) hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Ex quibus Augustinus concludit, quod qui negligit famam, id est, mala de se opinari permittit, si convenienter possit hoc impedire, crudelis est. Et Gregorius asserit : Plerumque contingit quod qui mala de se negligenter opinari permittunt, etsi per se mala non faciunt, per eos tamen qui eorum mala opinata sequuntur, multipliciter peccant. Hinc rur-

II *Cor.* VI, 3. sus monet Apostolus : Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; et rursus, Honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. I *Thess.* IV, 12.

Si itaque istud ad omnem spectat fidelem, quanto magis ad religiosos, quorum non est circa communia languere, nec sola generalia servare præcepta, sed evangelica quoque consilia, et ad perfectionem quoque assidue proficisci ? Maxime ergo conari debent ut sint mutuo exemplares, nec quemquam in itinere suo ad Deum impediant, ut cum Apostolo dicere queant : Quis scandalizatur, et ego non uror ? II *Cor.* XI, 29. Hinc Climacus refert se in quodam fuisse cœnobio celeberrimo atque sanctissimo, in quo erant ducenti triginta Fratres, quorum præcipuum studium fuit, ne quis alterius conscientiam quoquomodo feriret; et si aliqui aliquod dissensionis aut contentionis verbum inter se proferebant, Frater audiens sive præteriens, flexis genibus hortabatur eos ad pacem, aut nutu, vel aliquo signo.

Periculosissimum ergo est in medio congregationis segniter agere, inexemplariter se habere, vivere scandalose. Hinc Eusebius Emisenus effatur : Si bene perspicimus, non solum hæc solitudo seu claustralis habitatio, sed et ipsa congregationis multitudo nos ad perfectionem constringit. Nam sicut pretiosum atque præcipuum est, in medio multorum bene agere, plurimos ad profectum exemplo boni operis excitare; ita periculosum perniciosumque est, negligentius tepidiusve agendo multorum fidem fervoremque frangere, multorum animas depravare. Sicut fructuosum est in medio tantorum positum probabiliter vivere; ita periculosum est aliquid destructionis egisse. Quod ideo dico, quia facilius invenimus qui ea quæ deteriora sunt, quam quæ meliora, sectentur : pronior enim est ad imitationem mali humana fragilitas.

Hinc rursus testatur : Qui inter multos vitam agere constituerunt, aut cum grandi merito diligentes sunt, aut cum grandi

A periculo negligentes. Unde felix est illa anima quæ bene in congregatione versando, multorum gaudium est, et plurimi ex eo ædificantur et illustrantur : bono enim ejus, dum multi communicant, additur, hoc est, virtuoso operi ejus meritum accrescit ac præmium. Ad quod illa Sapientis spectat sententia : Fili, si sapiens fueris, tibi et proximis tuis proficies. *Prov.* XXIII, 15. Itaque qui in cœnobio humilem, obedientem ac patientem se exhibet, quot ædificavit, tot fœneravit; et quantum bonum ex se proximis B commendavit, tantum in sua lucra convertit. Si autem per inobedientiam, iram, superbiam, alios ad culpam induxit, quot scandalizavit, de tot periculum damnationis incurrit; et peccatum quod semel ab ipso processit, multipliciter ad ipsum redundat. Ideo sicut ille valde laudandus est, cujus cursus multorum profectus est, sic ille merito est lugendus, cujus vita multorum est ruina. Propterea quæ ad ædificationem pertinent, in medio positi agere non cessemus, ne vitia nostra alio- C rum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam nostra iracundia violet, ne aliorum humilitatem nostra superbia depravet. Benedicta Deo est anima illa cujus humilitas alterius confundit superbiam, cujus patientia exstinguit proximi iram, cujus obedientia alterius inobedientiam increpat, cujus fervor alterius teporem accendit, quæ proximum aliqua passione aut tentatione turbatum, verbo consolationis ac ædificationis illuminat. Melior est D hic quam qui fratrem suum ab aliquo contristatum, non jam manu solatii sublevat, sed multiloquio suo magis perturbat, atque pro culpa sua correptum, sic per sinistra consilia incitat ut allidat, sic armat ut perimat. Hæc Eusebius. Ecce, o fratres, quantum pauperrimis nobis instat periculum, nisi diligentes ac timorati semper fuerimus.

Idcirco sanctus præsul Cæsarius in suis ait sermonibus : Necessaria nobis est, fratres, pervigil cura, indefessa custodia, quia

hic noster contra peccata dæmonesque A conflictus est sine fine. Hostis est sine pace; vinci potest, in amicitiam capi non potest. Propterea bellum quod contra passiones et vitia atque invisibiles hostes suscepimus, satis periculosum arduumque consistit, quoniam intra hominem geritur, et nisi cum homine non finitur : imo in fine vitæ periculosius esse solet et acrius. Ideo nos ad hæc tranquilla, secreta et spiritualia castra contulimus, ut quotidie contra passiones et vitia infatigabili congressione certemus, et senioribus no- B stris voluntates proprias, quasi famulas, semper subjiciamus.

Hinc demum, ut recitat Cassianus, dixit abbas Pinuphius : Sicut immensa gloria fideliter sanctæ religionis instituta servantibus ac cohærentibus Deo promittitur, ita gravissimæ pœnæ his præparantur qui tepide et negligenter illa fuerint exsecuti, atque secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus congruos sanctitatis Domino exhi-
Eccle. v, 4. bere omiserint. Melius namque, secundum C Scripturas, est non vovere, quam vota non
Jer. XLVIII, 10. reddere ; et, maledictus qui facit opus Domini negligenter.

Intueamur ergo, o fratres, periculum nostrum. Nec aliquis dicat : Ego non curo quid alii de me dicant aut sentiant, dummodo conscientiam habeam bonam, et dummodo Deo placere queam : quia jam patuit, quod nec conscientiam bonam habere, nec Deo valeamus placere, nisi proximorum scandala evitare eosque ædificare curemus. Verumtamen quidam sunt nimis pusilli, aut etiam satis mali, qui facta aliorum quæ deberent et possent interpretari in bonum, trahunt in pejus, et quærunt occasiones, insidiantur, observant, nec post redditam rationem quiescunt, sed nidum stercoreum instar turpium avium in suo construunt corde. Idcirco, secundum Thomam, scandalum eorum est scandalum Pharisæorum. Qui instruendi sunt ut intueantur se ipsos, ac temeraria proferre judicia vereantur. Tamen et hos lucrifacere enitamur, quum princeps Apostolorum in prima sua loquatur Canonica : Hæc est voluntas Dei, *I Petr.* II, 15.
ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Postremo, non dubium quin in divino Officio maxime debeamus studere nullum scandalizare, turbare, gravare, sicque non solum coram Deo, sed et coram cunctis qui adsunt, bona et ædificatoria providere, nos devote habendo, et ea quæ Dei sunt concorditer peragendo.

SERMO SEPTIMUS

DE DUPLICI LEPRA PERNICIOSA NONNULLORUM RELIGIOSORUM, PROPRIÆ SCILICET VOLUNTATIS, PROPRIIQUE CONSILII.

D*OMINE, si vis, potes me mundare.* D Matth. VIII, 2.

Quemadmodum in hodierno fertur evan-
Matth. VIII, 1. gelio, Christo descendente de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ : siquidem unigenito Dei Filio per incarnationis mysterium a summo cœlo et a Dei Patris sinu in mundum hunc veniente, multi ubique terrarum ejus vestigia sunt secuti. Litteraliter vero, Christo de monte in quo octo beatitudines prædicavit, descen- *Matth.* V, 3-11.
dente, occurrit ei leprosus quærens curari, et dicens : « Domine, si vis, potes me mundare » ; tanquam dicat : De potestate tua non ambigo, et quid desiderem te scire ac cernere certus sum. Lepra autem

incurabilis dicitur morbus : per quam A quodcumque mortale designatur peccatum. Sic ergo et nos quum lapsi fuerimus, Christo dicamus : Domine, si vis, potes me mundare. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne ipse qui solus es? Qui ad Moysen dixit : Ego sum qui sum ; hæc dices : Qui est, misit me. Solus etenim Deus habet et est esse in se subsistens, plenum, perfectum atque infinitum, cujus comparatione omne creatum esse est quasi non esse. B

Job xiv, 4. *Exod.* iii, 14.

Denique, juxta doctrinam Bernardi, per lepram specialiter designatur in religiosis quædam spiritualis infectio, quam nominat lepram : et est duplex, scilicet proprium consilium, propriaque voluntas. Lepra (inquit) utraque nimis est pessima, et eo perniciosior quo magis interior.

Per lepram autem consilii proprii, intelligit immansionem proprii sensus, confidentiam propriæ sapientiæ, defensionem proprii consilii propriique judicii. De quo vitio in religiosis valde pestifero paulo C ante dicta sunt aliqua. Hæc lepra, secundum Bernardum, eorum est qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, id est absque vera discretione, sequentes errorem suum, et obstinati in eo in tantum, ut nullius consiliis acquiescere velint. Et quæ major superbia quam ut unus homo totius congregationis spiritualisque patris judicio suum anteponat judicium, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? Ista est magna ac dolenda præsumptio, excæcatio atque perversitas, quum vere humilis Fra- D ter debeat æstimare in suis confratribus majorem esse sapientiam, illuminationem, discretionem, quam in se : præsertim quum humilioribus ac purioribus Spiritus Sanctus copiosius fulgeat, qui et frequenter revelat minori, humiliori, abjectiori ac simpliciori, quod non revelat majori ac doctiori. Nihilo minus lepra ista in simplicioribus atque indoctioribus detestabilior derisibiliorque consistit, quoniam tales de se minus præsumere debent : qui et eo ipso quo in proprio sunt pertinaces consilio, vera humilitate, et per consequens divina illuminatione, monstrant se esse nudatos.

Cf. p. 223 B. *Rom.* x, 2.

Ab hac lepra mundatur qui Christi humilitatem sapientialiter contemplatur, quemadmodum scilicet Christus Dominus, cujus sapientiæ non est numerus, inventus in templo a Matre inter doctores, juxta Matris suæ suggestionem ac voluntatem dimisit quod cœperat, rediitque cum ea, et tam ei quam ejus ministro simplici Joseph fuit subjectus. De hoc sic ait Bernardus : Inventus inter doctores, increpatus quodammodo a Matre videtur. Cui respondit : Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? At illi non intellexerunt hoc verbum. Et quid fecit Verbum æternum? Non capiebatur in se, descendit ut etiam esset sub illis. Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando consilium suum Sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod tunc cœperat, ex tunc usque ad tricesimum suæ ætatis annum prorsus dimiserit : nihil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenitur in Scriptura canonica usque ad annos triginta.

Ps. cxlvi, 5. *Luc.* ii, 46, 51. *Ibid.* 48-50.

Præterea advertendum, quod lepra ista non solum illorum est qui zelum Dei habent non secundum scientiam, sed et quorumdam penitus corruptorum ac apertissime deviantium, qui nec vota sua, nec observantias custodiunt regulares, ac suæ reformationi pertinaciter renituntur, nec superioribus, sapientioribus ac melioribus acquiescunt : inter quos si fuerit aliquis Deum timens reformationemque cupiens, valde laudabiliter suum præfert judicium illorum judicio evidentissime errabundo. Inter eos quoque qui regulariter conversantur, interdum sunt aliqui qui non ex zelo Dei indiscreto, sed ex sua carnali affectione, aut aliqua passione, seu etiam elatione ac pravitate, sua defendunt consilia, ac proprium sensum sequuntur, præsertim dum corripiuntur, aut aliqua pro

rigore et carnis castigatione instituuntur. A

Deinceps de lepra propriæ voluntatis ait Bernardus : Voluntatem propriam dico, quæ non est communis Deo atque hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad fratrum utilitatem, sed propter nos ipsos volumus ac facimus, non recte intendentes Deo placere fratribusque prodesse, sed propriis satisfacere motibus animorum. Cui directe opponitur caritas : contra quam voluntas propria inimicitias ac crudelissimam guerram exercet. Quid enim odit ac B punit Deus præter propriam voluntatem ? Cesset propria voluntas, et infernus non erit. In quid enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem ? Hæc est fera pessima, crudelissima bestia, rapacissima lupa, leæna sævissima, quæ insensatissimo furore etiam Dominum majestatis impugnare præsumit. Cui primo subtrahit semetipsam ; secundo, gloriam et honorem, quæ soli Deo debentur, nefarie ei subtrahit et sibi usurpat ; tertio, divinæ se præfert voluntati, cujus contemnit præ- C cepta ut impleat sibi placentia ; quarto, quantum in se est, et ipsum perimit Deum, quem vellet sua peccata aut ignorare, aut vindicare non posse aut nolle. Sicque vult eum non esse Deum, qui vult esse aut insipientem, aut injustum, aut impotentem.

Audiant ista ac timeant servi ac filii propriæ voluntatis, qui sunt unitatis divisores, inimici pacis, caritatis expertes, vanitate tumentes, sibi placentes et magni *Rom.* x, 3. in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere ; qui et se aliquan- D do putant ceteris religiosiores. Ecce, jux- *1 Reg.* xv, 23. ta Samuelem prophetam, idololatris atque ariolis similes facti sunt ; si tamen tanto vati magis judicant esse credendum, quam sibi. Hæc est immundissima lepra, sequens ex lepra priori, puta ex proprio consilio temerarioque judicio, cujus errore voluntas seducitur. A qua voluntatis lepra purgamur, si Christum, qui non venit facere propriam voluntatem, intueamur ac imitemur. Qui et passione sua instante dixit ad Patrem : Non mea voluntas, sed tua *Luc.* xxii, 42. fiat. Unde et tunc factus est obediens us- *Philipp.* ii, 8. que ad mortem, ut ejus sequamur obedientiam.

Denique lepra proprii consilii voluntatisque propriæ, mentem miserrimi religiosi in tantum obtenebrat, imo infatuat et indurat, ut propria nequaquam advertat pericula, sed de sua sæpe rebellione, audacia, temeritate, prævalentia, diabolice glorietur, præsumat, et se stolidissime jactet, nec sibi ipsi, sed aliis per hæc se credat nocere. De hoc sic ait Eusebius Emisenus : Putamus quod digne invocet Deum, qui pro culpa sua correptus, non se ad emendationem et satisfactionem exponit, sed ad comminationem atque proterviam, ita ut dicat, Discedo, hoc est, non fero ? Intelligamus indignationes et contradictiones istas suggerente diabolo provenire. Quæ quum illaqueaverint animam, ita per inobedientiam eam obdurant, ut ad suscipienda præcepta ac hortamenta et documenta, nec auctoritate nec ratione flectatur, sed, quod pessimum est, sibi soli credat, et pro omni ratione proprias intentiones sequatur, atque hoc solum judicet rectum quod obdurato corde concepit, juxta illud : Itinera insipientium recta in *Prov.* xii, 15. oculis eorum ; et iterum : Sunt viæ quæ *Ibid.* xiv, 12 ; xvi, 25. rectæ videntur esse hominibus ; novissima vero earum perducunt ad profundum inferni. Sicque cor negligentis tam vehementissime obduratur, ut hoc ipsum quod se non humiliavit nec satisfecit, sed præposito restitit, non sibi nocere putet, sed illi, insultandoque dicat : Quam constanter illi restiti, quam bene non acquievi, quanta auctoritate respondi ! Putabat quod me semper ei humiliarem.

Quod qui facit, diabolo captivum se tradit, qui de hominum vitiis et passionibus perditionibusque lætatur. Et tali homini eveniet quod ait Scriptura, Peccator *Eccli.* iii, 29. adjiciet ad peccandum ; et ruet de malo in pejus, ac tandem in pessima. Nam ire post proprias voluntates, tam perniciosum atque damnabile est, ut Deus hoc

ipsum iratus pro peccati ultione ac demerito infligat, dicendo : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Et revera hæc est metuendissima Dei plaga, dum peccatorem non paterne castigat, nec a vitiis misericorditer retrahit, sed deviare ac transgredi sine freno permittit.

Ps. LXXX, 13.

Qui ergo vult tuta ac Deo complacita esse opera sua, obedientiæ prorsus nil præferat, sine qua nec jejunia, nec alii A quicumque labores religiosi complacent Deo sublimi. Quem jugiter affectuosissime atque humillime deprecemur, ut a præfatis nocentissimis lepris nos indesinenter præservare et purgare, sancta quoque obedientia, vera ac superna sapientia nos implere dignetur, quatenus in omni simplicitate, in sancta devotione, in monastica alacritate infatigabiliter Domino obsequamur, et vicariis ejus obtemperemus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA QUINTA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NEMINI QUIDQUAM DEBEATIS, NISI UT INVICEM DILIGATIS, ETC. Rom. XIII, 8-10.

QUONIAM caritas est omnium virtutum A mater, regina et finis, idcirco Apostolus ad ejus plenariam observantiam nos frequenter hortatur. Unde in epistola loquitur hodierna :

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Nam et ante hæc verba *Rom.* XIII, 7. præmisit Apostolus : Reddite omnibus debita. Siquidem non solvere debita tempore opportuno et dum adest facultas solvendi, præsertim dum is cui debetur requirit, est contra illud divinum præ- *Exod.* XX, 17; *Deut.* V, 21. ceptum, Non concupisces rem proximi B tui : et ita est mortale peccatum. Idcirco periculosum est esse in debitis ; et qui in debitis est, tenetur superfluas vitare expensas, imo et parcius se habere quousque debitum solvat. Quod etenim quis alteri debet, hoc est alterius, et non suum : ideo hoc detinere non debet. Imo qui non solvunt debita congruo tempore, tenentur ad restitutionem seu recompensationem his qui ex solutionis dilatione damnum incurrunt, secundum viri discreti judicium. Hinc viri sapientes ac diligen- C tes non libenter sunt in debitis, et debita sua fideliter celeriterque persolvunt. Et quamvis cetera debita ita sint persolvenda, ut de cetero solvenda non restent, caritas tamen ita solvenda est, ut semper solvenda remaneat, id est, actus dilectionis sic proximis exhibeatur, ut adhuc impendendus relinquatur, quoniam semper permanet in præcepto.

Sed contra hoc verbum Apostoli objici potest, quod non solum dilectio, sed et aliarum actus virtutum permanent in præcepto seu debito impendendi, postquam impensi sunt, ut opera misericordiæ spiritualia et corporalia; prælati quoque multa suis tenentur subjectis, magistri discipulis, parentesque filiis. Et respondendum, quod per dilectionem subintelliguntur alii actus virtuosi quos unus alteri exhibere tenetur, quia ex spirituali dilectione procedere debent, nec aliter meritorii sunt.

Qui enim diligit proximum, intelligendo per proximum quemlibet hominem viatorem gratiæ et felicitatis capacem, tam inimicum quam amicum, *legem implevit,* id est decem præcepta legis divinæ. Et hoc verum est, loquendo de dilectione spirituali infusa, qua Deus diligitur pure et super omnia propter propriam suam bonitatem, et proximus propter Deum, videlicet quia ad Dei imaginem factus est, et ut Deo beatifice uniatur ; non de dilectione carnali aut naturali vel sociali. Ratio quippe diligendi proximum, Deus est. Ergo qui proximum diligit, Deum diligit. Porro qui diligit Deum, implet mandata Decalogi scripta in prima tabula, quæ tria sunt,

et ad Dei spiritualem ordinantur amorem. Et qui diligit proximum, implet mandata secundæ tabulæ, quæ ad caritatem ordinantur fraternam. Ergo qui diligit proximum, legem adimplevit, potissimum quoad præcepta moralia.

Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui : hoc est, præcepta negativa, videlicet non adulterandi, non occidendi, etc. ; *et si quod,* id est aliquod, *aliud est mandatum* inclusum in his vel reducendum ad ista, *in hoc verbo* quod sequitur *instauratur,* id est, comprehenditur et impletur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* id est, ad id ad quod te spiritualiter diligere debes, videlicet ut sit justus et Deo complaceat. Qui enim sic diligit proximum, taliter facit ei qualiter vult rationabili voluntate sibi fieri : quia diligere, non est aliud quam alicui bonum velle. Spiritualiter quoque diligere, est dilecto velle dona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro.

Voluntas autem vera et efficax procedit in opus, si potest. Hinc subditur : *Dilectio proximi malum non operatur,* hoc est, ad male agendum non movet, imo ad bona inducit : quia ut asserit Augustinus, Virtus est bona qualitas mentis qua nullus male utitur ; et Aristoteles, Virtus, inquit, est quæ habentem perficit, et opus ejus bonum reddit. A virtute ergo non procedit elicitive nisi bonum, quamvis interdum virtus sit aliquibus occasio mali, ut vanæ gloriæ seu spiritualis superbiæ, aut abstinentiæ immoderatæ. Hinc ad Co-
1 *Cor.* XIII, 4, 5. rinthios scribit Apostolus : Caritas non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, etc. Imo secundum apostolum Pe-

A trum, ipsa operit multitudinem peccato- 1 *Petr.* IV, 8.
rum. Cui concordat illud Proverbiorum : Universa delicta operit caritas. *Prov.* X, 12.

Plenitudo ergo, hoc est consummatio seu perfecta impletio atque finalis perfectio, *legis* antiquæ et novæ, *est dilectio* actualis, pura ac fervida Dei et proximi : quia ad hanc omnia virtutum exercitia ordinantur et tendunt. Caritas nempe vita est animæ et præceptrix virtutum : sine qua nihil est meritorium. Ideo ad Timotheum scribit Apostolus : Finis præcepti 1 *Tim.* I, 5.
B est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta ; et alibi, Si linguis 1 *Cor.* XIII, 1.
angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, etc. Salvatore quoque testante, In *Matth.* XXII, 40.
duobus caritatis præceptis tota lex pendet et Prophetæ.

Et quamvis sint duo præcepta, una tamen est caritas habitualis qua Deus proximusque diligitur, eo quod ratio proximum diligendi sit Deus. Imo tanta est connexio caritatis Dei ac proximi, ut Scri-
C ptura sacra perfectionem seu plenitudinem legis interdum constituat in dilectione Dei, interdum in dilectione proximi. Unde ait Salvator, Mandatum novum do *Joann.* XIII, 34.
vobis, ut diligatis invicem ; et rursus, Hoc *Ibid.* XV, 12.
est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos : quasi hoc esset vel solum vel præcipuum ejus præceptum, quum tamen sit aliud majus, ut scilicet toto corde ametur Deus. Sed in prædictis Christi eloquiis sumitur dilectio proximi cum inclusione dilectionis Dei.

D Ex præinductis verbis Apostoli patet, quam paucissimi habeant veram dilectionem ad proximos suos. Qui enim proximo suo per furtum aut appetitum aliquid subtrahit, non sincere diligit eum.

SERMO PRIMUS

DE VERA SPIRITUALI DILECTIONE.

P*LENITUDO legis est dilectio.* Rom. XIII, 10.

Perfectio rationalis creaturæ est unio ejus cum suo creatore. Et quia hanc unionem maxime facit dilectio, idcirco dilectio Dei est regina, vertex et finis universarum virtutum : ita ut humilitas, patientia, mansuetudo, justitia, temperantia, fortitudo, ceteræque virtutes ad hoc finaliter ordinantur et principaliter tendunt, ut homo fiat et sit perfectus, purus, fervens ac stabilis in caritate Dei. In qua homo non potest esse perfectus, purus, fervens ac stabilis, quamdiu ad motus passionum, puta ad commotiones iræ, impatientiæ, amaritudinis, indignationis, aut inordinatæ tristitiæ, seu curæ mundanæ, vel ad affectiones ac motus superbiæ, cupiditatis, honoris, aut concupiscentiæ carnis, aut gulæ, proclivis est. Hinc ab omnibus his ceterisque peccatis oportet per virtutes mundari. Quo facto, erit homo ad Dei ferventem stabilemque amorem bene dispositus, et perficietur in eo divina dilectio.

Præterea dilectio Dei est duplex. Prima est dilectio Dei acquisita et naturalis, qua quis diligit Deum propter beneficia ejus, vel etiam propter summam et incomparabilem bonitatem et amabilitatem ipsius, secundum quod naturalis ratio dictat hoc. Hac dilectione diligunt Deum boni et mali, fideles et infideles. Hæc namque dilectio non requirit de necessitate conformationem affectus seu voluntatis ipsius amantis cum Deo quem amat : idcirco in his quorum voluntas a Deo multipliciter est aversa per diversa peccata, quamdiu non odiunt eum, potest esse ista dilectio.

Secunda est dilectio Dei infusa spiritualis et supernaturalis, per quam homo dili-
A git Deum super omnia, primo et maxime propter puram et incircumscriptibilem bonitatem et amabilitatem ipsius, cum conformatione affectus et voluntatis ad Deum, ita ut nulla peccati mortalis aversio sit in diligente : imo quidquid honorationi, voluntati atque imperio Dei contrariatur, ipse diligens detestetur; et quidquid Deus ab ipso requirit, et ad ejus honorificentiam pertinet, exsequatur. Ista infusa dilectio Dei, est omnium virtutum vita et forma, motrix et apex.

B Deinceps hujus dilectionis seu caritatis tres sunt gradus. Primus consistit in hoc, ut homo super omnia diligat Deum, nec aliquid ei præponat, secundum quod Scriptura sacra hoc præcipit. Nihilo minus bona creata, temporalia et terrena amat et utitur eis in quantum licet, salvo Dei præcepto, ita ut in amore et usu illorum vitat quæ Deus præcipiendo prohibuit, et ea facit quæ Deus fieri jussit. Istum gradum caritatis habent boni sæculares, temporalia possidentes sine abusione eorum. *Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37; *Marc.* XII, 30; *Luc.* X, 27.

C Secundus gradus caritatis consistit in hoc, ut homo pleniori affectu ferventiorique voluntate, non solum curet servare præcepta communia (sine quorum impletione salvari non potest, juxta quod ait Salvator : Si vis intrare ad vitam, serva mandata), sed insuper ad omnia quæ Dei sunt studiosus et voluntarius sit, tam ut ipse faciat ea, quam cooperando, optando et promovendo ut alii faciant ita. Iste gradus caritatis est in veris religiosis, qui non solum Dei præcepta, sed et evangelica D Christi consilia observare solliciti et zelo divini honoris succensi sunt, atque omnium proximorum salutem vehementer desiderant, et quantum valent, pro divini *Matth.* XIX, 17.

honoris promotione ac proximorum salvatione laborant, orando, docendo, abstinendo, ac aliis modis. Iste gradus competit item devotis ferventibusque prælatis, qui corde, ore et opere gregem Dei sibi commissum digne pascunt et regunt. Imo omnibus qui terrena pro Dei amore vilipendunt, et hoc mundo utuntur quasi non *Ps.* LXI, 11. utantur, implentes illud Psalmistæ, Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; qui alios secum ad Deum trahere fideliter satagunt : omnibus (inquam) his competit gradus hic caritatis.

Tertius gradus caritatis est, dum homo tanto affectu æstuat et suspirat ad Deum, quod absque ejus præsentia fruitiva quasi *Philipp.* I, 23. vivere nequit, sed coarctatur desiderio dissolvendi et exsistendi cum Christo, ita quod vivere in fastidio est, et mors in desiderio. Hic gradus caritatis est in viris perfectis, qui cum Apostolo dicere pos- *Rom.* VII, 24. sunt : Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus? et cum Prophe- *Ps.* CXIX, 5. ta : Heu mihi, quia incolatus meus pro- *Ps.* XLI, 3. longatus est; et, Quando veniam, et appa- *Ibid.* 2. rebo ante faciem Dei? et, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Eccle. IX, 1. Insuper quod Salomon loquitur, Nescit homo an odio sit dignus an amore; et quod Sancti affirmant, hominem non posse certitudinaliter scire nisi per revelationem divinam, an sit in caritate seu dilectione divina : intelligendum est de amore Dei infuso, non naturali. Verumtamen multa sunt signa per quæ potest homo probabiliter scire an sit in vera et spirituali caritate infusa. Primum et maximum est, si cordialiter cupit et satagit Deo placere. Secundum est, si odit et fugit universa peccata mortalia, in quantum sunt Dei offensiva et inhonorativa. Tertium, si libenter cogitat de Deo. Quartum, si in domo Dei, hoc est in ecclesia, sit libenter propter Deum. Quintum, si libenter de Deo et cum Deo loquatur. Sextum, pro Deo libenter dare. Septimum, verbum Dei libenter audire. Octavum, pro Deo libenter

A pati. Nonum, universa carnalia et caduca atque præsentia fastidire, atque ad spiritualia et divina cordialiter affici. Decimum signum, vel potius certitudinale argumentum, utpote revelationi æquipollens (ni fallor), est benedictionibus dulcedinis cœ- *Ps.* XX, 4. litus præveniri, in divitias gloriæ Altissimi absorberi, atque inopinatis in Deum excessibus ferri, absque proprio conatu, imo frequenter proprium contra conatum, quum tamen multoties nihil horum homini tali est possibile, etiam dum toto conatu ad B illa se dederit. De hoc plura profunda subtilioraque dici possent, sicut de ceteris signis jam tactis; sed ea tetigisse modo sufficiat, quoniam infra congruentioribus locis de eis diffusius loqui intendo.

Præterea, juxta apostolica documenta, in vera caritate persistere atque in ea semper proficere studeamus; Deo sublimi et benedicto nil præponamus; quidquid ab ejus sincera dilectione nos impedit, tanquam æternæ mortis venenum abhorreamus.

C Denique, quamvis de Dei inhonoratione, offensione et injuriatione qua quotidie a peccatoribus inhonoratur, quilibet debeat Christianus tristari, præsertim quum videamus quod servi temporalium dominorum injurias dominorum suorum ferre non valeant, sed inde contristantur, indignantur ac vindicant; potissimum tamen prælati ac superiores, de subditorum et inferiorum suorum peccatis quibus Deum offendunt seipsosque damnabiliter lædunt, cordialiter debent dolere, illosque increD pare et castigare atque ad satisfaciendum Deo inducere, et divinæ majestatis honorationem totis viribus in omnibus promovere. Teste enim Augustino, non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus est. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.

Caritas est mors criminum, virtus contra peccata pugnantium, palma vincentium, concordia mentium, societas electorum : quam fides concipit, ad quam spes tendit;

cui omnium profectus bonorum deservit. Quemadmodum enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multarum actiones virtutum ex una caritate procedunt; nec habet aliquid viriditatis seu meritoriæ bonitatis ramus boni operis, nisi in radice manserit caritatis, ut sanctus testatur Gregorius. Si ergo inordinatum et vitiosum temporalium atque carnalium rerum in te cupis amorem exstinguere, in vera Dei dilectione conare excrescere; considera quod Deus gloriosus universis ac singulis incomparabiliter melior, amabilior, deliciosior delectabiliorque consistit, cujus bonitate creatus es, cujus conservatione consistis, cujus beneficiis incessabiliter uteris, qui tibi beatitudinem sempiternam, imo se ipsum beatifice possidendum, liberalissime præparavit. Nempe ut ait Gregorius, fortis est sicut mors dilectio, quoniam sicut mors corpus interimit, sic amorem temporalium caritas spe vitæ æternæ occidit : nam quem perfecte absorbuerit, ad carnalia ac terrena desideria velut insensibilem reddit.

Cant. VIII, 6.

Legitur primo Regum, quod quum David, Deo auxiliante, occidisset impiissi-

A mum Goliath gigantem, et coram Saule rege prudenter locutus fuisset, anima Jonathæ filii Saulis regis conglutinata est animæ David, et dilexit eum sicut animam suam; exuitque tunicam suam et reliqua vestimenta, et dedit ea David; et inierunt ambo simul fœdus dilectionis, in quo fidelissime permanserunt usque ad mortem. Unde quum postea Saul rex sæpissime conaretur occidere ipsum David, Jonathas semper fuit pro David; et interdum occulte eum accessit, et consolabatur eum ac

I Reg. XVIII, 1, 3, etc.

B confortavit, non obstante quod credidit ipsum David debere in regno succedere patri suo Saul, et ideo non se ipsum : in quo patuit magna bonitas illius nobilis Jonathæ. Unde quum postea fuisset occisus, deflevit eum uberrime sanctus David, et dixit : Doleo super te, frater mi Jonatha; sicut mater diligit unicum filium suum, ita te diligebam. Unde et postea piissimus David fecit filium Jonathæ convivam propriæ mensæ, et quasi proprium filium eum tractavit. Hoc ergo exemplo maneamus in dilectione fideles, nec propter

II Reg. I, 26.

C quæcumque temporalia bona contra divinam aut fraternam agamus dilectionem.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ASCENDENTE JESU IN NAVICULAM, ETC. Matth. VIII, 23-27.

In evangeliis ante istam dominicam in ecclesia lectis, descripta sunt quædam miracula a Christo facta in terra. In evangelio autem hodierno describitur miraculum factum ab eo in mari. Ait ergo evangelista Matthæus :

Ascendente Jesu *in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus,* quia cum eo ingressi sunt illam naviculam. Christus autem humilitatis magister, parva et humilia semper elegit; nec unquam legitur ingressus navim cortinatam negotiatorum aut

D piratarum, sed navim aut naviculam piscatorum : sic et in parva urbe Nazareth voluit concipi, in parva Bethlehem nasci. Deinceps juxta Origenem, postquam Christus per diversa miracula in terra peracta, terræ Dominum se monstravit, perrexit ad mare, ut ibi quoque per miraculosos effectus, maris se Dominum declararet. Intravit quoque naviculam, ut per aquam illam veniret ad secretiorem locum, et populum ad tempus modicum fugeret : non quod solitudine posset mens ejus juvari ad va-

candum divinis, vel populi strepitu impediri. Sed primo hoc egit ut daret nobis exemplum fugiendi laudes humanas et plebem, præsertim dum magnum quid egimus, et cum admiratione inspicimur. Christus namque statim ante ingressum istum naviculæ, multa fecit prodigia. Secundo, ut cunctis fidelibus, potissimum prædicatoribus ac prælatis, conferret exemplum abstrahendi se sæpe a strepitu populari, ut in loco quieto atque secreto devotius vacent Deo, et discussioni propriæ conscientiæ perfectius vacent, et gratiam desuper impetrent, quam redeuntes proximis suis communicent. Unde in Genesi de Isaac patriarcha legitur, quod egressus fuit ad meditandum in agro, ut scilicet in agro solus exsistens, de Deo et pertinentibus ad salutem liberius atque profundius cogitaret : et hoc sibi consuetudinarium creditur exstitisse. *Gen.* XXIV, 63.

Et ecce motus magnus factus est, scilicet magna tempestas, *in mari,* id est in stagno Genesareth, ultra quod Christus transfretavit : quod dicitur mare, juxta consuetudinem idiomatis Hebræorum, qui quamlibet magnam congregationem aquæ, mare appellant, eo quod in Genesi dicatur : Congregationes aquarum appellavit Deus maria. Motio maris naturaliter generatur ex vaporibus ab inferioribus aquarum ascendentibus, atque a vento occurrente in aere, ab influentia quoque cœlesti; verumtamen motus hic maris magis creditur divina virtute miraculose quam naturaliter suscitatus, ut per ejus sedationem Christi omnipotentia ac divinitas probarentur. *Ita ut navicula operiretur fluctibus* maris illius : nam abundanter aquæ intrabant naviculam, imo et impetuose super eam spargebantur. *Ipse vero* Jesus *dormiebat* in puppi super cervical, ut dicit Marcus. Dormivit autem secundum naturam humanam, ut se verum hominem demonstraret; non secundum divinitatem, juxta illud Psalmi, Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel; neque secundum intellectivam animæ partem, secundum illud Canticorum : Ego dormio, et cor meum vigilat. Dormivit ergo Christus secundum sensitivam animæ portionem : et hoc, spontanea voluntate, ex rationis deliberatione magis quam necessitate aut infirmitate naturæ, quoniam corporalis natura et sensitiva pars animæ fuit in eo rationis judicio ac voluntatis imperio prorsus subjecta. Nihilo minus causæ ex quibus naturaliter oritur somnus, videlicet ascensus vaporum ad cerebrum, et fatigatio corporalis naturæ, fuerunt vere in Christo; sed rationis imperio subjacebant in eo.

Ibid. I, 10. — *Marc.* IV, 38. — *Ps.* CXX, 4. — *Cant.* V, 2.

Et accesserunt discipuli, et suscitaverunt eum. Putabant namque adhuc rudes discipuli, quod Christum dormientem laterent quæ eis accidebant, quasi per somnum usus rationis ligaretur ac impediretur in eo : quod ita non fuit. Imo semper actualiter intellexit omnia anima ejus a principio suæ creationis, ac unionis cum Verbo æterno instanti. *Dicentes,* quum suscitatus fuisset : *Domine, salva nos* a tempestatis hujus periculo; *perimus,* id est, mergi incipimus. *Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis,* id est, cur immoderanter timetis timore inordinato qui ex fidei defectu oritur, et non solum naturali timore qui ex imminentia periculi nascitur, quem timorem fides perfecta compescit, tollit seu minuit, *modicæ fidei,* id est, vos qui adhuc parvam, sed tamen aliquantulam fidem habetis? Quod enim dixerunt, « Domine, salva nos », ex fide profluxit, qua eum Dei Filium, et ad liberandum a tanto periculo crediderunt potentem; quod vero dixerunt, « perimus », ex timore et pusillanimitate processit; porro, quod suscitaverunt eum, ex ignorantia et fidei imperfectione descendit. Putabant namque (ut tactum est) quod Christo dormienti, minus innotescerent cuncta, quam vigilanti. Hinc increpari et audire meruerunt : « Quid timidi estis, modicæ fidei? » Si etenim magnæ fidei exstitissent, imperassent et ipsi in nomine Christi vento et mari, moxque tempestas cessasset, quemadmodum alibi

Marc. ix, 22. Matth. xvii, 19; Marc. xi, 23; Luc. xvii, 6. ait Salvator : Omnia possibilia sunt credenti; itemque, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Tollere, et mitte te in mare, et obediet vobis.

Tunc surgens Jesus a somno, *imperavit mari et ventis,* hoc est, auctoritative præcepit, tanquam creator, mari ac vento, ut ab illa tempestate quiescerent ; *et facta est tranquillitas magna,* id est, subito, imo in instanti totaliter illa cessavit tempestas: potestas enim divinitatis Christi quum sit infinita, agit, quum vult, in instanti. Itaque in hoc signo Christus suam omnipotentiam ac divinitatem monstravit. Nam vento ac mari tam auctoritative et efficaciter imperare, soli competit Creatori. Propter quod Marcus evangelista, ut miraculum istud gloriosius commendaret, sic ait:
Marc. iv, 39. Surgens, comminatus est vento, et dixit mari, Tace et obmutesce. Unde in isto fundatur theologorum positio, quod in omni natura creata est obedientialis potestas, qua suo creatori ad nutum obedit in omnibus.

Porro homines exsistentes in navicula, *mirati sunt,* viso tanto miraculo, *dicentes : Qualis est hic?* id est, quam magnus et potens est? quasi dicant : Aliquid super hominem in ipso apparet, videlicet, quod sit Deus, aut Deo carissimus, ita ut ab eo impetret quidquid vult. *Quia venti et ma-*
Ps. lxxxviii, 10. *re obediunt ei :* de quo ait Propheta, Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Inanimata quippe non obediunt proprie nisi Deo, per auctoritatem. Et si aliis obedire dicantur in A his quæ sunt super naturam, hoc non est nisi in Dei virtute. Quamvis autem quidam dixerunt, quod istud quod dicitur hic, « homines mirati sunt », non sit intelligendum de Christi discipulis, sed de nautis ac aliis qui fuerunt in navi; verius tamen etiam de Christi discipulis exponitur, quoniam Lucas refert quod timentes discipuli mi- Luc. viii, 25.
rati sunt, ad invicem dicentes : Quis putas est hic, quia venti et mare obediunt ei?
Et idem ex his quæ in Marco habentur Marc. iv, 40.
posset probari, et consonat ratio. Miratio B namque consurgit dum magnum vel insolitum quid contingit, cujus causa ignoratur : quemadmodum homines lunam eclipsari cernentes, et causam eclipsis ignorantes, mirari cœperunt. Dumque causa cognoscitur, admiratio terminatur. Discipuli autem Christi divinitatem et omnipotentiam, quæ causa fuit tanti miraculi, nondum cognoverant, nisi forsan valde indeterminate, confuse et imperfecte : idcirco mirati sunt, quamvis minus quam alii, quoniam magis assueti fuerunt videre C miracula Christi quam ceteri. Nec solum mirabantur qui in eadem cum Christo erant navicula, sed et plurimi in aliis prope navibus exsistentes. Unde in Marco habetur, quod aliæ naves erant cum eo. Ibid. 36.

De spirituali demum et mystica intelligentia hujus evangelicæ lectionis, in sermonibus dicam. Siquidem per navim quidam intelligunt pœnitentiam, nonnulli Ecclesiam, alii crucem : et juxta hoc erit de his sermo triplex.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO PER NAVICULAM CHRISTI INTELLIGATUR POENITENTIA VEL CONFESSIO.

F*ILI mi, da gloriam Deo, et confitere quid feceris.* Josue vii, 19.

Quemadmodum homo facit injuriam irreverentiamque Altissimo quando peccat, D quia divina transgrediendo præcepta, Deum contemnit et ejus imperium vilipendit, de cujus adimpletione non curat; sic quando humiliter peccata sua confitetur, justitiam

et honorem exhibet Deo, se ipsum despiciendo, accusando, atque ad satisfactionem et emendationem in omnibus se totaliter exhibendo. Hinc sicut per omne mortale peccatum Christus a cordibus iniquorum excluditur, in quibus moratur ac dominatur diabolus; ita per pœnitentiam et confessionem diabolus ab humano corde expellitur, et Christus illud ingreditur, immoratur, et in eo defertur, dicente Apostolo : Glorificate et portate Deum in corpore vestro; et Christus : Ad eum (inquit) veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Hinc per naviculam recte pœnitentia designatur : quia per ipsam ad æternæ salutis portum deducimur, et perseverando in ea, illuc pertingimus ac salvamur; nec extra eam a perpetuæ damnationis profundo quis erui potest, sicut nec extra arcam Noe a profundo diluvii quisquam salvatus est.

I *Cor.* VI, 20. *Joann.* XIV, 23.

Si ergo, o homo, vere desideras mentem tuam a dæmonum inhabitatione purgari, ab infernalis pœnæ submersione salvari, a Christo inhabitari, gubernari, et ad plenam felicitatem perduci, pœnitentiam age, hoc est, de peccatis tuis intime dole, cordialiter ingemisce, humiliter confitere, viriliter satisfac, teque indesinenter corrige et emenda; diligenter considera quam enorme sit omne peccatum mortale, quam incomprehensibiliter displiceat Deo, quam multipliciter noceat tibi, imo et proximis tuis, et quantum dæmonibus placeat. Ecce quam mirabiliter, imo quam miserabiliter ac damnabiliter magna est iniquorum fatuitas atque amentia : quoniam crudelissimis animarum suarum hostibus, puta dæmonibus nil aliud nisi æternam eorum damnationem sitientibus, acquiescunt, obediunt, obsequuntur; et unigenito Dei Filio, creatori salvatorique suo, amatori fidissimo, rebelles sunt, dissentientes, ingrati, contumeliosi. Resipisce ergo, o miser homo, et Deo tuo te subjice; vide quam misericorditer et longanimiter te exspectat, quam pronus sit te pœnitentem suscipere, confitenti ignoscere, satisfacienti gratiarum dona augere. Valde formidandum est omni iniquo quod ait Apostolus ad Romanos : Æstimas, o homo qui prava agis, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis Dei, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei.

Rom. II, 3-5.

Deinceps, sicut sanctus scribit Bernardus : Initium revertendi ad Dominum, pœnitentia est. Sed vanum est, nisi peccare destiteris, pœnitere. Verus etenim pœnitens semper in dolore est et labore : dolet namque de peccatis præteritis, et laborat pro futuris cavendis; et sic plangit commissa, ne committat plangenda. Irrisor namque et non verus pœnitens est, qui adhuc agit quod pœniteat. Si ergo verus vis pœnitens esse, a vitiis desine, et amplius noli peccare.

Verumtamen non sufficit pœnitentia cordis, sed confessio quoque requiritur oris. Ad quam B. Augustinus sapienter hortatur, dicendo : O homo, cur metuis confiteri id quod per confessionem minus scio quam id quod nescio? Cur erubescis confiteri peccata tua? Peccator sum sicut et tu : nihil humanum alienum est a me. Confitere, homo, homini; homo peccator, homini peccatori. Elige quod vis. Si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet hominem humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Verum ut dicit Gregorius : Indicia veræ confessionis sunt, ut sicut unusquisque peccatorem se dicit, ita alteri de se dicenti non contradicat. Superbiæ quippe vitium est, ut quod de se sponte fatetur, id sibi dici ab aliis dedignetur. Ideo ait Bernardus : Sunt qui peccata sua sic confitentur, ut videri possint ex desiderio mundandi cordis id agere, nisi quod ea quæ ipsi sponte aliis dicunt, ab aliis audire patienter non possunt. Qui si vere mundari optarent, non irritarentur, sed gratias age-

rent eis qui suas sibi maculas demonstrarent.

Insuper satisfactio quoque exigitur, Augustino dicente : Ad agendum pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare atque a malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfacias Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Hinc affirmat Gregorius : Nequaquam satisfacimus, etiamsi ab iniquitate cessamus, nisi et voluptates quas dileximus, econtrario lamentis oppositis insequamur. Hoc est quod beatus scribit Ambrosius : Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius delectabat in corpore, te cruciet jam in corde, bene ingemiscis ad Deum.

Præterea, Christo in naviculam taliter ascendente, sequuntur eum discipuli ejus : quia dum Filius Dei ingreditur animam per gratiosam inhabitationem, tunc omnes
Luc. xv, 7. Sancti diligunt animam talem; et gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Sed anima pœnitente, frequenter accidunt homini converso variæ tentationes ac
Ps. xxxiii, 20. tribulationes : nam multæ tribulationes
II Tim. iii, 12. justorum; et omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Imo quanto homo se fortius erigit contra solita vitia sua, atque ferventius ad virtutes adspirat, tanto diabolus contra eum vehementius furit duriusque insurgit, quantum tamen a Deo permittitur. Propter
I Petr. v, 8. quod princeps Apostolorum hortatur : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. In Ecclesia-
Eccli. ii, 1. stico quoque monetur : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.

Deinceps, interdum tentatur homo a
Gen. xxii, 1, 2. Deo, sicut in Genesi legitur : Tentavit Deus Abraham, et dixit, Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et offer illum mihi in holocaustum. Unde in libro Sapientiæ dici-
Sap. iii, 5. tur : Deus tentavit justos, et invenit illos A dignos se. Interdum tentatur homo ab homine : quia et boni homines quandoque causa exercitationis vel probationis tentant nonnullos; et quandoque homines pravi tentant bonos, vel eos ad vitia impellendo, vel eis adversa et aspera infligendo. Interdum et sæpius tentatur homo a diabolo, qui non tentat nisi ut fallat ac perimat. Interdum tentatur homo a propria carne, a prava consuetudine, a propria voluntate : quæ omnia sæpe inclinant hominem ad peccata, et etiam inclinarent B quamvis dæmones non essent. Deus vero effective ac directe non tentat inclinando ad culpam, sed infligendo pœnam aliquam, aut faciendo aliquam jussionem, ut probet et experiatur an homo sit ei vere obediens, virtuosus aut patiens : non ut Deus id sciat, sed ut aliis salubriter innotescat, vel homo se ipsum agnoscat, et magis in merito ac præmio crescat. Hinc loquitur Moyses populo Israel : Recordaberis cuncti *Deut.* viii, 2.
itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus ut affligeret te atque tentaret, et no- C ta fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non.

His ergo tentationum ac tribulationum procellis navicula cordis quodammodo operitur, ita quod virtutes animi aliqualiter offuscari videntur, et a suis actibus retrahuntur. Quodque molestius est, inter hæc Christus videtur dormire, quia ad tempus permittit suos tribulari electos, sicut de se Apostolus protestatur : Supra *II Cor.* i, 8.
modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere. Non tamen totaliter D suam retrahit manum, alias protinus vinceremur; sed ut fatetur Apostolus, ipse *I Cor.* x, 13.
fidelis Dominus nos non permittit tentari supra id quod possumus. Ideo dum nos taliter tentari ac tribulari sentimus, Christum debemus accedere, suscitare et infatigabiliter invocare, quousque juvemur ab eo, et prævaleamus ac salvemur, juxta illud Hebræorum : Adeamus cum fiducia *Hebr.* iv, 16.
ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Orandum est autem eo

Ps. CXVIII, 145. modo quo ait Propheta : Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine.

Quum vero taliter tamque perseveranter invocaverimus Deum, etiam per pœnitentiæ opera, per abstinentias, vigilias, disciplinas, tunc Deus clementer exaudiet, succurret, victoriamque præstabit, ita quod grandis orietur in mente tranquillitas, in tantum ut grata mente cantabimus Domino : *Ps.* XCIII, 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Unde in Tobia scribitur : *Tob.* III, 22. Non delectaris in perditionibus nostris, Domine, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis.

Porro qui tam gratiosam ac dulcem Dei subventionem ac visitationem ex corde desiderat, interim tentatione et adversitate durante fidelis permaneat Deo, in ipso immobiliter sperans, vitiis nullatenus cedens, vanas consolatiunculas spernens, jugiterque ad Deum suspirans, et ipsum sine defectione exspectans.

Postremo, præfatam pœnitentiæ navim vir nobilissimus S. Germanus, Antisiodorensis episcopus, saluberrime introivit. Qui dum diu sæcularis judex fuisset, et venationibus cum vanitate ac pompa sæpe

A occupatus, tandem Deo miserante compunctus est, atque episcopus factus. Qui substantia sua pauperibus erogata, sic corpus suum per triginta annos afflixit ac maceravit, ut nunquam panem frumenti aut vinum, neque legumen, imo nec sal pro sapore acciperet; sed bis tantum in anno, scilicet in Pascha et Nativitate Christi, modicum vini accepit, quod tamen aqua sic temperavit, ut vini exstingueret saporem. In refectione primo cinerem prælibavit, deinde panem hordeaceum

B sumpsit.

Lectus ejus cilicio, sacculo et cinere ornabatur; nunquam pulvinar caput ejus levavit ab humeris. In æstate vel hieme nunquam usus est nisi cilicio, et tunica vel cuculla; et quando ad dormiendum se posuit, nunquam vestem aut cilicium exuit, et raro calceamenta ac cingulum. Supra hominem fuit quod gessit, semperque in gemitu fuit, et Sanctorum reliquias collo portavit. Imo talis exstitit vita ejus, quod nisi miraculis coruscasset, incredi-

C bilis videretur. Talia quoque ac tanta fuerunt ejus miracula, quod nisi merita præcessissent, phantasmata putarentur.

Et nos ergo Sanctorum sequentes vestigia, condignam pœnitentiam peragamus.

SERMO TERTIUS

QUALITER PER NAVICULAM ISTAM QUAM CHRISTUS INTRAVIT, DESIGNETUR ECCLESIA.

FACTA *est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Prov. XXXI, 14.

Sicut beatus ait Gregorius, sancta universalis Ecclesia a primo justo Abel incepit, et usque ad finem mundi perdurabit. Et sicut navis est in medio sui lata, et in extremis suis angusta : ita tempore legis naturalis ac scriptæ pauci fuerunt, comparative loquendo, fideles; sed tempore *Ps.* XXXIX, 6. evangelicæ legis multiplicati sunt super

D numerum, et orbem impleverunt terrarum; porro circa sæculi finem, invalescente rabie Antichristi, pauci erunt aperte fideles. Hanc ergo navim, id est Ecclesiam, quæ propter suam humilitatem vel comparatione triumphantis Ecclesiæ appellatur navicula, ingressus est Christus, quando angelo nuntiante, ex Virgine naturam assumpsit humanam, a summo cœ- *Ps.* XVIII, 7.
lo egrediens, et in inferiores partes terræ *Ephes.* IV, 9.

descendens. Tunc enim assimilatus est fra- A
Joann. I, 14. tribus suis, quando Verbum caro factum
est et habitavit in nobis. Unde et Baruch
Baruch III, 38. prædixit : Post hæc in terris visus est, et
cum hominibus conversatus est. Quum autem Christus in Ecclesia inter homines in mundo hoc conversaretur, secuti sunt eum discipuli, scilicet omnes in ipsum credentes, quorum aliquibus in Cœna novissima
Luc. XXII, 28. dixit : Vos estis qui permansistis mecum
in tentationibus meis.

Præterea, Christo hanc navim ingresso, orta est tempestas magna in ea. Siquidem B
Matth. II, 3. Christo nato, paulo post turbari cœpit Herodes, et omnis Jerosolyma cum illo; deinde occisi sunt innocentes infantuli. Christo autem publice prædicante atque miracula faciente, cœperunt contra eum insurgere principes sacerdotum, Scribæ ac Pharisæi. Quorum contra Christum in tantum excrevit insania, quod a Christo Lazaro sus-
Joann. XI, 56. citato, dederunt præceptum ut si quis sciret ubi Christus esset, manifestaret, vel de synagoga ejiceretur : quo facto, expaverunt discipuli. Christus vero, quoniam C
nondum venerat hora suæ passionis, tunc
Ibid. 54. non in palam ambulabat; sed abiens in desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, ibi cum suis morabatur discipulis, paucis diebus, ut evangelista describit Joannes. Christus quoque dum sibi complacuit, cordibus discipulorum tranquillitatem concessit, præsertim dum eis in die Pentecostes Spiritum Sanctum misit.

Ecclesia ergo est navis per hoc sæculum quasi per procellosissimum pelagus, in quo innumerabiles in æternæ damnationis pro- D
funda merguntur vitiorumque fluctibus operiuntur, navigans, id est, ad cœlestis paradisi quietissimum portum festinans: quia
Hebr. XIII, 14. ut ait Apostolus, Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Quicumque vero in navi hac fide et caritate non perseverat, certum est quod æternaliter peribit : sicut hæretici, schismatici, malique Christiani et infideles.

Insuper gubernator Ecclesiæ est Spiritus Sanctus, qui universalem Ecclesiam non permittet errare nec mergi, sed impugnari ac tribulari. Remiges vero sunt angeli sancti, seu virtuosi prælati, qui ducunt diriguntque fideles, juxta illud Psalmistæ : Angelis suis mandavit de te, ut *Ps.* XC, 11.
custodiant te in omnibus viis tuis; atque
in Evangelio : Vos estis lux mundi; in *Matth.* V, 14.
Apocalypsi quoque : Septem stellæ, an- *Apoc.* I, 20.
geli (hoc est episcopi) sunt septem Ecclesiarum. Nam et quidam angelici spiritus singulis præsunt hominibus, quidam particularibus Ecclesiis, regnis sive provinciis. Michael vero princeps magnus, toti
præest Ecclesiæ, sicut et olim præfuit Sy- *Dan.* X, 21.
nagogæ. Deinceps Ecclesia portat omnium ordines electorum, seu choros sanctorum, quoniam ipsa tanquam piissima mater, omnes fideles in suæ caritatis gremio fovet, et prælatos ac subditos, religiosos ac sæculares, clerum ac vulgus, virgines, viduas et conjugales, ad veræ beatitudinis sinum deducit.

Malus autem seu arbor in medio navis istius erecta, est salutifera crux Christi, arbor decora et fulgida, ornata regis purpura, quæ omnibus proponitur adspicienda, ut qualiter sint redempti attendant. In qua evangelicæ fidei vela suspensa sunt, hoc est documenta et sacramenta Ecclesiæ, quibus juvantur ac diriguntur fideles ad procedendum velociter in hac navi ad patriam Beatorum. Ventus vero quo navis ista ad felicem cursum impellitur, est inspiratio ac motio Spiritus Sancti, juxta
illud Psalmistæ : Spiritus tuus bonus de- *Ps.* CXLII, 10.
ducet me in terram rectam. Non enim *II Cor.* III, 5.
sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra
ex Deo est. Et nemo potest dicere, Domi- *I Cor.* XII, 3.
nus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, secundum Apostolum.

Itaque in Ecclesia, quasi in saluberrima, fortissima atque pulcherrima navi, fide et opere persistamus. Ipsa enim Prophetarum et Apostolorum ac Evangelistarum doctrinis munita est, et beatissimorum ac innumerabilium martyrum sanguine rubricata, confessorum virtutibus picta, vir-

ginum puritate polita, infinitis quoque miraculis et gratiosissimis Dei effectibus approbata et certificata. In hac navi Christum sequamur, in omni humilitate, patientia, castitate et sancta dilectione Altissimo obsequentes; nec frangamur adversis, scientes quod per multas tribulationes oporteat nos intrare regnum cœlorum. (*Act.* xiv, 21.) Nam et Christum oportuit pati, et ita intrare in gloriam suam. (*Luc.* xxiv, 26.) Servi autem et membra caput suum ac dominum sequi tenentur.

Postremo hanc navim Ecclesiæ Constantinus Magnus, gloriosissimus imperator, feliciter introivit. Qui quum diu paganus et persecutor Christianorum fuisset, atque ob hoc lepram naturaliter incurabilem incurrisset, tandem Deo miserante conversus A est, et christianissimus factus. Quum enim exhorruisset effusionem sanguinis innocentis infantium, in quo idolorum pontifices consuluerunt eum pro sanitate recuperanda esse balneandum, beatissimi apostoli Petrus et Paulus ei in visione apparuerunt, atque dixerunt ut Silvestri Papæ obtemperaret consiliis ac doctrinis. Quod quum imperator fecisset, S. Silvester ipsum baptizavit; et in fonte baptismatis non solum ab omni peccato, sed a lepra quoque plenissime est curatus; et in eodem bapti- B smo se Christum vidisse testatus est. Et deinceps christianissime vixit, et peccata quæ per infidelitatis ignorantiam fecerat, amarissime itemque uberrime deploravit, et totis viribus exaltavit Ecclesiam.

SERMO QUARTUS

QUALITER PER NAVICULAM INTELLIGATUR CRUX CHRISTI.

PONE *me ut signaculum super cor tuum.* Cant. VIII, 6. C

Sicut per naviculam Christus transfretavit stagnum Genesareth, ita per crucis suæ patibulum pertransiit et exivit hoc sæculum nequam. Recte ergo per naviculam designatur crux Christi, quam ipse in die Parasceves sponte ascendit, sicut prædixit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam (*Joann.* x, 18); et rursus, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam (*Ibid.* III, 14, 15). Tunc quoque discipuli Christi secuti sunt eum per intimam compassionem, quia etsi corporaliter diffugerunt atque in fide vacillaverunt, quadam tamen dilectione et compassione ei jugiter adhæserunt; postmodum autem secuti sunt eum, sustinendo martyrium.

Porro Christo in cruce pendente atque dormiente, factus est in mundo hoc motus magnus, quia discipulorum corda tunc conturbata sunt valde, atque a fidei soliditate collapsa. Imo tunc machina mundi Christo tanquam Deo et creatori suo videtur compassa : siquidem a sexta hora usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt super universam terram, et obscuratus est sol, terraque mota, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth.* XXVII, 45, 51, 52; *Luc.* XXIII, 44, 45). Tunc navicula, puta crux Christi, operta est fluctibus, id est, ipse Christus in cruce pendens, pœnis, irrisionibus, contumeliis atque D blasphemiis fuit circumdatus, sicut in Psalmo testatur : Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit (*Ps.* LXXXVII, 4); itemque, Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me (*Ibid.* 8). Deinde suscitaverunt discipuli Christum, ejus resurrectionem optando. Quo suscitato eisque apparente, facta est in eorum corde ingens tranquillitas, juxta illud Joannis : Gavisi sunt discipuli, viso Domino (*Joann.* XX, 20).

Si ergo et nos veraciter Christi servi sumus, Christum crucifixum imitari de-
I *Petr.* II, 21. bemus. Passus est enim, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Pro-
Luc. IX, 23. pter quod dixit : Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Hinc sancti Patres affirmant quod tota vita Christiani debet esse crux atque martyrium, id est carnalium desideriorum mortificatio, vanitatum abjectio, continua proprii cordis custodia, conversatio timorata, per arctam viam incessio, id est vita pœnitentialis ac virtuosa. Virtus quippe est circa difficilia; et se ipsum coram Deo in omnibus custodire, est velut continuum martyrium quoddam naturæ. Propter quod Christus dis-
Matth. XI, 12. seruit : Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud; id est, qui se ipsos refrenant, frangunt ac vincunt, illud merentur : utpote qui non solum affectus et opera gulæ atque luxuriæ, sed omnem demum superbiæ, iræ, impatientiæ, avaritiæ atque acediæ motum restringunt ac superant. Hinc monet Apostolus, ut mor-
II *Cor.* IV, 10, 11. tificationem Christi semper in corpore nostro circumferamus, utpote corpora nostra castigando et in servitutem spiritus redigendo, ut et vita Christi manifestetur in carne nostra mortali, hoc est, quatenus vita nostra in corpore isto mortali vere sit christiformis. Nam ut idem affirmat
Ibid. V, 15. Apostolus, pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Hoc quoque ad nostram ædificationem fatetur se implesse Apostolus, dicens :
Philipp. I, 20. In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Verumtamen in hac cruciformi Christi imitatione ac ardua pœnitentialique conversatione, multiplex consolatio, copiosa dulcedo, suavissimi fructus consistunt. Virtutes namque ex sua natura sunt dulces. Et quando ad consuetudinem bonam pervenit homo, et naturam suam gratiæ subjugavit, tunc utique dulcissimum est
A exercitiis virtuosis insistere, Deo sinceriter inhærere, meditationi, orationi, contemplationi vacare. Tunc quoque Spiritus Sanctus valde frequenter ac dulciter visitat mentem, ita ut dicat : Quam magna *Ps.* XXX, 20.
multitudo dulcedinis tuæ, Domine !

Itaque Christi passionem jugiter in memoria circumferamus; et qualiter Christus in cruce pendebat, cum quantis afflictionibus corporis, cum quanta caritate, humilitate, patientia mentis, qualiter distentus, clavis confossus, spinis coronatus,
B vulneribus plenus, semper inscriptum sit cordi nostro; hæcque imago, forma seu species a cordis oculo non recedat : imo cum præcordialissima gratiarum actione, cum virtuosa imitatione hæc attendamus, ut pro Christo adversa et aspera libenter ac fortiter patiamur. Unde B. Augustinus devotissime loquitur et hortatur : Inspicite vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia
C extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate; hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus figatur in corde, qui totus pro vobis fuit fixus in cruce. Hinc quidam in Christi persona satis devote effatur : O homo, vide quæ pro te patior; non est dolor sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior : Vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior; et quum tantus sit dolor exterior, intus tamen planctus est gravior, dum te
D tam ingratum experior.

Consideratio autem dominicæ passionis maxime valet ad conservandum patientiam in omni tribulatione, quum dicat Gregorius : Nihil adeo grave est quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.

Postremo, de innocentissima ac devotissima virgine Elisabeth de Spalbeeck legitur, quod stigmata quinque vulnerum Christi in suo corpore vere realiterque portavit, et quandoque recentes plagas, de

quibus frequenter, potissimum sextis fe- A riis, copiosus sanguis effluxit; erantque vulnera manuum ejus ac pedum rotunda, lateris vero vulnus oblongum. Hæc virgo quotidie, secundum septem horas, repræsentavit in se ipsa per gestus et verbera dominicam passionem. Quotidie quoque septies ita rapiebatur ad Deum, quod nullus sensus, nullus motus, nullus flatus in ea apparuit, sed totum corpus ejus rigidum fuit instar ligni duri ac lapidis, in tantum quod nec minima pars corporis ejus moveri valebat absque totius corpo- B ris sui motu; sic quoque semper rapiebatur statim post elevationem Sacramenti et sacram communionem. Media autem nocte post raptum semper surrexit, et per cameram suam decentissime vadens, utraque palma crebro ordine se in maxillas suas dure percussit; deinde dextera manu vestes suas ante pectus suum apprehendens, se ipsam violentissime traxit, jam ad dexteram partem, jam ad sinistram, interdum retro vel ante; interdum ex tractus violentia, per varias vicissitudines impetu quodam præcipiti se localiter transferebat, ac si ab aliis violentissime atque nequissime tracta fuisset, sicut de homicidis et latronibus fieri consuevit, ut repræsentaret quod Judæi tanquam ad *Matth.* latronem exierunt ad capiendum Chri- xxvi, 55. stum, et eum tractaverunt quasi latronem. Sicque per diversos gestus et cruciatus, Christi in se passionem mirabiliter repræsentavit. Ergo et nos quotidie dominicam passionem intueamur ac imitemur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUEMADMODUM DILECTIO DEI ET PROXIMI PRÆCIPUUM SIGNUM DISCIPULATUS CHRISTI SIT, PLENITUDO ET FINIS LEGIS.

N*EMINI quidquam debeatis, nisi ut* C *invicem diligatis.* Rom. XIII, 8.

Spiritualem dilectionem esse summam virtutem, et Deo maxime complacentem, atque potissimum ab eo omnibus jussam, et ceteras virtutes in se quodammodo complectentem, evidentissimum quoque esse signum quod Dei veraciter famuli simus, sacra Scriptura uberrime docet, et sanctus Apostolus in præsentis dominicæ epistola evidentissime protestatur. Hinc etenim as-
Matth. serit Christus, quod in duobus caritatis
xxii, 40. præceptis tota lex pendet et Prophetæ.

Insuper dilectio Dei atque dilectio proximi tam inseparabiliter sunt connexæ, et ita se invicem complectuntur sive includunt, quod Scriptura nunc in dilectione Dei, nunc in dilectione proximi, finem legis, perfectionem hominis, summitatem virtutum constituit. Quamvis enim, Augustino testante, sola dilectio Dei inter filios regni et servos discernat diaboli, inter cives Jerusalem et Babylonis, inter electos et reprobos; nihilo minus ipse Dominus Jesus Christus testatur, In hoc cognoscent *Joann.* xiii, omnes quia discipuli mei estis, si dilecti- 35. onem habueritis ad invicem; et rursus, Hoc est (inquit) præceptum meum, ut di- *Ibid.* xv, 12. ligatis invicem; itemque, Mandatum no- *Ibid.* xiii, D vum do vobis, ut diligatis invicem sicut 34. dilexi vos : quasi istud sit præcipuum specialissimumque ipsius mandatum, quum tamen ipsomet protestante, sit aliud mandatum isto prius atque præstantius, ut sci-

Matth. XXII, 37; *Marc.* XII, 30. licet toto corde totisque viribus diligatur super omnia Deus. In hac quoque epistola docet Paulus, quod plenitudo legis sit dilectio proximi; alibi vero fatetur, quod *I Tim.* I, 5. finis præcepti est caritas (utique Dei) de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

Porro, secundum doctores, idem est habitus caritatis quo Deus proximusque diligitur, quemadmodum eadem est fides habitualis qua de Deo et rebus creatis creduntur quæ in Scripturis credenda esse traduntur : quoniam Deus est ratio diligendi proximum, sicut increata veritas est ratio credendi quæ de rebus creduntur creatis. Sed alia est dilectio actualis qua Deum amamus et proximos. Nec dubium quin dilectio proximi sit finaliter ordinanda ad dilectionem Dei, tanquam ad superiorem ac præstantissimum actum. Quod ergo dilectio proximi, plenitudo et finis legis, apex virtutum, ac præcipuum signum discipulatus servitutisque Christi vocatur, intelligendum est in quantum in ea resplendet ac continetur dilectio Dei, in qua, absolute loquendo, consistit perfectio, et quæ simpliciter plenitudo est præceptorum, finisque legis, et vertex virtutum.

Quum itaque dilectio ista spiritualis infusa Dei ac proximorum, tam summe ac primo et maxime ad omnem spectet Christifidelem, quanto magis ad religiosos, quorum omnia vota et instituta, labores, sudores, actus et intentiones ad caritatis tendunt et ordinantur perfectionem, puritatem, fervorem? Hinc sanctissimi patres Hieronymus, Basilius, Augustinus, regulas suas a præcepto hujus geminæ inchoant caritatis. Ait quippe in Regula sua, primo capitulo, gloriosus Hieronymus : Quis in monasterio constitutis primus sit accipiendus vivendi Deo modus ac regula, ipsemet Christus, hujus propositi inceptor ac *Matth.* XIX, 17. doctor, instruit, dicens : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et si quæratur *Ibid.* XXII, 37, 39, 40. quæ sint, exposuit : Diliges (inquit) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum. In istis A duobus mandatis pendet quidquid est legis, quidquid Prophetæ, quidquid sancti viri sint perscrutati. Caritas sola reddit hominem Deo viventem; hæc religiosos, hæc monachos facit. Sine caritate, monasteria sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmones; cum hac vero, sunt paradisus in terris, et in eis degentes sunt angeli. Idcirco quamvis longa macerent carnem jejunia, licet abjecta vestis deformet, licet longa officiorum ac operum texatur series, si intus caritas desit, ad B infimum nondum religionis gradum perventum est. Propterea a caritate incipiendum est iter ad apostolicæ vitæ sublimitatem. Nihil bonum divisum est. Omne ens, secundum philosophos, tantum habet bonitatis quantum unitatis ad attinens suæ naturæ. Idcirco in apostolica vita et in monasterio congregatis sit cor unum et anima una, quemadmodum de Apostolis et apostolicis viris in Actibus legitur : Multitudinis credentium erat cor unum et *Act.* IV, 32. anima una in Domino. Nulla vita pro certo C deterior, quam simul degere corpore et non mente; et vere infelices sunt, quibus non inest una sed diversa voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia : ne quod placet uni, displiceat alteri; quo unus lætatur, alter tristetur. Sicque habere poteritis religionis propositum, si unanimes in domo Domini habitetis. Hæc vere est vita Dei, non diaboli; vere monasterium, non infernus; vere vita religio- D sa, non diabolica. Hucusque Hieronymus. Possem autem ad horum confirmationem alia plurima allegare; sed quoniam infra de caritate et omni præsenti materia sæpissime sermo occurret, illa interim differantur.

Et nunc protinus accingamus nos ad considerandum ac penetrandum, imo et adimplendum præinducta sanctissimi verba Hieronymi : quæ nullo modo poterimus adimplere, nisi passionibus reformatis, in vera ac stabili humilitate, mansuetudine,

patientia, simus fundati. Si enim unusquisque vult proprium caput sequi, et suum sentire aliorum censuræ præferre, nulli cedere, nec pro pace concordiaque servanda omittere quæ absque Dei offensa dimittere potest, qualiter poterit sine dissensione, turbatione, amaritudine ac scandalo inter fratres versari? Pensemus ac formidemus quod beatissimus ac illuminatissimus iste ait Hieronymus : Nulla pro certo vita deterior, quam simul degere corpore et non mente; et vere infelices sunt, quibus non una sed diversa inest voluntas. Quid ad hæc dicturi sunt, qui zelum inter se habent amarum et contentiones, qui ad deridendum ac perturbandum se invicem proni sunt; imo qui crebrius excogitant qualiter aliquid facere queant, verbo, signo aut opere, quod displiceat alteri, quo turbetur ac contristetur? Quumque tale quid egerint, gloriantur, quasi qui desiderio suo satisfecerint ac sua bene expedierint facta. O quam longe sunt isti a monastica ac sincerissima caritate!

Jacob. III, 14.

Verum ut hæc plenius intelligantur, pensemus quid sit vera caritas fraterna. Utique caritas hæc est : proximum in Deo vere diligere mente, et quod caritas exigit, opere exhibere, ut scilicet proximo desideremus dona gratiæ ac virtutum, spiritualem profectum, æternam salutem; et quidquid ad eam copiosius compendiosiusque adipiscendam accommodum est, proximo velle, et ei pro posse impendere, procurare ac custodire, quemadmodum sibimetipsi; quidquid vero caritatis ac pacis et spiritualis profectus impeditivum est, evitare atque de medio pro posse auferre. Certe qui sic diligit, vere diligit; et qui ita non diligit, nequaquam vere perfecteque diligit, sed tantum a sincera distat dilectione, quantum ab horum deficit observatione. Denique omnia ista in divino Officio potissimum sunt observanda, quatenus cum tranquillitate, devotione, dulcedine, concordia, non cum indignatione, discordia ac mutua displicentia, quæ Dei sunt peragantur.

A Sed qualiter prætacto modo diliget proximum, qui nec sincere diligit se ipsum? Siquidem qui diligit iniquitatem, proprias affectiones, animositates, nec frangit proprios motus, atque ad ulciscendum se pronus est, non utique diligit, sed odit animam suam. Ex quo consequens est quod non amat, sed odit proximum suum, quem scandalizare, impedire, turbare, contristare, affligere ac persequi non veretur. Quæ omnia vehementissime periculosa censentur, maxime dum in consuetudinem deducuntur, in tantum quod nec ponderantur nec advertuntur. Assiduitas namque peccandi prorsus obtenebrat oculum mentis.

Ps. x, 6.

B

Refert Climacus, in monasterio illo sanctissimo in quo multis fuit diebus, consuetudinem fuisse abbatis cœnobii illius, ut si quis apparuisset fratris oditor, persecutor, detractor, statim exsularet hujusmodi et incarceraret, aut certe expelleret. Unde dum quidam fratri maledixisset, statim sanctissimus ille abbas expulit eum, dicens æque non esse sustinendum in cœnobio visibilem ac invisibilem dæmonem. Quumque Frater ille expulsus cordialissime pœniteret, atque per sex dies, sine cibo et potu, præ foribus veniam postulans jacuisset, recipi petens, abbas ille justissimus ei remandavit quod non nisi ad carcerem eum reciperet : quod Frater ille gratanter accepit. Ecce quanta fuit disciplina ibidem.

C

Et nunc, carissimi fratres, redeat quilibet ad se ipsum, interiorem oculum super se reflectens, seque cum diligentia summa examinans an juxta præhabita sit vere caritativus : alioqui digne pœniteat, confiteatur, emendet, adjutorium gratiæ Spiritus Sancti incessabiliter infatigabiliterque imploret. Frangamus et superemus nos ipsos; propriosque defectus, vitia et ærumnas atque pericula tam profunde, tam frequenter ac dolorose pensemus, intueamur ac ponderemus, quod ab aliorum fatua observatione, temeraria dijudicatione, amara displicentia desistamus. Qui diu in cœnobio est, aut optimus aut pessimus a sanctis

D

Patribus perhibetur, ita ut vix medium inveniatur, quum Hieronymus Augustinusque dicant, se non vidisse meliores iis qui profecerunt in religione, neque pejores quam eos qui non profecerunt ibidem. Eusebius quoque et Cæsarius asserunt, eos qui in cœnobiis suas quotidie non frangunt voluntates ac passiones, multo esse A deteriores quam fuerunt aut essent in sæculo. O quam horrenda sunt ista rite pensantibus, potissimum iis qui quamvis diu fuerunt in Ordine, tamen adhuc valde passionati, irrefrenati, infracti sunt! Qui quum non sint optimi, videant ne forte sint pessimi, seque emendare non differant.

SERMO SEXTUS

QUONAM MODO PER NAVICULAM QUAM CHRISTUS INTRAVIT, CŒNOBITICA RELIGIO INTELLIGATUR.

MOTUS *magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Matth. VIII, 24.

Per naviculam istam mystice plura intelliguntur, puta Ecclesia, pœnitentia, crux Christi, religio sive cœnobium, ac alia quædam. Nunc autem qualiter per eam exprimatur religio, est tangendum.

Hujus ergo prima est ratio, quoniam sicut in navi est locus angustus, ac sobrius cibus et potus, nec ibi deliciæ aut evagatio nec abundantia expetuntur; ita in religione debet esse tenuis victus atque vestitus, non delicatus neque superfluus. Boni religiosi etenim, paupertatem se vovisse pensantes, arctis ac necessariis sunt contenti, præsertim quum vita monastica sit tota vita pœnitentialis, cui superfluitas atque voluptas contrariantur.

Secundo, quoniam sicut in navigio omnes, quantumcumque magni, sapientes, potentes, divites aut nobiles, gubernatori seu nauclero obtemperant, ejus consilio acquiescunt, ad pedes quoque ipsius sedere non dedignantur ; ita in cœnobio, quantumcumque sint eminentes, suo superiori humiliter debent obedire, subesse, acquiescere, tanquam Christi vicario, etiam si in donis naturæ aut bonis fortunæ fuerit modicus. Idcirco in Regula sua dicit Hieronymus, quod sicut nihil est stultius, B nihil intolerabilius, quam peregrinos et advenas velle præcipere civibus, directoremque viæ velle docere de semitis et securitate ac brevitate itineris, præsertim in loco insolito; sic omnino irrationabile est et stultum, spirituali Patri, cujus est viam salutis ostendere, non velle obtemperare. Et sicut portentum esset apud navigatores, nec unquam veniretur ad portum, si de directione et gubernatione navigii quicumque remigator ordinaret ad libitum, sed nauclero obedire oportet; ita C in religione summa esset abusio, si unusquisque pro suo libito ordinare vellet ac agere, aliosque monere; sed Patri omnes necesse est obedire, si ad salutis pervenient portum. Imo nec civitas, nec regnum, nec minima domuncula diu maneret in rure, si deesset cujus obediretur præcepto. Hinc princeps Apostolorum : Servi (inquit) subditi estote in omni timore (I Petr. II, 18.) dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Si itaque servi sæculares dominis suis mundanis cum tanto ti- D more subdi ac obedire jubentur a summo Apostolo, cum quanta reverentia religiosos solenni voto ad obediendum adstrictos, suis obedire superioribus est necesse? Ideo ait Bernardus : Si quis obediat quidem, sed simulatorie, ad oculum, murmuret autem occulte, falsa est obedientia. Sola namque

caritas obedientiam facit gratam et Deo A acceptam; talisque obedientia recte dirigit gressus nostros, ac sanctæ conversationis gratiam promeretur.

Tertio, per navim significatur religio : quoniam sicut periculum imminet navi si fuerit vacua, quia vacillat, et item si nimium oneretur, quia submergitur ; ita religiosis periculum est si corpus immoderate extenuent, ita ut sequi non queant conventum, aut nimium repleant, quia verbosi, leves, somnolenti ac pigri red-
Rom. XII, 1. duntur. Idcirco rationabile et discretum B debet semper esse eorum obsequium.

Quarto, quoniam sicut navis continue fluctibus, undis, impulsionibus maris quatitur et jactatur, sic vita religiosorum ab invisibilibus hostibus, a propriæ carnis ac improbæ voluntatis affectibus, et etiam a fratrum imperfectionibus aut importunitatibus, omni die tentatur, probatur, discutitur. Imo quo virtutibus virilius student, eo inimicus acrius ac multiplicius eos impugnat, et aliquos contra eos inflammat. Imo religiosi vere devoti se mutuo ad C patientiam caritative exercent, atque a superioribus suis multipliciter exercentur, corripiuntur et disciplinantur, etiam sæpe quando non promeruerunt, quatenus se ipsos discant in omnibus frangere, humiliare, contemnere, et ne eorum obedientia, patientia, humilitas in se ipsis debilitetur, dum non exercetur nec procedit in actum. Finaliter vero hæc omnia fiunt ut crescant in gratia et gloriosius coronentur. Verus igitur religiosus spiritualibus armis semper munitus sit, et ad prælia contra dæ- D mones ac peccata præcinctus. Ideo ait Eusebius : Quanto ardentius laboramus, tanto cautiores esse debemus. Proficientibus enim insidiatur inimicus ; et ubi videt spem aliquam aut aliquam gratiam, ibi
I Petr. V, 8. tanquam leo rugiens et circumiens, ad invadendum prædam totus incumbit. Quamdiu autem in mundo eramus vitiis inhærentes, nobis non resistebat inimicus, sed consentiebat, et delectabant eum opera nostra ; nunc vero quum ejus voluptatibus ac vanitatibus renuntiavimus, atque virtutibus operam damus, omnes nocendi aditus pervigil insidiator explorat, et mille nocendi exercet ingenia. Juniores et imperfectiores gula, blanditiis atque indomitæ carnis impugnat aculeis ; meliores vero ac seniores per elationem et jactantiam, vanamque gloriam aut nimiam securitatem nititur expugnare.

Quinto, quia sicut in navi propter continua et magna pericula est frequens timor, sollicitudo et circumspectio, memoria et invocatio Dei ; ita in veris religiosis est castus, filialis atque assiduus Dei timor, observatio periculorum atque insidiarum, incessabilis imploratio divini subsidii. Perpendunt namque se ignorare an amore *Eccle.* IX, 1.
sint digni an odio, et penitus se nescire fatentur quid finaliter fiet de eis ; considerant propriam fragilitatem, defectuositatem ac divini rigorem judicii, seque indesinenter propinquare ad mortem, ad Dei examen, ad futura supplicia, si hinc non satis purgati exierint ; intuentur quantum distant a suorum virtutibus patrum, quam multi eis virtuosiores corruerunt ac perierunt, quam proni sunt ad peccata, quam etiam celeriter perderent, si aliquid in se habent virtutis, nisi incessanter per Dei gratiam conservarentur. Hinc omnem periculosam detestantur securitatem, et timorati consistunt, et semper proficere satagunt, juxta illud : Quum consummaverit *Eccli.* XVIII, 6.
homo, tunc incipiet. Verumtamen quidam propria victi acedia, et ab adversario multum decepti, in annorum numero et exteriorum laborum multitudine ac magnitudine spem suam reponunt, et quadam fallaci securitate tepescunt ac sordent, non attendentes quod in interiorum expurgatione, reformatione ac fecunditate vis tota et fructus ac finis laborum consistant. Hinc ait Eusebius : Nemo de præteritis sit securus. Tanti laquei objecti sunt ante pedes animæ nostræ ; tam innumerabiles crudelissimi ac callidissimi hostes iter nostrum observant ; tantæ foveæ, tot prærupta, tantæ difficultates latent inter nos et fi-

nem nostrum; tot fluctus et scopulos nos A transire necesse est antequam ad portum pertingamus salutis : et putamus nos debere esse securos, ac sine quotidiana cura, sine timore et tremore diem debere transigere ? Quis per arctissimum pontem super profundissimum transiens flumen, etiam si majorem transierit partem, jam periculum evasisse se credat, quum in ultimo pontis spatio, si paululum titubaverit, casum quem in medio timebat incurrat? Quis in acie positus, ante finem certaminis aut ante triumphum arma de- B ponat? Hinc sanctus testatur Gregorius : Electi quique quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt; horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, insidias vincunt hostis antiqui. Nam multis sæpe grave fuit periculum incauta securitas. Unde et quidam Sanctorum disseruit : Sæculares homines quasi in mediis fluctibus hujus magni maris, quod est sæculum nequam, navigare videntur; religiosi vero, quasi in tranquillioribus aquæ locis. Et sæpe contingit, quod illi per diligentiam suam pertingunt ad portum, isti vero per negligentiam et securitatem suam depereunt. Unde et sanctus abbas Silvanus, post contemplationem, raptum et ecstasim ad se reversus, cum gemitu et fletibus dixit : Vidi multos de Ordine nostro descendere in infernum, multosque sæcularium ascendere cœlum.

Simus ergo in omnibus jugiter custoditi ac timorati; et dum fluctibus tentationum, distractionum, pravarum affectionum operimur et quatimur, clamemus ad Christum, dicentes : Domine, salva nos, peri- *Matth.* VIII, 25.
mus. Nec ab oratione et spirituali profectu unquam tepescat cor nostrum.

SERMO SEPTIMUS

QUO PACTO NON SATIS SIT VOLENTIBUS SEQUI CHRISTUM IN NAVICULAM, QUÆ CRUCEM SIGNAT, SUA RELINQUERE, NISI ET RELINQUANT ABNEGENTQUE SE IPSOS.

ASCENDENTE Jesu *in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.* Matth. VIII, 23.

Recte per naviculam intelligitur crux Jesu Christi : quoniam sicut per navim ad portum venitur de fluctibus periculisque abyssi, ita per crucem Christi ad æternæ beatitudinis tranquillitatem perducimur de tribulationibus atque miseriis hujus mundi, dummodo Christum cruciformiter
Luc. IX, 23. imitemur, quemadmodum ipse dixit, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. D
Rom. VIII, 17. Unde et Apostolus ait : Si compatimur, et
Galat. V, 24. conglorificabimur ; itemque, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Postquam ergo Salvator ascendit in naviculam, id C est, cruci affixus est, secuti sunt eum discipuli ejus : non solum Apostoli et martyres sancti, qui sanguinem suum fuderunt pro Christo, sicut et ipse suum pro ipsis, quamvis non pro causa eadem ; sed etiam omnes viri perfecti ac religiosi, qui Christi intuitu et amore, non dumtaxat omnia sua, sed et se ipsos penitus reliquerunt, abnegaverunt, atque salubriter mortificare conati sunt, exhibentes se mortuos crucifixosque mundo, et mundum sibi crucifixum ac mortuum arbitrantes, cum beato dicentes Apostolo : Mihi absit gloriari, ni- *Galat.* VI, 14.
si in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ; itemque : Christo confixus sum *Ibid.* II, 19, 20.
cruci; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Et denuo : Ego (inquit) sti- *Ibid.* VI, 17.

gmata Domini Jesu in corpore meo porto. A

Denique hæc sui ipsius abnegatio, recte mortificatio et crucifixio abnegantis vocatur, per quam civiliter moritur, nec de cetero ad actus sæculi reputatur idoneus : quia post abnegationem hanc non licet homini vivere secundum suam naturam, inclinationem et appetitum, secundum propriam rationem ac libertatem, secundum pristinos mores, sed juxta Christi præcepta atque consilia, et juxta directionem et jussionem vicarii ejus, in cujus manu abnegans se ipsum obtulit Deo in holocau- B stum. Itaque religiosus se abnegando, confixit se cruci Christi, se ipsum salubriter mortificando : ita quod sicut qui cruci affixus est, jam membra sua pro libitu suo movere non valet, sic religiosus vere obediens, se juxta beneplacitum suum movere non potest, nec loqui, nec intrare, neque exire, nec manducare, nec dormire, nec surgere, nisi juxta Ordinis sui statuta, et Patris sui præcepta, documenta et licentiam.

Præterea, sicut et cruci affigi et in ea pendere, valde est pœnale naturæ, ita præ- C fato modo semetipsum relinquere, mortificare, universa carnis desideria superare, in omnibus obedire, gravissimum est naturæ voluntatique propriæ : imo nisi gratia auxiliante, impossibile reputatur, atque in conversionis principio difficilius invenitur, quanquam quibusdam per gratiam mirabiliter ac misericordissime prævenientem, exuberantem ac specialissimam, sit miro modo perfacile. In quibus fit mutatio de extremo in extremum, de distanti in distans, non quasi per medium gradiendo, D sed illud celerrime pervolando : quia repente aufertur eis prava consuetudo, statimque prompte ac delectabiliter exsequuntur quæ Ordinis sunt. Verum hoc raro ac paucis contingit. Idcirco in Regula sua sanctus fatetur Basilius : Non parvus est labor, ut se quis a priori consuetudine revocet et reflectat, quoniam quidem mos longo tempore confirmatus quodammodo obtinet vim naturæ.

Luc. IX, 23. Oportet ergo nos primo omnium abnegare nos ipsos, et tollere crucem Christi, ac taliter eum sequi. Abnegamus autem nos ipsos hoc modo, si per omnia præteritæ consuetudinis obliti, voluntates proprias abnegemus, et ita non solum ab hominibus non recte agentibus, verum etiam a nostris ipsis inordinatis et incompositis moribus secedamus. Nam paratum esse usque ad mortem pro Christo se mortificare, id est ab inordinato usu seu actu refrenare propria membra, atque pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est tollere crucem suam.

Præterea, prout in Institutis Patrum recitat Cassianus, de hac re sapientissime informavit abbas Pinuphius quemdam Fratrem dum eum recepit ad suam congregationem ac religionem, inter cetera loquens : Abrenuntiatio nihil aliud est quam crucifixi imago et imitatio, et crucis ac mortificationis indicium. Idcirco noveris hoc die te huic mundo et actibus ac desideriis ejus esse defunctum, teque mundo, *Galat.* VI, 14. secundum Apostolum, esse crucifixum, tibi quoque hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cujus sacramento te deinceps oportet in luce hac conversari : quia jam tu non vivis, sed vivit in te *Ibid.* II, 20. ille qui est pro te crucifixus. Eo ergo habitu et figura qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita jugiter degere, ut secundum David, affigentes timore Domini carnes *Ps.* CXVIII, 120. nostras, universas voluntates ac desideria nostra habeamus non nostris concupiscentiis deservientia, sed mortificationi Christi affixa, secundum quod ait : Qui non acci- *Matth.* X, 38. *Luc.* XIV, 27. pit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Sed forte dicis : Quomodo potest quis crucem jugiter bajulare, et vivus crucifixus consistere ? Audi breviter rationem. Crux nostra timor est Domini. Quemadmodum ergo aliquis crucifixus potestatem non habet movendi aut convertendi membra sua quoquam, ita et nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo

nos illa adstrinxerit, applicemus. Et sicut A is qui patibulo crucis affigitur non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, nec pro crastino sollicitatur, nulla possidendi concupiscentia permovetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, seque quum adhuc spiret in corpore, cunctis quæ mundi sunt reputat esse defunctum, illuc dirigens et præmittens cordis sui intuitum, quo se noverit illico transiturum ; ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet non solum carnalibus vitiis, verum etiam B mundi elementis ac rebus mortuos esse, illuc habentes oculos cordis nostri defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos.

Ecce jam innotescit ex his saluberrimis Patrum eloquiis quid ad nostrum pertineat statum, ad qualia obligemur. Ideo examinemus nos ipsos an tales simus quales esse tenemur : an simus mortui mundo, et an mundus crucifixus sit nobis. Quis est mortuus mundo ? Ille utique qui nihil appetit hujus mundi, id est nihil C temporalis honoris, nihil mundanæ vanitatis, vanæ delectationis, carnalis voluptatis ac superfluitatis, nec aliquo horum lætatur, imo nec sentit hæc, quemadmodum mortuus nihil sentit. Denique illi crucifixus est mundus, cui omnia ista mundana non solum non sapiunt, sed insuper sunt molesta atque pœnalia. Numquid ergo mortuus mundo est, crucifixumque sibi habet mundum, qui sæcularibus rumoribus delectatur, qui vana et frivola audit libenter, qui delicata fercula cupit, qui ad cachinnos, dissolutiones, verbositates sæcularesque mores resolvitur, et sæcularium gaudet consortio, recreatur colloquio, non pro spirituali profectu, sed pro suæ tepiditatis occultæque vanitatis ac mundanæ affectionis vilissima consolatione ? Numquid qui talis est, universas suas affectiones habet mortificationi et cruci Christi affixas, et non potius suis concupiscentiis deservientes ? Heu, heu ! ubi manebimus qui vocationem nostram nequaquam condigne attendimus, tamque dissoluti ac negligentes consistimus, quum tamen de patrimonio crucifixi abundantissime sustentemur, quum antiqui illi religiosi qui de manuum suarum laboribus tam parcissime alebantur, tam timorati ac mortificati exstiterint ?

Ne ergo æternaliter pereamus, ponderemus præhabita, et emendemus nos fortiter ; passionemque Christi jugiter cum omni compassione, dilectione, gratiarum actione, atque fideli imitatione, hoc est cruciformi conformatione, intueamur ac recolamus, quatenus Christi amore et suæ passionis intuitu, persecutiones, injurias, infirmitates, disciplinas, omniaque adversa prompto animo toleremus, vana quoque solatia, carnalia oblectamenta omnemque ambitionem totis respuamus præcordiis, quatenus gaudium et consolatio nostra sit Christo taliter conformari, qui pro salute nostra tot et tanta sustinuit.

DOMINICA SEXTA
POST NATIVITATEM CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

INDUITE ERGO VOS SICUT ELECTI DEI, SANCTI ET DILECTI, VISCERA MISERICORDIÆ, ETC. Coloss. III, 12-17.

MORALISSIMA documenta proponit nobis Apostolus in præsenti epistola, dicens : *Induite ergo vos,* id est, animas vestras spiritualiter vestite, ornate ac roborate, *sicut electi Dei,* id est, ut decet et oportet homines a Deo electos per prædestinationem æternam, et *sancti* per expurgationem a vitiis et per infusionem virtutum, *et dilecti* a Deo, per hoc quod dona gratiæ suæ vobis communicavit, quæ sunt effectus et signa dilectionis Dei ad homines. Porro, quod Colossenses isti fuerunt prædestinati, sancti et Deo cari, Apostolus certo scire non potuit nisi per revelationem divinam ; probabiliter tamen id cognoscere potuit ex conversione eorum ad fidem, et conversatione ac patientia in adversis. Induite ergo *viscera misericordiæ,* id est viscerosam seu affectuosam misericordiam, non fictam et superficialem, ut agunt hypocritæ, *benignitatem,* id est internam pietatem ac mentis dulcedinem ad bene favendum ac benefaciendum proximis vestris, *humilitatem,* quæ est fundamentum virtutum, *modestiam,* id est compositionem in moribus seu moderamen in verbis ac factis, decenter in omnibus vos habendo, *patientiam* in adversis, per quam inordinata tristitia expellitur. *Supportantes invicem,* ita ut unus defectum et onus alterius cari- A tative et pie supportet, non indignando, irascendo, convitiando, spernendo, dijudicando ; sed sicut vultis ut Deus supportet vos, ita et vos mutuo supportate. Hinc alibi dicit Apostolus : Alter alterius onera *Galat.* VI, 2.
portate, et sic adimplebitis legem Christi ; itemque, Debemus nos firmiores, imbecil- *Rom.* XV, 1.
litates infirmorum supportare, et non nobis placere. *Et donantes vobismetipsis,* id est mutuo ignoscentes, *si quis adversus aliquem habet querelam,* id est, ab aliquo offensus est, seu injuriam passus, ut in B Oratione dominica bona fronte dicatis : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos, *Matth.* VI, 12.
etc. *Sicut et Dominus donavit vobis,* id est, Christus seu Deus Trinitas vobis indulsit, quotiescumque post culpam vere pœnituistis, *ita et vos* donate seu indulgete : quoniam Christus ait, Exemplum *Joann* XIII, 15.
dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis ; et denuo, Si non dimiseri- *Matth.* VI, 15.
tis de cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

Super omnia autem hæc, caritatem ha- C *bete,* id est, hoc summe necessarium est, ut spiritualem Dei et proximi habeatis amorem, quoniam caritas est dignissima virtus : sine qua nulla virtus est viva, formata ac meritoria. *Quod,* id est quam caritatem habere, *est vinculum perfectionis,* id est aliarum virtutum nexus et ligamen-

tum seu consummatio. Omnia quippe quæ A ad perfectionem pertinent, caritas simul ligat : quia quamdiu ipsa inest, cetera ad perfectionem pertinentia insunt ; et ea amissa, perduntur et illa. Hoc est quod princeps Apostolorum hortatur ac asserit : I *Petr.* IV, 8. Ante omnia mutuam in vobis caritatem continuam habete, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum.

Denique, quamvis præfatæ virtutes habeantur a Deo per infusionem, hortatur tamen Apostolus ut eas nos induamus, quia ad earum susceptionem nos præparare de- B bemus. Vel dicendum, quod ad actum atque profectum harum virtutum nos admonet, ut scilicet in eis nos fortiter exerceamus, et de virtute in virtutem eamus, id est de actu unius virtutis ad actum alterius, ut semper simus bonis intenti operibus.

Et pax Christi, id est pax pectoris, tranquillitas mentis, quæ Christo placet et ab ipso præstatur, *exsultet in cordibus vestris,* id est, corda vestra in Deo faciat jucundari. Hoc namque pax facit formaliter, quoniam pax pectoris realiter est C gaudium imperturbatum per quod mens in Deo quiescit. *In qua* pace *et vocati estis in uno corpore* mystico, id est, per pacem internam, seu eam habendo, computati et positi estis in mystico corpore Christi, quod est Ecclesia, ita quod vere estis de numero membrorum Christi seu filiorum Ecclesiæ. Qui enim pacem hanc habet, caritatem habet, quia caritatis effectus est pax hæc : quam diaboli membra *Is.* LVII, 21. non habent, juxta illud Isaiæ, Non est pax impiis, dicit Dominus. *Et grati estote* Deo D pro universis beneficiis ejus generalibus ac specialibus, naturalibus et supernaturalibus, ea humiliter recognoscendo et Deo veraciter attribuendo, atque pro eis non vos ipsos laudando vel extollendo, sed Deum. Qui enim gratias agit, non solum quod habet meretur servare, sed et potioribus donis impleri.

Verbum Christi, id est evangelica doctrina ex Christi ore prolata, *habitet in vobis,* id est, in mentibus vestris stabiliter memoriterque permaneat, ut fructuose obediatis ei in omnibus, juxta illud in Psalmo : In corde meo abscondi eloquia *Ps.* CXVIII, 11. tua, ut non peccem tibi. Unde in Deuteronomii libro habetur : Erunt verba Do- *Deut.* VI, 6-8. mini in corde tuo, et meditaberis ea, sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens; eruntque et movebuntur inter oculos tuos. *In omni sapientia,* id est sapientiali intelligentia Scripturarum, quatenus verba Christi sane intelligatis, non juxta proprium sensum, sed secundum Ecclesiæ intellectum, *docentes* ad intelligendum, *et commonentes,* id est exhortantes ad bene agendum (sci- *Jacob.* IV, 17. enti enim bonum, et non facienti, peccatum est illi ; et teste Psalmographo, Intellectus *Ps.* CX, 10. bonus omnibus facientibus eum), *vosmetipsos,* id est unus alium, vel unusquisque se ipsum, quia per studium, inventionem et exercitationem instruit homo se ipsum, quum et Apostolus dicat : Qui alium do- *Rom.* II, 21. ces, te ipsum non doces ? Homo etenim quum sit discursivus, ex his quæ novit consurgit ad incognita quæ non novit. *In psalmis,* qui ad bene operandum hortantur seu instruunt, ut psalmus primus et alii multi, *et hymnis,* in quibus divina laus continetur, *et canticis spiritualibus,* quæ de bonis cœlestibus gaudiisque futuris loquuntur.

Et hæc facite *in gratia* gratum faciente exsistendo, quia extra eam nil meritorium est; vel, « in gratia », id est cum gratiarum actione ; aut certe, « in gratia », id est consideratione gratuitorum beneficiorum Dei; *cantantes,* id est laudem Deo dicentes, *in cordibus vestris,* id est cum attentione mentali et cordiali affectu ; vel, « in cordibus vestris », id est intellectualiter, etiam tunc quando id vocaliter facere non potestis sive non expedit : juxta illud, Con- *Ps.* IX, 2. fitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Hoc dicitur contra eos qui non corde sed labiis Deum glorificant : de quibus in Isaia conqueritur Deus, Appropinquat po- *Is.* XXIX, 13. pulus iste ore suo, et labiis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Denique

eamdem sententiam ponit alibi Apostolus, A *Ephes.* v, 18-20. dicens : Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus semper.

Deinde docet Apostolus qualiter omnia sint ad Deum finaliter referenda. *Omne quodcumque facitis in verbo,* utpote prædicando, docendo, hortando, orando, psallendo, *aut in opere* exteriori, *omnia in* B *nomine Domini nostri Jesu Christi,* id est ad gloriam ejus, et cum invocatione nominis sui, *facite, gratias agentes Deo et Patri,* id est summæ Trinitati, cui di- *Matth.* vi, 9. cimus : Pater noster, qui es in cœlis; alibi *Is.* LXIV, 8. quoque : Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos; *per ipsum,* id est ex consideratione beneficiorum quæ Deus Trinitas largitus est nobis per mediatorem Dei et hominum, homi- I *Tim.* II, 5. nem Jesum Christum. Nam ut Jacobus ait : Omne datum optimum, et omne do- *Jacob.* I, 17. num perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum; Petrus quoque apostolus : Per quem (scilicet Christum) maxi- II *Petr.* I, 4. ma et pretiosa nobis promissa donavit. Postremo, circa hunc locum ait Glossa, quod omnes tenentur ordinare actus suos in Deum : quod intelligendum est actu vel habitu, ut talia operentur quæ habilia sint ordinari in Deum. Vel tenentur ad hoc tempore opportuno, secundum quod præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper. Intelligendum est quoque de actibus deliberativis, qui proprie dicuntur actus humani, in quibus non invenitur indifferens per comparationem ad operantem, secundum quosdam; non de actibus qui ex imaginatione aut aliter absque deliberatione fiunt, et proprie non sunt actus humani.

SERMO PRIMUS

DE DOCUMENTIS HUJUS EPISTOLÆ, ET SPECIALITER DE GRADIBUS HUMILITATIS AC PATIENTIÆ, ET DE GRATITUDINE.

I*NDUITE vos viscera misericordiæ,* etc. C Coloss. III, 12, 13, 15.

Quanto Apostolus in suis epistolis ad misericordiam, humilitatem, patientiam, caritatem, ceterasque virtutes in hac epistola prætactas, affectuosius ac frequentius nos hortatur, tanto ad eas diligentius atque ferventius nos dare debemus. Ideo namque tam frequenter nos ad eas admonet, quoniam maxime nobis utiles et necessariæ sunt.

Primo ergo in ista epistola docet et monet nos, ut viscerose ac intime simus D misericordes, aliorum miseriis caritative condolentes et pro viribus succurrentes, opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia pro posse omnibus impendentes. Quumque duplex exsistat miseria, puta pœnæ et culpæ, quanto major est miseria culpæ quam pœnæ, hoc est, quanto peccatum est magis miserum ac nocivum quam corporalis adversitas aut quævis afflictio, tanto plus condolere debemus miseriis culpæ seu vitiis aliorum, quam malis eorum pœnalibus : præsertim quum pœnæ vitæ præsentis sint breves et temporales, ac medicinales contra peccata, vitia vero privent hominem summo bono, et ad æternas pertrahant pœnas. Dum itaque quemquam peccasse cognoscimus, aut peccare videmus, intime condoleamus, et orando, corripiendo, hortando, docendo,

omnique modo nobis possibili subveniamus. Corporalibus quoque proximorum defectuositatibus, pœnis et miseriis pro posse succurrere non differamus. Verumtamen sicut caritas, ita et misericordia debet incipere a se ipsa, ut in primis propria defleamus, castigemus ac emendemus peccata, deinde et proximorum, imo (pro posse) totius mundi in generali, atque in speciali eorum ad quorum dilectionem magis adstringimur. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Miserere animæ tuæ placens Deo; et in Proverbiis : Benefacit animæ suæ vir misericors. Porro hæc implere, ad prælatos et superiores potissimum spectat. Sed in his, heu! plurimi sunt damnabiliter negligentes, et valde, imo mendaciter pii, quoniam circa corrigenda peccata remissi. Propter quod nec satis justi, nec in Dei et proximorum caritate sunt fervidi : imo se ipsos cum aliis perdunt. Ideo proximis peccantibus sic condolere debemus, ut eorum errores et vitia tollere et curare conemur.

Eccli. xxx. 24.
Prov. xi, 17.

Insuper virtus misericordiæ ad Christianos præcipue pertinet, quia lex Christi, lex est totius caritatis et pietatis. Et Christus in Evangelio loquitur : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quocirca scribit Ambrosius : Non memini perisse eum qui opera pietatis libenter exercuit; habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri.

Matth. v, 7.

Misericordia vero, secundum Augustinum, est condolentis animi affectus, cum additamento beneficii, ut compatiamur proximo, et largiamur de proprio, si non munus corporeum, saltem verbum bonum salubreve documentum. Hinc ait Bernardus : Sunt quidam misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur quod non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ne ipsi in modico graventur. Qui si vere misericordes essent, de suo misericordiam facerent, si non de terrena substantia, saltem de voluntate bona : darent his qui forsan contra eos

A peccaverunt, indulgentiam, darent dulce signum, verbum bonum, quod est supra datum, ut illorum mentes ad pœnitentiam provocarent; imo eis et omnibus quos in peccatis esse cognoscerent, impenderent compassionem et orationem. Alioqui misericordia eorum nulla est, et nullam misericordiam consequentur. Hæc verba S. Bernardi diligenter pensanda sunt.

Eccli. xviii, 17.

Insuper ad humilitatem nos invitat in epistola ista Apostolus. De humilitate autem quid sit, et de causis, utilitate ac sa-

B lubritate ipsius, in superioribus multa sunt introducta sermonibus : quibus nunc addi potest, quod humilitatis triplex est gradus. Primus est, ut semper advertamus et cognoscamus nos tales esse quales sumus, videlicet miseros, defectuosos, viles et contemptibiles peccatores; nec aliquid plus nobis adscribamus quam vere habemus, nec super alios nos insolenter sive inaniter extollamus, nec laudes humanas aut honores quæramus. Secundus gradus est, ut non solum reputemus nos tales, sed

C ab aliis quoque reputari tales ac despici peroptemus. Nam teste Gregorio, sicut superbi de honoribus, ita humiles de sua despectione lætantur, quia judicium quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari. Hunc humilitatis gradum nondum adepti sunt, qui se ipsos redarguunt, despiciunt et accusant, sed dum ab aliis accusari, redargui et contemni se audiunt, indignantur ac conturbantur, similes stultis hominibus vulneratis qui sua sibi vulnera ostendi non acquiescunt. Qui vero

D ad hunc gradum devenit, laudes hominum et honores sibi impensos fastidit, et de eis mente affligitur. Tertius gradus est, dum homo in excellentia virtutum et perfectionum ac venerationum suarum nequaquam extollitur, nec in talibus sibi blanditur, sed totum bonum quod habet, integraliter Deo adscribit et gratias agit : imo, quo majoribus desuper donis ornatur, eo humilius Deo regratiatur, promptius subditur, obedientialiusque obsequitur. Hæc est humilitas perfectorum, qui cum Apo-

I Cor. xv, 10. tolo dicunt : Gratia Dei sum id quod sum. A
Humilitatem ergo in omnibus et ante omnia amplectamur. Ait namque Bernardus : Quid tu inflaris, o homo? Quid extolleris sine causa, quum sola humilitas sit quæ exaltat? Hæc via, nec præter eam est alia. Qui aliter vadit, cadit potius quam procedit. O perversitas et abusio filiorum Adam, quoniam quum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi econtrario per superbiam magis quærunt ascendere, quam per humilitatem descendere, parati ad honores, ad prælationes, ad ecclesiasticas dignitates. Et certe qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores. Nihil autem facilius est volenti, quam humiliare se ipsum.

Præterea Apostolus nos hortatur ad patientiam veram, et mutuam supportationem, ut sicut a Deo cupimus supportari in nostris defectibus, ita et proximorum supportemus defectus. Est autem patientiæ triplex gradus. Primus, ut motum iræ
et impatientiæ cum labore reprimamus et cohibeamus, ne foras erumpat et per signa turbationis appareat in verbo aut facto, ne alii scandalizentur : quemadmodum ignis suffocatus, proprio fumo exstinguitur; si vero non cohibetur, excrescit, et omnia cremabilia quæ attingit, incendit.
Prov. xii, 16. Sed ut Salomon loquitur : Stultus statim indicat iram suam. Secundus gradus est, quando ex usu patiendi et impatientiam refrenandi homo didicit non terreri neque turbari adversis, sed quasi in loco constitutus tuto atque munito, ex arce patientiæ circumstantes adversarios intuetur, quos nihil sibi posse nocere confidit. Sed tamdiu homo terretur adversis, quamdiu temporalia et honores, et ea quæ voluntatis sunt propriæ, amat superflue. Qui autem ea inordinate non diligit, sicut non valde delectatur ea habendo, ita nec graviter contristatur ea perdendo, considerans quod ex divina dispensatione sibi pro sua salute sic accidat, et patientiam conservando multum proficiat. Tertius gradus est, in tribulationibus et sui aspernationibus gloriari atque gaudere quum adsunt, et desiderare eas quum desunt, quemadmodum ait Apostolus : Placeo mihi in infirmita- II Cor. xii, 10.
tibus meis, et contumeliis, et necessitatibus, et angustiis, et persecutionibus pro Christo.

Insuper patientia utilis est ad multa : primo, quoniam tolerabiliora facit præsentis vitæ incommoda, quæ dum impatienter feruntur, pœna homini duplicatur; secun-
B do, quoniam mentem exhilarat, et a diversis amaricationibus illæsam custodit; tertio, quia proximos valde ædificat. Quarto, per eam gratia accumulatur, omnes virtutes perficiuntur, et homo Christo pro se passo specialiter conformatur.

Deinceps hortatur Apostolus, ut Deo grati esse conemur. Porro ut Seneca in libro de Beneficiis scribit, tria ad gratitudinem requiruntur. Primum est, ut beneficiatus beneficium sibi exhibitum recognoscat; secundum, ut illud laudet et gratias agat;
C tertium, ut loco et tempore opportuno pro sua facultate rependat. Primus ingratitudinis gradus est beneficium non retribuere : ad quod reducitur mala pro bonis reddere. Secundus gradus est beneficium dissimulare, non ostendendo se illud accepisse : ad quod reducitur beneficium vituperare. Tertius atque gravissimus gradus est beneficium non recognoscere : ad quod reducitur beneficium quasi maleficium æstimare. Omnibus modis his ingrati sunt Deo iniqui. Quicumque enim in mor-
D tali est vitio, reddit Deo mala pro bonis, hoc est inobedientiam et irreverentiam gravem, ejus amori et honori præponendo creata, vana et vilia, ac propriam voluntatem. Item, qui Deo non servit cum corpore et anima, non ostendit se corpus et animam a Deo sortitum. Qui autem de his quæ habet a Deo, gloriatur, et honorari I Cor. iv, 7.
vult in semetipso quasi non accepisset ea ab eo, non recognoscit beneficia Dei.

Vitemus igitur omnes hos ingratitudinis gradus; et mente, ore ac opere fateamur

ac demonstremus, nos quod sumus et ha- A bemus a Deo sumpsisse, laudemusque eum in donis suis, et gratias jugiter referamus, atque pro posse rependamus vicem beneficiis ejus. Æquivalens enim ei reddere
Ps. xv, 2. non valemus, et bonorum nostrorum ipse non eget; sed amorem, laudem et obedientiam ei pro viribus rependamus. Hæc namque requirit a nobis. Unde ait Joannes
I *Joann.* iv, 19. in prima sua epistola : Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos; et Psalmi-
Ps. xlix, 14. sta : Immola Deo sacrificium laudis. In
Eccli. xxxv, 2. Ecclesiastico quoque scriptum est : Salu- B tare sacrificium est, attendere mandatis, id est divina præcepta perpendere et implere. Quumque ista pro posse egerimus, agnoscamus nos nil condignum Altissimo rependisse, imo has ipsas redditiones esse dona ipsius; rogemusque eum indesinenter ut nos sibi gratos atque quotidie gratiores efficiat. Juxta doctrinam Apostoli, etiam Deum semper in cordibus nostris laudemus, et universa quæ agimus, ad ejus laudem, honorem et gloriam finaliter ordinemus. Et præsertim de mane quum C surgimus, ordinationem hanc actualiter faciamus mente aut ore, ita loquendo ex corde : Ecce, Domine Deus, me ipsum et omnia quæ hoc die et deinceps acturus sum bona, ad tuæ majestatis gloriam ac reverentiam ordino, et ad tuam laudem omnia fiant.

De ceteris hujus epistolæ documentis frequenter præhabitum est.

Præterea, in omnibus præinductis virtutibus beatissimus ille patriarcha ac propheta Job excellenter resplenduit. Siqui- D dem misericordissimus fuit, sicut de se
Job xxxi, 18. ipso testatur : Ab infantia mecum crevit
Ibid. xxx, 25. miseratio; et, Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Operibus quoque misericordiæ occupatus fuit plenissime, quemadmodum ait : Foris non mansit peregrinus, ostium *Job* xxxi, 32, 20.
meum viatori patuit, et de velleribus ovium mearum calefactus est pauper. Et quamvis fuit vir magnus inter omnes orientales, omnibus tamen fuit humilior. Propter quod protestatur : Non contempsi ju- *Ibid.* 13, 19.
dicium subire cum servo meo, et non despexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum.

Insuper patientiæ virtus singulariter valde in eo refulsit. Quum enim esset ditissimus, utpote septem millia ovium habens, *Ibid.* i.
et tria millia camelorum, et quingenta juga boum, quingentasque asinas, atque familiam multam nimis, et in maximo a cunctis haberetur honore, habuisset demum septem filios et tres filias, et subito universa hæc perdidisset, ita quod homines impii abstulerunt ei omnia pecora sua, et pecorum custodes interfecerunt, et domus corruens filios suos et filias convivantes oppressit : non est ad impatientiam motus, nec contra Deum murmuravit, aut quid stultum locutus est; sed gratias Domino agens, dixit : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Hinc a diabolo percussus læ- *Ibid.* ii, 7, 9, 10.
sione gravissima, ita ut a planta pedis usque ad verticem plenus esset ulceribus pessimis, adhuc patientissimus mansit; et uxorem eum ad impatientiam provocare studentem, sapientissime increpavit, dicendo : Si bona de manu Domini accepimus, mala quare non sustineamus?

Tanti ergo patriarchæ exemplo discamus saltem in parvis adversis patientiam observare et gratias agere, misericordes quoque ac humiles in omnibus esse.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SIMILE FACTUM EST REGNUM COELORUM HOMINI QUI SEMINAVIT BONUM SEMEN IN AGRO SUO, ETC. Matth. XIII, 24-30, 37-43.

CHRISTUS in evangelio hodierno docet qualis sit status et processus militantis Ecclesiæ, et quanta sit distinctio inter homines in hoc mundo, quam diversa quoque erit eorum retributio in futuro. Ait ergo Salvator, parabolice loquens, hoc est, unum per aliud similitudinarie exprimens et designans : « Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. »

Hanc parabolam Christus proprio ore exposuit, ut evangelista Matthæus prosequitur : ideo non debemus cœlestis ac summi magistri, qui est virtus et sapientia Patris æterni, expositionem præcurrere. Itaque advertendum, quod sicut apud [Matth. XIII, 1, 2.] Matthæum legitur, Christus quadam die exivit de domo in qua pluribus prædicavit, nec ab omnibus propter eorum multitudinem audiri valebat, et venit usque ad littus maris, forsan Galilææ. Quumque multæ ad eum confluerent turbæ, ingressus est navim, et sedens in ea, prædicavit turbis in littore stantibus. Atque in parabolis loquens, diversis rebus comparavit regnum cœlorum, ita ut in illis parabolis per regnum cœlorum interdum intelligatur [Ibid. 47.] Ecclesia militans, ut quum ait, Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, etc.; interdum status seu negotium militantis Ecclesiæ; interdum vero præmium Beatorum in patria; et sæpe ipsemet Christus, ut in præsenti parabola. Quæ ut clarius intelligatur, primo totum ipsius textum ponam; deinde verba quibus Christus eam exposuit.

Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Quum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Hucusque textus hujus parabolæ.

Quum ergo Salvator parabolam istam ac alias multas turbis prædicasset, nec eis suas exposuisset parabolas, turbis illis relictis, egressus de navi, venit in domum. [Matth. XIII, 36.] Et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri, videlicet parabolam jam prætactam in qua fit de zizaniis sermo. Et dicunt aliqui, quod expositionem parabolarum frumenti et sinapis tanquam manifestiorum non quæsierunt. Alii vero potius putant quod aliarum quoque expositionem parabolarum interrogaverunt, quamvis evangelista Matthæus non recitet hoc : nam in Marco habetur, quod seorsum [Marc. IV, 34.] discipulis suis disserebat omnia.

Quum ergo discipuli expositionem hujus petissent parabolæ, Christus respondit : *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis,* hoc est, per hominem bonum semen seminantem, cui regnum cœlorum simile factum perhibetur, designatur et

intelligitur Christus. Unde constat hoc loco per regnum cœlorum intelligi Christum regem cœlestem, ut etiam scribit Remigius. Christus quippe vocatur regnum cœlorum, quia promissor, magister et dator est regni cœlestis, sive per regnum hoc intelligatur Ecclesia militans, sive triumphans; secundo, quoniam ipse Christus est caput Ecclesiæ, quæ regnum appellatur cœlorum : caput autem interdum exprimitur nomine corporis totius. *Ager autem, est mundus,* id est terra hujus peregrinationis, in qua homines degunt, et exsules sunt. *Bonum vero semen,* quod Christus in agro hoc seminavit, *hi sunt filii regni,* hoc est homines electi ac virtuosi, quos Christus constituit, mittit ac spargit per omnia climata mundi, sicut semina sparguntur in agris. De quo semi-
Is. LIII, 10. ne Christi scriptum est in Isaia : Si posuerit pro peccato animam suam, videbit
Ibid. LXI, 9. semen longævum; et rursus, Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Unde
Galat. III, 28, 29. et Galatis scribit Apostolus : Si vos unum estis in Christo, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem heredes.

Zizania autem, sunt filii nequam, hoc est reprobi, præsertim hæretici, et persecutores Ecclesiæ, omnesque vitiosi damnandi. *Inimicus autem qui seminavit ea,* utpote ista zizania, *est diabolus :* cujus suggestione et machinatione surrexerunt et perversa dogmata invenerunt ac diffuderunt hæretici; cujus etiam inspiratione ac cooperatione alii reprobi se contra Ecclesiam erexerunt, seu aliter peccaverunt. Impii ergo ex diabolo sunt, et seminati ab eo, non quantum ad esse naturæ, sed culpæ, nec in quantum homines, sed in
I *Joann.* III, 8. quantum injusti. Unde alibi legitur : Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Et Chri-
Joann. VIII, 44. stus incredulis dixit Judæis : Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere. Insuper diabolus dicitur homo, non propter veritatem naturæ, sed similitudinem culpæ. Cujus semen sunt impii, non creatione, sed pravitatis imitatione, juxta illud Sapientiæ : Imitantur illum, qui sunt ex parte illius. *Sap.* II, 25.

Messis vero, usque ad quam simul crescunt et vivunt in sæculo isto electi ac reprobi, *consummatio sæculi est,* id est finis mundi, seu dies judicii, in quo electi in cœlesti palatio quasi in horreo reponentur : quemadmodum ait Joannes Baptista de Christo, quod congregabit triticum *Matth.* III, 12.
in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili. Unde et alibi loquitur Deus : Convertemini, et videbitis quid sit *Malach.* III, 18.
inter justum et impium. Ecce enim dies *Ibid.* IV, 1, 2.
veniet succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens; et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ. *Messores autem,* qui bonos et malos ad judicii locum deducent, et eos ab invicem separabunt, *angeli sunt,* non mali, sed boni, quorum ministerio cineres suscitandorum corporum colligentur.

Sicut ergo colliguntur a messoribus *zizania,* hoc est inutiles herbæ, seu folia, *et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos,* qui Christo non solum secundum suam divinitatem, sed etiam secundum naturam assumptam, ut Verbo unitam, subjecti sunt. *Et colligent,* id est auferent, *de regno ejus,* hoc est de ecclesia electorum, *omnia scandala,* id est persecutiones et tentationes quas mali inferunt justis, et eos frequenter per illas scandalizant, seu ad peccandum inducunt (ab his etenim scandalis seu tribulationibus ac tentationibus electi tunc plene liberabuntur, secundum illud Psalmi : Quia non *Ps.* CXXIV, 3.
relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum); vel, « omnia scandala », id est scandalizatores aliorum, qui generant scandala, qui tunc loco ac præmio ab electis separabuntur; *et eos qui faciunt iniquitatem,* id est ceteros operarios malos, hypocritas, simulatores et callidos, iram Dei contra se provocantes. *Et*

mittent eos in caminum ignis. Quum enim A Christus in die judicii dixerit eis, Ite, maledicti, in ignem æternum (Matth. xxv, 41.); mox angeli sancti tanquam exsecutores divini judicii, omnes reprobos homines atque diabolos, in infernalis ignis fornacem projicient, juxta illud Apocalypsis (Apoc. xii, 9.): Projectus est draco ille magnus; et cruciabitur iniquus igne et sulfure, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum (Ibid. xiv, 10, 11.). Prolata quippe in die judicii contra iniquos sententia, mox terra os suum aperiet, et angeli sancti reprobos in infernum B retrudent. *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* Quod præcedenti evangelio exstat expositum (Cf. p. 214 C.).

Tunc, utpote reprobis in infernum ruentibus, sæculo consummato, atque peracto judicio, *fulgebunt justi,* in corpore per dotem claritatis, quæ tanto copiosior erit in corporibus glorificatis, quanto eorum animæ clarius videbunt Deum, *sicut sol* iste visibilis, et non solum sicut nunc lucet, sed quemadmodum tunc lucebit, quando lux solis erit septempliciter, sicut C lux septem dierum, prout in Isaia habetur (Is. xxx, 26.). Estque probabile, et pie credendum, quod claritas glorificatorum corporum excedet etiam illam solis lucem, quoniam opera gratiæ excedunt opera naturæ. Hinc ait Chrysostomus : Fulgebunt justi sicut sol, non quia solum ita fulgebunt, sed quia sole aliud luculentius non novimus, cognitis nobis exemplis utimur. Vel, « fulgebunt sicut sol » spiritualis, scilicet Christus, qui Sol justitiæ dicitur : de quo impii protestantur, Sol intelligentiæ non est ortus nobis (Sap. v, 6.). D Claritas quippe corporum glorificatorum assimilabitur claritati corporis Christi, dicente Apostolo : Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 20, 21.). Præterea, sicut corpora omnium electorum splendidissima erunt atque pulcherrima, sic corpora reproborum obscurissima erunt et prorsus turpissima, secundum quod animæ eorum tenebris vitiorum et omni carentia salubris notitia erunt repletæ. Fulgebunt ergo ut sol *in regno Patris eorum,* hoc est in regno cœlesti, in cœlo empyreo, in patria electorum.

His dictis, patet expositio hujus parabolæ, paucis exceptis, quæ breviter sunt tangenda. *Quum autem dormirent homines,* id est, prælati Ecclesiæ et doctores virtuosi de hoc sæculo emigrarent, vel dum negligentes pastores, prælati et doctores a diligenti custodia gregis sibi commissi cessarent (de qualibus scriptum est in Isaia : Speculatores cæci, canes muti (Is. lvi, 10.) non valentes latrare, videntes vana, et dormientes); vel, « quum dormirent homines », hoc est, fideles paci internæ vacarent, nec sibi a diabolicis præcaverent insidiis ; *venit inimicus ejus,* id est diabolus, Christi hostis, *et superseminavit zizania,* hoc est, perversos atque hæreticos misit ac miscuit, *in medio tritici,* id est inter electos et virtuosos ; *et abiit* alibi, facere aliquid mali ; vel, « abiit », id est, se abscondit, et mala ac falsa sub specie bonorum ac verorum persuasit. *Quum autem crevisset herba,* id est semen bonum seminatum a Christo, *et fructum* bonæ conversationis *fecisset,* hoc est, dum vere fideles sive Catholici numero ac merito aucti fuissent in mundo ; *apparuerunt* inter eos *et zizania,* hoc est homines isti pravi. Quum enim ubique multiplicarentur fideles, consurrexerunt inter eos hæretici et iniqui in diversis partibus mundi. Hinc in Actibus Paulus dixit Ephesiis : Ego scio quod (Act. xx, 29, 30.) post discessum meum intrabunt in vos lupi graves, non parcentes gregi ; et ex vobis ipsis exsurgent viri mendaces, ut abducant post se discipulos. De talibus quoque in prima sua Canonica ait Joannes : Jam antichristi multi nati sunt ; ex (I Joann. ii, 18, 19.) nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.

Accedentes autem spirituali accessu, *servi patrisfamilias,* id est famuli Christi, hoc est angeli, secundum Hieronymum, vel devoti prælati, vicarii Christi ; *dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo,* hoc est, homines fide et opere christianos posuisti in mundo ? *Un-*

de ergo habet zizania? Et ait : Inimicus homo hoc fecit, id est, diabolus, non necessitando, sed inclinando, nec sine consensu hominum, fecit hoc : idcirco imputatur hominibus quod diabolo instigante fecerunt. Propter quod ait apostolus Pau-
Ephes. IV, 27. lus : Nolite locum dare diabolo; Jacobus
Jacob. IV, 7. quoque : Resistite diabolo, et fugiet a vobis.

Servi autem dixerunt : Vis, imus, et colligimus ea? hoc est, placetne tibi ut eamus, et separemus ac auferamus hæreticos et perversos a societate bonorum et Catholicorum, eos excommunicando, aut sæculari potestati ad occidendum tradendo? *Et ait : Non, ne forte colligentes zizania,* id est impios ita tollendo, *eradicetis et triticum,* id est, electos fideles periculo vel occisioni exponatis, insurgentibus impiis contra justos. *Sinite utraque crescere usque ad messem,* id est usque ad tempus judicii, quia interim oportet malos bonis esse permixtos, nec omnes mali possent auferri sine grandi bonorum periculo; electis quoque multipliciter expedit quod malis miscentur, quoniam exercentur, purgantur et coronantur per eos. *Et in tempore messis,* id est in die judicii, *dicam messoribus,* hoc est angelis : *Colligite primum zizania,* id est, ante prolationem judicialis sententiæ contra iniquos et pro electis, reprobos et iniquos ab electis disjungite, et a sinistris ponantur; *et alligate ea in fasciculos,* id est, per modum fasciculorum unum eorum alteri jungite, *ad comburendum,* hoc est, ut in igne gehennæ succendantur et puniantur, non consumantur : ut qui socii fuerunt in vitiis, socii sint in pœnis. Hinc de impiis
Is. XXIV, 22. in Isaia habetur : Congregabuntur congre-
A gatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere.

Circa hæc quæritur, an hæretici sint sustinendi. Ad hoc S. Thomas in secunda secundæ respondet, quod circa hæreticum duo pensantur, videlicet ejus iniquitas, et Ecclesiæ pietas. Quantum ad primum, meretur non solum excommunicari, sed et occidi, quum multo gravius sit fidem corrumpere, quam falsificare pecuniam, et tamen secundum jura falsatores pecuniæ occiduntur. Sed quantum ad secundum,
B decet hæreticos non statim damnare, sed ad veritatem pro posse reducere. Idcirco
Ecclesia non subito, sed post primam et *Tit.* III, 10.
secundam admonitionem damnat hæreticos, sicut ad Titum docet Apostolus. Si vero post hæc manserint pertinaces, separat eos Ecclesia a se per excommunicationis sententiam, et relinquit eos sæculari judicio occidendos. Hinc ait Hieronymus : Secandæ sunt putridæ carnes, ac scabiosa ovis a caula repellenda est, ne tota domus massa corrumpatur atque putrescat.
C Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressus est, totum orbem flamma ejus depopulata est. Idcirco, quod ait Salvator, zizania non esse tollenda, etc., si per zizania intelligantur hæretici, intelligendum est in casu, quando videlicet exstirpari non queunt sine periculo seu eradicatione tritici, ut quando potentes habent defensores, vel non satis aperti aut noti sunt. Unde ait Hieronymus : Ne ubi quid ambiguum est, cito proferamus sententiam; et iterum : Mo-
D nemur (inquit) ne cito amputemus fratrem errantem, quoniam fieri potest ut qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat.

SERMO SECUNDUS

DE GAUDIIS BEATORUM, ET DE QUIBUSDAM HUJUS EVANGELII DOCUMENTIS.

FULGEBUNT *justi sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XIII, 43. A

Duplex erit fulgor seu claritas in Beatis : una interior, quæ erit illuminatio mentis eorum ; alia exterior, quia claritas illa interior redundabit in corpus eorum, ita ut eorum corpora erunt tanto splendidiora, quanto corda fuerint luminosiora. Deinceps, quum Deus æternus et gloriosus sit lux summa, superpurissima et penitus infinita, cui omnes Beati immediate atque beatifice uniuntur, et quam clare per speciem intuentur ; constat quod omnium B Beatorum mentes ineffabiliter illustrentur et lumine gloriæ sint repletæ, imo in divinæ lucis abyssum gaudiose feliciterque absorptæ. Verumtamen non omnes æqualiter ; sed quanto Deum in hac vita ardentius dilexerunt ac purius desideraverunt, majorisque meriti exstiterunt, tanto ei vicinius uniuntur, profundius immerguntur, et tanto gaudiosius eo fruuntur atque copiosius ab ipso illuminantur. Propter quod dixit Salvator : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, id est diversi gradus C præmiorum, juxta gradus et diversitates meritorum. Teste quoque Apostolo, sicut stella differt a stella in claritate, ita quod una est clarior alia, ita et Sancti in patria distinguuntur in gloria, ita quod unus est gloriosior alio. Omnes tamen vere beati sunt, et unusquisque de sua gloria contentatur, sic ut nil amplius cupiat ; et quod unus per propria merita non habet in semetipso, per caritatem habet in alio, quoniam sicut omnes se invicem ferventissime diligunt, ita unusquisque cordia- D lissime favet alteri gloriam suam, et intra se gloriatur quia alium tam gloriosum esse jugiter contemplatur.

Joann. XIV, 2.

I *Cor.* XV, 41, 42.

Præterea, quum teste Boetio, felicitas sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, Sancti in regno cœlorum hoc modo prorsus felices sunt. Magnitudo etenim beatitudinis et gloriæ electorum in cœlo consideratur et causatur ex multis :

Primo, ex parte objecti, videlicet Dei veri ac summi, quem clare et immediate conspiciunt, et quo plene atque ad libitum perfruuntur. Certum est quippe, quod quanto res aliqua est pulchrior, perfectior, carior ac splendidior, tanto ex sua natura est ad adspiciendum jucundior. Deus autem sublimis et benedictus est non solum incomparabiliter pulcherrimus, perfectissimus ac splendidissimus, imo etiam ipsa superessentialis, infinita et incircumscriptibilis pulchritudo, immensa perfectio et supermundissimum lumen. Eum ergo clare, immediate et per speciem feliciter intueri, ineffabiliter et incomparabiliter est delectabile et jucundum. Si ergo delectabile est adspicere aliquem pulchrum hominem, vel angelum, aut quamcumque creaturam, nonne inæstimabiliter gaudiosius est Deum cernere increatum, quem et omnes Sancti summe et incomparabiliter diligunt, et quo eum ferventius diligunt, eo et hilariori animo ipsum inspiciunt ? Insuper certum est, quod quanto res aliqua in se ipsa melior, dulcior convenientiorque consistit, tanto deliciosius est ea frui. Quum ergo Deus sit naturaliter bonitas pura, suavitas infinita, opulentia quoque omni menti creatæ convenientissima, certum est quod eo perfecte ac feliciter frui sit penitus deliciosissimum. Hinc asserit Augustinus : Tanta est pulchritudo divinæ essentiæ ac summæ justitiæ, tanta est jucunditas lucis æter-

næ, incommutabilis veritatis ac sapientiæ,
ut etiamsi non liceret ea diutius frui quam
unius hora diei, propter hoc solum, in-
numerabiles anni hujus vitæ deliciis pleni
et omnium temporalium rerum affluen-
tia copiosi, recte ac merito despicerentur.
Ps. LXXXIII, 11. Hinc etiam dixit Propheta : Quia melior
est dies una in atriis tuis super millia.

Secundo, consideratur magnitudo bea-
titudinis electorum ex parte proprietatum
ipsius. Illa etenim beatitudo omni amabili
proprietate ornatur, quia cum summa se-
curitate, cum infatigabili æternitate, cum
totius mali carentia, cum totius boni præ-
sentia est. Propter quod ait Bernardus :
O superna Jerusalem, civitas regis summi
Ps. CXLVII, 14. qui ex adipe frumenti satiat te, et quam
Ps. XLV, 5. fluminis impetus lætificat, nec pondus, nec
mensura, sed satietas est apud te, et af-
fluentia summa, mira serenitas, plena sua-
vitas, æterna securitas; jam non est timor
Ps. CXLVII, 14. in finibus tuis, quoniam posuit Deus fines
tuos pacem. O quam inexcogitabiliter gau-
dent Beati, considerando se in tanta fe-
licitate et gloria æternaliter securissime
permansuros ! Idcirco ut ait Apostolus :
I Cor. II, 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec
in cor hominis ascenderunt quæ Deus suis
præparavit electis.

Tertio, consideratur magnitudo felicita-
tis Sanctorum ex parte potentiarum per
quas Deo feliciter uniuntur : quæ sunt
intellectus atque voluntas, suntque nobi-
liores animæ vires. Nobiliorum autem po-
tentiarum, nobiliores ac intensiores sunt
delectationes. Si ergo in unione exterio-
rum sensuum cum suis objectis tanta de-
lectatio sita est, præsertim in gustu et
tactu, quam incomparabiliter major con-
sistit delectatio in intellectu et voluntate,
præcipue dum æternæ veritati increatæ-
que bonitati immediate ac beatifice uni-
untur? Hinc ait Gregorius : Si consideremus
quæ et quanta sunt quæ nobis promittun-
tur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ
habentur in terris. Terrena namque sub-
stantia æternæ felicitati comparata, pondus
est, non subsidium; temporalis vita æter-
A næ vitæ comparata, mors est potius dicen-
da quam vita. Quæ enim lingua exprimere,
vel quis intellectus capere potest illa su-
pernæ civitatis quanta sint gaudia : angelo-
rum choris interesse, cum beatissimis spi-
ritibus gloriæ Conditoris adsistere, præsen-
tem Dei vultum cernere, incircumscriptum
lumen videre, nullo mortis metu affici,
incorruptionis perpetuæ munere gloriari?

Quarto, consideratur idem ex parte se-
cundariorum objectorum beatitudinis ele-
ctorum. Quamvis enim primum et sum-
B mum felicitatis eorum objectum sit Deus
altissimus, unus et trinus, cujus beatifica
visio est essentiale præmium et principa-
lis beatitudo omnium electorum; secun-
darium tamen objectum felicitatis eorum
est Christi humanitas, deinde beatissima
Virgo Christifera, ac tota societas gloriosa,
videlicet universitas cœlestium civium,
angelorum ac hominum. O quam pulchra,
serena, gloriosa ac dulcis est Christi hu-
manitas ! Quam mirabiliter ac præcordi-
aliter gloriantur in ejus adspectu omnes
C Sancti, præsertim homines beneficiati, qui
ejus passione salvati sunt, qui etiam post
diem judicii eam corporalibus oculis cum
vehementissimo visuri sunt gaudio ! In-
super, quam dulce est beatissimam Vir-
ginem incessabiliter intueri, et omnes an-
gelicos spiritus tam innumerabiles atque
pulcherrimos, omnes etiam Patriarchas,
Prophetas, Apostolos, martyres, confesso-
res, virgines, et electos, quum utique unius
minimi ac infimi omnium horum intuitio,
universa mundi hujus gaudia superexce-
D dat, et tamen omnium horum adspectus,
societas atque communio ad accidentale
pertinet præmium Beatorum !

Quinto, idem consideratur ex dispositione
corporum electorum : quæ quatuor gloriosis
dotibus ornabuntur, videlicet claritate, agi-
litate, subtilitate et impassibilitate. Erunt
enim sole splendidiora, et velocissime mo-
bilia; nec aliquo modo animas sanctas
gravabunt, sed in omnibus potissimum
eis obedient. Propter quod in libro Sapi-
entiæ scriptum est : Fulgebunt justi, et *Sap.* III, 7.

tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Et Isaias : Sancti (inquit) mutabunt fortitudinem suam, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. Erunt quoque subtilia, quia nil eis resistet, sed omnia ad libitum penetrabunt, nec ab aliquo lædi valebunt.

Is. XL, 31.

Quum ergo ad tam indicibilem felicitatem et gloriam simus creati, cur miserrimi negligimus nosmetipsos? Cur optimo ac liberalissimo Creatori sumus ingrati? Cur in rebus turpissimis ac vilissimis contra Dei præcepta damnabiliter delectamur? Cur in tempore isto incertissimo ac brevissimo æternam illam beatitudinem perdimus, et insuper perpetuam nobis condemnationem infatuati et excæcati mercamur? Abjiciamus ergo carnales affectus, opera fœda, cupiditates humanas, et universa peccata, quoniam sanctus et immortalis ac superpræstantissimus Deus non nisi a purgatis mentibus cernitur. Propter quod Christus ait : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Omnem expellamus acediam; nec aliquod tempus nobis longum videatur, nullus labor durus appareat, nulla pœna intolerabilis reputetur, quibus æterna felicitas promeretur, dicente Apostolo : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, hoc est, quæ nobis manifeste donabitur. Non dormiamus torpore pigritiæ, ne adversarius nostræ salutis seminet in nobis vitiorum zizania, superbiam, avaritiam, immunditiam, atque similia, et bonum semen in nobis a Christo seminatum, videlicet gratiam et virtutes, nostris auferat cordibus. Malos quoque æquanimiter toleremus, ne eorum improbitate vincamur; nec tribulationibus superemur, nec scandalizemur : quia ut sanctus ait Gregorius, Abel esse renuit quem ipsius Cain malitia non exercet. Et qui malos patienter non tolerat, ipse sibi per impatientiam suam testis est quod bonus non est. Ideo in Ecclesiastico ait Scriptura : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Formidemus quoque (ut dignum est) pœnas inferni, quem Christus caminum ignis appellat, cujus minor pœna omnem præsentis vitæ pœnam mirabiliter superat.

Matth. V, 8. — *Rom.* VIII, 18. — *Eccli.* XXVII, 6.

Postremo, pensemus quam ardentissime Sancti in vita hac cœlestem beatitudinem desideraverunt, quanta et quamdiu ac fortiter pro ea egerunt, laboraverunt ac passi sunt. Etenim pro hujus felicitatis amore, S. Vincentius craticulam ferream ignibus superpositam lætus ascendit; et S. Agatha ad carcerem quasi ad epulas properavit; sanctus etiam Paulus primus eremita, nonaginta septem annis vel circiter, Deo in eremo ferventissime et infatigabiliter deservivit. Legitur demum in Vitaspatrum de sancto abbate Arsenio, quod quotidie panniculum habebat in sinu propter lacrimas quæ desiderio felicitatis futuræ, ex ejus oculis ubertim fluxerunt. Horum ergo Sanctorum sectantes vestigia, contemnamus præsentia, et bona cœlestia ac æterna totis optemus atque quæramus præcordiis, tanquam vere peregrini et exsules in hoc mundo.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

RESPONDENS JESUS, DIXIT : CONFITEOR TIBI, PATER, DOMINE COELI ET TERRÆ, ETC.
Matth. XI, 25-30.

Quod solet etiam ista dominica legi in quibusdam ecclesiis.

In quibusdam ecclesiis in dominica ista legitur evangelium immediate præcedens atque expositum; in aliis vero evangelium istud. Volui ergo utrumque breviter elucidare, et ad vitandam prolixitatem, tædii matrem, unum dumtaxat sermonem

annectere. Deinceps in evangelio isto valde sententioso, pulchro et alto, ostendit Salvator humilitatem esse dispositivam ad illuminationem divinam, et propter superbiam homines divinitus derelinqui et Spiritus Sancti illustratione privari. Ait ergo Matthæus evangelista :

Respondens Jesus, dixit. Cui respondit, quum non legatur in textu ante hæc verba ab aliquo interrogatus ? Dicendum, quod respondit, id est, ad ea quæ ante hæc verba protulit, proportionate seu correspondenter ac pertinenter adjecit quæ modo sequuntur. Vel, Respondit, hoc est, ad quæstionem quæ circa immediate præcedentia oriri poterat, dedit responsum. Siquidem ante hæc verba exprobravit civitatibus Judæorum quæ in eum non crediderunt, quum tot in eis fecisset miracula, dicens : Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, etc. Quocirca dubitare ac sciscitari quis posset : Cur Judæi fuerunt Christo increduli, cujus fidem gentiles tam alacriter acceperunt ? Ad hoc respondet subdendo : *Confiteor tibi,* hoc est, laudo te et gratias tibi ago, atque ad tuam gloriam fateor et omnibus pando, o *Pater,* qui es pater meus naturalis per generationem æternam, aliorum vero per creationem, adoptionem seu glorificationem. Unde
Ps. ii, 7. in Psalmo loquitur Christus : Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie
Ps. cix, 3. genui te; et Pater ad Christum, Ex utero (inquit) ante luciferum genui te. Insuper triplex est confessio. Una propriæ culpæ :
Jacob. v, 16. de qua Jacobus, Confitemini alterutrum
Ps. xxxi, 5. peccata vestra; et in Psalmo, Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Alia laudis divinæ : de qua nunc; et
Eccli. li, 1. in Ecclesiastico, Confitebor tibi, Domine
Ps. ix, 2. rex; atque in Psalmo, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Tertia est confessio credendorum, de qua ait Apostolus :
Rom. x, 10. Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Prima est actus pœnitentiæ; secunda latriæ; tertia fidei. *Domine cœli et terræ,* id est, cœlestium atque terrestrium, visibilium invisibilium-

A que creator : de quo scriptum est, Domi- Jonæ i, 9.
num cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam; et in Apocalypsi, Adorate eum qui Apoc. xiv, 7.
fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum. Vel, « cœli et terræ », id est triumphantis ac militantis Ecclesiæ.

Quia abscondisti hæc, videlicet legis evangelicæ documenta fideique mysteria et novæ legis sacramenta, *a sapientibus et prudentibus.* Hoc non est intelligendum de vere sapientibus atque prudentibus, id est virtuosis et dono sapientiæ decoratis,
B divina noscentibus, sed de præsumptuosis et vanis hominibus se ipsos sapientes ac prudentes putantibus : de quibus loquitur Isaias propheta, Væ qui sapientes estis in Is. v, 21.
oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Tales quippe vere sunt stulti, quum Salomon dicat : Vidisti hominem sapien- Prov. xxvi, 12.
tem sibi videri ? magis illo spem stultus habebit; et Apostolus : Dicentes se esse Rom. i, 22.
sapientes, stulti facti sunt. Potissimum tamen ad litteram per sapientes et prudentes designavit Christus Scribas ac Phari-
C sæos in lege suo modo peritos : qui litteram II Cor. iii, 6.
occidentem, non spiritum vivificantem sequendo, vera legis ac Prophetarum notitia caruerunt, quia ut ait Apostolus, velamen Ibid. 15.
super cor eorum est positum.

Sed contra hæc objici potest, quod nunc usque sunt multi theologi et homines in Scripturis valde edocti, qui Christi doctrinam fideique mysteria valde subtiliter intelligunt, legunt, exponunt, et nihilo minus sunt superbi, magni ac sapientes in oculis suis. Quomodo ergo abscondita sunt
D ista ab eis ? Et respondendum, quod duplex est notitia sive scientia, puta informis et formata. Notitia informis vocatur nuda notitia caritati et vitæ laudabili non unita : quæ caret interno veritatis sapore, nec afficit mentem ad Deum. Et talis divinorum ac humanorum notitia esse potest in vitiosis hominibus, imo et in paganis, de quibus ad Romanos asseritur : Quum Rom. i, 21.
cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; et rursus, Quod notum est Ibid. 19.
Dei, manifestum est illis. Porro notitia

formata vocatur, quæ caritate et virtuosa A
vita ornatur, et ad Deum afficit cognoscentem. Et ista malis non inest, juxta illud
Sap. I, 4. Sapientiæ : In malevolam animam non introibit sapientia. Unde ad Titum scribit
Tit. I, 16. Apostolus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Ideo quantum ad hanc veritatis notitiam, abscondita sunt hæc a sapientibus atque prudentibus informiter, non formate. Sapientes autem dicuntur, quantum ad notitiam divinorum; prudentes, quantum ad rerum notitiam humanarum. Postremo, quantumcumque homo sit B
eruditus, ingeniosus et sciens, si dono sapientiæ, quod sine caritate et gratia non habetur, careat, stultus est : quoniam vitium puerilitatis, sapientiæ dono contrarium, dominatur in eo. Quid enim tam stultum, ut Deo non obedire et carnalia ac caduca ei præferre? Superbia quoque stultitia est : ideo quos scientia inflat, stulti
Is. XLVII, 10. sunt. Ideo loquitur Isaias : Sapientia tua et scientia tua decepit te.

Et revelasti ea, per illuminationem internam et formatam, ac affectivam scien- C
tiam, *parvulis,* id est humilibus, qui vere
Prov. XI, 2. sunt sapientes, Salomone loquente : Ubi humilitas, ibi sapientia. Propterea ait Deo
Ps. CXVIII, 130. Psalmista : Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Humilitas namque, ut sæpe præhabitum est, ad illuminationem supernam omniumque charismatum gratuitorum susceptionem maxime aptat. Quanto quis est humilior, tanto gratiosius visitatur a Deo, qui in
Prov. IX, 4. Proverbiorum libro ait : Si quis est parvulus, veniat ad me. Hinc Corinthiis scri- D
I Cor. I, 26, 27. bens Apostolus : Videte (inquit) vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes sunt inter vos; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sa-
Ibid. 20. pientes. Et denuo : Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Cui illud
Is. XXXIII, 18. Isaiæ consonat : Ubi litteratus? ubi doctor parvulorum? Merito in festo beatissimi viri S. Francisci legitur evangelium istud:
Ps. L, 8. cui quamvis idiotæ Deus gloriosus incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit, docens eum scientia activa, practica, boni approbativa, quod omnia ista terrena sint Dei intuitu ac amore prorsus spernenda. Quod quantum ad hujus scientiæ veritatem, a multis sapientibus prudentibusque abscondit Deus : qui licet informiter sciant ac prædicent præsentia amore futurorum esse spernenda, toto tamen affectu quærunt carnalia ac terrena. Qui, ut Jeremias
testatur, stulti facti sunt a scientia sua. Jer. X, 14.

Ita, Pater, id est, o Pater æterne, vere sic est, et taliter contigit, *quoniam sic placitum est ante te,* id est, quoniam sic tibi complacuit, et in luce sapientiæ tuæ sic bonum et justum apparuit. Ac si dicat : Prima et originalis istius causa, quod quidam præ aliis illuminati atque salvati sunt, non est nisi beneplacitum Dei, seu ejus voluntas. Quæ quum sit essentialiter justa ac sapiens, imo sapientia et justitia prima ac summa, nec irrationabilis esse potest neque injusta. Etenim si dicatur, quod ideo unus est illuminatus quia humilis fuit, alius excæcatus quia superbus et sapiens in oculis suis, tamen quod ille humilitatem et alia ad illuminationem divinam disponentia habuit, originaliter ex prædestinatione divina ac sempiterna processit, quam nulla merita præcesserunt.

Insuper, quamvis in generali ratio assignetur cur quidam sint prædestinati, alii autem præsciti, videlicet ut misericordia
Dei resplendeat in electis, qui sunt vasa Rom. IX, 23.
misericordiæ in Dei honorem et gloriam, justitia vero Dei manifestetur in reprobis
ac præscitis, qui sunt vasa iræ apta in in- Ibid. 22.
teritum; in speciali tamen ratio dari non potest cur iste magis quam ille electus sit, nisi voluntas divina. Unde quum in Christi passione corruissent Petrus et Judas, potuisset Christus misericordiam suam monstrare in Juda sicut et in Petro, si voluisset. Hinc ad Romanos dicit Apostolus :
Igitur non volentis neque currentis, sed Ibid. 16.
miserentis est Dei. In Exodo quoque ipse gloriosus, imperscrutabilis ac metuendissimus Deus testatur : Miserebor cui volue- Exod.
ro, et clemens ero in quem mihi placuerit. XXXIII, 19.

Rom. IX, 18. Cui consonat illud Apostoli : Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Propterea de divina prædestinatione ac reprobatione non nisi cum ingenti reverentia, timorate ac sobrie loqui debemus, nec summæ mentis judicia præsumptuose scrutari ac temerarie judicare : præsertim quum a divinæ mentis comprehensione et excellentia noster deficiat intellectus penitus infinite. Propter quod perscrutator majestatis opprimetur a gloria. (*Prov.* XXV, 27.) Hinc ait Gregorius : His Christi verbis exempla humilitatis accepimus ; nec temere discutere superna consilia de aliorum vocatione aliorumque repulsione præsumamus, quia injustum esse non potest quod placuit justo. Et Augustinus disseruit : Quem trahat, et quem non trahat, cur istum trahat, et illum non trahat, noli judicare, si non vis errare ; nondum traheris, ora ut traharis. Quod ergo comprehendere non valemus, cum omni reverentia veneremur, quum et Apostolus clamet : O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? (*Rom.* IX, 20.)

Præterea, quoniam Christus jam dixit, Confiteor tibi, Pater, quasi inferior Patre, ne ex hoc putaretur non esse Patri æqualis verusque Deus, subdit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Hoc de Christo exponitur secundum utramque ejus naturam. Siquidem secundum divinam naturam, omnia ei a Patre sunt tradita, quia per æternam generationem accepit a Patre totam divinitatis plenitudinem, et quidquid perfectionis in Patre est, scilicet omnipotentiam, omniscientiam, infinitatem, etc. Sicque a Patre accepit potestatem qua cuncta creavit, regit ac possidet. Unde ait : Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; (*Joann.* XVI, 15.) et rursus alloquens Patrem, Omnia (inquit) mea tua sunt, et tua mea sunt. (*Ibid.* XVII, 10.) Hæc autem traditio est per modum naturalis emanationis ; de qua alibi dicit Filius Dei : Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. (*Ibid.* X, 29.) Hoc quippe est divina essentia, quam habet Filius a Patre. Unde sic omnia a Patre data sunt Filio, ut nihilo minus in Patre permaneant, ita quod unum et idem numero esse et posse permaneat in utroque. Et quamvis in simplicissimo Patre nulla sit diversitas, sed purissima unitas, Filius tamen pluraliter dicit, Omnia, quoniam Pater omnem perfectionem cum infinita plenitudine comprehendit. Et eadem ratione Apostolus pluraliter dixit : Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt conspiciuntur. (*Rom.* I, 20.)

Insuper, secundum humanam Christi naturam, universa creata, data et subjecta sunt ei quantum ad auctoritatem, ab incarnationis exordio, quoniam eo ipso quo ejus humanitas unita est Verbo æterno hypostatica unione, data est ei prælatio seu præsidentia super omne creatum, ut asserit Damascenus. Ideo loquitur Christus : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. (*Joann.* III, 35.) Porro, in resurrectione data sunt omnia Christo quantum ad manifestationem, quia ex tunc cœpit innotescere et publice prædicari excellentia Christi. Unde tunc dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (*Matth.* XXVIII, 18.) In die demum judicii, omnia ei tradentur quoad plenariam exsecutionem, quia et omnes adversarii ejus tunc ei plenissime subjicientur, quemadmodum Isaias prædixit : Ad eum venient et confundentur omnes qui repugnant ei. (*Is.* XLV, 25.) Loquendo quoque de Christo ut est Dei ac hominum mediator, sic omnia tradita sunt ei a Patre, hoc est omnia genera hominum salvandorum, seu omnes electi, qui per ipsum reducuntur ad Patrem prout alibi fassus est : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum ; (*Joann.* XII, 32.) et rursus alibi, Nemo venit ad Patrem nisi per me. (*Ibid.* XIV, 6.) Unde secundum Athanasium, omnia tradita sunt Christo ad reformandum, quatenus sicut per Verbum facta sunt omnia, (*Ibid.* I, 3.) ita per idem Verbum incarnatum instaurentur et omnia.

Consequenter Filius manifestat se Patri æqualem in substantia, dicens : *Nemo novit Filium,* id est, nullus plene comprehendit Filium secundum suam divinitatem, *nisi Pater ; neque Patrem quis novit nisi Filius,* notitia comprehensionis perfectæ. Pater enim et Filius sunt coæqua-

les : idcirco, sicut uterque est infinitus in A essentia et actualitate ac cognoscibilitate, ita et in sapientia, intellectualitate ac capacitate. Idcirco se invicem plenissime comprehendunt. Et ab hac comprehensione nequaquam excluditur Spiritus San-
I Cor. II, 10. ctus, qui teste Apostolo, scrutatur etiam profunda Dei : imo, secundum eumdem,
Ibid. 11. quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus ejus. In his enim quæ absolute dicuntur de Deo, quod de una divina Persona asseritur, de qualibet trium verificatur. Unde exceptio sive exclusio hoc nomine, Nemo, B signata, dicitur essentialis, non personalis, quia excipitur quilibet alterius essentiæ, non quilibet alterius personæ. Quemadmodum etiam per hoc quod dicitur, Nemo novit Filium nisi Pater, etc., non datur intelligi quod Filius non noscat se ipsum, aut quod Pater se ipsum non noscat.

Et cui voluerit Filius revelare, ille cognoscit Patrem, imo et quamlibet divinam Personam : non utique notitia plenæ comprehensionis, qua divinæ Personæ se mu- C tuo noscunt ; sed in hac vita cognoscit per fidem et sapientiæ donum, in patria autem per speciem et clarum ac facialem intuitum. Unde Beati in cœlis dicuntur comprehendere Deum, nomine comprehensionis extense sumpto, quia conspiciunt Deum sicuti est in se ipso, ut ait
I *Joann.* III, 2. Joannes apostolus : Nondum apparuit quid erimus; quod quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Si autem comprehendere proprie accipiatur, Deus verus non comprehenditur nisi a se D Deo vero; et omnis intellectus creatus a Dei comprehensione deficit infinite. Sic enim comprehendere dicitur Deum, qui eum cognoscit tam perfecte sicut ex sua natura cognoscibilis est. Deus autem est infinitæ cognoscibilitatis, sicut et infinitæ actualitatis et perfectionis : ideo sic comprehendi non valet, nisi ab intellectu immensæ capacitatis et perspicacitatis seu intellectivitatis. Ex quibus probatur, quod trinitas Personarum naturali ratione inveniri non potuit nec cognosci, imo nec aliqua Persona divina sub proprietate personali.

Denique diversi sunt gradus cognoscendi Trinitatem seu quamlibet divinam Personam in vita hac, secundum quod variæ assignantur species contemplationis. Quanto enim homo in mentis puritate et vera caritate amplius proficit, tanto copiosius desuper illustratur ad cognoscendum superbeatissimam Trinitatem, seu quamcumque divinam Personam. Atque, ut divinus Dionysius libro de Mystica theologia affirmat, perfectissima cognitio quam de Deo habere possumus in hac vita, est per meram omnium abnegationem de ipso, ita quod cap. I, II.
ei uniamur tanquam prorsus incomprehensibili et ignoto. Quod potissimum fit per mysticam theologiam, quæ est secretissima ac ardentissima locutio mentis cum Deo. In qua contemplatione quanto plus desuper illustramur, tanto clarius profundiusque cognoscimus Deum omnino incomprehensibilem esse.

Postquam Salvator ostendit se esse æqualem Patri in majestate ac sapientia, invitat fideles ad ipsum confidenter accedere. *Venite ad me* per mentis conversionem, per desiderium spirituale, per imitationem virtutum, avertendo vos a carnalibus desideriis et rebus caducis : juxta illud Osee, Venite, et revertamur ad Dominum ; ac *Osee* VI, 1.
Joelis, Convertimini ad me in toto corde *Joel* II, 12.
vestro. *Omnes qui laboratis* in peregrinatione hujus exsilii. In qua quidam laborant in operibus pœnitentiæ ac virtutum, quidam in opere manuali; alii in diversis curis, alii in adversitatibus, in tribulationibus, tentationibus sive languoribus; alii in actibus vitiosis, juxta illud Sapientiæ : Lassati sumus in via iniquitatis et perdi- *Sap.* V, 7.
tionis. Quocumque ergo modo laboremus, accedamus ad Christum, totius consolationis ac gratiæ fontem, pravos labores abjiciendo, et bonos continuando, vel in melius transferendo, eundo videlicet de labore actionis ad laborem contemplationis : quæ quamvis in se dulcis sit, tamen in hac

vita habet laborem annexum. *Et onerati* A
estis malis culpæ et pœnæ, seu onere ob-
servantiarum legalium, quod ut ait prin-
Act. xv, 10. ceps Apostolorum, importabile fuit. Deni-
que onus grave omnibus est commune, ex
originali sequens peccato, de quo Eccle-
Eccli. xl, 1. siasticus : Occupatio magna creata est om-
nibus hominibus, et onus grave super om-
nes filios Adam, a die exitus de ventre
matris eorum, usque in diem sepulturæ
in matrem omnium. Unde ut ait beatus
Job xiv, 1. Job, Homo natus de muliere, brevi vivens
tempore, repletur multis miseriis; iterum- B
Ibid. v, 7. que, Homo ad laborem nascitur, et avis
ad volandum.

Et ego reficiam vos pane supersubstan-
tiali quotidiano, videlicet Eucharistiæ sa-
Joann. vi, 56. cramento (caro enim mea vere est cibus) ;
item pane bonæ actionis ac obedientiæ, de
Ibid. iv, 34. quo rursus ait Salvator, Meus cibus est, ut
faciam voluntatem Patris mei; pane quo-
Eccli. xv, 3. que lacrimarum, et pane vitæ ac intelle-
ctus, imo pane spiritualis fervoris atque
internæ consolationis, ut cum alacritate et
gaudio bona agatis quæ ante cum difficul- C
tate tædioque fecistis, sicut ait Propheta
Ps. cxviii, 32. ad Dominum : Viam mandatorum tuorum
cucurri quum dilatasti cor meum. Hinc in
Apoc. xxi, 6. Apocalypsi loquitur Christus : Ego sitienti
dabo de fonte aquæ vitæ gratis; alibi quo-
Joann. vii, 37. que, Qui sitit, veniat ad me, et bibat. De
hac spirituali refectione etiam in Ecclesia-
Eccli. xv, 3. stico scribitur : Cibabit illum Deus pane
vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salu-
taris potabit illum. Hæc refectio in vita
ista gratiose incipitur, atque in patria glo-
Ps. xvi, 15. riose perficitur, juxta illud : Satiabor quum D
Ps. xv, 11. apparuerit gloria tua; et, Adimplebis me
lætitia cum vultu tuo.

Tollite jugum meum super vos, id est,
evangelicam legem reverenter implete, et
præceptis meis corda vestra subjicite :
quoniam ut in Threnis loquitur Jeremias,
Thren. iii, 27. bonum est viro quum portaverit jugum
Domini ab adolescentia sua. Et in Eccle-
Eccli. li, 31, 34. siastico dicitur : Congregate vos in domum
disciplinæ, indocti, et collum vestrum sub-
jicite jugo ejus. Quocontra inobedienti po-
pulo per Jeremiam dicitur : A sæculo con- *Jer.* ii, 20.
fregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti,
Non serviam. *Et discite a me quia mitis
sum et humilis corde.* O saluberrimum et
compendiosissimum verbum, sermo fide-
lis et omni acceptione dignissimus ! Miti-
tas autem est virtus moralis iram refre-
nans ac moderans ; humilitas vero est
virtus in propriam parvitatem faciens re-
silire omnemque elationem abigere. Chri-
stus ergo prorsus mitissimus ac humilli-
mus fuit : in quo nunquam immoderantia
iræ fuit, et se ipsum secundum naturam
assumptam, Patri totique Trinitati profun-
dissime reverendissimeque subjecit. Pro-
pter quod dixit : Ego non quæro gloriam *Joann.* viii, 50.
meam ; et, Claritatem ab hominibus non *Ibid.* v, 41.
accipio.

Discamus ergo a Christo virtutes istas,
quoniam non est servus major domino *Ibid.* xiii, 16.
suo. Si ergo Deus et homo, omnium Domi-
nus, in quo culpa locum non habuit, sed
omnis perfectio requievit, tam mitissimus
ac humillimus fuit, quid nos peccatores
vilissimi ac defectuosissimi superbimus
et per iracundiam insanimus? Unde Leo
Papa testatur : Christiana sapientia, non
in abundantia verbi, non in astutia dispu-
tandi, sed in vera et voluntaria humilitate
consistit, quam Dominus Jesus Christus
pro omni fortitudine elegit et tenuit. Per
mansuetudinem autem et humilitatem non
solum Deo, sed proximis quoque singula-
riter amabiles ac exemplares efficimur.
Propter quod in Ecclesiastico scribitur :
Fili, in mansuetudine perfice opera tua, et *Eccli.* iii, 19.
super omnem gloriam hominum diligeris ;
itemque, Humilia te in omnibus, et inve- *Ibid.* 20.
nies gratiam coram Deo et hominibus.

Et invenietis requiem animabus vestris,
non in futuro dumtaxat, sed etiam in præ-
senti, id est, in Deo dulciter quiescetis
per caritatem, contemplationem, pacem
internam, et spem futurorum bonorum.
Superatis enim motibus iræ atque super-
biæ ceterorumque vitiorum, est homo ap-
tissimus ad contemplationem et mentis
repausationem in Deo, et delectatur in *Ps.* xxxvi, 11.

multitudine pacis. Hinc ab Jeremia mone-
Jer. VI, 16. mur : Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. In Ecclesiastico quoque fertur:
Eccli. LI, 35. Videte quia modicum laboravi, et inveni mihi requiem multam. In Isaia etiam Do-
Is. XXXII, 18. minus loquitur : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Hæc requies nunc inchoatur, atque in cœlo perficietur. Non enim perfecte quietari potest cor nostrum, nisi summo bono fuerit immediate ac fruitive unitum. Propter quod
Ps. CXIV, 7. ait Propheta : Convertere, anima mea, in requiem tuam ; et Augustinus : Domine, creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum donec videat te.

Jugum enim meum suave est, hoc est, evangelicæ legis seu præceptorum Christi observantia dulcis est diligenti : quoniam nulla virtus, nulla forma tam prompte ac delectabiliter agit ut caritas, si tamen sit fervida et intensa. Observatio quoque præceptorum ex sua natura suavis est, quum virtus sit secundum naturam ; et ut Tullius scribit, virtus est habitus in modum naturæ rationi consentaneus. Hinc in Psalmo
Ps. XVIII, 10, 11. habetur : Judicia Domini (id est Dei præcepta) vera, justificata in semetipsa ; desiderabilia super aurum, et dulciora super mel et favum. Siquidem actus virtuosi delectationes habent sibi annexas. *Et onus meum leve* est, id est, observatio consiliorum facilis est, quoniam sicut pigro, carnali ac frigido laboriosa gravissimaque videtur, sic homini spirituali ac fervido levissima est atque dulcissima, ita ut di-
Ps. CXVIII, 103. cat : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !

Matth. XI, 30. Circa hoc quæritur, quomodo Christi jugum suave sit et onus ejus leve, quum
Ibid. VII, 14. ipsemet dicat, Arcta est via quæ ducit ad
Ibid. 13. vitam ; et, Intrate per angustam portam ;
Ibid. XI, 12. itemque, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Concupiscentias namque refrenare, inimicos diligere, cor-
A pus in servitutem redigere, videtur difficile. Insuper Christi consilia sunt, parentes, cognatos, uxorem et omnes opes relinquere, perpetue continere, se ipsum in omnibus abnegare. Hæc autem videntur contra vel supra naturam, et non levia, sed difficilia valde. Imo omnes qui volunt II Tim. III, 12.
pie vivere in Christo, persecutiones pati oportet, et per multas tribulationes intrare Act. XIV, 21.
in regnum cœlorum : nam et multæ tribulationes justorum. Videmus quoque ad Ps. XXXIII, 20.
oculum servos Dei variis difficultatibus
B exerceri, et temporalibus consolationibus frequenter carere. Propter quod dixit Psalmista : Propter verba labiorum tuorum Ps. XVI, 4.
ego custodivi vias duras. — Et respondendum, quod idem jugum seu onus est angustum et grave incipientibus, imperfectis, spiritualem consolationem nondum expertis ; latum vero, jucundum ac leve ferventibus, exercitatis, imo et digne proficientibus, et spiritualem consolationem expertis. Et quod grave est per naturam, fit dulce per gratiam : consuetudo enim
C est quasi altera natura. Et desuper illuminatis ac sapienter pensantibus omnia, quam periculosum sit impie vivere, quam districtum sit judicium Dei, quanta supplicia sint inferni, quanta sit felicitas electorum, quanta brevitas sit vitæ dierum istorum, quam salubre ac nobile sit Deo servire, adhærere, placere : hæc atque similia rite pensantibus, universa prætacta vere sunt dulcia prorsusque levia, et omne tempus quo Deo intendunt ac obsequuntur, brevissimum eis videtur. Ideo
D delectantur, quamvis interdum dispensative eis interna consolatio subtrahatur ; sed in hoc patientiam habent, et bene interim se habendo, cito suaviter revisuntur.

Posset quoque hic quæri, an lex evangelica sit difficilior ad servandum, quam lex data per Moysen. Cujus quæstionis plena solutio grandi eget scrutinio sermoneque longo : idcirco hac vice prætermitto.

SERMO TERTIUS

DE DULCEDINE IN JUGO CHRISTI SUAVI, ET DE CONSOLATIONE REQUIRENDA AB IPSO.

A *VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

Duo sunt quæ retrahunt homines a Dei obsequio, a vera conversione, a religionis ingressu, exercitiisque virtutum continuis. Primum est amor voluptatum. Delectat namque peccare, et propriis desideriis satisfacere, atque in propria libertate manere. Contra quod malum Ecclesiasticus monet : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ; si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. (*Eccli.* XVIII, 30, 31.) B Secundum est timor bonorum laborum seu tribulationum. Contra quod malum Scriptura nos multipliciter consolatur ac instruit, quia hujusmodi laboris ac tribulationis magnus et æternus est fructus, juxta illud Sapientiæ : Bonorum laborum gloriosus est fructus. (*Sap.* III, 15.) Unde hortatur Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ; (*I Cor.* XV, 58.) et alibi, Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. (*II Cor.* IV, 17.) C — Contra duo hæc mala Christus in tacto jam themate nos informat ac consolatur. Pro malis namque voluptatibus spirituales promittit consolationes, multo imo incomparabiliter meliores ac nobiliores, quum ait, Ego reficiam vos ; (*Matth.* XI, 28.) per easdem quoque spirituales et internas consolationes promittit laborum bonorum difficultatem esse minorandam, seu etiam omnino tollendam, et in facilitatem dulcedinemque esse mutandam. D Ideo nos hortatur ut pro tanto ac tali relevamine, consolatione seu refectione, ad ipsum spiritualiter accedamus.

Hic primo inquirendum est, quum jugum Christi in se ipso suave sit, unde oriantur difficultas et labor in Dei obsequio exercitiisque virtutum. Et respondendum, quod ex multis. Primo, ex fomite seu interiori pronitate et inclinatione ad mala : quæ pronitas ex originali peccato secuta est. Unde in Genesi loquitur Deus : Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua. (*Gen.* VIII, 21.) Hanc quoque pronitatem et inclinationem auget in homine interior quædam peccati materia, utpote : sanguinis fervor, et semen, ac aliæ dispositiones naturalem complexionem sequentes, ex quibus diversi ad diversa inclinantur peccata, ut melancholici ad tristitiam, phlegmatici ad pigritiam. Et quia his inclinationibus difficile est reniti ac prævalere, laboriosum est atque difficile virtutibus inhærere. Unde, secundum Philosophum, virtus est circa ardua. Secundo consurgit difficultas ista ac labor ex habitibus interioribus vitiosis, seu consuetudine prava. Dum enim homo diu ac sæpe consentit ac satisfacit desideriis suis, jam difficillimum ei fit vitiis reluctari ac dominari. Hinc teste Augustino, consuetudo quasi affabricata natura dicitur; et consuetudinem vincere, dura et magna est pugna. Hieronymus quoque fatetur : Asperam et insuavem nobis virtutum viam consuetudo efficit vitiorum. Sed et Gregorius protestatur : Consuetudo prava obligat mentem, ut vix surgere possit ad rectitudinem; conatur et labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi, etiam quum quasi noluerit, cadit. Tertio oriuntur difficultas et labor in Dei servitio seu bonis operibus, a causa extrinseca : quia interdum ex diabolica tentatione, interdum ex humana suggestione.

Sed contra has causas difficultatis et laboris in divinis data sunt homini multa remedia. Primum est ratio naturalis, quæ sensualitati et vitiis dominari debet ac im-
Gen. IV, 7. perare, juxta illud : Si male egeris, statim peccatum in foribus aderit ; sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Secundum, instructio sacræ Scriptu-
II *Tim.* III, 16, 17. ræ, quia ut ait Apostolus, Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo ad omne opus bonum. Docet enim nos sacra Scriptura qualiter debeamus malæ inclinationi, vitiosæ consuetudini, diabolicæ tentationi ac pravæ societati resistere. Ideo ait Gregorius : Scriptura sacra mentis nostræ oculis quasi speculum quoddam opponitur, ut in ea nostram interiorem faciem videamus. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus ; ibi sentimus quantum proficimus, quantumve a profectu distamus. Acquiescamus ergo et obtemperemus sacræ Scripturæ doctrinis. Tertium est gubernatio seu informatio prælatorum, qui sibi commissis sollicite præsunt, eosque instruunt, corrigunt ac reformant. Idcirco eorum informationibus credere, jussionibus obedire, correctionibus stare
Hebr XIII, 17. debemus, juxta illud ad Hebræos : Obedite præpositis vestris ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Quartum est spiritualium amicorum et proximorum consilium et auxili-
Eccle. IV, 10. um, quia ut ait Scriptura, Væ soli, quia si
Prov. XVIII, 19. ceciderit, non habet sublevantem. Frater autem qui juvatur a fratre, quasi civitas
Ibid. XXVII, 9. munita. Et iterum : Bonis amici consiliis dulcoratur anima. Proximorum ergo et confratrum directionem, informationem et correptionem gratanter suscipiamus.

Quintum est angelica inspiratio atque custodia, qua a multis peccatis retrahimur, ad bona instigamur, et multipliciter adjuvamur. Sextum est gratiosa subventio
Rom. VIII, 26. Spiritus Sancti, quia ut ait Apostolus, Ipse Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Siquidem Spiritus Sanctus ad bona nos ex-
A citat, in bonis conservat, proficere facit, accendit, lætificat, virtutes infundit. Septimum est exercitatio bona, præsertim oratio, qua Dei auxilium jugiter imploramus. Quemadmodum enim mala consuetudo per prava opera generatur, ita per opera bona destruitur, et per eadem consuetudo bona ingignitur. Qua adepta, prompte ac delectabiliter fiunt opera bona, quemadmodum S. Benedictus ait in Regula sua : Via salutis angusto initio inchoatur ; processu vero conversationis ac fidei, dilatato *Ps.* CXVIII, 32.
B corde, inenarrabili caritatis dulcedine curritur via mandatorum Dei. Et iterum : Quum per humilitatem pervenit homo ad caritatem Dei perfectam, universa quæ prius non sine formidine observabat, jam absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non timore gehennæ, sed Dei amore et delectatione virtutum.

Ut ergo Christi jugum nobis suave sit, prædictis utamur remediis contra ea quæ dicta sunt, per quæ difficultas et labor
C sentiuntur in Dei obsequio. Dei auxilium jugiter imploremus, in bonis operibus nos strenue exerceamus, et perseveranter continuemus exercitia virtuosa : quia ut sanctus ait Cæsarius episcopus, orationi insistere, lectioni vacare, vigiliis, jejuniis ceterisque virtutum exercitiis insudare, quousque in consuetudinem vertantur, laboriosa esse videntur ; quum vero in consuetudinem versa sunt, et non humanis viribus, sed Dei auxilio et per gratiam ejus impleri creduntur, nec dura nec la-
D boriosa, sed levia atque suavia sentiuntur.

Præterea, quamvis (ut dictum est) tam difficile sit vitiosæ consuetudini prævalere, in tantum ut Aristoteles asserat, eos qui ex proposito, habitu malo seu consuetudine peccant, velut incurabiles esse ; nihilo minus superpiissimus ille atque omnipotens animarum medicus Spiritus Sanctus, interdum tam gratiose ac dulciter subvenit, ut etiam recenter conversi, spiritualiter inflammati, omnes consuetudines pravas consuetaque vitia omni cum

alacritate ac promptitudine spernant, vincant ac deserant, et cunctis virtutum operibus ferventer insistant. Sed hoc est valde speciale ac evidens donum Spiritus Sancti.

Ex his constat quam insipienter se habeant quidam qui converti timent ac differunt seu postponunt, propter difficultatem atque laborem virtuose vivendi. Non enim attendunt quam gratiose Deus servis suis subveniat, quam ubertim eos interius consoletur, et qualiter quotidie jugum Dei proficientibus in virtutibus magis dulcescat. Nullus ergo ex tali pusillanimitate aut formidine differat pœnitentiam agere et converti, sed speret in Domino et innitatur auxilio gratiæ Spiritus Sancti, quia et Leo Papa ait : Facile omnia præcepta veniunt in effectum, dum et virtus mollit imperium, et gratia prætendit auxilium. Quod et Augustinus affirmat : Hoc est quod nos lætificat in omnibus operibus, laboribus et periculis vitæ hujus, amor noster in Deum, pium studium, certa spes, fervorque spiritus.

Eccli. v, 8.

Sunt insuper alia multa quæ servos Dei salubriter consolantur in omni adversitate quam patiuntur, videlicet : sapienter pensare quam terribiliter mali pereant ac damnentur, propria quoque peccata efficaciter ponderare, et quid per ea meruimus cogitare. Hinc sanctus ait Gregorius : Consolatio velox bonorum, est consideratio finis malorum. Dum enim ex illorum interitu malum conspiciunt quod evadunt, leve æstimant quidquid adversum in hac vita sustinent. Iterum ait : Facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, ad memoriam revocemus mala quæ fecimus ; atque hæc jam non flagella, sed dona conspicimus esse, si quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgamus. Itaque ut a Christo in laboribus vitæ præsentis consolari ac refici mereamur, vanas consolatiunculas omnesque impuras delectationes spernamus, in Dei timore et cordis custodia semper perseverantes.

Legitur de S. Francisco, qui primo fuit vagus juvenis, quod in principio suæ conversionis, quando in civitate nativitatis suæ cœpit publice mendicare et in abjectissima veste incedere, magnam sensit difficultatem ; sed Deus eum frequenter dulcissime consolabatur. Quumque per modicum tempus contra propriam naturam viriliter pugnasset, et se virtuose vicisset, cœpit mox in omni paupertate, humilitate, patientia, persecutione et tribulatione mirabiliter exsultare. Deinde quum paucos Fratres in sancto proposito collegisset, illi sequentes vestigia patris sui S. Francisci, cum eodem in præfatis exsultaverunt virtutibus : atque in maxima paupertate tanquam in omnibus divitiis lætabantur ; et maxima frigora tempore hiemali cum jucunditate ferebant, frequenter in una domuncula noctibus quiescentes, in qua nec ignem, nec lectum, nec operimenta habebant ; et cibo parcissimo atque grossissimo, imo frequenter pane et aqua erant contenti. Et tamen hæc omnia pro Christi amore ac futuræ beatitudinis desiderio proximorumque ædificatione, eis levia erant ac dulcia.

Horum ergo Sanctorum facta sequamur, et prospera mundi magis quam ejus adversa formidemus ac contemnamus, Deo in omnibus obedientes, et in eo tantum consolationem quærentes.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

SUMMAM VERÆ RELIGIONIS IN CARITATE ET MISERICORDIA SITAM ESSE.

INDUITE vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam. Coloss. III, 12.

Epistola præsentis dominicæ omni moralitate et sancta doctrina plenissima est. In qua nos primum hortatur Apostolus, ut viscera misericordiæ induamus, quatenus
Luc. I, 78. sicut Filius Dei per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, ita nos visceribus misericordiæ pleni esse et ei placere conemur, ut simus spiritualiter undique pietatis visceribus cooperti, quemadmodum vestitus vestimento cooperitur.
Matth. XXII, 37-40. Siquidem lex Christi, lex est totius caritatis ac pietatis. Et juxta Ambrosium, summa christianæ religionis in caritate et misericordia sita est. Idcirco ad omnes Christianos, præsertim ad religiosos, maxime pertinent. Porro viscera caritatis et misericordiæ sunt interni exuberantes intimique affectus harum virtutum. Hortatur ergo sanctus Apostolus, ut non solum misericordes simus, sed et misericordiæ viscera induamus, quatenus omni compassione interna, omni pietatis affectu, omni miserendi promptitudine inter nos abundemus, atque ex intimo cordis fundo actus misericordiæ proximis jugiter totis viribus impendamus, et quod effectu non possumus, faciamus affectu.

Subinde, nos religiosi propria non habentes, nec sine licentia dare corporalia bona valentes, spiritualia misericordiæ opera proximis, præsertim confratribus nostris, tanto copiosius impertiamur, quanto minus corporalia misericordiæ opera exercere valemus. Itaque cunctis peccantibus, errantibus, deceptis, tentatis, afflictis, totis condoleamus præcordiis, et ferventer atque indesinenter oremus pro ipsis : tanto plus quanto vulnera animæ, quæ sunt peccata, pejora ac magis nociva sunt vulneribus et incommodis corporis. Peccantibus quoque loco et tempore opportuno fraternæ correptionis beneficium exhibere non negligamus, sive per nos ipsos, sive per alios magis idoneos. Item, ignorantem instruere, dubitanti consulere, defectuosum pie supportare, mœstum consolari, discordantes pacificare, pro posse ac opportune curemus, quatenus unusquisque sicut accepit gratiam, illam in alterutrum ministret, prout princeps docet Apostolorum. *I Petr.* IV, 10.

Porro qui his misericordiæ visceribus est indutus, non facilis est ad indignandum, ad irascendum ac ulciscendum : imo forefacientibus sibi compatitur, magis de illorum culpa quam de sua dolens injuria, sciens quod sibi ipsis noceant magis quam sibi. Imo sibi coronam patientiæ parant, et ad promerendum gratiam ac gloriam præbent occasionem ; se ipsos vero spiritualiter lædunt. Qui ergo tam leviter offenduntur, et pro una festuca turbantur, conqueruntur, rixantur, vindictamque inferunt aut exoptant, considerent quantum a monastica bonitate, imo et a christiana distent ac corruant pietate. Non itaque indignemur, nec proximis irascamur ad ulciscendum, sed peccantibus atque injuriantibus compatiamur, et oremus pro ipsis ; verbis quoque, signis et factis eos

ad veritatis recognitionem ac virtutum amorem, pacem atque concordiam revocemus.

Sicque juxta Apostolum in præsenti epistola, induamus benignitatem, ut simus semper mente parati ad succurrendum, ad benefaciendum pro posse. Simusque
Coloss. III, 13. humiles et modesti, ac mutuo supportemus et ignoscamus, quemadmodum Deus Pater in Christo, id est per Christi incarnationem, passionem ac meritum, nobis ignovit. Ipse etenim nos gratiose prævenit; et non petentibus, imo indesinenter ipsum offendentibus, misericordissime subvenire dignatus est, Unigenitum suum mittendo ad nos, atque per ipsum et per Apostolorum prædicationem nos exhortando ad reconciliationem cum ipso. Propter
II *Cor.* V, 20. quod ait Apostolus : Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos ; obsecramus pro Christo, reconcilia-
Ephes. II, 4, 5. mini Deo. Et iterum : Qui dives est in misericordia, propter nimiam suam caritatem qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo. Propterea dicit Gregorius : Erubescat humana superbia, confundatur quisque si non prior satisfaciat proximo, quum ipse qui offensus est, legatis intervenientibus, ut ei reconciliari debeamus, obsecret Deus. Hinc quoque secundum Cassianum et Climacum, et alios quosdam Sanctos, christiana requirit perfectio, caritasque perfecta, ut etiam ipse qui injuriam passus est, injuriatorem prior studeat sibi mitigare ac pacificare. Si enim alius est in periculo et errore, et me ei humiliando possum eum curare, nec tamen hoc facio, non videor esse perfectus in caritate. Unde S. Epiphanius sancto dixit Hilarioni : Ego non dormivi, adversus aliquem aliquid habens; nec permisi quemquam dormire habentem aliquid contra me.

Insuper docet Apostolus in præsenti epi-
Coloss. III, 14. stola, ut caritatem in omnibus et super omnia gratiarum charismata jugiter habeamus, quia hoc perfectionis est vinculum, id est aliarum virtutum conservatio,
A consummatio, nexus ac ligamentum. Caritas namque est præstantissima virtus, ceteras movens, formans perficiensque virtutes, et earum actus meritorios reddens : qua subtracta, nulla virtus permanet meritoria ac formata. Idcirco princeps Apostolorum hortatur : Ante omnia mutuam *I Petr.* IV, 8.
in vobis caritatem continuam habentes, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum.

Monet quoque in præsenti epistola Paulus, ut pax Christi, id est interna mentis *Coloss.* III, 15.
B tranquillitas in Deo, exsultet semper in cordibus vestris, id est, spiritualiter jucundos vos faciat : quia hæc pax est realiter imperturbatum spiritualeque gaudium. Idcirco etsi forinsecus impugnemur, intus tamen in Deo pacem habere conemur, adversa æquanimiter sustinendo, atque divinæ providentiæ ordinem contemplando, sine cujus dispositione ac nutu nil agitur, quæ et omnia suis electis convertit in bonum. Hinc viri perfecti, ut S. Thomas Cantuariensis, S. Hugo episcopus Lincol-
C niensis, ac alii multi, quum gravissimas paterentur ab hominibus infestationes, in tantum quod sui immaniter fluctuabant, ingenti tranquillitate fruebantur in Domino. Sed quid ad hæc nos pusilli ac pauperes dicimus, quorum pax interior (si qua est) in manu est aliorum, quibus quum placuerit nos modice tangere, irridere, gravare, protinus perturbamur et quasi furore quodam accendimur, omnem quam videbamur habere devotionem et pacem pectoris amittentes? De tanta igitur nostra
D imperfectione, infirmitate et puerilitate ingemiscamus, atque in vera patientia, humilitate ceterisque virtutibus roborari conemur, quatenus nullius improbitate nostra nobis possit pax tolli, aut auferri devotio : alioqui immunitissimi et infirmissimi sumus, qui tam faciliter deprædamur.

Insuper monet Apostolus, ut grati simus *Ibidem.*
Domino Deo nostro pro innumerabilibus beneficiis ac misericordiis ejus generalibus ac specialibus ; maxime quod ex pietate sua immensa, de sæculo nos eduxit

atque in cœnobio constituit, sicque ab in- A
finitis nos præservavit peccatis ac libera-
vit periculis, ac suo mancipavit jugi obse-
quio, ac diversis ornavit (ut confidimus)
charismatibus gratiarum. Quod totum est
infinita misericordia Dei, dummodo juxta
nostræ exigentiam vocationis digne Deo
vivere enitamur. Quod ut faciamus, cure-
Coloss. III, 16. mus ut juxta doctrinam Apostoli, verbum
Christi habitet semper in cordibus nostris,
id est, sacræ Scripturæ eloquia, divina
præcepta, et evangelica Christi consilia
commendemus memoriæ; non ut docti vi- B
deamur, sed ut juxta ea irreprehensibiliter
Ps. CXVIII, 11. conversemur, juxta illud in Psalmo : In
corde meo abscondi eloquia tua, ut non
Ibid. 97. peccem tibi; et item, Quomodo dilexi le-
gem tuam, Domine? tota die meditatio
mea est.

Subinde, quoniam instituta patrum no-
strorum sunt indubitanter instituta et ver-
ba Spiritus Sancti, ideo eorum assidue
recordari debemus, ut ipsa strenue obser-
vemus. Non itaque laxi, sed stricti simus
in observatione silentii, in oculorum cu- C
stodia, in frequentando divina, in adim-
plendo quæ Ordinis sunt. Sicque nos in-
Coloss. III, 16. vicem in Scripturis, hymnis et psalmis
instruamus ac exhortemur, et Deo menta-
liter semper psallamus, quemadmodum
Ps. XXXIII, 2. scriptum est : Benedicam Dominum in
Ps. CXLV, 2. omni tempore; et, Psallam Deo meo quam-
diu fuero. Sed, heu, quando ad colloquen-
dum confluimus, jam non est docere et
exhortari hoc modo, sed vanis confabula-
tionibus, rumorum inquisitionibus, risi-
bus et cachinnis, ne dicam litibus et con- D
tentionibus, inhærere, memoriam lacerare,
mentem polluere, et paulo post ore, non
corde, psallere Deo. Sicque quod una hora
colligimus, alia perdimus; et nunquam ad
perfectionem, sed potius ad defectum ve-
nimus.

Coloss. III, 17. Postremo docet Apostolus, ut omne
quod agimus in verbo aut opere, in nomi-
ne Christi agamus, hoc est ad gloriam
ejus, et cum invocatione nominis ipsius,
Deo Patri gratias referentes per Christum,
videlicet propter beneficia quæ per Chri-
stum nobis largitus est.

Ecce tota epistola ista ad internam re-
formationem, puritatem, pacem et exer-
citationem, ac rectam intentionem nos
instruit. Pro nihilo igitur arbitremur ex-
teriora quæ agimus, nisi in interiorum
reformatione, puritate et perfectione cre-
scamus. Hinc multum notabiliter ait Eu-
sebius : Si interius non mundamur, et
exterius affligimur, inaniter laboramus.
Tantum laboris nobis indicimus propter
animam, et nihil studii impendimus circa
animam ipsam. Interdiximus nobis diver-
sas sæculi voluptates, varios deliciarum
sapores, in quibus aliquid erat jucundita-
tis; et nunc abstinere non possumus a su-
perbiæ, iræ, impatientiæ, invidiæ passio-
nibus venenatis, in quibus nihil est nisi
quidquid amaritudinis est atque rancoris.
Propter amorem Domini Dei nostri, ad re-
linquendum dulces affectus et cara pigno-
ra fortissimi fuimus, jucundissimos pio-
rum vultus parentum, quasi odissemus, sic
fugimus, bellum pietati quodammodo in-
dicentes ; et nunc ad declinandas negli-
gentias, ad expugnandum levissima vitia
debiles sumus. In abdicanda sæculi jucun-
ditate tam magna præmisimus; et nunc
maledicere, obtrectare, propter vilia com-
moveri, irasci in fratrem, scandalizare et
scandalizari non verecundamur. Sed resi-
piscamus, et ad fervorem quo cœpimus
intueamur, quatenus ad emendationem no-
stram saltem de primordiis nostris suma-
mus exemplum ; atque de cetero non
solum conemur a pristino fervore non
tepescere, sed et in sanctæ caritatis ardo-
re, in passionum refrenatione ac morum
compositione studeamus proficere : quia
nec essentiale præmium nostrum augetur
in patria, nisi caritas crescat in via.

SERMO QUINTUS

QUO PACTO SAPIENTIBUS IN PROPRIIS OCULIS ATQUE SUPERBIS ABSCONDITA DIVINA MYSTERIA, PARVULIS, ID EST HUMILIBUS, REVELENTUR.

CONFITEOR tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Matth. XI, 25.

Hæc eadem verba recitaturus, sanctus
Luc. x, 21. evangelista Lucas præmisit : In illa hora exsultavit Jesus Spiritu Sancto, et dixit, Confiteor tibi, Pater. Quo constat magnam esse profunditatem singularemque vim horum verborum. Quum enim discipuli quos Christus misit ad prædicandum, cum
Ibid. 17. gaudio redissent, ad eum dicentes, Domine, in nomine tuo etiam dæmonia subjiciuntur nobis; Salvator inter cetera eis respon-
Ibid. 20. dit : Nolite in hoc gaudere, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

In illa hora exsultavit Christus in quantum homo, movente eum ad hoc Spiritu Sancto, et dixit : « Confiteor tibi, Pater », hoc est, te laudo, quoniam « abscondisti hæc », utpote mea documenta, gratiarum mearum charismata, dona seu beneficia, christianæque fidei sacramenta et evangelicæ legis mysteria, « a sapientibus et prudentibus », eis videlicet qui se ipsos reputaverunt sapientes atque prudentes, et magni fuerunt in oculis suis, quemadmodum Scribæ et Pharisæi, item et philosophi, de qui-
Rom. I, 22. bus fatetur Apostolus, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt; « et revelasti ea parvulis », scilicet humilibus meis discipulis, qui propriam defectuositatem pensantes, parvi et viles fuerunt in oculis suæ
II Cor. III, 5. mentis, cum Apostolo profitentes : Quia non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia no-
I Cor. XV, 10. stra ex Deo est; itemque, Gratia Dei sum id quod sum. Hi itaque quia se ipsos Deo profunde substernunt, humiliter subdunt,

A propriam infirmitatem ac nihileitatem fatentur, atque de eo quod habent, Deo gratias agunt, laudem obsequiumque impendunt; aptissimos se exhibent ad illuminationem divinam, et melioribus quotidie charismatibus locupletantur; secretius edocentur, ipsas Scripturas per donum intellectus acutius penetrant, et cum gustu quodam interno ac dulci intelligunt.

Deinceps, usque in præsens mysticam theologiam, increatæ suavitatis degustationem, internæ exercitationis saporem, di-
B vinæ familiaritatis experientiam, flammigeræ caritatis ardores, incerta et occulta sapientiæ suæ Deus abscondit sapientibus et scientibus de sua scientia inaniter gloriosis, et omnibus non recte viventibus ac superbis. Quæ omnia si nobis desuper revelari, experimentaliter notificari, medullitus patere optamus, conemur esse humillimi ac mente purissimi, omni vana affectione, obliqua intentione passionumque irrefrenatione, negligentia atque pigritia funditus exstirpatis. Tunc enim Sol
C sapientiæ, mentem sibi propinque conjunctam, tam præcipue conformatam, tam vigilanter et amorose unitam, radiis sapientiæ suæ copiose perfundet, et sua uncti- *I Joann.* II, 27.
one de omnibus edocebit, formatam et saporosam Scripturæ notitiam ei infundens. Hinc abbas Theodorus dixit, quod Scripturarum profundam et veram intelligentiam cupiens adipisci, studeat vitæ puritati magis quam lectioni. Et de S. Thoma de Aquino in sua fertur legenda, quod scientiam suam orando magis quam studen-
D do adeptus sit. Conformiter quum quidam doctor sæcularis a beatissimo viro Francisco interrogasset intellectum verbi in

Eccli. xvii, 12. Ecclesiastico scripti, Unicuique mandavit A Deus de proximo suo; Sanctus ille tam convenienter respondit, et verbum illud tam evidenter exposuit, ut doctor ille fuerit ex hoc valde attonitus. Porro, iniqui quantumcumque videantur litterati, non nisi informem et nudam, non affectivam, formatam ac saporosam Scripturæ habent notitiam :
Tit. i, 16. de quibus affirmat Apostolus, Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Insuper quam verum sit istud, clarissime innotescit in illis beatissimis eremitis ac anachoretis quorum collationes Cassia- B nus describit. Quorum quam præclarissima fuerit sapientia in divinis, ex eorum patet collationibus. Unde et abbas Nesteros de hac ipsa dixit materia : Si vobis cura est ad spiritualem scientiam pervenire, non inanis jactantiæ vitio, sed emendationis virtute ac merito, illius beatitudinis desiderio primum accendamini, de qua ait
Matth. v, 8. Salvator, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; ut sic ad beatitudinem mereamini pervenire, de qua angelus
Dan. xii, 3. locutus est Danieli : Qui docti fuerint, ful- C gebunt sicut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates. Deinde festinandum est tibi, si ad scientiam Scripturarum vis pervenire, ut prius humilitatem cordis consequaris immobilem, quæ
I Cor. viii, 1. te non ad illam scientiam quæ inflat, sed ad illam quæ inflammat, caritatis consummatione perducat. Impossibile est namque mentem immundam spiritualis scientiæ donum acquirere. Cave etiam ne ante ac-
Matth. v, 19. tum prosilias ad docendum. Si enim ille D qui unum mandatum minimum solverit, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; consequens est ut qui multa et majora solvens seu negligens, sic docuerit homines, non jam minimus in regno cœlorum, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Aliud est facultatem et venustatem sermonis ac disputationis habere, aliud venas ac medullas cœlestium intrare ac penetrare dictorum, atque profunda sacramenta purgato cordis oculo contemplari : quod nullatenus doctrinâ humana aut sæcularis eruditio, sed sola puritas mentis per illuminationem Spiritus Sancti adipiscetur.

Postremo, ut ad divinorum theoricam contemplationem, ad mysticæ sapientiæ gustum valeamus pertingere, studeamus ut intellectus noster transeat in affectum; et propriæ vilitatis, fragilitatis et culpabilitatis jugiter memores simus, atque ad fontem sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, frequenter ac fervide suspiremus, cum Propheta affectuosissime deprecantes : Fa- *Ps.* cxviii, 135.
ciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Omne quoque obstaculum inter sapientiam Creatoris et animas nostras male medians, ac sapientiæ influxum impediens, penitus fugiamus. Et scimus quod in malevolam *Sap.* i, 4, 5.
animam non introibit sapientia, quod Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu; quod non nisi super quietum *Cf. Is.* lvii, 15.
et humilem requiescet spiritus Domini; quod omnium superborum et sublimium *Eccli.* xxiv, 11.
colla propria virtute calcat Sapientia increata; quod non nisi ad pauperculum, et *Is.* lxvi, 2.
contritum spiritu, et trementem sermones suos respicit Dominus: qui etiam ab exordio evangelicæ legis, per idiotas, humiles ac simplices, omni sapientia infusa liberalissime præditos, totum sibi mundum subjecit, principes et philosophos christianæ fidei subjugavit. Unde secundum Basilium in Regula sua, istud inter præcipua Dei est beneficia computandum, quod suam nobis dedit scientiam, et sapientiæ suæ nos fecit participes. Qui autem ita a Deo edoctus est, sapientiam suam nunquam vane ostentet, nec fratribus colloquens contentiosæ disputationi deserviat; non clamet nec conturbetur, sed pudicam et pacificam suam esse sapientiam pandat. Hinc quidam Patrum disseruit : Ne contendas cum fratre. Sed si ille bene dixerit, acquiesce; si male, semel commone eum. Si non acquiescit, dic ei : Tu videris. Sic enim in tranquillitate manebimus.

SERMO SEXTUS

QUOMODO CUM CLARO ANIMO, FIDEI GAUDIO, BONÆ ET DEVOTÆ VOLUNTATIS AFFECTU ONUS RELIGIONIS GESTATUM, PER CHRISTI GRATIAM SUAVE FIAT AC LEVE.

V*ENITE ad me, omnes qui laboratis* A *et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

Jugum Christi est observatio suæ legis, credere quæ docuit, implere quæ jussit, et ejus consiliis præbere assensum. Sed quomodo jugum istud dicitur leve, quum valde difficile videatur rationem fidei subjugare ? Imo, secundum Apostolum, hoc *II Cor.* X, 5. est intellectum in captivitatem redigere. *Luc.* XVIII, 29 ; IX, 23 ; *Prov.* IV, 23. Difficile quoque est, parentes, sobolem, uxorem, propinquos relinquere, se ipsum abnegare, cor jugiter custodire. Nonne B *Matth.* VII, 14 ; XI, 12. etiam arcta est via salutis, et regnum cœlorum vim patitur, violentique rapiunt illud ? Vir quoque perfectus loquitur Deo : *Ps.* XVI, 4. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras ; *Ps.* XLIII, 22. et rursus, Propter te (inquit) mortificamur tota die. Sed et Paulus apostolus : *II Tim.* III, 12. Omnes (ait) qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur ; *Act.* XIV, 21. et, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. — Hæc atque similia non aliud petunt, nisi ut declaretur qualiter jugum Christi suave vo- C cetur, quod revera multi tam laboriosum ac grave experiuntur. Porro, quod jugum Salvatoris sit dulce, facile est probare. Quid namque est jugum Christi, nisi mentem Deo subjicere et vacare, atque virtutibus inhærere, ad quod omnia tendunt consilia et præcepta? Quid autem tam dulce, sicut Deo tranquilla mente esse intentum ? Quælibet etiam virtus proprium habet gaudium suæ operationi annexum. Præterea, Deum diligere, ex sua natura est dulcissimum : quod qui agit, omnia D implet mandata.

Itaque respondendum, quod utique jugum Christi suave est pluribus modis :

Primo, ex propria sua natura, ita quod difficultas quæ in Dei cultu sentitur, et in portatione jugi ac oneris Christi percipitur, ex nostra corruptione dispositioneque oritur : quia ut in Genesi habetur, Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua ; *Gen.* VIII, 21. et naturaliter ad vetita inclinamur. Est quoque delectabile homini libertatem propriam sequi. Virtus autem ex sua delectabilis est natura. Unde et Tullius eam definiens, ait quod sit habitus in modum naturæ operans, consentaneus rationi. Nostræ autem sensualitati multipliciter vitiatæ difficile est rationi semper parere ac vitia refrenare. Quum ergo jugum Christi, utpote evangelica lex, sit lex totius perfectionis consummatioque virtutum, certum est quod ex sua natura sit delectabilissima. Secundo, difficultas in portatione jugi Christi contingit ex contraria consuetudine prava, quam laboriosum est exstirpare, et ex præteritorum reliquiis vitiorum, quæ non subito expelluntur. Tertio, ex tentatione diaboli, qui ad prava fortiter incitat hominem. Quarto, ex tentatione sæculi hujus, seu hominum mundanorum terrenarumque rerum. Homines enim mundani, negligentes, injusti, prava suggestione, vitiosis exemplis, minis ac blandimentis trahunt ad vitia : quod et partim a tepidis religiosis fit Fratribus devotioribus. Res quoque terrenæ aliquid amabilitatis, deliciositatis, dulcedinis et decoris habent in se, quo humanum alliciunt appetitum : idcirco ab earum inordinato amore atque illicito usu se continere est difficile.

Secundo, jugum Christi fertur suave ra-

tione caritatis, quæ hominem bonum movet et excitat ad portandum Domini jugum. Caritas namque dum fervens est, omnia facit levia reputari. Nil durum, nil grave, nil asperum computat amor verus. Tertio, ratione præmii promissi ac præparati. Si etenim pauperes servi, spe et affectu trium aut quinque nummorum quotidie percipiendorum, omni die fortiter ac jucunde laborant : quanto magis spe et desiderio beatitudinis sempiternæ, Christi jugum libentissime semper portare debemus, dicente Apostolo, *II Cor. IV, 17.* Id quod in præsenti momentaneum et leve est tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis ? Nullus itaque labor gravis, nullum tempus appareat longum, quo æterna obtinetur felicitas. Quarto, ratione mali quod per ipsum evaditur, quod est infernalis damnatio. Nam cum gaudio malum modicum sustinetur, ut pœna incomparabiliter gravior ac diuturnior evadatur. Quinto, ratione multiplicis adjutorii quod benignissimus Deus suis in vita hac servis impendit : quia per divinos instinctus, per angelos sanctos, per dona gratiæ ac virtutum nos adjuvat, imo et per homines bonos, per idoneos præsidentes, per exempla justorum. Propter quod magnus ille asseruit Eliseus : *IV Reg. VI, 16.* Plures nobiscum sunt, quam contra nos.

Sexto, ratione supernaturalis consolationis superni ac admirabilis gaudii quod Christus fidelissime suis ministris etiam in hac vita communicat. Propter quod dixit Apostolus : *II Cor. I, 5.* Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra; et denuo, *Ibid. VII, 4.* Repletus sum (inquit) consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Imo devotissimi viri frequenter tantam desuper exhilarationem, exsultationem, consolationem experti sunt etiam improvise et absque suo conatu ad hoc, quod se ipsos præ lætitiæ exuberantia capere non valebant, quo se verterent ignorabant, atque per varios gestus magnitudinem suæ jucunditatis ostenderunt foris. Alii vero in raptu et ecstasi, in contemplatione theorica, in absorbente amore hoc ipsum gloriosius experti noscuntur, qui reversi ad se, memoriam abundantiæ suavitatis divinæ suaviter eructabant, *Ps. CXLIV, 7.* dicentes : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! *Ps. XXX, 20.* Itemque, Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Ps. LXXXIII, 11.* Hinc eremitæ sanctissimi Paphnutius, Joannes, Daniel, ad Dei gloriam humiliter retulerunt se frequenter in eremo tanta elevatione et consolatione fuisse in Deo absorptos, quod se adhuc in carne esse mortali non sentiebant.

Insuper, quum gaudium sit diffusio animi in conceptu boni, et Deus sit infinitæ deliciositatis objectum, in quo est omnis perfectio, omnis decor, dulcedo et opulentia sine mensura et fine; constat quod homo virtuosus Deo per contemplationem, meditationem, dilectionem, orationem, psalmodiam ac alios actus bonos intendens atque unitus, ubertim, copiose ac mirabiliter delectetur in eo. Hinc in Regula sua sanctus loquitur Benedictus : Constituenda est nobis dominici schola servitii, in qua institutione nil grave, nil asperum nos constituturos speramus. Sed et si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum et caritatis conservationem processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis : quæ non nisi angusto inchoatur initio ; processu vero conversationis ac fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur. Et rursus : Quum duodecim humilitatis gradus ascenderit monachus, mox ad illam Dei perveniet caritatem quæ perfecta exsistens foras mittit timorem, *I Joann. IV, 18.* per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, jam absque ullo labore, velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non timore gehennæ, sed Christi amore et delectatione virtutum. His concordat quod sanctus ait præsul Cæsarius : Orationi et psalmodiæ insistere, lectioni vacare, vigiliis, jejuniis ceterisque virtutum exercitiis inhærere, quousque in consuetudinem vertantur, la-

boriosa videntur; quum autem in consuetudinem versa sunt, et non humanis viribus, sed Dei auxilio impleri creduntur, non dura nec laboriosa, sed levia atque suavia sentiuntur. Imo hæc omnia etiam in principio conversionis quibusdam sunt dulcia valde, caritatis fervore in eis misericordissime prædominante.

Itaque juxta Salvatoris exhortationem, dum tentationibus, tribulationibus et exterioribus observationibus, aut interioribus angustiis laboramus, ita ut jugum Christi ex causis prætactis nobis grave videtur, B
Hebr. IV, 16. accedamus ad thronum gratiæ Christi, et consolationem ac relevamen exhilarativum ab ipso petamus, cum Propheta dicentes :
Ps. LXXXV, 4. Lætifica animam servi tui ; itemque, Sicut
Ps. LXII, 6. adipe et pinguedine repleatur anima mea. Et quoniam juxta Eusebium, ad hoc maxime studere debemus ut illa quæ in Dei honore agimus, cum claro agamus animo, cum fidei gaudio, atque cum bonæ et devotæ voluntatis affectu (siquidem quidquid inviti compulsique facimus, ex eo non solum nullum habemus fructum, sed C etiam maximum incurrimus detrimentum : nam si alicui viro potenti et magno quis debitam servitutem invite et cum quodam A impendat fastidio, vir ille potius judicat sibi factam injuriam quam debitam venerationem, servoque tali magis rependit pœnam quam gratiam) ; hinc satagamus Deo cum gaudio ac corde promptissimo deservire. Ad quod necesse est nobis omnem acediam abjicere, negligentiam abhorrere, bonum cito ac viriliter aggredi, tepidorum exemplis et verbis non frangi, primi fervoris non oblivisci. Sic ergo agamus, quatenus cœlestis consolationis affluentiam atque frequentiam mereamur. Si enim damnabile est non proficere, quanto damnabilius est etiam a pristino fervore tepescere, et quum spiritu cœpe- *Galat.* III, 3.
rimus, carne viliter consummari ? Unde cuidam ait Dominus : Habeo adversus te *Apoc.* II, 4, 5.
quod caritatem tuam primam reliquisti ; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui venio tibi cito.

Hinc itaque cum Apostolo quæ retro *Philipp.* III, 13.
sunt obliti, in anteriora extendamur, et *1 Cor.* XII, 31.
meliora æmulemur charismata, viaque regia incedamus. Nec carnales et pueriles admittamus consolationes, sed delectemur in Domino ; cujus desiderio et amore omne bonum quod agimus, operemur cum gaudio.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NESCITIS QUOD HI QUI IN STADIO CURRUNT... ? ETC. I COR. IX, 24-27 ; X, 1-4.

BEATUS Apostolus variis modis ad vir- A
tutes ac spiritualem profectum horta-
tur nos ipsos. Interdum exemplo Dei, qui
bonis et malis, gratis et ingratis beneficia
Ephes. v, 1. multa largitur. Propter quod ait : Imita-
tores Dei estote, sicut filii carissimi. In-
Hebr. XII, 1, 2. terdum exemplo Christi : Curramus (in-
quiens) ad propositum nobis certamen,
adspicientes in auctorem fidei Jesum, qui
proposito sibi gaudio sustinuit crucem.
Interdum exemplo sui ipsius, sicut dum
I *Cor.* IV, 16 ; XI, 1. ait : Imitatores mei estote, sicut et ego
Christi. Nunc vero hoc facit exemplo cur- B
rentium in stadio, et agonistarum in exer-
citio certantium, et arguit quasi per locum
a majori. Illi namque cursores et agoni-
stæ, totis viribus currunt, atque universa
sui cursus ac pugnæ impedimenta solli-
cite vitant, omnia quoque expeditiva ad
currendum velociter et ad certandum vi-
riliter apprehendunt; et tamen non nisi
unus currentium unusque agonizantium
obtinet bravium seu mercedem, quod etiam
bravium temporale et corruptibile est.
Quum ergo vita præsens sit agonizatio C
seu militia contra adversarios humanæ sa-
Job VII, 1. lutis (juxta illud in libro Job : Militia est
vita hominis super terram), et cursus ad
æternæ beatitudinis bravium; merito de-
bent fideles in via salutis fortiter currere,
hoc est Dei præcepta ardenter implere, et
felicis sui cursus impedimenta abjicere,
promotiva etiam ad currendum salubriter
procurare, præsertim quum in hoc cursu virtutum, quilibet currens præmium sortiatur, non temporale, sed æternum. Hoc est ergo quod ait Apostolus :

Nescitis (id est, imo scire debetis) *quod hi qui in stadio currunt,* hoc est pedites currentes in spatio deputato ad cursum, ut eorum probetur agilitas, *omnes quidem currunt,* id est, unusquisque eorum currit ut primus ad terminum spatii veniat, et præmium celerioris cursus acquirat, *sed unus accipit bravium,* hoc est præmium cursus, videlicet qui primo ad spatii finem pertingit? Unde ostenditur quanta sit utilitas fidei et obsequii Christi, in quo non uni tantum, sed singulis currentibus per viam salutis æterna beatitudo promittitur et confertur. Hunc quippe fidei cursum facit non vanitas, sed veritas, non cupiditas, sed caritas : et unusquisque secundum suum amorem recipit ac laborem, ita quod velocius currenti, hoc est ardentius Deum amanti ac perfectius servienti, major datur felicitas. Et quanto quis velocius currit, tanto plus aliis prodest, non obest : quia exemplarior est, et per caritatem bona sua communicat aliis, et orat pro eis. Cursus enim iste est amor, qui nectit currentes ad invicem et in Deo, ut bonum unius redundet in alium. Porro stadium continet centum viginti quinque passus ; et vocatur a stando, quoniam Hercules fertur instituisse ut pedites tot passus percurrerent, atque in fine hujus spatii starent ac respirarent. In termino

autem spatii hujus ponebatur merces ve- A
locioris cursoris, ut equus vel pannus pur-
pureus. *Sic currite* per viam peregrina-
tionis hujus sæculi, hoc est, Dei mandata
tam ferventer ac perseveranter implete,
opusque Dei tam reverenter peragite, *ut
comprehendatis* æternam felicitatem pro
Matth. x, 22; xxiv, 13. præmio. Nam ut ait Salvator, Qui perse-
veraverit usque in finem, hic salvus erit.
Luc. ix, 62. Et iterum protestatur : Nemo ponens ma-
num suam ad aratrum, et respiciens retro,
aptus est regno Dei.

Postremo, sic esse currendum ostendit B
Apostolus exemplo agonizantium. *Omnis
enim* pugil seu præliator *qui in agone
contendit,* id est, contra alium certat ut
sortiatur triumphum, *ab omnibus se abs-
tinet,* id est, cuncta bene certandi impe-
I *Reg.* xvii, 38, 39. dimenta devitat et abjicit : sicut et David
contra Goliath agonizaturus, arma Saulis
regis quæ induerat, deponebat, Non pos-
sum (inquiens) sic incedere, ut legitur
primo Regum. Ita fideles abjicere debent
cupiditatem, superfluitatem, vanitatem, et
voluptatem illicitam, quia per hæc a sa- C
lubri impediuntur processu virtutum et
a triumpho contra diabolum, quum dicat
Marc. x, 23. Salvator : Quam difficile qui pecunias ha-
bent, intrabunt in regnum cœlorum ! Apo-
I *Tim.* vi, 9. stolus quoque : Qui volunt divites fieri,
incidunt in tentationes et laqueum diabo-
li. Et rursus Christus terribiliter loquitur :
Luc vi, 25, 24. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis; væ
vobis qui saturati estis, quia esurietis; væ
vobis qui habetis consolationem vestram.
Omnia ergo hæc oportet vitare. *Et illi
quidem,* scilicet agonizantes, sic faciunt, D
ut corruptibilem coronam, id est tempo-
ralem mercedem, *accipiant. Nos autem*
Christiani agamus ut dictum est, ut *in-
corruptam,* id est æternam, coronam adi-
piscamur, scilicet divinæ essentiæ beati-
ficam fruitionem. De qua in prima sua
Canonica princeps apostolici ordinis ait :
I *Petr.* i, 3, 4. Benedictus Deus, qui regeneravit nos in
hereditatem incorruptibilem, et inconta-
minatam, et immarcescibilem, conserva-
tam in cœlis. Atque in Psalmo dicitur

Deo : Posuisti in capite ejus coronam de *Ps.* xx, 4.
lapide pretioso.

Deinde Apostolus ad Dei honorem et
nostram ædificationem, se ipsum propo-
nit omnibus in exemplum. *Ego igitur sic
curro,* hoc est, ex quo æterna donatur
bene currenti corona, ego per viam man-
datorum et semitam consiliorum Christi,
ad beatitudinis fontem sic propero, non
tam motibus corporis, quam sanctæ ca-
ritatis affectibus. De quo cursu in Isaia
dicitur : Qui sperant in Domino, current, *Is.* xl, 31.
et non deficient. Et Psalmista : Viam (in- *Ps.* cxviii, 32.
quit) mandatorum tuorum cucurri. *Non
quasi in incertum,* hoc est non quasi du-
bius de mercede aut ignarus de fine. Un-
de ad Timotheum testatur idem Aposto-
lus : Scio cui credidi, et certus sum quia II *Tim.* i, 12.
potens est depositum meum servare. Apo-
stolus etiam ex revelatione divina scivit
se esse prædestinatum et dignum amore.
Sic et quilibet nostrum certus esse debet
de sua salvatione, certitudine conditiona-
ta, videlicet si usque in finem perseve-
raverit. Fides namque certitudinem ad-
hærentiæ, non evidentiæ, habet. Unde in
Jeremia habetur : Quiescat vox tua a fle- *Jer.* xxxi, 16.
tu, quoniam erit merces operi tuo; in
Tobia quoque : Hoc pro certo habet om- *Tob.* iii, 21.
nis qui colit te, Domine, quoniam vita
ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.
Certitudo autem præmii incitat ad labo-
randum, et minuit vim flagelli ac difficul-
tatem laboris. *Sic pugno* contra dæmones,
mundum et carnem, *non quasi aerem ver-
berans,* id est, non incassum, sicut qui pro
hostibus aerem percutit, sed adversarios
salutis tango ac vinco, sicut ait Prophe-
ta : Persequar inimicos meos, et compre- *Ps.* xvii, 38.
hendam illos, et non convertar donec
deficiant. Vel, « non quasi aerem verbe-
rans », hoc est, verbis solum, imo opere
et veritate.

Sed castigo corpus meum per abstinen-
tias et alia exercitia virtuosa, *et in ser-
vitutem redigo,* id est, rationi et Deo illud
subjicio, ac motus illicitos reprimo, *ne
forte quum aliis prædicaverim* ea quæ

ad salutem sunt necessaria, *ipse reprobus efficiar,* hoc est damnabilis, quasi personaliter non adimplens quod aliis prædico : quod turpe atque damnabile est. Talis namque præsumptuose se habet officio prædicationis se ingerendo aut illud exsequendo, quia ad hoc indignus consistit; et intentionem Scripturæ quantum in se evacuat, quia quod verbis asserit, opere negat ac destruit. Unde in Job per modum
Job iv, 3, 5. improperii dicitur : Ecce docuisti plurimos; nunc autem venit super te plaga,
Ps. xlix, 16. et defecisti. Et in Psalmo : Peccatori au- B tem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas? Præterea, quamvis (ut tactum est) Apostolus electum se novit, scivit tamen se salvari non posse nisi agendo quod docuit : ideo facere id debebat, ne reprobaretur. Prædestinatio quoque non imponit homini necessitatem, nec tollit arbitrii libertatem. Hinc secundum Augustinum et Glossam, suo timore nos terruit Apostolus. Quid enim faciet agnus, ubi aries
I *Joann.* iv, 18. timet ac tremit? Quod si dicatur, Perfecta caritas foras mittit timorem; respondetur, C hoc verum esse de timore pœnæ, non de timore separationis sive offensæ.

Hortatur deinde Apostolus ad spiritualem profectum ac perfectionem, exemplo Judæorum, qui propter suam perversitatem, ingratitudinem, et idololatriam ac idolothytorum manducationem, dire puniti sunt. *Nolo enim vos ignorare,* o *fratres, quoniam patres nostri,* hoc est Judæi ex Ægypto egressi, ex quibus Apostoli secundum carnem sunt geniti. Et inter illos Judæos fuerunt aliqui boni, qui omnium D spirituales sunt patres fidelium, ut Moyses, Aaron, Eleazar, Josue, Caleb, et alii.
Exod. xiii, 21. *Omnes sub nube fuerunt.* Ambulaverunt namque sub nube in die, quæ contra solis ardorem eos protexit. Nec obest quod le-
Ibid. xiv, 19. gitur nubes eos præisse, quia pro aliqua sui parte eos præcessit. *Et omnes mare*
Ibid. 21, 22, 29. *transierunt,* id est per medium alvei maris Rubri per Dei omnipotentiam desiccati. Aqua etenim maris Rubri divisa stetit ex utraque transeuntium parte ut murus, A quousque filii Israel transierunt, quemadmodum in Exodo legitur.

Et omnes in Moyse, hoc est per Moysis ministerium et ducatum, *baptizati sunt,* id est, spiritualiter loti ac emundati ab ignorantia et peccatis, quamvis recidivaverint postea valde cito, *in nube et in mari,* id est per mirabilia Dei in mari illo ac nube ostensa. Quum enim vidissent filii *Exod.* xiv, 10, 11, etc.
Israel Ægyptios se insequentes, discredendo ac desperando dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, B ideo eduxisti nos ut moreremur in solitudine. Sed viso quod nubes illa rediit atque inter ipsos et Ægyptios stetit, ita ut Ægyptii eos tota nocte non valerent accedere, quodque divina virtute mare Rubrum divisum est, et ipsis per illud traductis, aquæ super Ægyptios redierunt ac ipsos penitus submerserunt, a prætactis purgati sunt vitiis, juxta illud Exodi : Ti- *Ibid.* 31.
muit populus Dominum, et crediderunt Domino ac Moysi servo ejus. Vel, « baptizati sunt » figuraliter, id est, signum Bapti- C smatis acceperunt. Nubes enim figuravit gratiam Spiritus Sancti, contra æstum vitiorum et ardorem libidinis protegentem; et mare præsignavit Baptismum.

Et omnes eamdem specie *escam spiritualem,* videlicet manna, *manducaverunt.* *Ibid.* xvi, 15, 35.
Quod quamvis corporeum fuerit alimentum, tamen spiritualis esca vocatur. Primo, quia divina virtute supernaturaliter generabatur, ministerio angelorum, in aere. Propter quod dicitur panis angelorum, *Ps.* lxxvii, 25; *Sap.* xvi, 20.
et panis cœli, hoc est cœli aerii. Secundo, D quia figura fuit sacramenti Eucharistiæ, quod spiritualiter pascit.

Et omnes eumdem potum spiritualem *Exod.* xvii, 6; *Ps.* lxxvii, 15.
biberunt, videlicet aquam de petra fluentem, quæ aqua fuit in ore bibentium eadem specie. Et dicitur potus spiritualis, quia miraculose fluxit de petra, sicut subjungitur : *Bibebant autem de spirituali* hac aqua; vel, « de spirituali » petra, id est aquam ex illa manantem. Quam petram [illegible] xx, 11.
quum Moyses percussisset virga, egressæ sunt de ea aquæ largissimæ, ita ut po-

pulus biberet et jumenta : unde petra A
illa dicitur spiritualis propter miraculosum illum effectum, et quoniam præfiguraverat Christum, sicut et aqua gratiam ejus. Biberunt ergo de spirituali *consequente eos petra,* id est, satisfaciente desiderio eorum, aquam optatam vomendo; vel, « consequente eos petra », quia ut probabiliter dicitur, filii Israel tulerunt hanc petram secum. Denique bis produxit Deus filiis Israel aquam de petra : primo,
Exod. xvii, 6. de petra Horeb, ut legitur in Exodo; se-
Num. xx, 11, 13. cundo, de petra ad aquas Contradictionis, B
ut in Numeris scribitur.

Petra autem erat Christus, id est, Christum præfiguravit : sicut de imagine alicujus Sancti dicimus, quod sit ille Sanctus. Quemadmodum enim de petra illa manavit aqua qua potati sunt filii Israel in deserto,
Joann. xix, 34. ita de latere Christi fluxerunt sanguis et aqua, quibus spiritualiter potantur corda fidelium in hoc mundo. Imo sanguis Chri- *Joann.* vi, 56.
sti vere est potus, ut ipsemet loquitur. De Christo etiam profluit nobis aqua sapientiæ salutaris, flumen pacis, rivi gratiæ multiformis. Propterea ait apud Joannem:
Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non *Ibid.* iv, 13, 14.
sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Vel, Christus dicitur petra, propter firmitatem et soliditatem; gentiles vero dicti sunt lapides, propter cordis duritiam ac stoliditatem.

Postremo quidam exponunt prædicta, solum de bonis Judæis : qui eamdem escam spiritualem eumdemque potum spiritualem nobiscum sumpserunt, videlicet corpus et sanguinem Salvatoris, quæ spiritualiter intellexerunt præfigurari in esca illa ac potu; sicque spiritualiter comederunt et biberunt quod nos, eo sensu quo dicitur : Crede, et manducasti.

SERMO PRIMUS

DE RUINA PECCATI VITANDA, VIAQUE SALUTIS ALACRITER CURRENDA.

S*IC currite ut comprehendatis.* I Cor. C
ix, 24.

Tota hæc vita cursus est ad aliam vitam. Qui enim in caritate et gratia est, absque peccato vivens mortali, et Deo veraciter serviens, currit ad vitam beatam cœlestem; qui vero in mortali est culpa, et diabolo acquiescit contra Dei agendo præcepta, currit ad vitam miseram infernalem. Præterea, quamvis omnes boni dicantur ad beatam currere vitam et coram Domino ambulare, tamen per quamdam
appropriationem, incipientes dicuntur in D
Dei via ambulare, proficientes currere, perfecti volare. Quanto enim aliquis Deum cordialius diligit, virtutumque opera promptius atque sincerius explet, tanto velocius ad beatitudinem appropinquat. Quoniam ergo incipientes cum labore et difficultate Deo deserviunt, rite ad Deum ambulare dicuntur. Proficientes vero, quia in caritatis crescunt fervore, in qua tamen nondum perfecti sunt, et opùs Dei quotidie expeditius faciunt, quamvis passionibus et tentationibus suis necdum plenarie dominentur, recte in via Dei currere asseruntur. Perfecti autem, qui passiones habent omnino subjectas, et quasi in quodam continuo amoris divini ardore persistunt, cum omni promptitudine atque dulcedine animi virtuosis insistentes operibus, apte ad Deum volare feruntur : præsertim quoniam instar avium, per orationem et contemplationem ad Deum se levant altissimum. In themate præassumpto, sumitur *currere* prout ad omnia ista se extendit.

Hortatur ergo Apostolus ut ita ad Deum A curramus, ut perveniamus. Ad quod multa requiruntur. Primo, ut ea quæ ad ruinam peccati impellunt, vitemus sive vincamus. — Quorum primum est debilitas virium animæ quam peccando incurrimus. Unde sicut videmus in corporalibus, quod infantuli et infirmi atque decrepiti facile ruunt in terram; ita qui in virtutibus non sunt adhuc exercitati, habituati et radicati, facile peccant et tentationibus tribulationibusque vincuntur. Contra hanc ergo infirmitatem indigemus per incrementum B virtutum ac gratiæ confortari corde. Propter quod ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri cor; et rursus : Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus; induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Pro hac ergo confortatione Deum fideliter invocemus, et in virtutibus crescere enitamur, actus virtutum quotidie diligentius ac affectuosius exsequendo. — Secundum quod ad peccandum impellit, est onus peccati quod contingit per dilationem et negligen- C tiam pœnitendi et confitendi. Peccatum namque quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere ad aliud trahit : sicque peccator de die in diem magis ac magis gravatur pondere vitiorum, et cito ac graviter et frequenter in peccata dilabitur. Propter quod ait Psalmista : Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Unde iterum iniquos redarguens : Filii (inquit) hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanita- D tem, et quæritis mendacium? Omni igitur die discutiat quilibet Christianus conscientiam suam; et protinus quum se peccasse agnoscit, pœniteat, veniam deprecetur, seque emendet, prout in Ecclesiastico ait Scriptura : Fili, peccasti? ne adjicias iterum; sed de præteritis deprecare ut tibi dimittantur, et quasi a facie colubri fuge peccata. — Tertium est multitudo trahentium ad peccandum, ut sunt mala consortia, et dæmonum tentamenta. Propter quod scriptum est : Cum perverso perverteris. Idcirco societas mala vitanda est, et virtuosis ac sensatis hominibus quilibet applicare se debet. — Quartum est varietas offendiculorum, scilicet scandalorum seu operum vitiosorum, quæ videt unus in alio. Sed mala imitari nequaquam debemus, imo peccantibus condolere, et tanto cautius agere quanto alios incautius agere intuemur, quum peccata sint peccantium vulnera, mors atque damnatio, seu maxima nocumenta : et hoc ad veram sapientiam pertinet. Unde communiter dicitur : Felix quem faciunt aliena damna peritum. In Proverbiis quoque Salomon protestatur : Viam sapientiæ monstrabo tibi, et currens non habebis offendicula. Joannes quoque apostolus in sua tertia ait Canonica : Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est semper. — Quintum est ignorantia. Idcirco in Ecclesiastico scribitur : Quæ præcepit tibi Deus, cogita semper.

Hebr. XIII, 9. — *Ephes.* VI, 10, 11. — *Ps.* XXXVII, 5. — *Ps.* IV, 3. — *Eccli.* XXI, 1, 2. — *Ps.* XVII, 27. — *Prov.* IV, 11, 12. — III *Joann.* 11. — *Eccli.* III, 22.

Secundo, ad currendum ita ut apprehendamus, oportet vitare non solum peccata mortalia, sed venialia quoque, quia disponunt ad mortalia, et esse in continuo Dei timore ac jugi cordis custodia, secundum quod ait Scriptura : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua; et, Qui negligit modica, paulatim decidit.

Ibid. XXVII, 4. — *Ibid.* XIX, 1.

Tertio, oportet omni tentationi fortiter reluctari. Ad quod requiritur omni virtute esse armatum : ut si homo tentetur superbia, per humilitatem resistat; si injuriarum illatione, adversitate aut tristitia, per patientiam se opponat; si per iram, per mansuetudinem vincat; si per acediam, per caritatis fervorem occurrat; si per concupiscentiam carnis, per castitatem prævaleat; si per avaritiam, per liberalitatem obsistat; et ita de aliis. Verumtamen caritas Dei et timor, sapientia, discretio, oratio, valent ad resistendum tentationibus universis. Specialiter autem oportet dura et aspera æquanimiter tolerare, nec corporalem requiem superflue quærere. Ait

Matth. VII, 14. namque Chrysostomus : Arctam viam, A o homo, jussus es ambulare, et tu de requie et abundantia percunctaris? Et quidem qui principibus sæculi hujus ministrant, horum nihil requirunt, sed solum si congruum lucrum eis præstabitur. Quo cognito, nullum refugiunt jam laborem, nullum vitant periculum, neque servilia obsequia negant : peregrinationes longissimas ac periculosas, contumelias, pœnas, permutationes patiuntur spe lucri et aviditate pecuniæ. Vide quantum illis molliores miserabilioresque sumus. Quid dicis, o ho- B mo? Cœlum ascendere paras, et interrogas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid tibi asperum in via aut laboriosum contingat, et non erubescis de hoc. Non pudore oppressus, sub terra te ipsum defodis. Si enim omnia tibi mala occurrerent; si universa tibi pericula imminerent, convitia, injuriæ, ignominiæ, calumniæ, gladius, fames, ferrum, bestiæ, præcipitium, ægritudo, et cuncta quæ dici possunt : hæc omnia tibi pro tanto præmio ridenda prorsus et contemnenda me- C rito viderentur. Non sit ergo aliquis tam abjectus et miser, tamque degeneris animi, ut cœlum optans ascendere, de terrena requie mundique deliciis cogitet, quas non solum requirere, sed etiam paratas recipere indecorum est penitusque indignum.

Postremo et maxime necessarium est ad apprehendendum, in bonis perseverare usque in finem : quia ut sanctus ait Bernardus, sola perseverantia coronatur ; nec sine ea ceteræ virtutes præmium asse- D quuntur, quoniam ipsa consummatio est virtutum. Ipsam ergo vigilantissime custodiamus. Non enim qui inceperit, sed

Ibid. X, 22; XXIV, 13. qui usque in finem perseveraverit, salvus erit. Hinc in Apocalypsi loquitur Christus:

Apoc. II, 10. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Si bene perpendimus quanta nobis felicitas, quam immensa et ineffabilis gloria est præparata in cœlis, indeficienter, ferventer et victoriose curramus. Non efficiamur similes viatoribus fatuis, qui aliqua pulchra et delectabilia cernentes in via qua ambulant, iter suum obliviscuntur ac deserunt : tales sunt homines carnales et sæculi amatores, qui ita ad bona præsentia et terrena afficiuntur, quod futurorum cœlestiumque bonorum obliviscuntur.

Imo non solum perseveremus in bonis, sed et quotidie proficiamus in eis : quia in Dei itinere non procedere, est retrocedere; non proficere, est deficere. Omne igitur tempus utiliter occupemus, verba inania fugiamus, vanitates ac dissolutiones vitemus, tamque discrete, ferventer ac perseveranter curramus, ut vitam apprehendamus æternam : quemadmodum de beatissimo abbate Hilarione sanctus scribit Hieronymus, quia quum sanctus ille Hilario esset adolescentulus ingeniosus, decorus, dives atque tenerrimus, et circiter sedecim annorum, cœpit habitare in eremo. In qua infra paucos annos ad omnium perfectionem virtutum pervenit, et abstinentissime vixit. Innumerabilia quoque fecit miracula, etiam valde præclara. Siquidem una vice, tres nobilissimos juvenes cujusdam præfecti filios pestilentiali ulcere incurabiliter languidos, de quorum curatione medici penitus desperaverant, fusa ad Christum prece brevissima sed ardenti, subito gloriose sanavit. Præterea, alia vice, ingentem draconem qui suo flatu plurimos interfecit, ad plebis instantiam ita occidit : in campo coram omnibus ignem construxit, et vocans draconem, præcepit eidem ignem ascendere; obedivitque draco, et in illo combustus est igne. Rursus, alia vice, egrediens aqua maris ripas suas, multa intulit damna, et omnibus minabatur interitum; confugeruntque populi ad beatissimum Hilarionem. Qui cum populis venit ad mare, ante alios quasi in acie belli primus procedens. Quumque propinquaret ad mare, illud in maximam erumpens altitudinem se erexit in aere, quasi vim patiens et contra B. Hilarionem velut indignans ; ipse autem signum crucis aquis opponens, Deum oravit

ut aquæ maris intra alveum suum redirent ac remanerent, et protinus factum est ita. Quumque felix Hilario propter sanctitatem suam atque miracula, ubicumque erat, mirabiliter ab omnibus honoraretur (nam et episcopi et primates ac judices mundi venerunt videre eum), ipse vere humillimus frequenter ad loca secretiora aufugit ; et quanto plus senescebat ac morti appropinquabat, tanto proficiendi A affectus in ipso fuit ferventior, seque in omnibus profundius humiliavit. Insuper multa millia hominum traxit ad monachalem et eremiticam vitam, et multos convertit paganos, et evidentem prophetiæ spiritum habuit.

Tanti igitur viri exemplo accendamur ad currendum viam salutis perseveranter ac proficienter, ut quotidie in gratia virtutibusque crescamus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SIMILE EST REGNUM COELORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI EXIIT PRIMO MANE CONDUCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM, ETC. Matth. xx, 1-16.

QUONIAM in dominica ista inchoatur Septuagesima, quæ tempus deviationis designat quo ab initio mundi genus humanum a suo Creatore multipliciter deviavit, recte in hac dominica hoc evangelium legitur, in quo status Ecclesiæ, quem a principio mundi habuit, designatur. In quo etiam evangelio specialiter edocetur, qualiter Deus ab exordio sæculi, genus humanum ad se reducere variis modis curavit, atque Ecclesiam visitavit. Ait ergo Salvator :

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, id est, status et processus seu negotium Ecclesiæ militantis comparatur facto seu operi hominis præsidentis suæ familiæ : quoniam sicut homo talis ad vineam suam se habet, sic Deus Trinitas per hominem patremfamilias significatus, ad suam se habet Ecclesiam in hoc mundo peregrinantem. Quemadmodum enim paterfamilias vineam suam considerat, visitat, colit, impinguat, superflua amputat, custodit uvas, abscindit et colligit ; sic Deus omnipotens unus et trinus universalem Ecclesiam ab origine mundi in hoc mundo plantavit, sapienter consideravit, gratiose visitavit, internis exercitiis coluit, donis atque virtutibus impinguavit, vitia ab ea removit, bonorum operum fructus piissime acceptavit. Hinc de Ecclesia accipi potest illud Isaiæ : Vinea Domini *Is.* v, 7. Sabaoth, domus Israel est. Convenienter quoque Deus altissimus paterfamilias appellatur, quia totius mundi creator, provisor ac dispensator est, juxta illud Job : Quem constituit alium super terram ? aut *Job* xxxiv, 13. quem posuit super orbem quem fabricatus est ? De cujus domo in Baruch propheta legitur : O Israel, quam magna est *Baruch* iii, 24. domus Domini, et ingens locus possessionis ejus !

Præterea, quamvis totum universum, seu cœlum empyreum, quod secundum Damascenum est continentia visibilium et invisibilium, possit dici una domus Dei, nihilo minus distinguuntur tres domus Dei. Prima et summa est regnum cœlorum seu cœlum empyreum, in quantum specialiter locus est Beatorum : de qua apud Joannem loquitur Christus, In domo *Joann.* xiv, 2. Patris mei mansiones multæ sunt. Secunda est terra peregrinationis istius, sive Ecclesia militans, juxta illud Pauli ad Timotheum : Scias quomodo oporteat te in *I Tim.* iii, 15. domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei

vivi, columna et firmamentum veritatis. A Tertia est infernus, secundum illud Job : [Job x, 20, 21.] Dimitte me antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. In prima domo sunt soli electi, perfecti ac triumphantes. In secunda sunt electi ac reprobi, proficientes et militantes. In tertia soli sunt reprobi, incarcerati et miseri.

Itaque simile est regnum cœlorum patrifamilias, [Matth. vi, 9.] cui quotidie dicimus : Pater noster, qui es in cœlis. *Qui exiit,* non locum mutando, quum infinitus invariabilisque consistat (prout apud Malachiam B [Malach. iii, 6.] protestatur : Ego Dominus, et non mutor), sed de novo aliquid operando, gratiam tribuendo, nuntiosque mittendo, *primo mane,* id est in prima mundi ætate, quæ duravit ab Adam usque ad Noe, videlicet usque ad ingressum ejus in arcam, seu ortum diluvii, *conducere,* id est per æterni præmii promissionem vocare, *operarios in vineam suam,* id est homines in Ecclesiam, ut scilicet vitia relinquentes, cultoribus Dei sociarentur per fidem et caritatem, sicque incorporarentur Ec- C [Galat. i, 4; Coloss. i, 13.] clesiæ, juxta illud Apostoli : Deus eripuit nos de præsenti sæculo nequam, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. Quicumque ergo vere fidelis est, utpote [Galat. v, 6.] habens fidem quæ per dilectionem operatur, operarius est Ecclesiæ, potestque [Ps. li, 10.] dicere illud Psalmistæ : Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. Hi autem non fuerunt operarii boni, antequam divinitus vocarentur et Dei gratia prævenirentur. Itaque ab initio mundi vocavit Deus quosdam ad fidem et caritatem et D [Rom. viii, 30.] gratiam : quia ut ait Apostolus, Quos prædestinavit, hos et vocavit. Qui per fidem et caritatem facti sunt membra Ecclesiæ ; producendoque opera virtuosa tanquam optimas uvas, facti sunt vinea Dei, juxta [Osee x, 1.] illud Osee : Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Verumtamen per operarios specialiter intelliguntur aliorum doctores, prælati ac superiores, quos ad Ecclesiæ informationem ac gubernationem Deus ab exordio misit : quales primo fuerunt, Adam, Seth, Enoch, Mathusalem, Noe. Hinc ait Gregorius : Conditor noster vineam habet universam Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Ad erudiendum autem Dominus plebem suam quasi ad excolendam vineam, nullo tempore destitit operarios mittere, quoniam prius per Patriarchas, deinde per Prophetas, postmodum per Apostolos, Ecclesiam erudivit.

Conventione autem facta, id est promissione peracta et inito pacto, *cum operariis* antedictis, *ex denario diurno,* id est de felicitate æterna eis pro suo labore reddenda. Hæc ergo conventio est æternæ vitæ promissio : de qua in Genesi Deus locutus est Abrahæ, Ego protector tuus et [Gen. xv, 1.] merces tua magna nimis ; secundo quoque Paralipomenon : Confortamini, et non dis- [II Par. xv, 7.] solvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. Beatitudo ergo seu vita æterna vocatur denarius, quia est bene agentium præmium. Dicitur quoque diurnus, quoniam propter eum quotidie laboratur, atque quotidie ingredientibus regnum cœleste confertur, eumque in die, id est tempore gratiæ, promereamur, et in die æternitatis ac gloriæ sortiemur, juxta illud Apostoli : Superest mihi corona justitiæ, [II Tim. iv, 8.] quam reddet mihi Dominus in die illa. Nempe ut asserit Origenes, totum hoc tempus seu sæculum præsens, diem unum possumus affirmare, magnum quidem quantum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam. Remigius etiam dicit : Denarius dicitur, qui antiquitus pro decem nummis computabatur, et regis habet figuram. Recte ergo per denarium designatur præmium observationis Decalogi. Et pulchre ait, « conventione facta », quia in agro sanctæ Ecclesiæ unusquisque spe futuræ remunerationis laborat. *Misit eos in vineam suam,* ad instruendum Ecclesiam, seu ad bene vivendum.

Et egressus Deus summus paterfamilias (secundum sensum inductum) *circa ho-*

ram tertiam, id est in secunda mundi ætate, quæ duravit a Noe usque ad Abraham, *vidit alios stantes in foro,* id est in sæculo isto negotiationibus temporalium rerum repleto, *otiosos,* hoc est a bonis operibus vacuos, et per consequens pravis actibus occupatos, quoniam vere ait Scriptura : Multa mala docuit otiositas. (*Eccli.* xxxiii, 29.) *Et dixit illis,* per inspirationem internam, vel ministerio angelorum aut prælatorum : *Ite et vos in vineam meam,* id est ad operandum in Ecclesia, Deo in omnibus obediendo; *et quod justum fuerit dabo vobis,* id est justam mercedem juxta gradum caritatis vestræ et secundum exigentiam meritorum vestrorum. Unde in Apocalypsi ait Salvator : Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua. (*Apoc.* xxii, 12.) *Illi autem abierunt,* id est, Deo obedierunt in hoc, vitia deserendo et virtutibus insistendo. *Iterum autem exiit circa sextam,* id est in tertia mundi ætate, quæ fuit ab Abraham usque ad Moysen, *et nonam horam,* id est in quarta ætate mundi; *et fecit similiter,* quosdam in vineam suam mittendo, scilicet Abraham, Isaac, Jacob, postea Moysen, Aaron, Josue, judices, Prophetas, et sanctos reges, ut David, Ezechiam, Josiam, etc. Quosdam quoque gentiles misit in vineam suam, ut Job; et alios demum innumerabiles ad salutem tunc traxit.

Circa undecimam vero horam exiit, id est tempore evangelicæ legis ac gratiæ : quia tunc Pater Filium suum misit in mundum, (I *Joann.* iv, 9.) qui per se ipsum prædicavit Judæis, deinde per suos Apostolos toti orbi terrarum, juxta quod scriptum est, In omnem terram exivit sonus eorum. (*Ps.* xviii, 5.) Et apud Isaiam loquitur Christus : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam, tenentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longe. (*Is.* lxvi, 19.) *Et invenit alios stantes,* id est, in virtutibus non proficientes, sed terrenis infixos. *Et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi?* id est, cur in isto exsilio infructuosi manetis, toto tempore vitæ vestræ nil meritorium operando? Per hos quippe intelliguntur gentiles, qui fide carentes, nil æternæ meritorium vitæ agebant, quum dicat Apostolus : Quidquid non est ex fide, peccatum est. (*Rom.* xiv, 23.) *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit,* id est, viam salutis nemo nobis prædicavit. Nullus enim Propheta aut doctor missus fuit ad eos, quoniam circa Christi adventum in carne, in toto mundo idololatria viguit, exceptis Judæis. Propter quod in Actibus Apostolus loquitur : Prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus, nunc annuntiat omnibus ut pœnitentiam agant. (*Act.* xvii, 30.) *Dicit illis : Ite et vos in vineam meam,* id est, ovile Ecclesiæ introite. Hoc enim per Apostolorum prædicationem Christus illis locutus est, sicut in Joanne ait : Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, (*Joann.* x, 16.) id est ad fidem ac caritatem convertere; et fiet unum ovile, id est una Ecclesia ex electis Judæis ac gentibus.

Denique S. Hieronymus exponit parabolam istam de vocatis ad gratiam, secundum diversas hominum eorumdem ætates : ut illi dicantur primo mane conducti, atque in vineam missi, qui in pueritia ad Dei obsequium convertuntur : quales præsertim fuerunt sanctificati in utero, et qui in innocentia permanserunt, aut usum rationis sortiti, statim conversi sunt. Tertia vero hora conducti dicuntur, qui in adolescentia vel juventute conversi sunt; sexta, qui in ætate virili; nona, qui in senectute; undecima, qui in ætate decrepita.

Quum sero autem factum esset. Per sero sancti Patres intelligunt finem mundi, seu diem judicii. Tunc *dicit dominus vineæ,* id est Deus Pater, *procuratori suo,* id est Christo secundum quod homo est et Dei ac hominum mediator, (I *Tim.* ii, 5.) qui causam Patris, imo totius Trinitatis, in mundo est exsecutus, pro hominum salvatione tot et tanta agendo ac sustinendo. Propter quod per Isaiam Christus effatur : Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, (*Is.* xlix, 5, 6.) ut reducam Jacob ad eum; et dixit mihi, Dedi te in lucem gentium, ut sis salus

mea usque in extremum terræ. Apud Joannem quoque Christus fatetur : *Joann.* XIV, 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Voca operarios,* id est, eos qui in Ecclesia fideliter laboraverunt, a morte resuscitando ad judicium convoca. De qua vocatione ait Apostolus : *I Thess.* IV, 16. Quoniam ipse Dominus in jussu et voce Archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo; et Christus in Joanne : *Joann.* V, 28. Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.

Et redde illis mercedem, id est vitam æternam, de qua apud Joannem Patri loquitur Filius : *Ibid.* XVII, 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum; et in Matthæo : *Matth.* V, 12. Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Unde prima Petri habetur : *I Petr.* I, 8, 9. Videntes Jesum Christum, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Verumtamen in die judicii, electi duplicem stolam, hoc est corporis et animæ glorificationem, adipiscentur; et illi qui interim regnum ingrediuntur cœleste, tunc non accipient essentiale hoc præmium, scilicet Dei beatificam visionem, quoniam antea eam habebunt. Denique præmium magis debetur interiori actioni virtutum quam exteriori : imo in exterioribus operibus nil meriti aut demeriti invenitur, nisi ab actione interiori; et dum non adest facultas aut opportunitas operandi exterius, promptitudo sufficit voluntatis, et bona voluntas, id est bona volitio, reputatur pro opere. Nec solius voluntatis interior actus est meritorius, sed et actus interior intellectus, ut ipsa creditio, contemplatio, discretio, etc.

Incipiens dare mercedem *a novissimis,* qui scilicet undecima hora vocati sunt, progrediendo ab illis *usque ad primos,* qui primo mane vocati sunt, per intermedios hora tertia, sexta et nona vocatos. Sed circa hoc oritur quæstio. Siquidem in die *I Cor.* XV, 52. judicii omnes electi remunerabuntur a Christo in momento, in ictu oculi, quando *Matth.* XXV, 34. dicturus est, Venite, benedicti Patris A mei, etc. : quomodo ergo novissimi primo præmiari dicuntur? Et respondendum, quod ista prioritas non est referenda ad intervalla remunerationis divinæ, quæ instantanea erit, sed ad ordinem vocatorum, ita quod quamvis omnes simul glorificentur quantum ad tempus, primo tamen præmiari dicuntur, qui minus diu præstolati sunt præmium, et qui ultimo finierunt laborem. Sic namque communiter dicimus, illos prius aliquid adipisci, qui minorem dilationem sunt passi, quam eos B qui diu exspectaverunt, quamvis simul tempore præmientur. Hinc ad Hebræos de sanctis veteris Testamenti scribit Apostolus : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, *Hebr.* XI, 13, 40. non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes, Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur.

Quum venissent ergo ad judicium *qui circa undecimam horam venerant,* id est, in ultima mundi ætate Deo servire cœperunt, et fide ac opere incorporati fuerunt C Ecclesiæ, *acceperunt* a Christo *singulos denarios,* id est unusquisque eorum præmium suis meritis proportionatum seu correspondens : non quod Deus ultra condignum non præmiet ; imo sicut citra condignum punit damnatos, sic ultra condignum electos remunerat. Nihilo minus juxta mensuram meritorum est mensura præmiorum, et ejus quod superimpenditur. *Venientes autem et primi* ad tribunal Christi, *arbitrati sunt quod plus essent accepturi,* id est, in die judicii æsti- D mabunt quod majorem gloriam consequentur quam novissimi, seu etiam intermedii, quia diutius ac gravius laboraverunt. In ætatibus namque quæ Christi præcesserunt adventum, minor fuit gratia et longior vita : idcirco durius atque diutius laboraverunt quam fideles tempore evangelicæ legis, quibus virtute, gratia et merito Christi, jugum Dei suave est et onus ipsius *Matth.* XI, 30. leve. *Acceperunt autem et ipsi singulos denarios,* id est unusquisque præmium suis meritis correspondens, quemadmo-

dum primi. Non enim principaliter respicit Deus ad exteriorem laborem, seu difficultatem, aut temporis diuturnitatem, sed ad interiorem fervorem, intentionis rectitudinem, cordis munditiam, per quam fit homo capax visionis divinæ. Unde ut S. Thomas affirmat : Caritatis fervori seu perfectioni correspondet præmium essentiale ; difficultati vero operis boni sive labori, præmium accidentale. Hinc si duo, unus perfectus, alter imperfectus, idem faciunt opus bonum, quamvis ille perfectus faciat opus hoc cum ingenti alacritate et absque difficultate, imperfectus autem cum grandi difficultate : nihilo minus ille perfectus multo plus de essentiali præmio promeretur quam imperfectus, quoniam ex majori caritate hoc agit; imperfectus vero de accidentali præmio plus meretur, sed præmium hoc comparatione essentialis præmii quasi nullius censetur momenti. Hinc semper conari debemus ut in caritate crescamus, et ea ipsa quæ agimus bona, prompto sinceroque animo faciamus.

Et accipientes primi singulos denarios, sicut expositum est, *murmurabant adversus patremfamilias,* utpote Deum, *dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt,* id est, modico tempore in Ecclesia laboraverunt; *et pares illos nobis fecisti* in præmio, *qui portavimus pondus diei,* id est, graves temporis longi labores et laboriosos justitiæ exercuimus actus, *et æstus,* id est pœnales tentationes et anxietates.

Circa hæc duplex est quæstio. Primo, qualiter in electis et Sanctis, in quibus summa caritas et pax est, murmuratio erit, potissimum contra Deum, cujus justitiæ omnino sunt conformati, sicut et voluntati? Secundo, qualiter primi æstimabunt se plus accepturos quam novissimos, quum in ipsis, utpote Beatis, error esse non possit, imo nunc sciunt et præagnoscunt quod non plus accipient, quum et nos hoc agnoscamus?

Respondetur ad primum, quod murmuratio illa non erit rancoris, impatientiæ aut perturbationis, sed vehemens quædam

A replicatio propriæ causæ, seu admirationis eruptio procedens ex zelo justitiæ, per modum murmurationis se habens, quemadmodum inter angelos sanctos, secundum B. Gregorium, Thomam, ac alios multos, dicitur esse pugna ac resistentia, Gabriele Danieli dicente, Princeps Persarum restitit mihi : quod præfati Doctores de angelo sancto Persarum principe ac custode exponunt. Dicuntur itaque murmurasse, vel quia dilationem gloriæ dolenter sustinuerunt, secundum Gregorium, vel quia de

Dan. x, 13, 20.

B magnitudine liberalitatis divinæ, tantum mercedis dante novissimis sicut eis, vehementer mirantur. Nihilo minus unusquisque Beatorum de sua gloria plenarie contentatur. Denique sicut hoc loco scribit Chrysostomus, non oportet ea quæ in parabolis dicuntur, secundum totum quod dicitur investigare, sed intentionem propter quam compositæ sunt intelligere, et nihil ultra scrutari. Non ergo inducit hæc Christus ut ostendat aliquos Beatorum invidia tactos, sed ut ostendat novissimos

C tanto honore potitos, quod invidiam aliis poterat generare, videlicet secundum sensum humanum; sed caritatis perfectio omnem a Beatis excludit invidiam.

Ad aliud respondetur, quod illa æstimatio non est assertionis neque erroris, sed cujusdam simplicis nescientiæ, quam et B. Dionysius in sanctis angelis ponit, a qua a superioribus inferiores purgantur, a quibus de aliquibus occultis Dei effectibus atque mysteriis illuminantur. Sancti autem in patria non præcognoscunt deter-

De Eccl. hier. c. VI.

D minate quantum beatitudinis quilibet hominum electorum finaliter obtinebit, nisi speciali ex causa seu gratia eis desuper reveletur. Postremo, quamvis Beati sciant in generali sic esse futurum, non tamen in particulari in quibus ita eveniet.

At ille, scilicet paterfamilias, *respondens uni eorum,* videlicet murmurantium, *dixit.* Et quod uni, hoc omnibus illis dixit, atque in uno cunctis respondit; et potest per unum istum intelligi Protoplastus. *Amice, non facio tibi,* nec aliis

primis, *injuriam,* aliquid tibi injuste sub- A trahendo, per hoc quod alium ultra condignum remunero, et tibi in mercede parifico. *Nonne ex denario,* id est pro certo præmio tibi donando, *convenisti mecum,* id est, acquievisti et obedisti mihi, eundo in vineam meam, seu mihi in Ecclesia obsequendo? Præterea, sicut denarius unus est secundum suam formam et rationem specificam, multiplicatur vero ex parte materiæ ac recipientium, et est æqualis ad omnes, quantum ex parte ipsius est : sic beatitudo seu vita æterna, per dena- B rium designata, una est ex parte objecti, multiplicatur autem ex parte recipientium atque fruentium ; estque æqualis in omnibus quantum ad durationem, tamen in perfectione magna distantia est ex parte fruentium, secundum exigentiam meritorum. Unde, in domo Patris cœlestis multæ sunt mansiones, id est gradus præmiorum diversi. *Joann.* XIV, 2.

Tolle quod tuum est, id est, præmium tibi competens habe seu suscipe, *et vade* in gaudium Domini tui. *Volo autem et huic* C *novissimo dare sicut et tibi,* id est tantum de præmio quantum contuli tibi, propter caritatis suæ fervorem, et gratiæ abundantiam, quæ maxima fuit tempore evangelicæ legis. Quemadmodum autem Salvator locutus est de primis singulariter, uni pro omnibus respondendo; sic nunc de novissimis singulariter loquens, omnibus eis in uno respondit. *Aut non licet mihi quod volo facere,* qui sum omnium summus princeps, nulli legi subjectus? quasi dicat, Utique : quia voluntas Dei quum sit D essentialiter id ipsum quod sapientia atque justitia ejus, nec irrationabilis nec injusta potest consistere. Imo, quum Deus excelsus et gloriosus sit primum ac summum omnium entium, ipse est regula ac mensura universorum, totiusque æquitatis, virtutis ac veritatis : ideo eo ipso quod ipse aliquid vult, justum et rationabile est. Hinc in libro Sapientiæ legitur : Virtus tua, Domine, justitiæ initium est. *An oculus tuus,* id est consideratio tua, *ne-* *Sap.* XII, 16.

quam est, id est erronea et nescia, aut per modum nequam se habens, *quia ego bonus sum* essentialiter (propter quod dixit Christus, Nemo bonus nisi Deus : Dei enim natura est bonitas pura, perfecta et infinita), hoc est, an bonitas, liberalitas et misericordia mea est tibi occasio murmurationis, eo quod tantum præstet novissimis sicut et primis? Loquitur ergo Christus de nequitia simplicis inconsiderationis aut nescientiæ, et non culpæ : quod inde probatur, quia jam loquitur de operariis vineæ electis, salvatis sive salvandis. *Marc.* X, 18; *Luc.* XVIII, 19.

Ex quibus concludit : *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi,* id est, qui nunc reputatione, dignitate aut tempore posteriores sunt, et vilipenduntur, atque a primis seu majoribus opprimuntur, erunt in die judicii gloria et honore apud Deum judicem primi : quoniam teste Apostolo, abjecta et infirma mundi elegit Deus, ut alta fortiaque confundat. Ideo ait Psalmista de Deo : Suscitans a terra inopem, et de stercore elevans pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. Virgo quoque Christifera : Deposuit (inquit) potentes de sede, et exaltavit humiles. Et Job : Qui humiliatus fuerit (inquit), erit in gloria. Similiter multi eorum qui modo magnæ sunt reputationis, dignitatis et opulentiæ, erunt in die novissimo infimi et abjecti. Multi quoque qui nunc ante alios bona incipiunt, paulatim torpent atque deficiunt; et interdum qui tardius inchoant, ferventiores efficiuntur. Sed et Judæi, primo vocati, novissimi sunt effecti, quia increduli; novissime etiam convertentur, juxta illud Apostoli : Quum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. His consonat quod Christus quibusdam fictis disseruit : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Nemo ergo inaniter de sua justitia glorietur, præsumat, aut se aliis temere præferat, aut quempiam aspernetur : nam qualis sit alter in prædestinatione seu providentia Dei,

I Cor. I, 27. *Ps.* CXII, 7, 8. *Luc.* I, 52. *Job* XXII, 29. *Rom.* XI, 25, 26. *Luc.* XVI, 15.

nescimus. Et qui hodie stat, cras forsitan A cadet; similiter qui nunc jacet peccatis oppressus, cras forsan resurget. Idcirco hor-
I Cor. x, 12. tatur Apostolus : Qui stat, videat ne cadat.

Multi enim sunt vocati ad fidem, et etiam per Baptismum aut postea ad gratiam Dei perducti. Quæ vocatio partim fit per inspirationem seu operationem internam Spiritus Sancti, partim per angelorum instinctum, partim per prædicationem humanam. Unde in Psalmo Christus
Ps. xxxix, 6. fatetur : Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. *Pauci vero* B *electi*, id est prædestinati seu gloriam ade-
Eccle. i, 15. pturi. Hinc Salomon loquitur : Stultorum, id est impiorum, infinitus est numerus.

Sed objici potest, quod de amicis et electis Dei cantatur in Psalmo : Dinumerabo eos, Ps. cxxxviii, 18.
et super arenam multiplicabuntur; et in Apocalypsi, Vidi turbam magnam, quam Apoc. vii, 9.
dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum. Et respondendum, quod pauci sunt comparative loquendo, hoc est per comparationem ad reprobos, multi autem simpliciter. Imo innumerabilia millia martyrum, innumerabilia millia sanctorum religiosorum, innumerabilia millia innocentium baptizatorum, ante discretionem defunctorum, fuerunt. Quum ergo sint pauci electi, et ignoremus an de electorum numero simus, debemus semper esse solliciti, timorati et humiles.

SERMO SECUNDUS

QUALITER ANIMA RATIONALIS DESIGNETUR PER VINEAM ; ET DE SEPTEM PER QUÆ IMPEDIMUR A DEO.

V*INEA Domini, domus Israel est.* Is. v, 7. C Domus Israel est mens animæ contemplativæ. Israel enim interpretatur videns Deum. Ideo anima devota Deum super omnia diligens, et cœlestia ac æterna bona desiderans et contemplans, recte Israel appellatur : cujus domus est mens seu conscientia ejus. Et ipsamet anima domus Dei vocatur, quia per fidem et caritatem
Ephes. iii, 17. in ea Deus moratur. Nam Paulus ait : Deus per fidem habitat in cordibus vestris. Et
I Joann. iv, 16. Joannes quoque apostolus : Qui manet (inquit) in caritate, in Deo manet, et Deus D in eo. Imo anima virtuosa est templum Dei et thronus Altissimi; est etiam vinea Domini, et commisit Deus unicuique homini, ut in primis propriam animam tanquam pretiosissimam vineam colat, custodiat, purget, fecundet. Nam ut ait Salvator :
Luc. ix, 25. Quid proficit homo, si universum mundum lucretur, se ipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat ? Caritas etenim incipit a se ipsa, id est ab habente, deinde derivatur ad alios : idcirco ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris, hoc est, propriæ animæ neglecta salute, seu omissa divinorum observantia præceptorum.

Præterea sex sunt propter quæ anima devota vineæ assimilatur. Primum, quoniam sicut vinea quantumcumque sit fructuosa, tamen omni anno suo tempore purgatione putationeque indiget; et nisi superflua præcidantur ab ea, fructus ejus destruitur : ita et anima hominis quantumcumque quotidie in operibus proficiat virtuosis, tamen quotidiana sua indiget purgare peccata, lugendo, orando, pœnitendo, confitendo aut confessionem proponendo, et alia satisfactoria opera peragendo; et si homo solum intentus sit multiplicationi operum bonorum, negligatque purgationem malorum, bona suffocantur a malis : talis enim facile morta-

lem incideret culpam. Hinc apud Joannem A loquitur Christus : Omnem qui fert fructum, purgabit eum Pater meus, ut fructum plus afferat. (*Joann.* xv, 2.) Et iterum ait, Oportet semper orare et non deficere (*Luc.* xviii, 1.) : ut scilicet Deus peccata nobis dimittat, gratiam et virtutes infundat, fructificareque faciat.

Secundum, quoniam vitis est arbor bassa seu humilis, atque majoris valoris quam apparet potissimum tempore hiemis ; sed in æstate ex fructibus ejus monstratur valor ipsius : sic anima virtuosa, in oculis propriis vilis est, seque in cunctis humi- B liat, et frequenter ab hominibus spernitur, imo in hoc mundo quasi in hieme, tribulationibus tentationibusque subjicitur; sed finita præsentis vitæ miseria, in cœlesti regno fructuositas ejus ostenditur, sicut apostolus Jacobus protestatur, dicendo : Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. (*Jacob.* i, 12.)

Tertium, quoniam sicut vinea dum in terra sibi convenienti manet infixa, valde est fructuosa ; separata vero inde, cete- C ris arboribus inutilior viliorque consistit : sic anima quamdiu Deo per caritatem adhæret, virtuosa et præclarissima opera æternæ vitæ meritoria efficit; si autem per mortale peccatum separetur a Deo, irrationabilibus creaturis fit vilior, et digna igne æterno. Propter quod in Joanne dicit Salvator : Si quis in me non manserit, mittetur foras, et in ignem mittetur. (*Joann.* xv, 6.)

Quartum, quia vinea maxime indiget solis calore ad fructificandum, nec proprium valet fructum portare, seu susten- D tare se ipsam, nisi alligetur paxillo : sic anima ad bene agendum potissimum indiget illustratione Christi, quæ est spiritualis sol sapientiæ, et inflammatione Spiritus Sancti; indiget quoque indesinenter conservari a Deo, ne sibi relicta, simul cum fructibus suis cadat in terram, hoc est, ne inani gloria, carnali concupiscentia, aut alio vincatur peccato. Ideo orat Apostolus : Deus det vobis virtutem corroborari in interiori homine per Spiritum Sanctum. (*Ephes.* iii, 16.) Hinc Deum omni hora precemur ut animas nostras illuminare, inflammare atque in se semper conservare dignetur, quemadmodum orat Propheta : Illustra, Domine, faciem tuam super servum tuum ; salvum me fac in misericordia tua. (*Ps.* xxx, 17.)

Quintum, quoniam sicut fructus vineæ terram tangendo putrescit, sic opera bona quæ facimus, si pro laude humana vel intentione non recta agantur, mercede privantur æterna. Propter quod loquitur Christus apud Matthæum : Videte ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioqui mercedem non habebitis apud Patrem cœlestem. (*Matth.* vi, 1.) Et in libro Job scriptum est : Congregatio hypocritæ sterilis est. (*Job* xv, 34.) Hypocritæ namque censentur, qui opera ex genere bona, non pro Dei honore, sed pro propria peragunt laude; et tales sunt steriles, quia eorum opera non sunt vere virtuosa, sed potius vitiosa, sicut ait Salvator : Si oculus tuus fuerit nequam, id est perversa intentio, totum corpus tuum tenebrosum erit (*Matth.* vi, 23.), id est, omne opus ex tali intentione procedens est vitiosum.

Sextum, nam sicut vinea habet fructum minus pretiosum, si in pinguiori plantata est loco, pretiosiorem vero, si in monte plantata est in loco arido, ubi a radio solis fructus ipsius absque impedimento percutiuntur; sic anima quanto in rebus temporalibus plus abundat, tanto a bonorum operum fructificatione amplius impeditur. Propterea dixit Salvator : Quam difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum ! (*Marc.* x, 23.) Sanctus quoque Gregorius asserit : Sicut impossibile est ignem in aqua non exstingui, ita impossibile est compunctionem mentis in deliciis non perire. Idcirco asseruit Dominus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (*Matth.* v, 3.)

Conemur ergo habere in nobis sex ista, per quæ anima bonæ vineæ comparatur. Itaque omnibus nobis præcipit Filius Dei : Ite et vos in vineam meam (*Ibid.* xx, 4.), id est, unusquisque vestrum spiritualiter eat in ani-

mam suam, considerando qualiter anima A sua stet cum Deo, an in cunctis obediat, an pacem cum ipso veraciter habeat, vivendo absque mortali peccato. Et quidquid in anima nostra superfluum fuerit, amputemus, omnes videlicet cogitationes pravas, affectiones illicitas et omissiones *Matth.* v, 8. culpabiles abjiciendo. Beati enim mundo *Ps.* cxviii, 1. corde; et, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Unde et Salo- *Prov.* xxii, 11. mon loquitur : Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem, hoc est Deum universorum rectorem ac principem. Si- B militudo namque est causa amoris; ideo Deus essentialiter sanctus, cujus essentia est puritas infinita, diliget corde mundos, quemadmodum ait per Jeremiam prophe- *Jer.* xv, 19. tam : Si separaveris pretiosum a vili, id est virtutes a vitiis, virtutibus adhærendo et vitiis reluctando, quasi os meum eris, id est, familiaris et valde carus eris mihi.

Insuper, si scire optamus an simus boni operarii in vinea Dei seu veri famuli Christi, pensemus verba Chrysostomi, qui ponit tria signa per quæ boni operarii dis- C cernuntur a malis. Primum est, quod bonus operarius prius adspicit opus quam cibum; malus autem prius oculum habet ad cibum quam ad opus sibi injunctum. Similiter veri servi Dei prius in suis actibus intendunt et quærunt gloriam Dei, et postea propriam utilitatem, quam etiam referunt ad Dei honorem. Secundum signum est, quod bonus operarius multum de tempore expendit circa opus fiendum, et modicum temporis circa cibum; malus vero operarius, quantum in se est, vellet D non diu laborare, sed diu comedere et potare. Similiter boni ministri Dei diu insistunt virtuosis operibus, et circa corporis necessitatem non diutius quam natura requirit. Tertium est, quod bonus operarius si opus non potest perficere, erubescit mercedem exigere; malus vero, sive perficiat opus sive non, impudenter se ingerit ad mercedem. Conformiter veri famuli Dei, dum opus Dei perfecte non implent, imperfectionem suam advertunt, et de suis defectuositatibus coram Deo verecundantur, seque confusionem et pœnam magis quam gloriam promereri fatentur, nisi Deus misericorditer agat cum eis. Hinc virtuosus ille Esdras humiliter dixit : Deus *I Esdr.* ix, 6. meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum.

Præterea S. Bernardus ponit septem impedimenta quibus ab obedientia præceptorum quotidie retardamur. Primum est, necessitas hujus miseri corporis nostri, quod dum nunc cibum, nunc potum, nunc somnum, nunc vestem atque similia exigit, a spirituali exercitio frequenter nos impedit. Propter quod scriptum est in libro Sapientiæ : Corpus quod corrumpitur, *Sap.* ix, 15. aggravat animam. Secundo, impediunt nos vitia cordis, ut sunt : levitates, suspicio, ira, impatientia, appetitus laudis, et multa similia, quæ omni die experimur in nobis, et expurgare debemus. Tertium est, prosperitas mundi, qua frequenter extollimur : quod tamen est fatuum. Ideo Salomon ait : Prosperitas stultorum perdet *Prov.* i, 32. eos. Imo in prosperis magis timorati, custoditi ac humiles esse debemus. Quartum est, adversitates sæculi, quibus multi franguntur, dum ex eis immoderate tristantur, turbantur ac diversimode peccant : quod magnæ est imperfectionis. Propter quod Salomon fassus est : Non contristabit ju- *Ibid.* xii, 21. stum quidquid ei acciderit. Necessaria ergo nobis sunt arma justitiæ, id est virtutes, *II Cor.* vi, 7. a dextris et sinistris, ut nec prosperis extollamur, neque adversis dejiciamur, sed in utrisque maneamus in Deo humiles et constantes. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : In die malorum ne immemor *Eccli.* xi, 27. sis bonorum, et in die bonorum ne immemor sis malorum. Quintum est, ignorantia nostra, quia in multis incerti sumus quid agere debeamus. Ideo pro directione Spiritus Sancti in omnibus orare debemus, et a sapientioribus informationem accipere, sicut ait Tobias : Consilium sem- *Tob.* iv, 19.

per a sapiente perquire. Sextum est, adversarius noster diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, et qualiter fallat nos. Propter quod in Oratione dominica jugiter dicimus : Et ne nos inducas in tentationem. Septimum est, scandalizatio hominum, qui pravis exemplis, perniciosis persuasionibus, sermonibus adulationis vel detractionibus, ac aliis mille modis ad peccandum alios trahunt.

1 *Petr.* v, 8.

Matth. vi, 13.

Sed contra hæc omnia impedimenta salutis viriliter et indesinenter conari debemus, quemadmodum legitur de S. Pelagia. Quæ primo fuit in Antiochia meretrix

A mirabiliter speciosa, in tantum quod amatores ejus adspectu et pulchritudine ipsius satiari vix poterant. Quæ tandem a S. Nonno episcopo conversa, ab Antiochia in habitu virili occulte recessit; et Jerosolymam veniens, in monte Oliveti, in parva cella se omnino reclusit, seque Pelagium nominavit; et per fenestram parvissimam interdum accepit modicum panis, atque tam abstinenter vixit ibidem, quod oculi ejus profundati erant in capite, et capilli ejus exciderant. Et mansit sic clausa us-

B que ad diem mortis suæ. Ejus ergo exemplo, animam nostram purgemus atque virtutibus decoremus, ad gloriam Dei.

SERMO TERTIUS

DE VITANDA OTIOSITATE.

VIDISTI *virum velocem in opere suo? coram regibus stabit.* Prov. xxii, 29.

Frequenter hortatur nos sacra Scriptura ad vitandum otiositatem. Nam et Christus in hodierno evangelio ait : Quid hic statis tota die otiosi? Primo, quoniam otiositas in se vitiosa est : ideo fugienda est omnis negligentia et omissio operis boni.

Matth. xx, 6.

Secundo, quoniam ex otiositate multa vitia oriuntur, juxta illud in Ecclesiastico : Multa mala docuit otiositas. Otiosi namque variis vitiosis desideriis adimplentur, quemadmodum scriptum est : In desideriis est omnis piger seu otiosus. Nam otiosus januam cordis sui aperit omni vanitati, pravitati, tentationibusque diaboli.

Eccli. xxxiii, 29.

Prov. xxi, 26.

Tertio, quoniam qualibet hora tam ineffabilia bona possumus promereri. Quemadmodum ergo fatuus esset mercator qui illis diebus vacaret in quibus maxima posset acquirere lucra, ita stulti sunt universi impii. Qualibet enim hora, imo omni momento seu minuto, promereri possumus gloriam sempiternam, gratiæ et virtutum

C incrementum, felicitatis et gloriæ æternalis augmentum : siquidem omnis actio, sive interior sive exterior, hoc est omnis cogitatio, omnis affectatio, omnis locutio, cuncta operatio, ex caritate procedens, meritoria est vitæ æternæ. Omnis quoque hujusmodi actio caritatem auget, vel ad augmentum ipsius disponit; et quando actio bona procedit ex caritate majori, meretur homo felicitatem et gloriam ampliorem. Unde, sicut homo vitiosus amore creaturarum miserabiliter infatuatus et obte-

D nebratus, uno die quasi innumerabiliter mortaliter peccat, et infernum meretur atque æternæ damnationis ac pœnæ augmentum, videlicet toties quoties ad rem quam inordinate diligit vitiose afficitur, seu cum pravo desiderio cogitat de eadem, ut libidinosus de femina, avarus de pecunia, superbus de excellentia; sic homo virtuosus, internus et Deo diligenter intentus, uno die quasi innumerabiliter æternam beatitudinem promeretur, præsertim quotiescumque ad Deum caritative

afficitur, ejus beatitudini congratulando, infinitam suam perfectionem et gloriam ei ex corde volendo, ejus gratiosam præsentiam cupiendo seu amplectendo, ejus gloriosum beatificumque adspectum desiderando, ejus venerationem in omnibus affectando, deinde in omni actu ex quacumque virtute procedat, dummodo ad eum caritas moveat. Quum igitur tam ineffabile lucrum spirituale et æternale omni valeamus hora efficere, nonne deploranda est stoliditas nostra, quod otiositati atque pigritiæ locum damus ?

Hinc sancti Patres otiositatem maxime devitaverunt, in tantum quod etiam opera manualia faciendo non cessaverunt ab exercitiis spiritualibus ac internis ; sed mentaliter orabant, Deum laudabant, salubria meditabantur, divina contemplabantur, atque ad Deum fervide afficiebantur. Insuper ex mirabili potius quam imitabili sanctæ caritatis fervore, de his quæ corpori necessaria sunt tam velociter se expediebant, ut a pigris vix valeat credi. Unde de sancto abbate Arsenio legitur, quod totis noctibus vigilabat, interdum manibus aliquid operans unde vixit, et mentem suam cum Deo jugiter occupans. Quumque de mane gravaretur desiderio somni, dixit ad somnum : Veni, serve male. Sicque sedendo parum dormivit. Unde et dixit : Sufficit monacho una hora pro somno, si tamen operarius est. Similiter de aliis multis Patribus sanctissimis legitur, quod non dormierunt nisi stando et ad parietem inclinando, vel sedendo et pedes non extendendo; et quidam eorum non manducaverunt nisi ambulando.

Quarto, otiositatem vitare debemus, et in Dei obsequio esse valde ferventes ac agiles, exemplo sæcularium hominum. Ecce videmus quantos labores quotidie faciant fossores, serratores, fullones, messores, agricolæ, aliique mechanicis artibus dediti, pro duobus aut tribus nummis : et cur nos excæcati atque vilissimi peccatores, tam desides sumus ad Dei obsequium, et tam pigri in eo, tam tardi et frigidi ad

A orandum, ad jejunandum et ad cetera spiritualia opera, quibus non dabitur pro mercede pecunia parva, sed beatitudo æterna et gloria infinita ? Videmus insuper quam acerrime pugnent milites et eorum ministri pro terrena hereditate temporalique pace : cur ergo pro hereditate illa perpetua et cœlesti, et pro pace interna et æterna, hostibus nostræ salutis non viriliter reluctamur, sed cedimus et paremus ? His itaque exemplis erubescamus de nostra otiositate atque acedia, opusque B Dei ferventer ac reverentialiter faciamus.

Quinto, quoniam servus est quasi instrumentum domini sui, secundum Philosophum : nam movetur ad omnia ad quæ dominus suus dirigit eum. Quum ergo simus servi Dei, non solum conducticii, ut ex hodierno evangelio patet, sed etiam empticii, utpote non corruptibili auro vel argento, sed pretiosissimo Christi sanguine empti, dicente Apostolo, Empti estis pretio magno; hinc valde tenemur Deo subjici ac servire, atque ad omnia ad C quæ suo præcepto nos dirigit mox moveri.

I *Petr.* I, 18, 19.
I *Cor.* VI, 20.

Sexto, ad idem nos movet locus in quo sumus. Sumus namque in loco peregrinationis atque exsilii, in valle lacrimarum, in campo certaminum, in loco periculosissimo, innumerabilibus, atrocissimis, callidissimis, invisibilibus hostibus pleno : ideo circumspecti et agiles esse tenemur, ne ab illis superemur, spiritualiter occidamur, æternaliterque damnemur.

Septimo, ad hoc nos hortatur incertitudo ac brevitas temporis vitæ hujus, in D qua nec diem scimus nec horam : et si hodie pœnitere ac promereri possumus, scimus ; tamen an cras valebimus, ignoramus. Unde in Paralipomenon David ait : Dies nostri sunt quasi umbra super terram, et nulla est mora. Atque Apostolus : Dum tempus (inquit) habemus, operemur bonum ad omnes. Omne igitur tempus nostrum fructuose et salubriter expendamus, ne imparata morte præoccupati, sero petamus inducias diei unius, nec tamen accipere mereamur.

Matth. XXV, 13.
I *Par.* XXIX, 15.
Galat. VI, 10.

Octavo, irrationabilium creaturarum diligentia operosa. A Unde in Proverbiis Salomon loquitur : *Prov.* vi, 6-8. Vade ad formicam, o piger, et considera semitas ejus, et disce sapientiam; quæ quum non habeat ducem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.

Nono, tam frequens sacræ Scripturæ instructio otiositatem pigritiamque redarguens. *Ibid.* 9. Nam Salomon ait : Usquequo, piger, dormies? Quando consurges de somno tuo? *Eccli.* xxv, 5. Et in Ecclesiastico : In juventute tua non congregasti, et quomodo in senectute B reperies? *Prov.* xxiv, 30, 31. Itemque Salomon : Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, etc. Per agrum istum intelligitur cor humanum negligens et cæcatum, in quo pro virtutibus crescunt passiones et vitia.

Itaque juxta doctrinam Salomonis, quodcumque potest manus nostra, instanter operemur. *Eccle.* ix, 10. Nec fatigemur animis nostris, quia ut ait Apostolus, nondum usque ad sanguinem restitimus repugnando peccatis. *Hebr.* xii, 3, 4. Imo quotidie cum recenti fervore Deo altissimo serviamus exemplo S. Francisci, qui dicere consuevit : Fratres, incipiamus Deo servire. Unde quidam sanctorum Patrum dixit : Oportet, filioli, ut odio habeamus omnem requiem vitæ præsentis atque corporeas delectationes, nec honorem ab hominibus requiramus ; et dabit nobis Dominus Jesus Christus cœlestes honores, et requiem in vita æterna, gloriosamque lætitiam cum angelis sanctis.

SERMO QUARTUS

DE MUNDI CREATIONE, ATQUE PRIMORUM PARENTUM TRANSGRESSIONE.

IN *principio creavit Deus cœlum et terram.* Gen. i, 1. C

Sicut in primo hujus dominicæ est tactum sermone, tempus Septuagesimæ significat tempus deviationis et culpæ, sed et tempus captivitatis filiorum Israel in Babylone, quod septuaginta annis duravit. Idcirco in ista dominica incipit Ecclesia legere librum Genesis, in quo primorum transgressio parentum describitur, et cantica spiritualis omittit lætitiæ. Unde et tempus pœnitentiæ ac salutaris tristitiæ pro peccatis nunc inchoatur. D Hinc sanctus ait Bernardus : Pro his septem quibus ab *Cf.* p. 295 B'. observantia Decalogi retardamur (quæ scilicet in præcedenti sermone expressa sunt), in luctu pœnitentiæ Septuagesima præsens agitur. Unde et reticetur interim alleluia solenne, et humanæ transgressionis historia mirabilis ab exordio recensetur.

Quoniam itaque Ecclesia inchoat hodie librum Genesis, in quo mundi creatio, primorum parentum transgressio et humani generis propagatio describuntur, volo nunc aliquid inde breviter tangere, non nisi simpliciter, juxta superficiem sacræ Scripturæ, prout indoctis atque simplicibus convenit recitari, omni subtilitate ac difficultate relictis.

In primis ergo sciendum, quod a tempore expulsionis Adæ de paradiso usque ad tempora Moysis duravit lex naturalis : cujus observantia, cum fide Christi venturi explicita quantum ad majores, vel saltem implicita quantum ad minores, tunc ad salutem suffecit. Quumque Moyses Dei electus, filios Israel de Ægypto eduxisset, et cum eis usque ad montem Sinai pervenisset, accepit ibi a Deo ministerio angelorum legem : *Act.* vii, 53. quæ vocatur lex Mosaica, *Joann.* i, 17. quia per Moysen data est; et lex scripta, quia in lapideis tabulis primo scripta sunt *Exod* xxxi, 18.

ibi digito Dei decem præcepta, quæ fuerunt principalia legis illius præcepta. Deinde Moyses scripsit illa decem præcepta et alia multa in suis libris. In eodem etiam monte Sinai Deus sublimis et benedictus multa secreta revelavit sancto Moysi de mundi creatione, de paradiso terrestri, de primorum institutione ac casu parentum, de propagatione et actibus hominum, de diluvio generali, multisque aliis quæ naturali ratione sciri non poterant : præsertim de his quæ Israeliticum populum concernebant, quia ex illo populo unigenitus Dei Filius incarnari elegit. Propter quod populum illum magnis ac variis beneficiis, gratiis, virtutibus atque miraculis decoravit usque ad Christi adventum. Quem quoniam pro majori parte non receperunt, reprobari et relinqui a Deo, omnique virtute et gratia, terra propria, regno et sacerdotio meruerunt privari. Quæ omnia in se, vel in rebus excellentioribus per illa signata, ad christianum populum sunt translata.

Deinceps Moyses, Deo jubente ac illustrante, edidit quinque libros, qui simul sumpti, vocantur Pentateuchus Moysis. Primusque liber Genesis appellatur, quia in eo fit mentio de mundi productione, de hominum generatione, cursuque sæculi usque ad obitum Joseph filii Jacob patriarchæ. Secundus liber Moysis vocatur Exodus, in quo tractatur de eductione filiorum Israel ex Ægypto : unde de materia libri illius ac aliorum librorum intendo in sermonibus sequentium dominicarum aliqua breviter ac simpliciter tangere.

Itaque primum librum suum Moyses sic incepit : « In principio creavit Deus cœlum et terram », hoc est, in exordio temporis, et simul cum tempore, et ante alia ; vel, « in principio », quia Deus Pater per Filium creavit superiora et inferiora, cœlestia et terrestria, invisibilia et visibilia. Atque per hæc verba exclusit Moyses errorem illorum qui dixerunt mundum ab æterno fuisse : quod falsum est ; sed simul cum tempore mundus per creationem in- (Gen. I, 1.)

A cepit, ita ut est dare certum determinatumque tempus quo mundus duravit. Et sic mundus a Deo creatus est sapienter, et libere ac voluntarie, dum et sicut ei complacuit : quia ut ait Apostolus, Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. (Ephes. I, 11.) Propheta quoque testatur : Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra. (Ps. CXXXIV, 6.) Salomon etiam fassus est : Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. (Prov. III, 19.)

Deinde Moyses describit qualiter per B intervalla sex dierum facta et distincta ac ornata sint mixta, ita quod homo factus est sexto die. (Gen. I, 27.) Hæc tamen dierum distinctio duobus modis exponitur : quod quia ad subtilitatem pertinet, nec communi plebi scire necessarium est, dimitto. Sexto ergo die factus est homo, id est vir, scilicet Adam : qui non est factus in paradiso terrestri, sed in agro Damasceno, id est in agro qui est prope Damascum, secundum doctores. Et de agro illo tulit Deus hominem primum, scilicet Adam, et posuit eum in paradiso, (Ibid. II, 8.) C qui est pulcherrimus et deliciosissimus locus, valde amplus et magnus, ac maxime temperatus : locus namque debet proportionari locato. Deus autem non creavit primum hominem in solis naturalibus ; sed etiam aliqua supernaturalia atque gratuita dona contulit ei, videlicet originalem justitiam, per quam corpus primi hominis fuit omnino subjectum et obediens animæ suæ, et sensitiva pars rationi, ac ratio Deo. Hancque originalem justitiam concreavit et contulit D Deus primo homini, ut permaneret in eo quamdiu ipse maneret obediens Deo. Et si Deo obediens permaneret, nulla pœna, nulla miseria, nulla mors locum haberet in ipso, atque in suos posteros justitiam illam transfunderet, et ipse suo cursu completo, absque pœna et morte transferretur ad paradisum cœlestem, hoc est ad regnum cœlorum, ad cœlum empyreum, id est cœlum igneum, non a calore, sed a splendore sic nuncupatum ; si autem primus homo peccaret, originalem justitiam

illam mox perderet, et moriendi necessitatem incurreret, neque justitiam illam in suos transfunderet posteros.

Quum ergo Deus omnipotens posuisset hominem primum in paradiso, præcepit eidem, dicens : Ex omni ligno paradisi comede ; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die ex eo comederis, morte morieris, hoc est, per mortale inobedientiæ tuæ peccatum, mox spiritualiter morieris in anima, et necessitatem moriendi in corpore statim incurres. *Gen.* II, 16, 17.

Post hæc Deus æternus ministerio angelorum adduxit ad Adam omnia animalia terræ et volatilia cœli, ut Adam nomina apta eis imponeret : quod et fecit. Unde elicitur quod Deus concreavit Adæ magnam scientiam et naturalium rerum notitiam, quia imposuit rebus illis nomina juxta proprietates naturales uniuscujusque earum. *Ibid.* 19, 20.

Quod dum faceret ac fecisset, non inveniebatur aliqua creatura ejusdem speciei cum Adam, sicut in aliis animalibus Deus simul creavit marem ac feminam. Dixitque Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum ; faciamus ei adjutorium simile sibi. Immisit ergo Dominus soporem in Adam ; quumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, id est, carne locum costæ implevit. Atque de costa Adæ Deus omnipotens et immensus formavit corpus primæ mulieris, et per creationem infudit corpori illi animam rationalem, sicut et corpori Adæ fecit, quum illud de limo terræ formasset. Facta est ergo mulier prima in paradiso ; adduxitque eam Deus ad Adam. Qui visa ea, statim cognovit quod corpus ejus de sua costa esset formatum. Ideo dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea ; hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ ; et erunt duo in carne una. — Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, nec erubescebant. Porro, quod non erubescebant, non *Ibid.* 18, 21-25.

A venit ex hoc quod absque scientia erant et similes bestiis, ut aliqui putaverunt : imo ante suam transgressionem fuerunt clarioris scientiæ et sapientiæ altioris quam postea ; alias natura humana ex peccato facta esset melioris conditionis. De Adam quoque jam dictum est, quod animalibus et avibus imposuit nomina eorum proprietatibus congruentia : propter quod eminentis fuit scientiæ. Quod ergo non erubuerunt se nudos videndo, ex innocentia contigit. Quamdiu enim divinum præce-
B ptum transgressi non sunt, non senserunt aliquam inordinatam seu inhonestam aut erubescibilem motionem seu concupiscentiam carnis. Ideo erubescere non debebant, siquidem membra generationi deservientia, in quantum a Deo, inhonesta non sunt. Unde et Sancti post diem judicii cum suis glorificatis corporibus nudis in gloria erunt, nec erubescent.

Deinde describit Moyses quomodo serpens, id est diabolus per serpentem, dixit ad Evam : Cur præcepit vobis Deus non *Gen.* III, 1 et seq.
C manducare de omni ligno paradisi ? Quæ respondit : Ne forte moriamur. Cui diabolus : Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, si de fructu ligni vobis prohibiti manducaveritis. Hac promissione decepta est femina, et de fructu illo comedit ; deditque viro suo, qui et ipse inde comedit. Et aperti sunt oculi amborum, non quod ante oculi eorum fuerint clausi aut cæci, sed quia post transgressionem præcepti divini aliter videre cœperunt quam ante videbant. Facta enim transgressione et per
D illam amissa originali justitia, sensualitas facta est rationi rebellis, et cum inordinato et erubescibili motu videre se invicem cœperunt. Eodem die post meridiem dixit Deus ad Adam : Ubi es ? Quumque increpasset eum, ipse culpam imposuit suæ uxori, et illa serpenti. Tunc Deus ejecit ambos de paradiso, cœperuntque in sudore vultus sui vesci pane suo. Et extra paradisum cognovit Adam primo conjugem suam.

Circa prædicta potest inquiri, cur Deus

mundum non condidit ab æterno, vel prius quam tunc quum eum creavit. Et respondendum, quod Deo sic placuit, nec possumus sensum Dei cognoscere, vel ejus scrutari judicia. (Rom. XI, 34, 33.) Rabbi Moyses tamen convenienter respondit, quod ideo ab æterno non condidit mundum, sed de novo et simul cum tempore, ad ostendendum quod libere, et non necessitate naturæ seu naturali emanatione, creaverit eum, atque ad ostendendum quod ipse solus Deus æternus sit, et a nullo dependens, et alia cuncta ab eo : quod hinc clarissime demonstratur, quia de novo ex tempore factus est mundus. Cur autem tunc, et non ante, mundum creavit, stultum est quærere : quoniam ante mundi creationem non fuit tempus, nec ante nec prius neque posterius, quamvis possimus talia imaginari, quæ imaginatio nihil potest in re. Unde quæstio illa est talis, quasi peteremus : Quare Deus non fecit seu collocavit mundum altius aut bassius ?

Insuper simplices quærere solent, ubi Deus fuit ante mundi creationem, et quid tunc fecit. Respondetur, quod talis quæstio est potius compescenda quam solvenda, quia et magistralis solutionis, indocti, rudes et simplices non sunt capaces. Breviter tamen respondendum dico, quod Deus in se ipso est ens absolute perfectum, incircumscriptibile, purissimum, infinitum : ideo illocalis est et intemporalis, ita quod sibi non competit esse in loco aut tempore, nisi per transcendentiam, quoniam omne tempus et omnem locum includit atque excedit. Fuit igitur Deus æternaliter et prorsus invariabiliter in se ipso; et quamvis ante mundi creationem nil fecit, proprie sumendo *facere* pro operatione extra manante, tamen otiosus non fuit, sed egit quod agit modo, se ipsum æternaliter contemplando ac diligendo. Fuit quoque in Deo ab æterno generatio Verbi æterni a Patre, atque processio Spiritus Sancti ab utroque. In quibus actibus perfectio et immensa felicitas Dei consistit; creaturis vero et earum gubernatione ac possessione supersublimis Deus non indiget.

Præterea aliqui quærunt, cur Deus condidit hominem, quem scivit casurum. Qui simili modo quærere possent, cur condidit angelos, quos novit mox ruituros æternaliterque damnandos; cur etiam quotidie creat animas paganorum, Judæorum et damnandorum Christianorum. Ad quæ omnia respondetur, quod Deus naturaliter bonus infiniteque sapiens, fecit quod ad suam pertinuit bonitatem decuitque eamdem; nec hoc debebat omittere propter futuram creaturarum ingratitudinem atque malitiam, quam et idcirco permisit, quia tam bonus et sapiens est, quod ex ea multa bona elicere potuit ac voluit. — Iterum quæritur, quare magis creavit Evam in paradiso quam Adam. Respondetur, quod in hoc honoravit sexum femineum, quatenus viri conjuges suas non spernant, sed venerentur. Possent hic alia plura investigari, videlicet : cur non simul creavit Adam et Evam, sicut in aliis animalibus marem et femellam simul produxit; et cur de costa viri fecerit mulierem; cur item magis de costa quam pede aut capite, aut alia corporis parte. Sed brevitati studendum est; in aliis quoque locis hæc poterunt solvi.

Igitur in hac dominica Septuagesimæ, vitam pœnitentialem assumamus, et propria ac proximorum deploremus peccata; omnem inanem abjiciamus lætitiam, et salubri afficiamur tristitia : quia ut Salomon ait, Cor stultorum, ubi lætitia, et cor sapientium, ubi tristitia. (Eccle. VII, 5.) Et iterum loquitur : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; (Ibid. 3.) in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Deploremus ergo miserias nostras, et novissima nostra quotidie provideamus, hoc est mortem, districtum Dei judicium, æternale supplicium, et gaudia Beatorum : de quibus in Ecclesiastico scriptum est, Memento novissimorum tuorum; (Eccli. XXVIII, 6.) et iterum, Meditare novissima tua, et in æternum non peccabis. (Ibid. VII, 40.)

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE SPIRITUALI CURSU AD DEUM.

Sic currite ut comprehendatis. I Cor. ix, 24.

Quam ferventer, expedite ac indefesse debeamus operibus virtuosis insistere, docet in præsentis dominicæ epistola sanctus Apostolus multiplici ac valde rationabili persuasione : et primo, agonistarum exemplo. Pedites namque in spatio centum viginti quinque passuum, quod stadium appellatur, currentes, ut eorum agilitas probaretur, et velociori cursori bravium, hoc est aliquod clenodium tanquam præmium cursus, daretur, omnes currebant, et totis B viribus ceteros prævenire festinabant; et tamen unus dumtaxat præmium cursus, et honoris insigne, et laudem consequebatur. Quanto magis Christiani in sæculo isto quasi in stadio exsistentes, deberent toto cordis affectu totisque viribus ad cœlestem patriam properare, ad æternæ beatitudinis bravium currere, hoc est, Deo servire, et juxta suæ vocationis exigentiam digne Deo ambulare ac conversari, bonisque actibus jugiter esse intenti ? Primo, quia non solum uni Christiano ad C regnum cœleste tanquam ad sui cursus terminum properanti, tribuitur merces seu bravium sui cursus, puta æterna felicitas, sed universis et singulis in vera caritate et virtuosis actibus illuc pergentibus ac perseverantibus usque in finem. Secundo, quoniam bravium illud cœlestis beatitudinis incomparabiliter eminet atque præstantius desiderabiliusque est omni bravio cursorum terreno; similiter honor et laus quos vere fideles consequuntur a Salva- A tore et ab universis cœlestis patriæ civibus, ineffabiliter sunt majores, nobiliores ac desiderabiliores omni honore ac laude terrenis quos cursores adipiscuntur. De quo cœlesti honore ac laude superna ait in Evangelio Christus : Qui me confessus (Matth. x, 32; Luc. xii, 8.) fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo et angelis ejus; et rursus in Apocalypsi : Qui vicerit, dabo (Apoc. iii, 21.) ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. De bravio quoque dixit : Pater, quos (Joann. xvii, 24.) dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.

Præterea advertendum, quod Apostolus in hac epistola omnes hortatur fideles ad currendum, ut scilicet ferventer atque agiliter Deo ministrent, omni expulso torpore. Interdum vero hortatur eos ad standum, dicendo : Sic state in Domino, carissimi. Et (Philipp. iv, 1.) rursus : State (inquit) in fide. Interdum (I Cor. xvi, 13.) autem ad ambulandum. Unde et loquitur : Dum sumus in corpore, peregrinamur a (II Cor. v, 6, 7.) Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem. Christus quoque : Ambulate (Joann. xii, 35.) (inquit) dum lucem habetis. In statione autem duo considerantur, puta : cessatio a processu, et firmitas quædam sive stabilitas. Dum ergo hortatur nos ad standum, non vult ut a spirituali cessemus processu, sed firmi ac stabiles simus in bonis. Verumtamen per quamdam adaptationem dici potest, quod ambulare pertineat ad incipientes, currere ad proficientes, volare ad perfectos ac contemplativos. De quibus beatissimus loquitur Isaias : Qui (Is. xl, 31.)

sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient; (Is. lx, 8.) itemque, Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Siquidem tam in ambulatione ista quam in cursu atque volatu attenditur processus quidam ad Deum ac æternalem salutem. Qui processus specialissime penes caritatem pensatur; ipsa quoque est animæ vita, sine qua nihil est meritorium nec Deo acceptum. Caritas autem in incipientibus minor est, et quasi calens dumtaxat : ideo ambulare dicuntur. In proficientibus vero est major, et quasi fervens : idcirco currere asseruntur. In perfectis autem et contemplativis est maxima, et quasi ardens : propterea recte dicuntur volare, præsertim quoniam contemplando non tangunt terrena, et super se ipsos feruntur, implentes illud Apostoli : (Coloss. iii, 1, 2.) Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Deinceps nos religiosi, quorum est carnalia et terrena cuncta per contemplationem et dilectionem transcendere, atque quotidie perfectioni studere et ei appropinquare, tenemur ad minus currere, ut fervido, prompto ac agili corde agamus quæ Dei sunt, et ea quæ Ordinis sunt observemus, ac juxta professionis nostræ tenorem ad perfectionem indefessi tendamus. Non enim est nostrum circa communia solummodo occupari, sed cœlestem conversationem inchoare in terra, et spiritualibus desideriis æstuare ad Deum, ut scriptum est : (Ps. xli, 2.) Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Et debet jugiter nobis inesse fervens affectus placendi Deo, cujus omnipotentem ac omnia intuentem superveneraudam præsentiam ubique et semper considerare debemus, ut sic omne opus Dei absque negligentia atque desidia impleamus. Unde antiqua translatio apud Jeremiam habet : (Jer. xlviii, 10.) Maledictus qui facit opus Dei negligenter et desidiose. Fastidiosum namque et pigrum in suo obsequio de-

A spicit Deus. Hinc S. Basilius interrogatus, quali affectu debet quis Deo servire, et iste ipse affectus quis erit, respondet in Regula sua : Affectum et animum bonum esse arbitror illum, quum desiderium vehemens et inexplicabile atque immobile est nobis placendi Deo. Fovetur autem in nobis iste affectus per scientiam, qua intuemur magnificentiam gloriæ Dei, et per cogitationes pias ac puras, et per commemorationem beneficiorum Dei, ex quorum recordatione accenditur in nobis dilectio B Christi. Cum tali ergo affectu oportet nos Deo servire, adimplentes illud Apostoli : Quis nos separabit a caritate Christi ? (Rom. viii, 35.)

Verumtamen Fratrem in obsequio Dei tam ferventem et alacrem, tam jucundum ac agilem, valde necesse est esse discretum et circumspectum : ne immoderate currendo, ante perventionem deficiat; ne de viribus suis præsumat, et subito elidatur; ne inaniter glorietur, aut alios spernat. Fervor namque, discretionis sale non conditus, præcipitat. Sic ergo unusquisque C corpus suum castiget vigiliis, jejuniis, disciplinis, laboribus, atque in animæ redigat servitutem, ne illud in tantum debilitet, quod animæ suæ in exsecutione eorum quæ Ordinis sunt, servire et cooperari non queat, sicque sibi ipsi et conventui fiat molestus.

Postremo constat ex introductis, quam summe fugienda sit omni religioso otiositas ac omnis tepiditas. Multa quippe mala docuit otiositas; (Eccli. xxxiii, 29.) estque radix culparum, inimica virtutum. De tepiditate quoque D seu pigritia asserit Cassianus, quod monachum facit vel de sua egredi cella et alios visitare, confabulari, atque hinc inde discurrere, vel in cella infructuose ac tædiose sedere, et aliquorum adventum optare, cum quibus in confabulationibus tempus inutiliter, imo et valde culpabiliter deducatur. Hinc beatus ait Bernardus : Perniciosa tepiditas, quia periculosa est, quia molestissima est, plena miseriæ et doloris, et inferno proxima, umbra mortis jure censetur. Sane invenire est homi-

nes pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes : quorum remissa lætitia, pusillanimis et tristitia est ; quorum et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio ; quorum est obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, lectio sine ædificatione, oratio sine cordis attentione : quos gehennæ metus vix cohibet, vix pudor, ratio, disciplina coercent. Istis persuadendum est ut corda sua a terrenis affectibus, a carnalibus desideriis funditus purgare conentur, atque in luce miserationum Dei respirent, seque accingant ad agendum viriliter, ad invocandum auxilium Dei indesinenter, ad considerandum ac imitandum eos qui in Dei obsequio fervidi alacresque consistunt. Nempe quo aliquis in Dei servitio exstat ferventior, et in cordis A sui custodia fortior, eo opera virtuosa quæ agit delectabilius facit ; et cum hoc amplius promeretur, Deo plus placet, et difficultatem minus jam experitur : sicque tam in præsenti quam in futuro melius habet, et delectabilius vivit, quam piger et tepidus, cujus vita infernalibus redundat miseriis, et gravamine tædioque repletur. Quo autem in Dei servitio diligentiores consistimus, eo in caritate et gratia magis proficimus : sicque quotidie cum majori alacritate et gaudio divina exsequimur, et B omne tempus nostrum breve nobis videtur.

Idcirco ad istam caritatis diffusionem, promptitudinem, et spiritualem lætitiam demus nos semper, ut cum Propheta ex sententia Deo psallamus : Viam mandatorum tuorum cucurri quum dilatasti cor meum. Cui honor et gloria in æternum. *Ps.* CXVIII, 32.

SERMO SEXTUS

QUOMODO CARITATIS INTENTIONI CORRESPONDEAT PRÆMIUM ESSENTIALE.

H*I novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* Matth. XX, 12.

Ex evangelio hodierno probatur, quam veraciter dixerit Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas auget meritum. Caritatis namque intentioni seu perfectioni essentiale præmium correspondet in patria. Unde et ille, absolute loquendo, est melior, qui in caritate Dei exstat perfectior, sive sit religiosus, sive sæcularis, sive virgo, sive conjugatus. Caritas namque per se et ex se conjungit hominem Deo, et facit hominem spiritualiter vivum ac Deo conformatum atque acceptum : quod sine caritate nulla alia efficit virtus. Denique, sicut amor facit, generaliter loquendo, mentem amantis capacem amati, sic caritas facit rationalem creaturam ca- C pacem Dei, ita quod quanto quis fuerit in caritate Dei perfectior sive ardentior, tanto est Dei capacior. Deus autem dat unicuique secundum propriam virtutem, id est capacitatem et dignitatem ; et quanto nunc efficimur Deo viciniores, ipsum sincere amando ac fervide desiderando, tanto in patria erimus ei viciniores, eum clarius intuendo, ipso fruendo, eumque æternaliter possidendo. Præterea, sicut homo se habet circa Deum, ipsum amando, ejus honorem et gloriam cupiendo atque pro posse pro- D movendo ac procurando ; sic Deus se habet circa hominem, ei vicem reddendo, eumque rediligendo, quemadmodum in Proverbiis testatur : Ego diligentes me diligo ; et primo Regum : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui ergo ardentius diligit Deum, plus ab ipso diligitur ; et qui eum cordialius veneratur,

Matth. XXV, 15. *Prov.* VIII, 17. I *Reg.* II, 30.

magis in regno cœlesti ab ipso sublimatur. Ei autem quem Deus plus diligit, majora gratiæ charismata in præsenti, præclarioraque gloriæ dona in futuro largitur. Itaque constat, quod caritatis perfectioni, intensioni, ardori, magnitudo fruitionis beatificæ correspondet in cœlis.

Insuper, quum amare sit amato velle bonum, diligere Deum purissime, non est aliud nisi ei velle suam bonitatem, perfectionem, et beatitudinem penitus infinitam. Quanto autem præcordialiori et totaliori affectu optamus atque favemus Deo hanc suam infinitissimam bonitatem et perfectionem, tanto plus ipse nobis favet suæ bonitatis ac beatitudinis communicationem : quæ communicatio est rationalis creaturæ beatificatio. Adhuc autem per caritatem offert homo se ipsum Deo spontanee, ejus se cultui mancipando; et quanto perfectius diligit Deum, tanto totalius se cultui ejus impendit, ita quod nihil sui sibi reservat, sed sicut totum quod est, habet et potest, a Deo accepit, sic omne id ejus dilectioni, honori cultuique impendit. Quanto autem homo se Deo plenius offert, ejusque amori et cultui se impendit, tanto copiosius ac gloriosius Deus homini tali se ipsum rependit ad intuendum, fruendum ac possidendum. Verissime ergo ac rationabilissime dicitur, quod caritatis intensioni præmium æternale proportionatur.

Amplius, nulla virtus ita transformat rationalem creaturam in Deum, ut caritas, quæ facit creaturam Creatori cohærere, et unum cum ipso spiritum esse. (I Cor. vi, 17.) Nulla etiam virtus in tantum conformat voluntatem creaturæ voluntati Creatoris, ut caritas; nec aliqua virtus tam prompte operatur, aut tam valide movet ad actus Deo placentes, ut caritas. Ideo præmium essentiale, quod est beatifica visio Deitatis, recte dicitur caritatis perfectioni atque ardori correspondere.

Hinc omnia evangelica Christi consilia ordinantur ac tendunt ad hoc, ut præceptum diligendi Deum in vita ista, perfecte, quantum possibile est, impleatur : ut scilicet toto corde, tota mente, tota anima, totisque viribus Deum amemus; (Deut. vi, 5; Matth. xxii, 37.) quantum in vita hac fieri potest, continue : hoc est stabiliter et intense, juxta extremum posse, absque interruptione in actuali Dei amore intenso ac stabili persistendo.

Quum ergo ad hoc omnia Christi consilia, omnia nostra vota, cuncta monastica instituta, universi labores, exercitationes et actus nostri finaliter ordinentur, ut in Dei sincerissima caritate quotidie proficiamus, atque ad ejus perfectionem perveniamus; valde insipientes negligentesque sumus, quod tanta propter hunc finem reliquimus, et tantos quotidie exercemus labores, tantaque observamus ac patimur, nec tamen ad caritatis divinæ incrementum nos damus, et in ea tam parum aut nihil proficimus. Cujus certum indicium est, quod a passionum squalore, ab inordinatis affectionum impulsione ac motione, a quotidianis culpis, levitatibus, defectibus ac negligentiis nostris tam parum purgamus et emendamus nos; nec divinæ bonitatis experimur dulcedinem, nec zelo divini honoris accendimur, neque in Dominum transformamur, neque in ejus contemplativo amore amorosaque contemplatione roboramur ac stabilimur : imo orando, meditando, psallendo, frequenter vagi et sine sapore interno aridi sumus. Porro, qui vere in Deitatis crescit amore, quotidie radicatur ac stabilitur in Deo, ac sæpius et sæpius ad ipsum afficitur, elevatur, movetur. Nam ubi amor, ibi oculus; ubi thesaurus, ibi et cor. (Matth. vi, 21.) Talis quoque sic crescens in caritate, quotidie plus abhorret peccata ; nec solum mortalia, quæ caritati omnino contrariantur, sed et venialia, quæ caritatis fervori, perfectioni et incremento opponuntur, cum ingenti diligentia vitat; ab omni carnalitate, levitate et mundana affectione, passionumque immoderantia magis ac magis purgatur.

Sed potest quis dicere : Qualiter possum ac debeo in Dei amore proficere ? Respondetur, quod variis modis. Primo, Deum

assidue invocando ut caritatem suam augeat et inflammet in se. Secundo, omnia bona quæ agit, et adversa quæ sustinet, ad Dei amorem ac honorificentiam ordinando, hoc est, idcirco omnia illa agendo, ut per ea Deus altissimus honoretur, suamque dilectionem in se augere ac perficere omni die dignetur. Tertio, cum omni diligentia semper vitando quæcumque aliquo modo displicent Deo, videlicet non solum mortalia, sed venialia quoque peccata, levitates, consolatiunculasque terrenas, et negligentias quotidianas. Quarto, B virtutibus strenue studendo ac insistendo, atque ad cordis munditiam suspirando, hoc est, laborando pro reformationibus passionum, pro exstirpatione omnium motuum superbiæ, iræ, impatientiæ, indignationis, amaritudinis, carnalitatis ac tepiditatis, pro incremento ac radicatione sanctæ humilitatis, veræ mansuetudinis, patientiæ, dulcedinis ac strenuæ agilitatis in cunctis Dei operibus. Omnia etenim ista ad caritatis profectum ac perfectionem disponunt ac requiruntur: quia non solum C invidia, sed et omnis mortalis culpa, omnis irrefrenatio passionum, omnis negligentia venialisque culpa, caritati aut ejus incremento atque fervori repugnat.

Quinto, insistendo considerationi eorum quæ caritatem alunt, augent, perficiunt, hoc est considerationi infinitæ bonitatis, amabilitatis, pulchritudinis, dulcedinis, sapientiæ perfectionisque Dei. Quorum consideratio incomparabiliter potest et debet in nobis accendere Dei amorem, quum bonum sit amoris objectum, et unumquod- D que tantum habeat de amabilitate quantum de bonitate, pulchritudine, suavitate, sapientia, perfectione. Propter quod Deus gloriosus et adorandus, essentialiter et in- A circumscriptibiliter bonus, dulcis, pulcher, amabilis, justus, pius, sapiens et beatus, est summe et incomparabiliter diligendus. Deinde, insistendo considerationi amoris divini, quo ipse benignissimus Deus prior dilexit nos, et sua gratuita ac munificentissima caritate prævenit nos, sicut ait Joannes apostolus: Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Deinceps, considerando universa beneficia Dei generalia et specialia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia: maxime quod Deo Patre volente, et Sancto Spiritu cooperante, Unigenitus Dei tot et tanta pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, et quod Deus toties nobis pepercit, ignovit, tamque misericordissime nobiscum egit. Postremo, considerando Dei promissa: quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ nobis præparavit in cœlis.

I Joann. IV, 19.

Is. LXIV, 4; *I Cor.* II, 9.

Hæc omnia ineffabiliter possunt et debent caritatem Dei in nobis fovere, firmare, augere, perficere. Sic ergo in Dei amore poterimus crescere, et sic in eo debemus incessanter proficere. Istud sit quotidianum exercitium nostrum, diligentissimus labor, occupatio summa: alioqui superficiales et externi, rudes frigidique manemus.

Præterea purus Dei amor est, quo ipsum propter suam bonitatem immensam diligimus, et ei propter propriam suam dignitatem ac sanctitatem servimus, non mercedis intuitu. Deum autem propter beneficia et promissa sua diligere, non est sincere et perfecte amare, nisi beneficia et promissa ipsius referantur pure ad ipsum, in quantum videlicet sine eis Deo perfecte uniri et cohærere non possumus. Si sic in Dei profecerimus caritate, ab ipso gloriosissime coronabimur in æternitate.

SERMO SEPTIMUS

DE PAUCITATE SALVANDORUM.

MULTI *sunt vocati, pauci vero electi.* A Matth. xx, 16.

Quid hoc verbo horribilius dici potuit vel audiri? Sed forte quis opinetur et dicat, Christum ideo hoc verbum dixisse, quoniam valde multi sunt infideles, qui omnes damnantur, Christianos vero pro majori parte esse salvandos. Verum, ut hoc dominus Petrus abbas Cluniacensis testatur, Christus per verba ista insinuavit non nisi paucos credentium esse salvandos, respective loquendo. Et ita tenendum
Matth. VII, 13, 14. est, quum alio in loco dicat Salvator : Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! Quibus verbis fatetur viam salutis esse non solum arctam, sed etiam valde arctam, atque a paucis inveniendam. Et ne adhuc ambigamus Dominum Jesum Christum per ista innuere quod etiam pauci salventur credentium, consideremus
Luc. XIII, 23, 24. quod in Luca legitur : Dixit autem quidam ad Jesum, Domine, si pauci sunt qui salvantur? Qui ait : Contendite intrare per angustam portam.

Circa quæ B. Gregorius scribit : Arcta via in qua quisque studiose constringitur, quæ sub præceptorum custodia sollicite coarctatur, est in hoc mundo vivere et de mundi hujus concupiscentia nil habere, aliena non habere, propria avariter non tenere, laudes mundi despicere, opprobria pro Christo amare, gloriam fugere, despectum sequi, adulationes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, dilectionisque gratiam circa eos immobilem conservare. Itaque si omnia ista, secundum Gregorium, etiam ad eos qui in via ambulant mandatorum pertinet adimplere, multo videlicet plus ad ea religiosi tenentur. Ideo quisque cor suum examinet, an impleat ea, an laudes despiciat, opprobria perpeti cupiat, gloriam fugiat, despectum sequatur, ac eos a quibus despicitur veneretur : et si sic, gratias agat Deo; neque inaniter glorietur, si non ingemiscat eo quod nondum vere christianus dici meruerit. Discamus ergo nos ipsos despicere, et consideratione vitiorum defectuumque nostrorum, nos ipsos vilissimos, omni confusione dignissimos reputare, B et ita nos ipsos in Deo diligere ut sic omnia appetamus ac libentissime patiamur, per quæ possumus a peccatis purgari, gratiam adipisci, Deo placere, Christo conformari, atque æternæ propinquare saluti, videlicet : increpationes, correctiones, opprobria, et alia quævis adversa ac carni molesta.

Itaque ex præinducto testimonio Salvatoris, quo asserit multos vocatos ad fidem, et paucos illorum electos ad gloriam, ingenti concutiamur pavore, et sancta solli- C citudine repleamur, omnem ignaviam ac negligentiam detestantes. Nec ideo nos arbitremur securos, quia religionem sumus ingressi; imo præ ceteris vereamur, nisi juxta exigentiam nostræ professionis, in omni regulari observantia, in vera obedientia, in profunda humilitate, stabili patientia, sincera dilectione, et quotidiano profectu, cum grandi mentis custodia conversemur, ac Domino obsequamur : præsertim quum sanctis Patribus protestantibus, multo deteriores efficiamur in cœnobio D quam eramus in sæculo, nisi nostras quotidie resecemus passiones, frangamusque proprias voluntates, quia nec aliter nostræ satisfacimus professioni, hoc est voto solenni. Unde non proficere in gratia et virtute, periculosissimum nobis est.

Denique valde metuendum est omni religioso, quod sancti doctores Hieronymus et Augustinus loquuntur esse vix aliquam congregationem tam electam et sanctam, in qua non aliquis reprobus sit admixtus. Propterea dixit S. Bernardus : Si casus non defuit in regno majestatis, neque in paradiso voluptatis, nec in collegio unitatis, videlicet Christi, quis erit securus in loco isto horroris ac vastæ solitudinis ? Si navigaremus per aquam, aut ambularemus per campum, ubi pauci naufragium aut latrones evaderent, quantum formidaremus propter corporalem brevemque mortem ? Quum ergo per sæculum hoc nequam, tanquam per procellosissimum mare ac periculosissimum iter infernalibus plenum latronibus, in quo pauci æternam effugiunt damnationem, gradiamur ad patriam, mirum quod non vehementissime formidamus. Metuat igitur quilibet in congregatione aut monasterio constitutus, ne forte ipse sit reprobus ille qui ceteris ad probationem, ut alter Cain, est mixtus. O quam vere miserrimus est, qui inter electos Dei servos quotidie conversatur, cantat, surgit, manducat, laborat, et tamen ab eis est æternaliter separandus in præmio, atque æterno tradendus supplicio !

Præterea, si rex et judex terrenus urbem ingressus, mox intonaret se judicium velle exercere in ea, et paucos civium evasuros manum ipsius seu mortem, quantus horror invaderet cives ? Quum ergo Judex altissimus, Deus verus, prædixerit se judicaturum omne genus humanum, et non nisi paucos esse salvandos, ceteros æternaliter condemnandos, heu ! quare negligimus ? cur unquam torpore, negligentia, levitate resolvimur ?

Insuper tanta res est fides christiana, tanta calamitas quam impiis comminatur, tanta beatitudo quam justis pollicetur, quod licet sciremus de omni genere hominum non nisi unum esse salvandum, merito unusquisque totis viribus niteretur per opera virtuosa ut ipse ille unus exsisteret. Conformiter si sciremus universos A esse salvandos uno excepto, merito quilibet omni posse conaretur Deo servire ac complacere, ne forte ipse esset unus ille damnandus, quum indubitanter credamus post hanc momentaneam vitam esse nos tribunali Christi judicis præsentandos, atque æternam felicitatem aut sempiternam damnationem recepturos ab ipso.

Propterea simus jugiter timorati, semper solliciti, incessabiliter custoditi, nec aliquod temporis momentum infructuose pertranseamus ; sed orando, meditando, *Mich.* VI, 8.
B psallendo, contemplando, studendo, scribendo, aut aliud quidpiam utile, præsertim quod a præsidente injungitur, faciendo, omni hora salubriter occupemur. Parva peccata quasi mortalia declinemus, et pro quotidianis culpis satisfacere non tardemus, flendo, orando, pectus tundendo, cordialiter pœnitendo ; nec ea relinquamus inulta. In correptionibus et correctionibus, sicut in omnibus divitiis, gloriemur. Nil æstimemus tam nocivum, tam stolidum, ut inutilem temporis deductionem.

C Præterea caveamus ne incomprehensibilia Dei judicia discutere quis præsumat, et de prædestinatione ac reprobatione seu præscientia indecenter meditari aut loqui apponat : ut, cur tam paucos elegit Deus, quare non præordinavit omnes homines ad salutem, cur eos quos scit damnandos producit, quare unum prædestinavit magis quam alium. Præsumptionis et temeritatis est talia perscrutari, et imperscrutabilia atque incomprehensibilia investigare ac comprehendere velle. Idcirco de talibus
D non nisi reverenter ac timorate, cum omni humilitate et condecentia cogitemus sive loquamur : quia ut ait Climacus, veri et humilis timoratique monachi, cujus est peccata sua lugere, non est de prædestinatione et præscientia loqui ac perscrutari. Idcirco quæ Deus nobis præcepit, et quæ requirit a nobis, hæc jugiter cogitemus ; et ne de reproborum simus numero vereamur, atque per opera bona certam facere II *Petr.* I,
nostram vocationem conemur. Ad laudem 10.
et gloriam Dei excelsi ac metuendi. Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

LIBENTER SUFFERTIS INSIPIENTES, QUUM SITIS IPSI SAPIENTES, ETC. II Cor. XI, 19-33; XII, 1-9.

APOSTOLUS, in præsenti epistola, suo A nos roborat et confortat exemplo ad patientissimam adversitatum tolerantiam, ad fervidam quoque operum exsecutionem bonorum, describendo quanta pro veritate evangelicæ prædicationis pertulerit, quanta pro communi Ecclesiæ bono conatus sit, ne in laboribus pœnitentiæ deficiamus. Itaque scribens Corinthiis, ait :

Libenter suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes. Locus iste dupliciter potest intelligi. Primo sic : « Libenter », id est caritative et prompte propter Deum, B absque murmuratione ac ultione, « suffertis insipientes », id est homines vitiosos, improbos et indoctos, importunitatem atque injuriam talium æquanimiter sus-
Ps. XXXVIII, 2. tinendo, juxta illud in Psalmo : Posui ori meo custodiam, quum consisteret peccator adversum me. Hinc in Proverbiis ha-
Prov. XXVI, 4. betur : Non respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis; in
Eccli. VIII, 4, 5. Ecclesiastico quoque : Non litiges cum homine linguato, nec communices homini indocto. « Quum sitis ipsi sapientes », id C est virtutibus eruditi, et sapida divinorum notitia decorati, ac dono sapientiæ clari : per quæ omnia ratio vestra passionibus dominatur ac vitiis. Soli etenim sapientes superant passiones, quia in eis sensualitatem regit domatque ratio. Propter quod
Sap. VII, 30. scriptum est : Sapientia vincit malitiam. Quod non est intelligendum de informi ac nuda divinorum notitia, sed de formata ac sapida eorum scientia. Hoc ergo ad veram sapientiam pertinet, ut insipientes tolerentur dum convenienter corrigi nequeunt, nisi eorum perversitas noceat bono communi, aut propter excessum intolerabilis fiat : et tunc zelo caritatis atque justitiæ sunt frenandi. Denique patientia ad sapientem specialiter pertinet, quum Salomon dicat : Doctrina viri per patientiam *Prov.* XIX, 11.
noscitur. Et rursus in Proverbiis legitur : Qui patiens est, multa gubernatur pruden- *Ibid.* XIV, 29.
tia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Non ergo aliorum insipientia aut improbitate vincamur, quum scriptum sit : Noli vinci a malo, sed vince in bono *Rom.* XII, 29.
malum. Verumtamen quidam non ex caritate et humilitate, sed ex superbia, indignatione et vanitate, sufferunt insipientes : dum enim ab eis quid patiuntur, mox reputant eos stultos ac miseros, indignumque judicant ut tam vilibus se opponant, vel eos respiciant aut affentur. Hi insipientiores sunt his quos reputant insipientes. Dum ergo ab aliquibus injurias patimur, proprios attendamus defectus, et majoribus adversitatibus fateamur nos dignos; et eos a quibus patimur æstimemus quasi ministros divinæ justitiæ circa nos pro nostra purgatione.

Sustinetis enim libenter pro Christi amore præmioque futuro, *si quis vos in servitutem redigit,* id est, suo dominio subjicit : sicut in primitiva Ecclesia perfidi redegerunt frequenter fideles in ser-

vos atque ancillas. Sustinetis etiam *si quis devorat,* id est, bona vestra consumit. Unde Hebræis scribens Apostolus : Rapinam (inquit) bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Et apud Lucam loquitur Christus : Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Alibi quoque ait Apostolus : Quare non magis fraudem patimini? *Si quis accipit,* id est, vestra tollit, aut vos ipsos captivat; *si quis extollitur,* id est, superbe contra vos loquitur; *si quis in faciem vos cædit :* impletis enim quod ait Salvator, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram. *Secundum ignobilitatem dico* vos hæc tolerare, id est, omnia ista patimini tanquam ignobiliores injuriatoribus vestris, qui vos tanquam viles despiciunt; vel, quia vos ipsi reputatis vos peccatores et tribulationibus dignos, atque pro vestris peccatis, libenter hoc toleratis.

Hebr. x, 34. Luc. vi, 30. I Cor. vi, 7. Matth. v, 39.

Quamvis præterea expositio ista sit bona, sumendo hæc verba Apostoli secundum se, tamen considerando ea secundum connexionem ad præcedentia atque sequentia, et juxta intentionem Apostoli, aliter, magisque litteraliter, exponuntur hoc modo : « Libenter suffertis insipientes », id est pseudoapostolos, quorum verba et facta suffertis per consensum, « quum sitis ipsi sapientes ». Ironice loquitur, quasi dicat : Non vere sapienter, sed insipienter in hoc facitis, quum sit contra animarum vestrarum salutem. « Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit », id est, a pseudoapostolis permittitis vos a libertate et caritate evangelicæ legis in observantias legis Mosaicæ duci, putantes legalia simul cum Evangelio oportere servari, ut prædicant pseudoapostoli. Sustinetis etiam « si quis » illorum pseudoapostolorum « devorat », id est, bona vestra delicate consumit, « si quis accipit » vestra : sicut de Pharisæis loquitur Christus, quod devorabant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis; « si quis » illorum pseudoapostolorum « extollitur » de carnis nobilitate, jactans se natum de semine Abrahæ, circumcisumque esse, vos autem fuisse idololatras, et esse incircumcisos. « Secundum ignobilitatem dico », id est, hæc sustinetis quasi illis pseudoapostolis ignobiliores, quia ex gentilibus nati, *quasi nos* veri Apostoli, *infirmi fuerimus in hac parte,* id est ignobiliores inferioresque illis pseudoapostolis : quod tamen ita non est. Ideo subdit Apostolus :

Marc. xii, 40; Luc. xx, 47.

In quo quis audet, id est, in quo aliquis illorum pseudoapostolorum se laudare præsumit, *in insipientia dico, audeo et ego.* Quod ait, In insipientia dico, referri potest ad verbum præcedens; et est sensus, quod insipientiæ seu temeritatis illorum fuit, quod se ita laudare audebant. Potius tamen referendum videtur ad id quod ait, Audeo et ego, ut sit sensus : « in insipientia », scilicet apparenti, « dico », quia ad insipientiam pertinere videtur quod laudo me ipsum; « audeo et ego » me commendare. Verumtamen non veræ fuit insipientiæ, quod Apostolus se laudavit, quoniam non ex vanitate, sed caritate, non ob propriam laudem, sed Dei honorem, Evangelii defensionem, proximorum ædificationem, hoc egit, et ut pseudoapostolos illos reprimeret. Itaque « audeo et ego » me commendare recta intentione.

Hebræi sunt pseudoapostoli illi. Aliqui enim ex Judaismo baptizati, et suo modo conversi, asserebant legem Moysis simul cum lege Christi oportere servari : cujus oppositum docuit Paulus. Itaque « Hebræi sunt » lingua et natione, *et ego* Hebræus sum. Dicuntur autem Judæi Hebræi ab Heber, qui descendit de semine Noe per Sem primogenitum ejus. Lingua quoque Hebræa omnium idiomatum prima est ac nobilissima : qua in paradiso usi sunt Adam et Eva; qua etiam totum genus humanum usque ad diluvium, et postea quousque in constructione turris Babel divisæ sunt linguæ, utebatur. Post linguarum divisionem permansit in familia seu progenie Heber. Unde quod aliqui putaverunt Judæos dictos Hebræos ab Abraham, quasi Abrahæos, stare non valet, præsertim quia in Genesi etiam ipse Abraham vocatur He-

Gen. x, 21. Ibid. xi, 1, 9. Ibid. xiv, 13.

bræus. *Israelitæ sunt,* id est de semine Jacob, alio nomine Israel nuncupati, *et ego* Israelita sum. *Semen Abrahæ sunt,* id est carnales (non spirituales) filii Abrahæ, *et ego* sum filius Abrahæ, non solum carnis propagine, sed et virtutum imitatione.

Gen. xxv, 24; xxxii, 28.

Ministri Christi sunt, secundum apparentiam et verborum tenorem, non vere; *et ego* sum verus Christi minister. *Ut minus sapiens,* id est per modum insipientioris, *dico, plus ego,* id est, excellentius sum servus Christi quam illi. Et tamen ad insipientiam videtur spectare, ita se commendare, secundum illud Proverbiorum : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.

Prov. xxvii, 2.

Sum ergo Christi minister plus illis : *in laboribus plurimis,* quia pro Christo et communi bono Ecclesiæ, omniumque salute, plus pseudoapostolis laboravi, imo et plus veris Apostolis, juxta illud : Plus omnibus laboravi; *in carceribus abundantius,* quia præ illis durius atque frequentius fui incarceratus propter Evangelii prædicationem; *in plagis,* id est vulneribus flagellorum, *supra modum* consuetum et ultra mensuram aliorum; *in mortibus frequenter,* id est mortis periculis, seu amarissimis pœnis morti similibus. *A Judæis* infidelibus *quinquies quadragenas* percussiones seu plagas, *una minus,* id est uno ictu excepto, *accepi,* videlicet triginta novem. Præceperat quippe Deus in Deuteronomio, ut si quis aliquid dignum plagis committeret, prosterneretur, et coram adstantibus flagellaretur secundum exigentiam culpæ seu mensuram delicti : sic tamen ut quadragenarium non excederet illa percussio numerum, ne fœde laceratus frater ante adstantes jaceret. Ne ergo Judæi viderentur crudeles in Pauli flagellatione, unum ictum ab illo numero subtraxerunt. *Ter virgis cæsus sum* publice a gentilibus : prout in Actibus partim describitur; *semel lapidatus sum :* juxta illud Actuum, Lapidantes Judæi Paulum, traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse; *ter naufragium feci,* id est passus sum : de uno naufragio scriptum est in Actibus; *nocte et die in profundo maris fui,* id est in mari profundo, ad diversas regiones navigando gratia prædicationis; vel, « in profundo maris », id est, sub aquis maris quasi submersus, sed Deo auxiliante evasi, sicut et Jonas propheta.

I Cor. xv, 10.
Deut. xxv, 2. 3.
Act. xvi, 22.
Ibid. xiv, 18.
Act. xxvii.
Jonæ ii.

In itineribus sæpe fui, in quibus insidias passus sum; *periculis fluminum, periculis latronum,* id est, pericula mortis sustinui in fluminibus et a latronibus; *periculis ex genere, periculis ex gentibus,* id est, in periculis fui quæ a Judæis (ex quibus sum oriundus) mihi illata sunt, et ex gentilibus; *periculis* mihi illatis *in civitate,* id est in civitatibus multis; *periculis* ante illatis vel imminentibus *in solitudine* a bestiis eremi; *periculis in mari,* mihi illatis aut imminentibus mihi a piratis, et non solum ab aquis, ut dixi; *periculis in falsis fratribus,* id est simulatis callidisque fidelibus, puta hæreticis, hypocritis et dolosis. De quibus in Jeremia habetur : Sagitta vulnerans est lingua eorum; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Nulla autem pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus.

Jer. ix, 8.

Insuper fui plus ceteris Christi minister : *in labore,* id est de proprio labore vivendo (juxta illud ad Thessalonicenses, Die ac nocte laborantes, ne quem vestrum gravaremus), *et ærumna,* id est lassitudine, inopia seu languore; *in vigiliis multis,* quia ultra humanam virtutem vigilavit Apostolus, nunc manibus laborando, nunc docendo, nunc prædicando, nunc orando et contemplando, nunc ambulando : unde in Actibus Apostolorum habetur, quod protraxit sermonem ultra mediam noctem; *in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore :* omnia enim mala ista pœnalia sæpe et copiose, imo et devotissime passus est; *et nuditate :* non quod omnino nudus incesserit, nisi forsitan spoliatus, sed quia insufficienter et pauperrime fuit vestitus.

I Thess. ii, 9; *II Thess.* iii, 8.
Act. xx, 7.

Hæc igitur passus sum, *præter*, id est ultra, *illa quæ extrinsecus sunt*, id est, ex parte aliorum me cruciant, *instantia mea quotidiana*, id est, quæ quotidie mihi occurrunt et instant, videlicet *sollicitudo omnium Ecclesiarum*, id est cura et diligentia pro salute quarumlibet particularium Ecclesiarum. Quamvis enim solus beatissimus Petrus præfuit universali Ecclesiæ, *Matth.* xvi, 18, 19. Paulus tamen ex nimia caritate pro cunctis Ecclesiis fuit sollicitus. *Quis infirmatur*, id est, in fide aut moribus nutat, *et ego non infirmor* per compassionem, sicut perfecta requirit dilectio? Quasi dicat, Nullus. *Quis scandalizatur*, id est, ad ruinam peccati inducitur ex inordinato verbo vel facto alterius, *et ego non uror*, id est, flamma caritatis fraternæ non accendor in compassione illius, et cupiendo reparationem ipsius, imo et scandalizantis? Quasi dicat, Nullus. Non est tamen intelligendum, quod Apostolus singulis infirmantibus et scandalizatis potuerit taliter compati, quia nec omnes determinate cognovit; sed omnibus quorum infirmitas et ruina sibi constabat, condoluit, et universis talibus in communi.

Si gloriari oportet, id est, quia in Domino gloriari me expedit de beneficiis mihi collatis ad reprimendum vanam gloriam pseudoapostolorum, et ad vestram informationem, ne mihi illos præferatis, sicque credendo illis fallamini; *quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*, id est de his quæ mihi conveniunt ex parte passibilitatis humilitatisque meæ, videlicet de tribulationibus atque laboribus quos pro Christo sustinui, non de nobilitate prosapiæ et similibus, de quibus pseudoapostoli gloriabantur.

Deinde prosequitur quamdam specialem quam passus est persecutionem; et cum juramento hoc asserit, ut certius ei credatur. Juramentum namque rationabiliter factum et debite circumstantionatum, est licitum, imo et actus virtutis quæ latria nuncupatur: qui enim sic jurat, Deo reverentiam exhibet, quoniam supponit eum A immobiliter esse veracem et omnium rerum agnitionem habentem. *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi*, id est Pater æternus, qui est Deus Christi secundum ejus humanitatem, et Pater ipsius secundum divinam naturam (unde post resurrectionem Christus asseruit: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum), *Joann.* xx, 17. *scit*, quem nil latet, *qui est benedictus in sæcula*, id est in sempiternum laudatus et laudandus, ac sanctus, omnique bono nomine ad perfe- B ctionem simpliciter pertinente exprimendus, *quod non mentior* in dictis ac dicendis. *Damasci præpositus*, id est præpositus civitatis Damascenæ, *gentis Aretæ regis*, quia Damascus fuit civitas gentis subjectæ Aretæ regi, sub quo iste præpositus præsidebat Damasco, *custodiebat civitatem Damascenorum*, id est, propter preces et munera Judæorum, per suos satellites fecit portas Damasci custodiri, *Act.* ix, 24, 25. *ut me comprehenderet*, id est captivaret atque occideret; *et per fenestram* domus muro adhæ- C rentis, *in sporta dimissus sum* a discipulis, *per murum, et sic effugi manus ejus*. Non ideo Paulus fugit, quia pro fide timuit mori; sed Spiritus Sanctus inspiravit ei voluntatem fugiendi, quia multa bona per eum restabant agenda. Sic Michol dimisit David, et Rahab nuntios Josue. *I Reg.* xix, 11, 12. *Josue* ii, 15.

Nec istud fuit contra spem in Deo habendam, quia non est contemnendum humanum auxilium, dum ordinate potest haberi. Debet etenim homo facere quod in se est. Nec ad solum divinum est confu- D giendum auxilium, quamdiu homo habet quod agat: imo hoc esset Deum tentare. Et si aliqui Sancti oppositum fecisse leguntur, adscribendum est hoc occulto instinctui Spiritus Sancti. Hinc piissimus rex Ezechias videns se regi Assyriorum non posse resistere, totum se dedit ad rogandum Dominum, toto corde sperans in ejus auxilio. *IV Reg.* xix, 14-19. *II Par.* xxxii, 2-8. Nihilo minus fecit quod sibi humana potestate atque industria fuit possibile, fontes obstruendo et machinas faciendo, ut legitur quarto Regum. Unde

II *Cor.* XII, 2. Deus, qui Paulum usque ad tertium cœlum rapuit, poterat eum aliter ab illo liberare præposito, quam per fenestram et sportam; sed sic eum eripuit, ut instruamur non deserere humana præsidia, nec sine necessitate ad solum Dei convolare auxilium.

Porro prætactam persecutionem in Damasco passus est Paulus, statim post suam
Act. IX, 23-25. conversionem, ut in Actibus habetur, et statim dicetur.

Consequenter ostendit Apostolus excellentiam suam supra pseudoapostolos, non ob propriam laudem aut commoditatem, sed ne Corinthii de ipso male sentiendo, a pseudoapostolis deciperentur. Postquam ergo descripsit Apostolus quanta perpessus est et quantum laboravit, nunc pandit, quanta gratiarum charismata, et quanta contemplationis excellentia sibi sit præstita. *Si,* pro quia, *gloriari oportet* me in donis mihi concessis, *non expedit quidem,* id est, prima facie et secundum legem communem ac apparentiam, non est commendabile neque expediens se ipsum laudando gloriari, tamen propter rationabilem causam laudabiliter fieri potest. Unde et sanctus David primo Paralipomenon ait
I *Par.* XVII, 17. ad Dominum : Fecisti me spectabilem præ cunctis hominibus. Ezechias quoque rex sanctus non mediocriter commendavit se ipsum coram infallibili Deo judice, di-
IV *Reg.* XX, 3. cens : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto. David quippe id egit gratias referendo, Ezechias misericordiam provocando, seque ad orationis fiduciam animando. Et quia interdum sic expedit, subdit Apostolus : *Veniam autem,* hoc est, recitando seu describendo accedam, *ad visiones et revelationes Domini,* id est factas mihi a Deo, hoc est ad divina secreta quæ ostensa et revelata sunt mihi.

Deinceps, visio et revelatio frequenter
Is. I, 1. pro eodem sumuntur, ut in Isaia : Visio quam vidit Isaias super Judam et Jerusa-
Ezech. I, 1. lem; in Ezechiele quoque : Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei. Interdum vero
A distinguuntur : ut visio appelletur, dum aliqua repræsentantur sive cernuntur visione corporali aut imaginaria, quorum significatio ignoratur : quemadmodum Pharao *Gen.* XLI;
vidit boves et spicas, et Nabuchodono- *Dan.* II, IV, V.
sor statuam arboremque pulcherrimam, ac Balthasar manum scribentis atque scripturam; sed quid illa designaverint, ignorabant, donec per Joseph et Danielem divinitus illustratos, eis expositum est. Porro revelatio nuncupatur, quando significatio visionis manifestatur. Unde, quum in re-
B velatione sint duo, videlicet signum et signatum, visio refertur ad signum, revelatio ad signatum. Hinc visio et revelatio sic sumptæ, aliquando separantur, sicut in Pharaone qui habuit visionem, et Jo- *Gen.* XLI.
seph qui habuit revelationem, quoniam Deo illuminante per angelum, cognovit quid visio Pharaonis significavit. Interdum sunt simul, quemadmodum in Prophetis communiter. Non enim Propheta vocatur, nisi visionis significationem intelligat. Intellectus equidem significationis in pro-
C phetica visione est principale, quemadmo-
dum in Daniele scribitur : Intelligentia est *Dan.* X, 1.
opus in visione.

Scio hominem in Christo, utpote me ipsum, qui per fidem et caritatem Christo conjunctus sum. Est autem consuetudo Sanctorum, dum magnum quid de se ipsis scribunt aut recitant, non exprimere nec demonstrare se ipsos, sed loqui de se quasi de alio. Scio itaque hominem *ante annos quatuordecim,* evolutos a tempore revelationis jam describendæ usque ad horam
D narrationis istius. Creditur quippe, quod raptus Pauli fuit statim in ejus conversio-
ne, quando triduo erat cæcus, non man- *Act.* IX, 8, 9.
ducans nec bibens, ut legitur in Actibus. *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio:* hoc est, an homo iste tempore hujus revelationis et raptus, fuerit corporaliter vivens, anima scilicet ejus in suo corpore exsistente per suam essentiam, an ejus anima fuerit a corpore suo realiter separata, substantialiterque in cœlum tertium sublevata, ac denuo corpori juncta, visione

cessante, hoc nescio. *Deus scit* qualiter A fuit; vel, « Deus scit » quod vere dico me istud nescire. Sciebat autem corpus suum in illo raptu mansisse in terra, sed de anima sua fuit ambiguus an fuerit in cœlo solum per contemplationem, ratione objecti et termini sui raptus (prout ait alibi *Philipp.* III, 20. idem Apostolus : Nostra conversatio in cœlis est), an per essentiam, tanquam a corpore separata. Scio, inquam, *raptum hujusmodi* supernaturaliter per contemplationem altissimam, *usque ad tertium cœlum,* id est cœlum igneum sive empy- B reum : quod est cœlum supremum, primum et maximum, lucidissimum atque purissimum, locusque Beatorum, visibilia et invisibilia continens, quod nunquam movetur. Et dicitur tertium cœlum, respectu cœli siderei, quod dicitur firmamentum et sphæra octava, ac cœli crystallini seu aquei, quod secundum philosophos dicitur nona sphæra.

Præterea quidam exponunt tres cœlos spiritualiter, juxta gradum et speciem triplicis visionis : ut per primum cœlum C intelligatur visio corporalis divinitus facta, qua unus videt quod alius adstans videre non valet, quemadmodum Balthasar *Dan.* V, 5. vidit articulos manus in pariete scribentis, ut in Daniele legitur : quæ visio dicitur cœlum, quia in ea uni celatur quod alteri manifestatur. Secundum vero cœlum dicitur visio imaginaria, quando in somno vel ecstasi videntur imagines corporales, non corpora : quemadmodum princeps Apostolorum sacratissimus Petrus *Act.* X, 10, 11. vigilando vidit in ecstasi, seu aliena- D tione et abstractione ab exterioribus sensibus, vas quoddam descendens de cœlo, ut scribitur in Actibus, et Pharao dormiens *Gen.* XLI, 1 et seq. vidit boves, ut legitur in Genesi. Tertium autem cœlum dicitur visio pure intellectualis, qua nec corporea, nec corporis similitudo conspicitur, sed in anagogica divinorum contemplatione mens supernaturaliter levatur. Sicque Paulus in raptu hoc vidit Deum : vidit namque divinam essentiam clare et immediate, seu facie ad faciem, puta per speciem, sicut Beati in patria, ut in libro de Videndo Deum ad Paulinam asserit Augustinus. Idcirco certissimum est, quod Paulus pro tunc non vixit ut homo, hoc est vita sensitiva, naturali, humana, quum ad Moysen Dominus contestetur : Non videbit me homo et vivet. *Exod.* XXXIII, 20. Nam et dato quod anima ejus mansit in corpore (quod doctoribus magis videtur, aliter enim defunctus fuisset), tamen suspensa atque abstracta fuit ab omni exteriorum interiorumque sensuum actione.

Insuper quidam per primum cœlum intelligunt infimam hierarchiam angelicam; per secundum, mediam; per tertium, supremam: dicentes Apostolum raptum usque ad tertium cœlum, id est usque ad æqualitatem cognitionis angelorum hierarchiæ supremæ.

Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit), quoniam raptus est in paradisum, id est in præfatum tertium cœlum sive corporale sive spirituale : quod dicitur paradisus, ratione dulcedinis et tranquillitatis quæ ibi sentitur. De quo paradiso scriptum est in Apocalypsi : Vincenti dabo edere *Apoc.* II, 7. de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. De paradiso quoque spiritualiter sumpto dixit Christus pœnitenti latroni : Hodie *Luc.* XXIII, 43. mecum eris in paradiso. Verumtamen, ut aliqui opinantur, Apostolus nunc loquitur de paradiso terrestri, dicentes bis raptum fuisse Apostolum, semel in tertium cœlum, et semel in paradisum, quando videlicet ingressus est templum ; de quo raptu in Actibus fatetur : Factum est, re- *Act.* XXII, 17. vertente me in Jerusalem, et orante in templo, fieri me in excessu mentis. Et isti sequuntur Ambrosium. Quorum positionem reprobat quidam per hoc, quod visio Liranus ista secunda facta fuit diu post conscriptionem ac missionem præsentis epistolæ, instante videlicet captivatione ac ductione Apostoli ad Cæsarem ; hanc vero epistolam jam antea scripserat a Troade, ut in hujus epistolæ prologo testatur Hieronymus. Sed reprobatio ista non valet. Nam

quamvis secundam hanc visionem recitet Apostolus in Actibus, ubi describitur ejus captivitas ex qua Romam delatus est, intuenti tamen diligenter textum præallegati capituli constat, quod Apostolus visionem istam habuerit statim post primam, quan-
Act. xxii, 17. do videlicet a Damasco reversus, ingressus est templum, ut in Actibus habetur. Quomodocumque autem dicatur, sequentia verba sunt vera, et magis conveniunt raptui ejus in tertium cœlum.

Et audivit arcana verba, id est, Deo in anima ejus loquente per illuminationem internam, percepit ac novit quædam secreta de Deo, de divina essentia, de superbeatissima Trinitate, de prædestinatione æterna, de Verbi incarnatione atque mysteriis, de angelorum ordinibus, et aliis multis, quorum cognitio omnem naturalem transcendit notitiam. Deinceps, cessante hoc raptu ad intellectum spectante, manserunt in mente Pauli quædam similitudines, per quas memor fuit eorum quæ vidit in raptu. Nec opus est dicere, quod omnium quæ vidit in raptu manserit me-
Sap. ix, 15. mor, quoniam quidem corpus corruptibile aggravat animam; sed tanta mansit in eo illorum memoria, quanta sibi necessaria fuit ad instructionem Ecclesiæ, seu profectum animæ suæ. *Quæ non licet homini loqui,* id est manifestari, quia homines non exstant capaces aut digni, nisi forsitan tales essent ut Paulus, ut potius dici possent dii quam homines. Unde Tobiæ
Tob. xii, 7. Raphael ait : Sacramentum regis abscon-
Is. xxiv, 16. dere bonum est; et Isaias disseruit : Secretum meum mihi. Quibusdam tamen divinis atque sanctissimis viris, præsertim Dionysio, creditur Paulus multa de illis revelasse arcanis.

Præterea quæritur, quum elevatio contemplativa mentis humanæ ad Deum sit convenientissima ei, imo et beatitudo ipsius, cur raptus vocatur, quum raptus violentiam sonet. Et respondendum, quod raptus proprie violentiam quamdam designat. Sed violentia potest dupliciter fieri : uno modo, quantum ad terminum motus, ut si lapis projiciatur sursum; alio modo, quantum ad modum motus, ut si saxum cum impetu jactetur deorsum. Quamvis autem animæ rationali connaturale sit per contemplationem ferri in Deum, tamen secundum statum vitæ præsentis hoc sibi non competit, nisi per sensitivam cognitionem seu naturalis luminis vires : ideo, quando elevatur ad Deum per supernaturalem illustrationem atque a sensibilibus abstractionem, est ibi velut violentia quædam quantum ad modum agendi.

Pro hujusmodi gloriabor, id est, talibus ac tantis beneficiis mihi desuper impertitis gaudebo in Domino, grates agendo; *pro me autem,* id est de me ipso, *nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis,* id est persecutionibus, miseriis atque languoribus quos pro Christo et propter ejus amorem libenter sustineo : de quibus in Domino glorior, juxta illud Psalmi, Lætati *Ps.* lxxxix, 15.
sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. *Nam et si voluero gloriari* ordinate in Deo, *non ero insipiens,* secundum veritatem, quamvis quidam aliter judicent; *veritatem enim dicam,* in commemoratione beneficiorum quæ Deus contulit mihi, et malorum quæ passus sum. *Parco autem,* hoc est, dona mihi concessa sobrie humiliterque describo, non omnia pandens, *ne quis me existimet supra id quod videt in me,* id est, ne quis me arbitretur altioris naturæ aut majoris perfectionis quam sum, utpote angelum incarnatum, aut impassibilem, immortalem, *aut audit* ab aliis *aliquid ex me,* id est de me.

Deinde ostendit Apostolus datum sibi a Deo esse remedium contra superbiam. Magna etenim et specialia dona alicui præstita, solent esse elationis et vanæ gloriationis occasio, quia ad excellentiam pertinent. *Et ne magnitudo revelationum* divinarum *extollat me* occasionaliter, id est, ad superbiendum inducat me, *datus est mihi* a Deo effective seu permissive *stimulus carnis meæ.* Per hunc stimulum quidam intelligunt corporalem infirmita-

tem, ac pœnam quamdam punctivam, videlicet dolorem laterum, aut iliacam passionem, aut simile aliquid. Corporis vero infirmitas, mentis humilitatem conservat, quia per eam inducitur homo ad propriæ fragilitatis ac defectuositatis considerationem. Per eam quoque homo gratiam promeretur; et Deus singulariter pronus est misereri ac subvenire infirmis. Subditur autem : *angelus Satanæ,* id est dæmon, a principe suo apostata missus ad affligendum me sicut afflixit beatum Job. (*Job* I, 13-19; II, 7.) Ideo subditur, *qui me colaphizet,* id est, ictibus (B) seu punctionibus infirmitatis fatiget : non quod stimulus iste fuerit realiter angelus Satanæ, sed quia inferebatur et concitabatur ab eo. Alii per stimulum carnis intelligunt tentationes libidinis seu concupiscentiæ, qua gravius infestatum dicunt Apostolum post raptum quam ante. Et ne stimulatio ista fuisse putetur a causa interiori, hoc est a carne, adjecit : « angelus Satanæ », qui stimulum in Apostolo concitavit, « qui me colaphizet », id est, confusibiliter tractet. (C) Talis autem tentatio maxime reprimit motum spiritualis superbiæ, quoniam facit hominem experimentaliter scire propriæ conditionis fragilitatem, ac miserabilem inclinationem ac pronitatem in malum. Tentatio autem cui non consentitur, non est peccatum, sed exercendæ virtutis materia. Quod tamen intelligendum est de tentatione ab exteriori, videlicet illa quæ fit a diabolo, non a carne : quæ enim a carne est, peccatum dicitur veniale, quamvis ei negetur consensus. (D) Verumtamen, secundum doctores, motus primo primi, qui sunt ex causa pure naturali nullatenus voluntaria, nullo modo habent rationem peccati.

Propter quod, id est ob stimuli hujus inquietudinem atque molestiam, *ter rogavi Dominum ut discederet a me* tribulatio stimuli hujus, quæ magis videbatur obesse quam prodesse. *Et dixit mihi,* per inspirationem internam, sive per angelum : *Sufficit tibi gratia mea,* id est, gratiosa adsistentia qua te protego et conforto (A) contra stimulum istum, hoc est excellentia spiritualis perfectionis quam tibi largitus sum, satis efficax est ut per eam omni tentationi prævaleas, et infirmitatem quamcumque æquanimiter feras. *Nam virtus,* id est actus vel habitus virtutis, *in infirmitate perficitur* dupliciter : primo, materialiter, prout infirmitas est materia exercendæ virtutis, utpote patientiæ et humilitatis; secundo, occasionaliter, quoniam propriæ infirmitatis cognitio experimentalis, efficit hominem contra vitia cautiorem, et ad divinæ misericordiæ implorationem magis diligentem ac humilem. Vel sic, « virtus in infirmitate perficitur », id est per infirmitatem, quoniam contra eam pugnando ac prævalendo augetur virtus ac roboratur, juxta illud Jacobi : Probatio fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. (*Jacob.* I, 3, 4.) Præterea, quum dicat Salvator, Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joann.* XV, 16; XVI, 23.): constat Apostolum istud non petiisse in nomine Jesu, hoc est secundum rationem veræ salutis. Homo quippe comparatur ad Deum ut ægrotus ad medicum. Quemadmodum ergo pius ac sapiens medicus non semper exaudit precem ægroti ad votum, quamvis exaudiat eum ad commodum suum : sic Deus non semper exaudit electos et sanctos in mundo hoc ad votum ipsorum, quia quod postulant, non simpliciter expedit eis; exaudit tamen eos quantum ad aliquid melius. Verumtamen non peccavit Apostolus istud petendo, quoniam ignoravit quid in hac re amplius Deo placeret.

Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, id est de hoc quod tribulationes istas sustineo. Hoc enim ad perfectam obedientiam ac patientiam pertinet : quæ delectabiliter operatur, Jacobo protestante, Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. (*Jacob.* I, 2.) *Ut inhabitet in me virtus Christi,* id est, gratia Dei per tribulationem istam custodiatur ac perficiatur in me. Christus namque affirmat : In patientia vestra possidebitis animas vestras, (*Luc.* XXI, 19.) id est, rationis imperio sub-

ditas habebitis eas, ita quod perseverabunt A in gratia et perficientur virtutibus, nec vitiis superabuntur. Idcirco Salomon loquitur : Melior est patiens viro forti; et Prov. xvi, qui dominatur animo suo, expugnatore ur- 32. bium.

SERMO PRIMUS

DE PATIENTIA IN ADVERSIS AMORE COELESTIS REMUNERATIONIS SERVANDA.

QUIS *scandalizatur, et ego non uror?* B II Cor. xi, 29.

Merito ista epistola in dominica Sexagesimæ legitur, quia per Sexagesimam vita nostra in hoc sæculo designatur. Vita autem electorum sive Ecclesiæ in hoc mundo tribulationibus plena est. Idcirco nunc ista epistola legitur, in qua multiplices beati Apostoli tribulationes scribuntur, ut sancti exemplo Apostoli ad patientiam animemur, in adversitatibus consolemur, atque ad sempiternam beatitudinem, quæ II Cor. xii, 4. Paulo in raptu monstrata est, adspiremus. C

Ecce, carissimi, sapienter ac profunde pensemus, sanctus iste Apostolus, vas electionis, et præelectus ardentissimusque Dei amator, quæ, quanta et qualia pro Deo, pro justitia, pro proximorum salute sustinuit. In primis quum esset verus et gloriosus apostolus, aliud prorsus non quærens nisi Dei honorem et omnium hominum æternam salutem, tamen a pseudo et falsis doctoribus, ab hæreticis et perversis undique diffamabatur, et hominum dicebatur seductor; et ejus discipuli quos con- D verterat, taliter ab illis impiis docebantur de ipso, subtrahebanturque ei. Et de sua quidem diffamatione, quoad se ipsum non curavit Apostolus, sed potius exsultavit, sicut in aliis quoque adversis; sed in quantum diffamatio illa fuit ad subversionem discipulorum suorum, sic de ea mirabiliter doluit. Quanto enim discipulos suos cordialius diligebat, et quanto de eorum conversione vehementius lætabatur, tanto plus de eorum seductione dolebat. Ideo dixit : Quis scandalizatur, et ego non uror? II Cor. xi, 29. Hinc virtutes suas et dona gratiæ sibi collata, tam diligenter descripsit, ut discipulos suos ad viam reduceret veritatis. In primis ergo discamus exemplo Apostoli æquanimiter sustinere, si etiam mendaciter diffamemur; nec ob hoc contra diffamatores aliqua moveamur invidia. Verumtamen quoniam scriptum est, Curam habe Eccli. xli, 15. de bono nomine; et iterum, Quæ ædifi- Rom. xiv, 19. cationis sunt, in invicem custodiamus : a diffamatione hujusmodi nos purgemus ubi et quando rationabiliter possumus, in quantum diffamatio illa videtur contra Dei honorem proximorumque ædificationem, præsertim si ex ea aliqui inducantur ad peccati ruinam.

Secundo, consideremus quæ insuper fecit pertulitque Apostolus : quia ut ipsemet verissime protestatur, præ aliis plurimum I Cor. xv, 10. laboravit; sæpe et diu ac terribiliter in- Act. xvi-xxviii. carceratus et vinctus fuit, usque in ima et tenebrosissima carcerum loca dejectus, atque interdum per aliquot annos in captivitate detentus; sæpe quoque plagis repletus est, et coram magna populorum frequentia confusibiliter est nudatus, flagellatus ac vulneratus, aliaque gravissima ac pœnalissima passus supplicia, nuditates et frigora, famem, sitim, lassitudines atque insidias. Quid ergo nos peccatores vilissimi, sumus dicturi, qui post hanc vitam cum Dei electis ac Sanctis coronari et gloriari æternaliter volumus, nec tamen ipsorum vestigia saltem vel modice sequi curamus? Nullam penuriam, nullam injuriam,

nullam volumus perpeti læsionem. Et quid dico, læsionem, qui nec unum verbum irrisorium, aut detractorium, seu forefactorium volumus pati, sed mox indignamur, amaricamur, impetu iræ, furore impatientiæ agitamur, displicentiam invidentiamque concipimus et de die in diem mente miserabili ac cæcata portamus, quum tamen simus vitiis pleni, nec solum omni temporali persecutione ac pœna condigni, sed æterna quoque damnatione et infernalibus pœnis dignissimi? Ubi ergo manebimus, qui Deum justissimum toties per mortalia peccata offendimus, qui in proximos nostros tam frequenter enormiterque contra Dei præcepta peccavimus, detrahendo, irridendo, diffamando, fallendo, damnificando, cædendo, aut quovis modo lædendo?

Is. XLVI, 8. Redi ergo, o miser homo, redi ad cor; attende Deum omnium judicem justum, *Job* XXIV. 12. qui nullum malum deserit impunitum; *Hebr.* X, 31. attende quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Potius ergo elige in hac vita pro tuis excessibus ferre adversa, damna et contumelias pati, actibus pœnitentiæ fatigari, laboribus utilibus exerceri, quam post hanc brevissimam ac incertissimam vitam æternaliter condemnari, puniri, comburi, aut certe longis ac diris purgatorii pœnis torqueri: quum utique multo facilius sit multis annis affligi pœnitentiis, laboribus persecutionibusque vitæ præsentis, quam una hora cruciari purgatorii pœnis. Vitam igitur nostram in omnibus emendemus, Deo obediendo, et *Tob.* IV, 16; *Matth.* VII, 12. proximis sicut nobis ab eis fieri juste volumus, faciendo. Si quis alteri forefecit damnave intulit, pœniteat, veniam petat, tam ab illo quam a Domino Deo, et satisfaciat Deo de sui transgressione præcepti, proximo quoque de illatione injuriationis, læsionis aut damni.

Præterea ex præsenti docemur epistola, quam diligentissime vitare debeamus scandalum proximi, ut nec verbis indecentibus, nec actu illicito, nec negligentiali omissione aliquem ad Dei offensam

A ullatenus inducamus. Imo potius omnes ædificare nitamur: nec hoc solum; sed si quempiam scandalizantem aut scandalizatum viderimus, igne caritatis et compassionis uramur, et pro peccantibus caritative oremus.

Amplius ex epistola hac immensitatem divinæ misericordiæ considerare valemus, imo mirari et ardenter amare debemus, atque eidem in omnibus regratiari. Ecce enim dum Paulus adhuc esset incredulus, *Act.* IX, 1 et seq. et Christianorum atrocissimus persecutor, B acceptisque a principibus sacerdotum epistolis, proficisceretur Damascum ad investigandum Christianos ibidem, quatenus vinctos eos ad principes sacerdotum adduceret; dum (inquam) in tam vitioso proposito atque itinere esset, subito ex ineffabili pietate ei Christus apparuit, et post clementissimam increpationem gratiam conversionis infudit: imo et ultra hoc, ad præscriptum raptum supermisericordissime eum provexit. Nullus ergo desperet.

C In eodem etiam facto contemplari delectabiliter possumus liberrimam omnipotentiam omnipotentemque libertatem Dei sublimis, sancti ac sapientis. Quum enim secundum legem communem, vita activa contemplativam præcedere debeat, nec aliquis aptus dicatur ad altam contemplationem nisi sit prius in virtutibus moralibus, puta humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate et continentia, bene exercitatus, sicque per exercitium virtuosum mente purgatus; nihilo minus Chri- D stus ex privilegio seu gratia speciali, Apostolum istum, quum adhuc non mediocriter sceleratus, blasphemus et præsumptuosus exsisteret, tam gratiose prævenit, purgavit, illuminavit, accendit, ac rapuit non solum usque ad altissimam huic vitæ possibilem contemplationem, sed insuper usque ad contemplationem illam supernam, supernaturalem ac facialem, qua clare vidit per speciem Divinitatis essentiam et superbeatissimam Trinitatem. Unde quotidie Deus piissime quosdam incipientes, pu-

sillos imperfectosque prævenit, pie illustrat, dulciter consolatur, et ad contemplationis quamdam gratiam elevat, ita quod teste Bernardo, quasi genus servorum ad mensam assumitur filiorum. Per quæ omnia pusillos ad meliora accendit, invitat et trahit Deus, ut cum humilitate et diligentia fixa proficiant, nec in tentationibus et adversis deficiant.

Postremo ex præsenti valemus pensare epistola, quam magna sit nostræ fidei certitudo. Quod enim tam crudelissimus ac superbus fidelium persecutor tam subito B in fidelissimum ac ferventissimum fidei prædicatorem conversus est, quod præ ceteris pro fide tanta fecit ac pertulit, tot quoque miracula egit, evidentissimum est veritatis fidei argumentum; quod item illius prædicationibus credimus, qui Deum per speciem vidit, atque in illa deifica visione didicit quæ prædicavit.

Deinceps, sicut in præsenti epistola ad patientiam edocemur exemplo Pauli; ita A in veteri Testamento, exemplo Jeremiæ prophetæ. Qui quum in utero matris suæ (*Jer.* I, 5.) sanctificatus fuisset, et anno ætatis suæ (Cf. in *Jer.* p. 5 B'.) vicesimo vaticinari cœpisset, multas graves et quasi innumerabiles sustinuit persecutiones, irrisiones, detractiones : quia (*Jer.* XX, 2, etc.) a multis vocabatur falsus propheta; et interdum rex Joakim quærebat eum ad occidendum; atque frequenter sub Sedecia rege captus fuit, et incarceratus, vinctus; (*Ibid.* XXXII, 3, etc.) et in nervum aliquando missus est, paneque tribulationis et aqua angustiæ sustentatus; aliquando etiam in lacum carceris (*Ibid.* XXXVIII, 6 et seq.) missus, ubi usque ad ventrem descendit in cœnum; et tandem a sceleratissimis Judæis lapidum projectionibus crudelissime fuit occisus, quum jam decrepitæ et sanctissimæ fuisset ætatis.

Ecce electissimi amici et servi Dei quanta perpessi sunt, etiam absque suis demeritis, imo pro veritate et æquitate. Nos ergo eorum vestigia in præfatis saltem aliqualiter sequi conemur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM TURBA PLURIMA CONVENIRET, ETC. Luc. VIII, 4-15.

PER Sexagesimam designat Ecclesia vitam hominum in hoc mundo, quæ variis tribulationibus laboribusque atteritur, in quibus aliqui cadunt et pereunt, alii viriliter agunt inhærendo virtutibus, et salvantur. Ideo ista diversitas hominum in præsenti evangelio designatur, quia in isto evangelio Christus nos docet quomodo aliqui verbum Dei inaniter audiunt, et quod tales sunt multi, alii vero salubriter, et sunt pauci. Ait ergo Lucas evangelista :

Quum turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad Jesum. Quemadmodum in populo isto ad cœlestem confluente magistrum, magna fuit diversitas quantum ad bonitatem, ætatem, scientiam, C dispositionem, statum et gradum; ita diversis ex causis venerunt ad Jesum : quidam ut sanarentur, quidam ut alerentur, aliqui ut viderent miracula, aliqui ut informarentur, nonnulli ut insidiarentur. Imo et quidam ob plures causas jam tactas venerunt, ut scilicet instruerentur, miracula cernerent, reficerentur, et sanarentur. Inde sunt metra hæc :

Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma, fuere
Causæ cur Dominum turba secuta fuit.

D *Dixit per similitudinem,* id est, parabolico utebatur sermone. Porro parabola est rerum dissimilium sub aliqua similitudine facta comparatio.

Multæ quoque sunt causæ cur Christus in parabolis locutus est turbis. Primo, quia secundum Hieronymum, consuetudo fuit in regione illa, videlicet Palæstina, quæ secundum unam acceptionem includit Judæam, in omni sermone uti parabolis. Ideo Christus morem gessit populo illi. Secundo, ut divina secreta atque superna mysteria celarentur carnalibus et indignis, quemadmodum ipsemet Christus apud Matthæum ait : Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras projiciatis ante porcos. Sanctus quoque Dionysius primo Mysticæ theologiæ capitulo loquitur Timotheo : Vide ut nemo indoctorum hæc sciat. Hos autem (inquit) dico indoctos, qui in sensibilibus sunt detenti. Tertio, ut fidelibus detur materia atque occasio exercitii fructuosi, in addiscendo, scrutando, ac exponendo parabolica dicta, secundum illud Proverbiorum : Sapiens animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum. Quarto, ut doceamur quod proprietates Dei et perfectio, etiam in rebus inferioribus ac terrenis cunctisque creaturis aliquo modo relucent, juxta illud ad Romanos : Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt cognoscuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Nam ut divinus Dionysius protestatur : Nulla est creatura quæ divinæ bonitatis participatione sit penitus expers. Quinto, ut ex paucis plures intellectus elicerentur. Sexto, ut auditores faceret magis attentos.

Matth. VII, 6. — *Prov.* I, 6. — *Rom.* I, 20. — De Divin. nom. c. IV.

Deinde parabola subditur. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Hæc, sicut sequentia, quantum ad sensum per verba immediate significatum difficultatem non habent. Sed sensus principalis ac litteralis, in parabolicis locutionibus, non est qui per verba immediate significatur, sed qui per res verbis expressas insinuatur : ut dum in libro Judicum dicitur, Ierunt ligna ut ungerent super se regem, sensus litteralis non est de lignis, sed de hominibus designatis per ligna. Et ita exponenda sunt ista. « Exiit qui seminat », id

Judic. IX, 8.

A est, Christus seminator verbi cœlestis seu evangelicæ prædicationis in cordibus hominum, egressus est « seminare », id est ad seminandum, « semen suum », id est verbum Dei, videlicet evangelicæ legis doctrinam. Hæc est seminatio spiritualis, de qua in Osee legitur : Seminate vobis in justitia; et alibi, Beati qui seminatis super omnes aquas.

Osee X, 12. — *Is.* XXXII, 20.

Deinceps, egressus est Christus de cœlo, non cœlum relinquendo, sed humanam naturam assumendo, atque in mundo hoc B apparendo ac operando, juxta illud Psalmistæ : A summo cœlo egressio ejus; et alibi, Visitavit nos, oriens ex alto. Egressus est quoque de utero Virginis, dicente Psalmista : Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Insuper exiit de domo in publicum ad prædicandum, quemadmodum in Matthæo scriptum est : In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare, etc. Et loquitur ibi Matthæus de prædicatione Christi hac ipsa. — Verumtamen exitus etiam competit Christo secun- C dum naturam divinam, ratione generationis æternæ : siquidem eo ipso quo generatur a Patre, ab eo exire seu egredi perhibetur. Propter quod in Joanne ait : Exivi a Patre, et veni in mundum. Unde sexto de Trinitate ait Hilarius : A Patre venisse, et a Deo exiisse, non est significationis ejusdem, quum aliud sit a Deo in substantiam nativitatis exiisse, aliud a Patre in hunc mundum ad consummanda nostræ salutis sacramenta venisse : quum exire a Deo, sit ex nativitate subsistere. Augustinus quo- D que super Joannem : Exivit (inquit) a Patre, quia de Patre est; in mundum venit, quoniam mundo corpus suum ostendit. De quo etiam exitu in Michæa habetur : Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. Rursus, exitus competit Christo secundum divinam naturam, quantum ad operationem ejus ad extra, ut secundum quod Deus dicatur exire, id est in actum procedere : imo sic Deus dicitur inter homines ambulare, secundum illud Deuteronomii, Dominus Deus tuus ambulat in medio castro-

Ps. XVIII, 7. — *Luc.* I, 78. — *Ps* XVIII, 6. — *Matth.* XIII, 1. — *Joann.* XVI, 28. — *Mich.* V, 2. — *Deut.* XXIII, 14.

Habac. III, 13. rum tuorum. Et Habacuc ait : Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum
De Eccl. hier. c. III. Christo tuo. Hinc S. Dionysius ait, quod Deus ad universa egrediens et procedens per bonitatis suæ communicationem, manet in se ipso inegressibilis atque immobilis.

Et dum seminat, id est Christo prædicante, *aliud cecidit secus viam,* id est, prædicatio ejus partim descendit in corda hominum mundanorum, carnalia spiritualibus præferentium : qui « secus viam » sunt, id est, latis itineribus mundi, puta B operibus vitiosis, adhærent, nec a lata via perditionis elongare se volunt. Quocontra
Jer. x, 2. a Jeremia dicitur : Juxta vias gentium nolite discere. *Et conculcatum est,* id est a fructu boni operis impeditum strepitu cogitationum malarum, affectionum carnalium, tentationum diabolicarum. *Et volucres cœli,* id est dæmones seu aeriæ potestates. Qui « volucres cœli » dicuntur : primo, quia in cœlo aerio, hoc est aere caliginoso, morantur; secundo, propter subtilitatem et agilitatem naturæ eorum; ter- C tio, propter instabilitatem et levitatem mentis ipsorum; quarto, quia instar avium inordinate ascendere conabantur. Interdum tamen per avem intelligitur angelus bonus, imo et Christus, propter sublimitatem contemplationis et agilitatem ac velocitatem operationis in eis : unde angeli in forma humana cum alis avium depinguntur, quia per formam humanam perspicacitas intellectus, per alas vero agilitas operis designatur in ipsis. Illud quo-
Is. XLVI, 11. que in Isaia, Vocans ab oriente avem, D exponit ad litteram de Christo Hieronymus; et de eodem exponit Gregorius illud
Job XXVIII 7. in Job, Semitam ignoravit avis. Itaque, volucres cœli *comederunt illud,* id est, verbum Dei de prædictorum audientium cordibus suis tentationibus abstulerunt.

Et aliud cecidit supra petram, id est in corda indurata atque rebellia, de quibus
Jer. v, 3. in Jeremia habetur : Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. Quocontra monet Apostolus ad Hebræos :

A Adhortamini vosmetipsos per singulos di- Hebr. III, 13.
es, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. *Et natum aruit,* id est, dum verbum Dei in corde hujusmodi cœpit paululum fructificare, cito cessat et cadit ab opere bono, *quia non habebat humorem,* id est aquam sapientiæ salutaris, gratiæ rorem, caritatisque nutrimentum. In talibus etenim cordibus non sunt virtutes, ac dona Spiritus Sancti, quamvis interdum aliqualiter compungantur timore pœnarum, aut aliquid agant de genere bono- B rum. Deinde, sicut humor aquarum alit atque conservat arbusta, sic gratia, virtutes, ac dona Spiritus Sancti, mentem reficiunt, roborant, et in spirituali ac meritorio esse conservant. Propter quod ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri Ibid. XIII, 9.
cor. Apud Jeremiam quoque scriptum est : Maledictus homo cujus cor recedit a Deo; Jer. XVII, 5, 6.
erit enim quasi myricæ in deserto, et habitabit in siccitate. Itaque, prout Christus hic innuit, videmus interdum quod ex prædicatione verbi cœlestis compungun- C tur ad horam corda lapidea, dura et aspera, timore mortis et inferni judiciique divini. Sed exsurgente in eis aliqua passione aut tentatione, protinus superantur, iniquitati consentiunt, spiritualiterque arescunt, quemadmodum in Proverbiis legitur : Qui mentis est duræ, incidet in mala. Prov. XXVIII, 14.

Et aliud cecidit inter spinas, id est in corda avara et ambitiosa, quæ variis curis, suspicionibus, timoribus affliguntur : dum enim temporales divitias et honores immoderate cupiunt ac reservant, multi- D pliciter sollicitantur, et quæ habent perdere metuunt; multos quoque adversarios patiuntur, et habentibus talia invident. Hinc teste Gregorio, nihil quietius quam nihil hujus mundi appetere; nihil etiam inquietius quam summo et invariabili bono relicto, vanis et transitoriis inhærere. Verumtamen, sicut in Job fertur, esse sub Job XXX, 7.
sentibus multi delicias computant. Propter quod ait Bernardus : O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Unde et Salomon loquitur :

Eccle. II, 26. Peccatori dedit Deus afflictionem et curam superfluam. *Et simul exortæ spinæ,* hoc est sollicitudines et formidines inordinatæ, *suffocaverunt illud,* id est, verbum Dei a spirituali fructu seu opere bono impediverunt. Dum namque homines ambitiosi seu cupidi, boni aliquid cogitare aut facere inchoant, protinus cogitationes et affectiones terrenæ curis et inquietudinibus plenæ, exsurgunt in eis, per quas meditationes et actiones spiritualium rerum interrumpuntur, impediuntur et evelluntur. Auferenda sunt ergo a corde desideria vitiosa divitiarum atque honorum, quatenus verbum Dei convalescat fructificetque in eo, quemadmodum per Jeremiam præcepit Deus : Novate vobis novale, et nolite serere super spinas; circumcidimini et auferte præputia cordium vestrorum, ne egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, nec sit qui exstinguat. (Jer. IV, 3, 4.)

Itaque per primos in quibus verbum Dei infructuose suscipitur, designantur luxuriosi, gulosi, et omnes qui vanas delectationes requirunt; per secundos, superbi, rebelles ac duri; per tertios, cupidi.

Sequitur differentia audientium quarta. *Et aliud cecidit in terram bonam,* id est in cor docile et devotum, vel ad devotionem bene dispositum, quod prompte atque stabiliter acquiescit sermonibus Dei; *et ortum,* hoc est in actum procedens seu germinans, *fecit fructum centuplum,* id est opus perfectum copiosumque fructum, quemadmodum per Isaiam loquitur Dominus : Quomodo descendit imber de cœlo, et inebriat terram, et germinare eam facit : sic erit verbum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. (Is. LV, 10, 11.) In aliquibus autem locis terra fertur tam fertilis, quod semen in eam projectum centuplicatur : sicut in Genesi de Isaac legitur, quod invenit in ipso anno centuplum. (Gen. XXVI, 12.)

Ecce Salvator quatuor genera ponit audientium verbum suæ prædicationis, atque in solo quarto asserit prædicationem suam fructificare. Pauci equidem Judæorum, A comparative loquendo, per eum sunt conversi. Non ergo prædicans, exhortans, aut orans, immoderate tristetur, ac pusillanimis fiat, aut a bono desistat incepto, si prædicatio sua sive oratio non tantis prodest sicut desiderat : imo magnum et omni labore dignissimum arbitretur, si vel unum lucrari valuerit, pro cujus salute Christus crucifigi dignatus est. Christus quippe est seminator, sicut in Matthæo profitetur : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. (Matth. XIII, 37.) Ceteri vero prædicatores, B sunt quasi cophini seminatoris illius, quia ex ipsis et per ipsos spargit verbum salutis in cordibus hominum. Hinc asserit Augustinus : Ego per quem Christus seminat, quid sum, nisi cophinus seminantis? Noli attendere ad vilitatem cophini, sed ad potestatem seminis, ad caritatem quoque dignitatemque seminantis.

Hæc parabolice jam prædicta *dicens, clamabat* ex ingenti cordis amore altaque voce, ut melius audiretur ab omnibus, et auditores redderet magis attentos, et maC gna continere mysteria verba sua ostenderet : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quamvis hoc de interioribus auribus communiter exponatur, ut sit sensus, Qui habet aures intellectuales, videlicet capacitatem intelligendi, diligenter advertat quæ dico; de corporalibus tamen auribus potest exponi hoc modo : « Qui habet aures audiendi » corporales, per quas fit prima et sensitiva auditio, « audiat », non corporaliter tantum, sed spiritualiter quoque quæ audit consideret. Intellectiva namque D cognitio hominis ex sensitiva naturaliter sumit exordium. Interior demum auditus est ipsemet intellectus, qui pro quolibet sensu interiori ac spirituali accipitur, secundum Basilium. Atque ut Beda fatetur, quoties in Evangelio aut Apocalypsi admonitio ista, Qui habet aures, etc., interponitur, mysticum esse quod dicitur, demonstratur. (Ibid. XI, 15; XIII, 9, etc.: Apoc. II, 7, 11, etc.)

Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola, id est, quid significaret. Et ut Marcus habet, isti discipuli

fuerunt Apostoli, qui accesserunt interrogaveruntque Christum, non in loco quo populo prædicavit, nec actu prædicationis durante, sed quum esset segregatus a populo : unde Marcus evangelista, *Marc.* IV, 10. Quum esset (inquit) singularis, interrogaverunt eum. Discipuli igitur veritatis, exemplo Apostolorum, studiosi esse debent ad intelligendum verba Scripturæ, et quæ non intelligunt, a doctioribus quærere non omittant.

Quibus ipse dixit : Vobis Apostolis *datum est,* per gratiam specialem, *nosse mysterium regni Dei,* id est intelligere secreta et spirituales ac mysticos intellectus sacræ Scripturæ ac militantis Ecclesiæ : quia tam sacra Scriptura quam militans Ecclesia, regnum cœlorum vocatur, quoniam in utraque cœlestis regni felicitas nuntiatur ac edocetur, et spiritualium epularum deliciosa refectio continetur. Sapientia quoque evangelicæ legis, « mysterium *Matth.* XIII, 11-15. regni Dei » vocatur, quia est quoddam perversis incredulisque occultum sive ignotum, per quod ad cœleste regnum pertingitur, et quid sit beatitudo illa cœlestis, in *Joann.* XVII, 3. ea addiscitur, ut quum ait Salvator : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. Apostolis vero, tanquam summis post Christum magistris Ecclesiæ, clarius fuerunt revelanda mysteria regni Dei, ut de his universam docerent Ecclesiam.

Ceteris autem datum est nosse mysterium regni Dei *in parabolis,* id est ænigmatice et obscure (quod non est nosse simpliciter, sed secundum quid), *ut videntes* corporaliter, *non videant* spiritualiter, *et audientes* verba mea corporali auditu, *non intelligant* ea mente, propter incapacitatem et culpam eorum. Tales fuerunt infideles Judæi, qui Christi humanitatem atque miracula foris cernentes, divinitatem ipsius, sanctitatem ac sapientiam non noverunt. Et quod ait, Ut, non causaliter, sed consecutive accipitur : non enim ob hoc Christus parabolice loquebatur, ut illi excæcarentur, sed ad suam parabolicam locutionem illorum excæcatio

A est secuta ; et justo judicio negata est illis tanquam indignis, intelligentia spiritualis, quia et si eam audissent, forsitan contempsissent.

Est autem hæc parabola, id est ita ut subditur exponenda. *Semen est verbum Dei,* id est, per semen prædicatio verbi cœlestis signatur. Porro verbum Dei aptissime semen vocatur, quoniam mentem fecundat, et fructum virtutis producit, animam reficit, et instar seminis in audientium cordibus spargitur. Sed et Christus,
B qui est Verbum increatum Patris æterni, semen vocatur : de quo in Genesi Abrahæ, Isaac ac Jacob promittitur, In semine tuo *Gen.* XXII, 18 ; XXVI, 4 ; XXVIII, 14. benedicentur omnes gentes. Christus quoque ideo prædicavit, ut audientium cordibus se ipsum insereret, et per fidem ac caritatem in eis maneret ac fructificaret. Unde et ipse semen in corde fidelium seminatum merito appellatur.

Præterea quadruplex semen assignatur. Primum est semen pro nobis in Virginis utero seminatum et incarnatum, videlicet
C Christus. De quo ad Galatas scribit Apostolus : Non dicit, In seminibus, quasi in *Galat.* III, 16. multis ; sed quasi in uno, In semine tuo, quod est Christus. Secundum est semen seminatum in nobis, videlicet verbum Dei, et gratia ac virtutes : de quo semine nunc sermo est. Tertium est semen seminatum a nobis, scilicet opera virtuosa : de quo Psalmista, Euntes (inquit) ibant et flebant, *Ps.* CXXV, 6. mittentes semina sua. Quartum est semen seminatum de nobis, puta nos ipsi, quos Christus in sua seminavit Ecclesia : de
D quo in Isaia habetur, Nisi Dominus Saba- *Is.* I, 9. oth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Unde apud Matthæum loquitur Christus : Bonum semen sunt filii *Matth.* XIII, 38. regni.

Qui autem secus viam, id est auditores designati per locum qui est prope viam, penitus infecundum, *hi sunt qui audiunt* verbum Dei corporali auditu, et inobedienti intellectu, quibus competit illud Jacobi : Si quis auditor est verbi Dei, et *Jacob.* I, 23, 24. non factor, comparabitur viro consideran-

ti vultum suum in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuit. *Deinde venit diabolus,* non essentiæ animæ illabendo, sed per tentationis suggestionem eam aggrediendo. Invidet nempe humanæ saluti : et tunc hominem gravius cupit tentare, quum viderit eum boni aliquid inchoare. Et quoniam auditio verbi Dei, est melioris vitæ exordium, verbo Dei potissimum insidiatur, et de audientium cordibus illud auferre molitur. Ideo subditur : *et tollit verbum de corde eorum,* id est, salubrem verbi cœlestis memoriam, exsecutionem et fructum aufert ab eis (inclinando, non necessitando ad malum), quia illi non viriliter resistunt:
Ephes. iv, 27. contra quod ait Apostolus, Nolite locum dare diabolo; *ne credentes* fide formata,
Galat. v, 6. quæ per dilectionem operatur, *salvi fiant,* id est, salutem consequantur æternam. Illam quippe beatitudinem maxime invidet nobis corporeis atque mortalibus, a qua cecidit ipse incorporalis immortalisque spiritus. Hinc in libro Sapientiæ habetur :
Sap. ii, 24. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.

Deinde exponit Salvator secundam differentiam auditorum. *Nam qui supra petram,* id est significati per petrosum ac sterilem locum frustra seminatum, *hi sunt qui quum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum* Dei, id est, libenter audiunt prædicationem, ipsa veritate delectati, et justitiam suam synderesi approbantes. Nam et de Herode evangelista Marcus testatur,
Marc. vi, 20. quod metuebat Joannem Baptistam, sciens eum virum justum et sanctum, et libenter eum audiebat, et audito eo multa faciebat. *Et hi radices non habent,* id est virtutes in se firmiter radicatas, ac stabile fundamentum, ex quibus opera fructuosa ac meritoria oriuntur, quemadmodum ex
Sap. iv, 3. radice virgulta. Hinc Sapiens asserit : Adulterinæ plantationes non dabunt radices al-
Osee ix, 16. tas; et Osee, Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.

Quia ad tempus credunt, fide bona agente : quia ad horam compunguntur, suaque vitia detestantur; *et in tempore tentationis recedunt,* id est, dum carnalibus concupiscentiis, diabolicis suggestionibus mundique vanitatibus impugnantur, a bono inchoato deficiunt, Deum relinquunt, tentationi consentiunt. Tales sunt homines mente instabiles, instar ovi ac galli versatiles. Et sicut arbor radice privatur quia valde multoties transplantatur; sic ii in virtutibus non radicantur, quoniam nimis facile de bono in malum mutantur. Et sicut Saul inter prophetas prophetabat, I Reg. x, 10-12; xix, 23, 24.
et inter iniquos insaniebat; sic isti inter virtuosos compunguntur, et inter vitiosos mox subvertuntur. Quocontra scriptum est in Ecclesiastico : Non te ventiles in omnem ventum; esto firmus in via Domini Eccli. v, 11, 12.
et in veritate sensus tui. Apostolus quoque : Stabiles (inquit) estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper. I Cor. xv, 58.
Postremo, Christus ad litteram hæc convenientissime protulit de auditoribus suis Judæis, quorum multi visis ejus miraculis, atque doctrinis ejus auditis, crediderunt quod esset propheta aut Christus; postmodum vero exsurgente contra Christum sacerdotum et Pharisæorum Scribarumque persecutione, recesserunt a Christo : præsertim tempore passionis, quando populus universus clamavit, Sanguis ejus Matth. xxvii, 25.
super nos et super filios nostros.

Deinceps tertium audientium genus Christus exponit. *Quod autem in spinas cecidit,* id est designati per terram spinosam ac sterilem, *hi sunt qui audierunt* verbum Dei a prædicante; *et a sollicitudinibus,* id est superfluis temporalium curis, *et divitiis,* id est immoderato divitiarum usu atque amore, *et voluptatibus vitæ* carnalis, quæ opulentiam sequi solent, prout apud Jeremiam Dominus loquitur, Satu- Jer. v, 7.
ravi eos, et mœchati sunt, *euntes,* id est, in mundo hoc conversantes et ad aliam vitam pergentes, seu a prædicationis loco ad propria redeuntes, *suffocantur,* id est, spiritualiter opprimuntur, vincuntur, vitam gratiæ amittendo, et in peccatum mortale ruendo. Ideo ait Apostolus : Qui volunt I Tim. vi, 9.

divites fieri, incidunt in tentationem et A laqueum diaboli, et desideria multa, inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. In Ecclesiastico Eccli. xviii, 30, 31. quoque habetur : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere. Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Recte demum divitiæ spinæ vocantur, quoniam graves ac multiplices curas et timores in animo generant possidentis : nam et cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore perduntur. *Et non refe-* B *runt fructum,* id est, ex prædicatione non proficiunt. Unde apud Marcum loquitur Marc. iv, 19. Christus : Ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes in cor, suffocant verbum Dei, et sine fructu efficitur. Istis timendum est quod in secunda sua epistola princeps loquitur II Petr. ii, 21, 22; Prov. xxvi, 11. Apostolorum : Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem reverti retrorsum. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum; et, Sus lota in voluta- C bro luti.

Postremo, quartum audientium genus exponitur. *Quod autem in terram bonam,* id est figurati per terram fructiferam, et per semen projectum in eam, *hi sunt qui in corde bono* per naturalem dispositionem, *et optimo* per gratiæ ac virtutum infusionem : dona namque naturæ subserviunt gratiæ, et disponunt ad eam ; *audientes verbum retinent,* id est, prædicationem auditam memoriter tenent, secundum id Psalmistæ : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi; Ps. cxviii, 11. *et fructum afferunt,* id est, opera fructuosa exercent, non solum forinsecus operando, sed et salubria cogitando, et quæ Deo sunt placita appetendo. Ideo Jacobus ait : Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Jacob. i, 22. Fructum itaque afferunt *in patientia,* hoc est adversa æquanimiter sustinendo, futuraque præmia longanimiter præstolando. Unde Jacobus ait : Patientes estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra; ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Ibid. v, 7, 8, 11. Apostolus quoque : Per patientiam (inquit) curramus ad propositum nobis certamen. Hebr. xii, 1. Hinc ait Gregorius : Terra bona per patientiam fructum reddit, quia nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus. Imo absque patientia nemo potest proficere, nec pacem mentis habere, nec Deo placere : quoniam præsens vita adversitatibus plena est, quæ nisi æquanimiter tolerarentur, homo sæpissime perturbaretur, inordinate tristaretur, invidia tangeretur. Ideo dixit Salvator : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. xxi, 19. Nam per impatientiam perditur anima (juxta illud Job : Quid perdis animam tuam in furore tuo?); Job xviii, 4. per patientiam vero in statu salutis ac gratiæ custoditur, sicque salubriter possidetur.

SERMO SECUNDUS

QUALITER AUDIENDUM, RETINENDUMQUE, AC OPERE ADIMPLENDUM SIT VERBUM DEI.

ESTO *mansuetus ad audiendum verbum Dei.* Eccli. v, 13.

Quam diligenter audiendum ac animo revolvendum sit verbum Dei, agnoscimus, si consideremus quibus rebus illud com- D paratur. Primo igitur verbum Dei est cibus potusque animæ : quoniam sicut corporali cibo ac potu corpus nutritur, roboratur ac conservatur; sic verbo Dei anima spiritualiter reficitur, proficit, confortatur,

atque in bonis persistit. Quanto igitur anima dignior est corpore, tanto diligentius audire, memoriterque tenere, et opere adimplere debemus verbum Dei, quam cibum aut potum sumere corporalem. Hinc
Ps. I, 2. de homine virtuoso fertur in Psalmo : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Jacobus quoque
Jacob. I, 19. apostolus ait : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, scilicet verbum Dei. Quemadmodum ergo corpora nostra quotidie cibo ac potu corporeo refovemus ac confortamus, sic animas nostras quotidie B auditione aut rememoratione verborum Dei seu sacræ Scripturæ alamus, reficiamus ac roboremus, memoriter ac frequenter revolventes in animo quæ de Deo et de præceptis Dei ac ceteris pertinentibus ad salutem audivimus.

Præterea, sicut cibum corporalem distincte per buccellas accipimus, masticamus, et ejus saporem percipimus ; sic verbum Dei debemus diligenter advertere, et singula verba debite ponderare ac masticare, atque cum gustu interno ea C percipere, utpote : verba prædicationis de Dei bonitate, dulcedine, pietate, et de beneficiis ejus gaudiisque cœlestibus, cum interiori lætitia audiendo ac recordando ; verba de rigore divinæ justitiæ et de districtione judicii ejus, de pœnis purgatorii ac inferni, cum formidine audiendo ac recolendo. Quantum ad primum, ait Psal-
Ps. CXXI, 1. mista : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus ; itemque,
Ps. CXVIII, 14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Quantum D
Habac. III, 1. 2, juxta LXX. ad secundum, Habacuc ait propheta : Domine, audivi auditionem tuam, et timui ; consideravi opera tua, et expavi.

Secundo, verbum Dei comparatur medicinæ. Quemadmodum enim corporeo medicamine curantur languores ac vulnera corporum, sic verbo Dei vulnera animæ et infirmitates ejus sanantur. Idcirco Psal-
Ps. CVI, 20. mista loquens de Deo : Misit (inquit) verbum suum, et sanavit eos ; et eripuit eos de interitionibus eorum. Si quis enim vul- A neratus sit peccato superbiæ, aut vitio iræ, curatur verbo Christi, dicentis : Discite Matth. XI, 29.
a me quia mitis sum et humilis corde. Si quis corde sit debilis, roboratur verbo Scripturæ, dicentis : Omnes qui sperant in I Mach. II, 61.
Deo, non infirmantur ; et rursus, Spes Do- Ps. LX, 4.
mini turris fortitudinis. Ideo ait Propheta : In Domino sperans non infirmabor. Ps. XXV, 1.
Sicque contra singula vitia continentur in Scripturis medicinalia verba. Scriptura quippe per verba sua saluberrima, nunc hortando, nunc comminando, nunc increpando, nunc promittendo, animas hominum curat. Si ergo optas a peccatis curari atque in Deo spiritualiter roborari, verbum Dei libenter audi, diligenter considera, frequenter rememorare, et contra unamquamque tentationem ad culpam convenientia adhibe testimonia Scripturarum : ut si de gula tentaris, attende quod loquitur Christus, Attendite ne corda vestra Luc. XXI, 34.
graventur crapula vel ebrietate ; si de luxuria, recordare quod in Apocalypsi Dominus loquitur, Quantum glorificavit se Apoc. XVIII, 7.
et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum ; si de avaritia, mente revolve quod ait Salvator, Possibilius est Matth. XIX, 24.
camelum transire per foramen acus, quam divitem, id est immoderatum divitiarum amatorem, intrare in regnum cœlorum.

Sed ecce quanta est perversitas, negligentia et insipientia nostra : quia si in corpore unum modicum vulnus habemus medicinam mox adhibemus ; in animabus vero nostris multa mortalia vitiorum vulnera habentes, medicinam verbi cœlestis non applicamus, neque curari studemus : sicque corpora animabus præferimus. Et vitia vitiis adjiciendo, in tantum induramur insensibilesque efficimur, quod peccata nostra non ponderamus neque sentimus : ideo nec curari verbo Dei requirimus. Verum quantum corpore præstantior est anima, tanto diligentius atque celerius peccata curare quam corporales læsiones sanare conemur. Ideo verbum Dei cum omni aviditate audiamus, rememoremur, ac impleamus, juxta illud Ecclesiastici :

(*Eccli.* III, 31.) Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam.

Tertio, verbum Dei comparatur vestimento ac armis. Unde de Juda Machabæo habetur secundo Machabæorum (II *Mach.* XV, 11.) : Singulos armavit, non hasta aut clypeo, sed optimis sermonibus et exhortationibus. Salomon (*Prov.* XXX, 5.) quoque testatur : Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se. Si ergo volumus animas nostras contra tentationes et vitia præmunire, contra frigora acediæ atque invidiæ, contra æstum iræ et concupiscentiæ tegere, easque vestire, ornare, armare ; verbum Dei libenter audire, memoriterque tenere, et efficaciter adimplere satagamus.

Quarto, verbum Dei comparatur igni, juxta illud Psalmi (*Ps.* CXVIII, 140.) : Ignitum eloquium tuum vehementer. Unde, ut tactum est, Salomon (*Prov.* XXX, 5.) ait : Omnis sermo Dei ignitus. Si ergo cupimus divino amore succendi, verbum Dei vivaciter advertamus, quoniam scriptum est (*Ps.* CIV, 19.) : Eloquium Domini inflammavit eum. Et in Jeremia scribitur (*Jer.* XX, 9.) : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans.

Quinto, verbum Dei comparatur malleo. Unde apud eumdem Jeremiam loquitur Deus (*Ibid.* XXIII, 29.) : Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram ? Qui vult ergo cordis sui duritiam mollificare, et vitia sua conterere, verbum Dei diligenter audiat, et super cor suum frequenter descendere faciat, suis quoque peccatis objiciat. Quemadmodum durus est lapis, et aqua mollis, nihilo minus ex frequenti distillatione lapis cavatur ; sic quamvis corda humana sint dura, verbum tamen Dei frequenter audiendo ac revolvendo, ad pœnitentiam emolliuntur. Sed ut sanctus scribit Bernardus, quidam sunt qui verbum Dei sic audiunt quasi ad ipsos non pertineret ; et illud audiendo, non se ipsos examinant, nec mores suos discutiunt aut reformant, nec cogitant an forsitan propter ipsos dicatur quod audiunt : imo talibus verbum Dei per unam aurem (ut vulgariter dicitur) intrat, per aliam exit.

A Itaque verba Dei quilibet Christianus debet audire quasi epistolam sibi a Deo missam ; et quidquid vitiositatis in se esse perpenderit, emendare nitatur. Ait equidem Augustinus : Non minus dignum est verbum Dei quam corpus Christi. Idcirco non minus reus est qui verbum Dei negligenter audit, quam qui corpus Christi in terram cadere ex negligentia sua permittit. Ideo sine tædio ac somnolentia audiendum est verbum Dei.

Legitur namque in Vitaspatrum, quod B quidam sanctus eremita habuit gratiam spiritualium visionum, et vidit multa quæ alii non viderunt. Quadam igitur vice, quum Fratres pariter loquerentur de Deo et animarum salute, vidit angelos sanctos inter eos stare gaudentes et Fratribus congratulantes ; dum vero de inutilibus loquebantur, et otiosa verba proferebant, vidit angelos contra eos indignari, seque avertere, dæmones quoque in specie turpissimorum porcorum se inter illos volutare ac permiscere. Quibus visis, sanctus C vir ille humanam miseriam vehementer deplanxit, quod tam proni sunt homines ad vana et vitiosa colloquia, quum habeant tam copiosam materiam loquendi de Deo et Scripturis ac rebus utilibus. Legitur quoque, quod dum quidam sanctorum Patrum loqueretur Fratribus verbum Dei, illi mox somnolentia gravabantur. Tunc Pater ille volens ostendere quod somnolentia illa esset a diabolo, ex proposito cœpit aliquid jocosum proferre ; et protinus Fratres cum delectatione cœperunt advertere. D Tunc Pater ille ingemuit, dicens : Hactenus loquebamur vobis de Deo, et dormitare cœpistis ; postquam vero de inutilibus sermonem induximus, evigilastis et advertistis. Agnoscite ergo, quia a diabolo sunt hæc. Ex his patet quam gratum sit Deo et angelis, verbum Dei diligenter audire et loqui.

Vaniloquia igitur devitemus, pensantes quod inter eos qui vana loquuntur dæmones volutantur, et contra eos angeli indignantur. Fructuosi igitur semper sint sermones nostri, ad gloriam Dei.

SERMO TERTIUS

DE DUODECIM STULTITIIS QUÆ CONTINGUNT HIS QUI TENTATIONIBUS DIABOLI SUPERANTUR.

RESISTITE *diabolo, et fugiet a vobis.* Jacob. IV, 7.

Quoniam Christus in evangelio hodierno docet quemadmodum diabolus impedit multos a salubri auditione atque memoria ac adimpletione verbi Dei, nunc tangendæ sunt eorum stultitiæ qui tentationibus diabolicis acquiescunt.

Prima eorum stultitia est, quod pessimo ac atrocissimo hosti suo consentiunt, qui aliud nihil quærit nisi damnationem æternam eorum. Si ergo fatuus ab omnibus judicaretur, qui consentiret latroni volenti se ad speluncam perducere ad necandum, nonne incomparabiliter stolidior est, qui consentit diabolo suggerenti mortale peccatum, quod est mors animæ perducens ad mortem infernalis miseriæ? Nequaquam ergo consentiamus suggestioni iniquæ; sed quanto sentimus nos fortius impugnari, tentari seu inclinari ad vitia, tanto vigilantius resistamus, orando, Christi passionem recogitando, divinum judicium et æternum supplicium considerando.

Secunda illorum stultitia est, quod crudelissimum suum adversarium juvant occidendo se ipsos. Diabolus namque suis tentationibus non potest hominem superare, nisi homo personaliter velit atque consentiat. Propter quod ait Apostolus :
Ephes. IV, 27. Nolite locum dare diabolo. Dum ergo diabolus hominem tentat, quasi gladium cordi ipsius applicat. Porro dum homo consentit, ipsemet gladium illum cordi suo transfigit, et spiritualiter se occidit. Hoc faciunt luxuriosi, qui concupiscentiis carnis obediunt, sponteque vadunt ad foveam, hoc est ad vitii turpitudinem, in quam eos vult præcipitare diabolus. Hoc agunt superbi ac ceteri vitiosi, qui conantur ea acquirere in quibus peccatum et damnatio eorum consistit, juxta illud Sapientiæ : Injustitia, mortis acquisitio est; impii autem manibus et verbis arcessierunt illam. Sap. I, 15, 16.
Quemadmodum ergo corporalem gladium lateri nostro ab adversario applicatum, statim pro posse cum omni diligentia amoveremus; sic spiritualem ac diabolicum gladium, utpote pravam suggestionem, impiam cogitationem, illicitam inclinationem seu affectionem, protinus a nostris cordibus repellamus, sicut per Isaiam prophetam Dominus jubet, dicendo : Auferte Is. I, 16.
malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Tertia ipsorum stultitia est, quod contra adversarios suæ salutis animas suas non muniunt, nec ante pugnam se armant : imo in loco conflictus, ubi undique hostibus obsidentur, spiritualiter nudi incedunt, et hostium jaculis se exponunt. Si ergo stultus est, qui visibiles hostes habens, atque ab illis quotidie impugnandum se sciens, non contra illos se munit ac armat pro posse ante conflictum, nonne incomparabiliter stultior comprobatur, qui ab invisibilibus hostibus circumvallari omnique die impugnari se noscit, nec tamen contra illos se armat virtutibus, orationibus, ceterisque exercitiis virtuosis quibus dæmones superantur? Imo quum mundus iste sit quasi campus in quo homines a malignis spiritibus incessabiliter impugnantur, debemus semper esse contra illos armati ac expediti, custoditi atque solli- Mich. VI, 8.
citi, dicente beatissimo Petro apostolo :
Sobrii estote et vigilate in orationibus, I Petr. V, 8.
quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

Quarta stultitia est eorum, quod ex ea A parte qua debiliores sunt graviusque tentantur, minus se muniunt : ut qui ad avaritiam proni sunt, pro eo quod deberent contra avaritiam suam pugnare per liberalitatem et eleemosynarum largitionem, econtrario aggregant sibi temporalia bona, et vitium quo tentantur augent ac roborant in se ipsis. Sic et libidinosi, pro eo quod deberent contra incontinentiam suam per castitatis virtutem pugnare, quemadmodum qui lignum curvum rectificare volunt, ultra medium hoc re- B flectunt, ipsi econtrario concupiscentiis satisfacere assuescunt. Diversi etenim homines, juxta diversitatem complexionum consuetudinumque suarum ad diversa vitia inclinantur, unus ad istud, alter ad illud. Diabolus quoque de illo vitio tentat plus hominem, ad quod eum conspicit proniorem. Debet ergo quilibet homo sapienter pensare ad quæ peccata sit proclivior, et contra illa virilius præliari : ut qui pronus est ad superbiam, ad humilitatem potissimum semper se præstet; qui C pronus est ad luxuriam, ad continentiam singulariter studeat; qui ad avaritiam est proclivis, liberalitati magis det operam.

Quinta eorum stultitia est, quod non satis cito hosti repugnant, sed eum ingredi sinunt ita profunde, quod difficulter queunt eum ejicere. Quemadmodum ergo visibilibus hostibus in principio est resistendum, antequam terram introeant ac devastent, ita dæmonibus oportet resistere statim quum sua tentatione homines cœperint impugnare. Contra hoc faciunt qui D pravis cogitationibus immorantur, et in objectorum illicitorum imaginibus delectantur. Statim ergo ut senseris te tentari seu vitiose pulsari inordinateque affici, ad Deum confuge, invoca eum, ad utilia te converte, Christi passionem revolve.

Sexta eorum stultitia est, quod quum pugnandum sit contrariis, ut caritate contra rancorem, patientia contra impatientiam, taciturnitate contra garrulitatem, bonitate contra malitiam; pugnant similibus, ut odio contra odium, impatientia contra impatientiam, verbositate contra verbositatem : sicque gravius vulnerant semetipsos, et vincuntur a malo. Qui si pugnarent contrariis, vincerent in bono malum. (*Rom.* xii, 21.) Si ergo contra te insurgat improbitas alicujus, probitate resiste, et vinces; si vero ad impatientiam concitaris, jam victus et læsus es.

Septima eorum stultitia est, quod hostem suum sibi nimis propinquare permittunt, dum occasiones peccandi non vitant, ut locum, tempus, personas, munuscula, atque similia, quæ provocant ad peccatum. Non ergo eas ad loca in quibus verisimiliter putas aut scis te peccaturum.

Octava stultitia eorum est, quod auxiliatoribus hostium suorum consentiunt, videlicet propriæ voluntati et concupiscentiis carnis, quæ cooperantur dæmonibus, homines impugnando. Propria autem vocatur voluntas, quæ divinæ voluntati et ejus præceptis est contraria. Ideo princeps Apostolorum : Abstineatis (inquit) a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. (*I Petr.* ii, 11.) Et Osee ait : Confundetur Israel in voluntate sua. (*Osee* x, 6.)

Nona eorum stultitia est, quod eum cujus solius auxilio resistere valent ac prævalere, tam frequenter enormiterque offendunt, videlicet Deum, qui per Osee loquitur : Perditio tua ex te; in me tantummodo auxilium tuum. (*Ibid.* xiii, 9.) Videmus quod principes terræ contra æque fortes et potissimum contra fortiores præliaturi, cum omni diligentia, possibilitate atque industria amicitias sibi regum principumque acquirunt, quorum auxilio poterunt prævalere : quanto magis homo fragilis contra diabolum prælians, Deum jugiter placatum ac adsistentem habere satageret, quum de diabolo in Job sit scriptum, Non est potestas super terram quæ comparetur ei? (*Job* xli, 24.) Hinc sanctus Job loquitur Deo : Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. (*Ibid.* xvii, 3.) Itemque Psalmista : In te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar mu- (*Ps.* xvii, 30.)

Ps. xxx, 3. rum. Unde et Dominum exoravit : Esto A mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.

Decima eorum stultitia est, quod sapientissimo consiliario fortissimoque auxiliario desuper dato ac misso, utpote angelo suo custodi, non acquiescunt, ejus sanctis inspirationibus obtemperando : idcirco in die judicii, a propriis angelis accusabuntur. Unde si rex terrenus alicui mitteret in adjutorium strenuissimum militem et in arte pugnandi doctissimum, nonne stolidus esset, qui talem repelleret adjutorem B ac consulem ?

Undecima stultitia est, quod non curant a loco tutiori, videlicet alto ac arcto, resistere, hoc est a sublimitate virtutum, sed in terrenis se figunt affectibus. Qui si se
Matth. VII, 14. ponerent in arcta via quæ ducit ad vitam, in fervore caritatis, in profunditate humilitatis, in orationum instantia, in meditatione, in munditia, celeriter prævalerent,
Ps. XVII, 38. ita quod dicerent cum Propheta : Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. C

Duodecima stultitia est, quod tempus repugnandi aptissimum perdunt, tuncque resistere volunt dum vires deficiunt et finis vitæ advenit. Nunc enim dum vita est sana, ætasque florida, non repugnant, sed
Eccle. VIII, 11. absque timore Deum offendunt; morte autem instante volunt converti, pœnitere, evadere. Estque timendum quod magis id faciant timore servili, quam filiali amore ac zelo justitiæ : quippe si se diutius victuros cognoscerent, in vitiis remanerent. Tutiorem ergo viam eligamus ; atque dum tempus atque vires habemus, Deo fideliter ministremus ac tentationibus renitamur, quemadmodum Salomon adhortatur :
Memento Creatoris tui in diebus juventutis Eccle. XII, 1.
tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, et appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent. Denique unusquisque nostrum quotidie roget angelum suum bonum, ut sibi semper gratiose adsistat, nec juste indignans recedat. Impleamus
illud Psalmistæ : Exspecta Dominum, vi- Ps. XXVI, 14.
riliter age ; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Postremo, S. Gregorius scribit de B. Benedicto abbate, quod dum Benedictus adhuc in spelunca solus soli Deo vacaret, quadam die diabolus eum de fornicatione tam valide impugnavit, quod ille vir sanctissimus, qui fuit virgo, purus ac innocens, ferme cogitavit reverti ad sæculum ; sed inspirante Spiritu Sancto, tentationem illam advertens diabolicam esse, exuit omnia vestimenta sua, et nudum se volvit atque revolvit super spinas, quousque totum corpus suum proprio sanguine perfunderetur. Tunc videns Deus quod tam viriliter restitisset, ab impugnatione illa ipsum totaliter liberavit. Hujus igitur sancti viri exemplo, discamus omni tentationi fortiter reluctari ac præfatas vitare stultitias, ad gloriam Dei.

SERMO QUARTUS

DE TRIPLICI FRUCTU VERBI DEI.

EGREDIETUR *de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur ad me vacuum.* Is. XLV, 23 ; LV, 11. D

Pro eo quod in evangelio hodierno Lu-
Luc. VIII, 15. cas evangelista conscripsit, Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo verbum retinent, et fructum afferunt in patientia ; in Mat-
thæo legitur, Alia vero semina cecide- Matth. XIII, 23.
runt in terram bonam, et dabant fructum,

aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Quocirca considerandum, quod finis ad quem ordinatur seminatio seminis hujus cœlestis, id est prædicatio verbi Dei, est homines a carnalibus rebus ac desideriis abstrahere, atque ad spiritualia elevare, hoc est divinorum desiderio inflammare, divina caritate accendere, ad spiritualem conversationem perducere.

Hæc ergo distinctio tripartita primo referri potest ad tres hominum gradus, videlicet, religiosorum, et sæcularium clericorum seu sacerdotum et canonicorum, ac laicorum : ita ut verbum Dei in religiosis dicatur fructum ferre centesimum, quoniam illi præ ceteris spiritualius conversantur, et plenius a sensibilibus abstrahuntur, ita quod cum Apostolo dicere
Philipp. III, 20. possunt, Nostra conversatio in cœlis est. In sæcularibus vero clericis verbum Dei dicatur ferre fructum sexagesimum. Nam quamvis inter homines conjugatos ac laicos corporaliter conversentur, divino tamen obsequio præ illis sunt mancipati, et spiritualius vivere obligantur, ut casto corpore mundoque corde serviant Domino, prout in principio tertii Decretalium, titulo de Vita et honestate clericorum, fusius edocetur. Porro in vulgaribus ac laicis semen istud seu verbum Dei dicatur ferre tricesimum fructum. Hi etenim quamvis in rebus terrenis sæcularibusque negotiis occupentur quotidie, et variis vitæ præsentis curis graventur, nihilo minus, si vera fide ac opere christiani sunt, divina observant præcepta, et spiritualia corporalibus præferunt, Deumque præ universis diligunt creaturis.

Secundo, hæc triplex distinctio fructus verbi Dei refertur ad triplicem statum servorum Dei, videlicet, incipientium, et proficientium, ac perfectorum : ut in incipientibus Deo servire, verbum Dei dicatur ferre fructum tricesimum. Statim namque dum homo convertitur, inordinatum creaturarum amorem relinquit, et Deum super omnia amare, desiderare venerarique in-

A cipit, et cuncta præsentia ad bona cœlestia ac æterna finaliter ordinat. In proficientibus vero verbum Dei fert fructum sexagesimum : quoniam tales omni die in caritate et gratia Dei proficiunt, de virtute *Ps.* LXXXIII, 8.
in virtutem euntes, seque in spiritualibus exercitiis strenue occupantes, nunc orando, nunc meditando, nunc psallendo, aut ceteris virtutum actibus insistendo. Porro in perfectis ac viris heroicis seu divinis verbum Dei fert fructum centesimum. Tales quippe pura ac stabili mente Deo in-
B tenti sunt, et zelo justitiæ atque amore boni communis repleti : in quibus inordinata affectio proprii commodi exstincta est, et passiones animæ reformatæ consistunt; et cum Apostolo dicere queunt : Quis *Rom.* VIII, 35.
nos separabit a caritate Dei? Hi venerationem Dei in omnibus ardentissime cupiunt, atque de ejus inhonoratione singularissime dolent; omnium quoque optant ardenter salutem, tam inimicorum quam amicorum, et vincunt in bono malum. *Ibid.* XII, 21.

Tertio, refertur hæc tripartita distinctio
C fructus verbi Dei ad triplicem castitatem, seu triplicis continentiæ statum : ut verbum Dei dicatur in virginibus ferre fructum centesimum, quoniam castitas virginalis perfecta est aliarum respectu, et aureolam promeretur, dummodo cum proposito perpetue continendi servetur. In viduis vero verbum Dei dicitur ferre sexagesimum fructum, quoniam viduæ ab omni concubitu abstinendo, aptiores sunt ad opera virtuosa, spiritualem vitam et divinorum contemplationem, quam conjuga-
D ti, quamvis earum castimonia sit imperfectior continentia virginali. Postremo, in conjugatis verbum Dei fert fructum tricesimum, quoniam facit eos matrimoniali concubitu ordinate virtuoseque uti, videlicet : amore prolis ad Dei obsequium educandæ, in qua fides atque religio christiana ad Dei gloriam augeantur; vel causa reddendi debitum, aut certe causa vitandi fornicationem in compare.

Itaque studeamus ex auditu verbi Dei a carnalibus ac temporalibus ad amorem

ac contemplationem spiritualium ac æternorum corda nostra erigere, et Dei amore accendi, ejusque præcepta diligenter servare, et etiam ultra debitum aliqua bona peragere : præsertim quum in multis simus culpabiles magis quam æstimamus aut numerare sive perpendere possumus. *Ps.* XVIII, 13. Propter quod orat Propheta : Ab occultis meis munda me, Domine.

Postremo omnia bona quæ agimus, in vera caritate ac patientia faciamus. Unde in homilia evangelii hodierni sanctus narrat Gregorius, quod tempore suo fuit Romæ pauper quidam Servulus nomine, qui ab infantia sua paralyticus fuit, qui nunquam stare, nunquam manum ad os ducere, nunquam de uno latere in aliud se vertere quivit. Cui mater et fratres sui ministrabant; et quidquid in eleemosynis accepit, eorum manibus erogavit pauperibus. Litteras ignoravit, sed codices sacræ emit Scripturæ, et peregrinos ac religiosos in hospitio suscipiens, ab eis libros sacros coram se quotidie legi fecit : sicque sacram Scripturam didicit. Atque in doloribus suis Deo continue gratias egit. Quumque tantam ejus patientiam Deus vellet remunerare, ad vitæ pervenit extremum; et religiosos devotosque advocans, orationibus ac laudibus Dei cum eis vacavit. Quumque cum eis et ipse moriens psalleret, alte clamavit : Tacete; numquid non auditis quantæ resonant laudes in cœlo? Et dum aures suas ad laudes cœlestes erigeret quas intus audivit, anima ejus a corpore exiens, ab angelis est suscepta atque in cœlos perducta. Qua exeunte, statim suavissimus odor illic adspersus est, ita quod omnes qui aderant inæstimabili suavitate replebantur : quæ tamdiu duravit, quousque sepultus est. Quid ergo nos pigri ac miseri, pro nostra excusatione coram Deo dicturi sumus, qui vires et usum membrorum habemus, nec tamen divina præcepta implemus, quum paralyticus iste qui nec vires nec membrorum habuit usum, implevit præcepta ?

Ideo resipiscamus a malis, et in adversis patientiam observantes, membris ac viribus nostris ad Dei gloriam in ejus obsequio fructuose utamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUALITER IMPORTUNORUM ET IMPROBORUM HOMINUM PRAVITATES, CORPORISQUE ADVERSÆ VALETUDINES, MAGNANIMITER SINT SUFFERENDÆ.

L*IBENTER gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* II Cor. XII, 9.

Beatus Apostolus in præsentis dominicæ epistola multipliciter ac saluberrime nos informat. Primo, ut hominum importunorum ac reproborum pravitates, injurias, persecutiones æquanimiter patiamur, dicendo : *II Cor.* XI, 19. Libenter suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes. Nam ut ait Gregorius, Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet; et qui malos patienter non tolerat, ipse sibi per impatientiam suam testis est quod bonus non est. Idcirco Apostolus : Debemus (inquit) nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non *Rom.* XV, 1. nobis placere. Quocirca diligentissime est pensandum, cur Apostolus quum dixisset,

Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, protinus addidit, Et non nobis placere. Sunt enim nonnulli non veraciter patientes ac virtuosi, sed superbi et indignabundi, sibi ipsis inaniter complacentes : quibus si ab aliis aliquid videatur injuriæ, irrisionis, aspernationis inferri, statim illos despiciunt, dijudicant, et tanquam insipientes vix dignantur adspicere. Hi tales quamvis non respondeant verbis, non exterius inferant ultionem, non tamen vere sunt patientes, sed superbientes ac temere judicantes. Sic ergo sapientes et probi insipientes ferant ac improbos, ut nec se facile sapientes, nec illos facile judicent esse insipientes : imo se ipsos sic aspernentur, ut illorum ac omnium derisione, improbitate, persecutione arbitrentur se dignos. Qui enim inhonorat seu despicit Creatorem, a cunctis meretur creaturis contemni ac inhonorari. Propter
Sap. v, 21. quod in libro Sapientiæ dicitur : Pugnabit pro Deo orbis terrarum contra insensatos.

Secundo, docet Apostolus in præsenti epistola, quod causa rationabili exigente, loco ac tempore opportuno possit ac debeat homo, ad Dei honorem et proximorum ædificationem, eisdem insinuare dona gratiæ ac merita vitæ sibi concessa, etiam dona occulta, quando magnitudo causæ hoc ipsum expostulat, quamvis secundum communem observandum sit legem quod
Prov. xxvii, 2. Salomon loquitur : Laudet te os alienum, et non os tuum ; extraneus, et non labia
II *Cor.* xi, xii. tua. Unde Apostolus in ista epistola diligenter enumerat bona sibi desuper præstita, bona quæ fecit, adversa quæ pertulit. Quidam namque Corinthiorum seorsum a pseudoapostolis male de beato Apostolo fuerunt informati ; propter quorum informationem et reductionem enumeravit bo-
Ibid. xi, 21, 23. na sua Apostolus tam distincte : In quo (inquiens) quis audet, audeo et ego. Ministri Christi sunt, et ego ; ut minus sapiens dico, plus ego. Et tandem describit excellentissimam visionem sibi superna-
Ibid. xii, 1-4. turaliter ac gratiosissime factam, qua raptus fuit usque ad tertium cœlum, atque

A interiori audivit auditu verba arcana. In qua visione, secundum Augustinum, vidit Deum per speciem. Quam et creditur habuisse infra triduum illud quo post apparitionem Christi sibi in via versus Damascum factam in principio suæ conversionis, fuit non videns, nec manducans *Act.* ix, 9. nec bibens.

Tertio, in præsenti epistola docet nos gloriosus Apostolus, quæ et quanta pro Christo perpessus sit. Per quod, suo exemplo ad patientiam nos hortatur, ut di-
B scamus saltem in parvis et paucioribus adversitatibus esse patientes, imperturbabiles et constantes. Omnium namque virtutum patientia est probatrix, juxta illud Ecclesiastici : Vasa figuli probat fornax, *Eccli.* et homines justos tentatio tribulationis. xxvii, 6. Quemadmodum enim mala olla in fornace posita, crepat et exsilit ; sic homo non vere sed ficte aut apparenter devotus ac virtuosus, in adversitatis camino constitutus, ostendit quid lateat in se, et per impatientiæ suæ impetum exsilit, crepat et
C agitatur. Itaque, an homo vere sit mortificatus, fractus, humilis, et perfectus, utpote a privato amore penitus expurgatus, nec laudes hominum quærens neque honores, sed ad contumelias vere paratus, per patientiam maxime exploratur ac innotescit. Hinc in canonizatione Sanctorum summe requiritur an vere et plene fuerint patientes.

Refert se Climacus in solenni et sancto ad tempus fuisse cœnobio, in quo erat sanctus vir nomine Menas, post abbatem
D primus in dispositione negotiorum cœnobii, qui quinquaginta novem annis in monasterio fuit. Qui quodam die ad abbatiam revertens, et metaniam abbati ad vesperam faciens, scilicet genua coram eo flectens, veniam benedictionemque postulans ab abbate, ipso sponte prætereunte relictus est usque ad canonis horam in terra. Tunc vero abbas ipsum benedicens, eumdem ut ostentationis amatorem redarguit. Ipse vero S. Menas cuidam suo discipulo ipsum interroganti an in tam diutur-

na genuflexione fuisset somno præreptus, A respondit se totum Psalterium legisse in terra prostratum; nec fuit in aliquo motus, sed plene tranquillus. Ecce quanta patientia.

Quarto, docet Apostolus quam perfectus
II Cor. xi, 29. fuit in caritate fraterna, dicendo : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Exemplo ergo sancti Apostoli discamus cum infirmantibus infirmari, id est, spiritualiter infirmis et lapsis cordialiter compati, et oratione, verbo, opere, pro eorum reparatione ac B confortatione quod in nobis est facere. Quumque aliquem scandalizari aut scandalizatum esse cognoscimus, flamma dilectionis pro ejus erectione inflammemur ac torqueamur. Scandalizanti quoque compatiamur : et nihilo minus utique caritative ac pie est corripiendus, aut etiam corrigendus. Imo, quum religiosorum sit perfectioni studere, et perfectorum non sit scandalizari nec scandalizare, juxta illud
Ps. cxviii, 165. Psalmistæ, Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum ; hinc ad- C moneamus nos mutuo, ut non ita facile scandalizemur, diligentioresque simus ad scandala pusillorum vitanda. Quumque inordinatum sive culpabile aliquid in aliquo videmus, non mox temere judicemus aut aggravemus, nec perturbemur; sed pie pro viribus excusemus et alleviemus illud in cordibus nostris, ut quod forte ex inadvertentia, infirmitate, gravi tentatione, aut pia quadam intentione contigerit. Ideo namque dixit Apostolus : Fratres, et si Galat. vi, 1. præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Hoc fecit sanctus ille senior qui Fratrem quemdam cernens ruisse, planxit, dicendo : Ille hodie, cras ego. Hujus autem oppositum faciunt quidam amaro et indiscreto zelo infecti, ad considerandum aliorum defectus acuti, ad intuendum propria vitia cæci : ideo ad indignationem, oblocutionem, querimoniam, impatientiam proni sunt, et sæpissime intra se turbulenti et inquieti, tristes, amari, ac stolide judicantes, pacem pectoris raro aut nunquam habentes. Qui si interiora sua bene discuterent, satis et plus quam satis haberent agere cum se ipsis.

Postremo, quoniam virtus in infirmitate II Cor. xii, 9. perficitur, infirmitates et cuncta corporis afflictiva patienter feramus, in tribulationibus et tentationibus Deum laudemus, et ejus judicium benedicamus, inordinatas tristitias per spiritualia exercitia eradicemus, juxta quod Jacobus ait apostolus : Tristatur aliquis vestrum? Oret æquo ani- Jacob. v, 13. mo, et psallat. Et firmiter confidamus omnia illa ex divina nobis dispensatione accidere pro majori nostra purgatione, gratia et salute, præsertim quum talia divinæ caritatis et pietatis exstent indicia, ipso Domino protestante : Ego quos amo, arguo Apoc. iii, 19. et castigo.

SERMO SEXTUS

QUAM DILIGENTER AC FERVIDE AUDIENDUM SIT VERBUM DEI.

QUOD autem in terram bonam cecidit, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum Dei retinent, et fructum afferunt in patientia. Luc. viii, 15. D

Dominus et salvator Jesus Christus ad diligentem audientiam verbi Dei frequenter nos in Evangelio admonet : nunc quidem dicendo, Qui ex Deo est, verba Dei Joann. viii, 47. audit; nunc autem, Beati qui audiunt ver- Luc. xi, 28. bum Dei et custodiunt illud; nunc vero,

Luc. VIII, 8. quemadmodum in evangelio hodierno, Qui A
habet aures audiendi, audiat. Hinc in Ec-
Eccli. V, 13. clesiastico habetur : Esto mansuetus ad
audiendum verbum Dei. Atque apostolus
Jacob. I, 19. Jacobus : Sit (inquit) omnis homo velox
ad audiendum; haud dubium quin verbum
Dei, non verbum diaboli, hoc est verba
detractoria, pungitiva, mendosa, susurra-
toria, turbativa, aut discordiæ seminativa,
Eccli. XXVIII. 28. quum in Ecclesiastico scriptum sit : Sepi
aures tuas spinis, et noli audire linguam
nequam ; et ori tuo facito ostia, et seras
auribus tuis, ne scilicet audias detrahen- B
Ibid. 15. tem. Susurro quoque et bilinguis male-
dictus : multos enim perturbavit pacem
habentes.

Deinceps verbum Dei cibus est animæ, speculum mentis, criminum medicina, instructio cordis, inflammatio voluntatis. Per verbum Dei ostenditur homini malum quod habet, et bonum quo caret. Itaque qui verbum Dei audit invite, refici spernit, intueri se aspernatur, curari a vitiis detestatur, edoceri, accendi, confortari non curat. Ideo sicut illius vita naturalis de- C speratur qui cibum non suscipit aut susceptum non retinet, sic vita spiritualis desperatur illius qui verbum Dei diligenter audire, memoriter retinere, efficaciterque implere non satagit.

Insuper, qui aliquem amat, libenter cum illo loquitur, et libenter audit loqui de eo, sed et libenter audit eum loquentem, præsertim ad se. Quum ergo orando loquamur cum Deo, et verbum Dei audiendo audiamus loqui de eo, studendo autem audiamus Deum nobis loquentem ; qui non li- D benter orationi insistit, nec verbum Dei libenter audit, neque libenter studet, ostendit se non diligere Deum, nec libenter loqui cum eo, nec libenter audire loqui de eo, neque libenter audire eum loquentem ad se. Amplius, qui cupit ditari, libenter audit et legit de modo acquirendi divitias. Qui ergo gratia ac virtutibus locupletari desiderat, libenter audit verbum Dei, quo docetur modus proficiendi in omni gratia ac virtute ; qui autem verbum

Dei fastidit, pandit se de spiritualibus non
curare divitiis, præsertim dum verbum
succinctim ac moderate proponitur. Hinc
beatissimus pater Bernardus disseruit :
Magna mihi est consolatio, fratres, in ver-
bo hoc Domini : Qui ex Deo est, verbum *Joann.* VIII, 47.
Dei audit. Propterea vos libenter auditis,
quia ex Deo estis. Nonnulli autem sic au-
diunt ac si nihil ad eos pertineant quæ
dicuntur. Non enim intrant cor suum, nec
mores suos discutiunt, nec cogitant ne
forte quod audiunt dictum sit propter il-
los. Magis autem si forte sermo Dei vivus
et efficax (qui Dei et non ejus qui loqui- *Hebr.* IV, 12.
tur arbitrio fertur quocumque voluerit), si,
inquam, manifeste adversus vitia illa processerit quibus se sentiunt obligatos, dissimulant, et avertunt oculos cordis, aut aliqua adinventione palliant vitia sua, et seducunt miseri semetipsos.

Tales de suis peccatis non dolent plenarie. Imo, ut asserit Cassianus, loquenti frequenter indignantur, se movent, sputa congeminant, guttur et os humore, non mens devotione et compunctione impletur, et ita se habent quasi super spinas sederent : imo frequenter temerarie suspicantur ac judicant loquentem ex passione adversum se loqui. De quibus ait Bernardus : In his salutis signa non video ; magis autem vereor ne forte propterea non audiunt verbum Dei, quoniam non sunt ipsi ex Deo. Ideo ait Eusebius : Sicut a nobis Dominus suscepti officii necessitate loquendi deposcit officium, ita a vobis, carissimi, audiendi requirit affectum. Ita, inquam, caritati vestræ expedit his quæ pro salute vestra dicimus obedire, sicut nobis imminet non tacere. Nam si nos offensam metuimus de silentio, quanto magis vos eamdem debetis expavescere de contemptu ? Si nobis grande periculum est aliena non arguere, quanto vobis periculosius est propria non corrigere ?

Præterea religiosi suos superiores non solum debent libenter audire, sed et de pertinentibus ad salutem diligenter inquirere. Unde in exordio Regulæ suæ ait S. Ba-

silius Fratribus suis : Vobis convenit nullum tempus vacuum præterire, quominus de eminentioribus et perfectioribus inquiratis, ut omne tempus vitæ vestræ in inquirendo de melioribus et percunctando de utilioribus transigatis. Quemadmodum ergo nobis necessitas imminet evangelizandi, ita vobis, si ab interrogatione et inquisitione cessetis, vel si remissiores ad ea implenda quæ recta sunt exsistatis, magnum discrimen impendet.

Insuper, quum suis vicariis dicat Salvator, Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; valde pavendum est his qui verbum Dei a Patribus suis graviter inviteque audiunt, ne Christum in suo vicario spernant, fastidiant ac repellant. Nec ideo verbum Dei invite quis audire debet, quia scit illud, aut quia frequenter illud audivit. Propterea, ut recitat Cassianus, abbas Nesteros dixit : Ut spiritualis scientia in te perpetua soliditate firmetur, et sensibus tuis sit inviscerata, hoc omnino custodi, ut si ea quæ optime nosti audieris in collatione proferri, non propter hoc quia nota sunt tibi, ea aspernanter et fastidiose suscipias, sed tanta aviditate cordi tuo ea commendes, quanta aviditate debent desiderabilia verba salutis auribus nostris indesinenter infundi, vel de nostro jugiter ore proferri. Quamvis enim adhibeatur sanctarum rerum crebra narratio, nunquam tamen animæ sitim veræ scientiæ sustinenti satietas generabit horrorem; sed ea quotidie velut nova ac desiderata suscipiens, quanto ea frequentius hauserit, tanto avidius eadem audiet vel loquetur, et confirmationem perceptæ scientiæ magis quam ullum fastidium ex repetitione acquiret. Evidens namque superbæ ac tepidæ mentis est signum, si salutarium medicinam verborum, quamvis frequenter ingestam, negligenter fastidioseque sumat. Hæc Nesteros abbas.

Luc. x, 16.

Ex quibus omnibus innotescit quam diligenter debeamus verbum Dei audire, lectioni sacræ insistere, fructuosæ interrogationi operam dare. Quemadmodum in scholis qui ardentius student, plus dubitant et acutius atque frequentius suos sciscitantur magistros; ita in cœnobio qui vere spiritualiter præliatur ac studet virtutibus, multis ambiguitatibus, curis inquisitionibusque involvitur, quousque Dei gratia et longa experientia fiat edoctus, et alios informare idoneus. Quærit equidem qualiter tali aut tali tentationi aptius possit resistere, quomodo hoc vel illud debeat intelligere, qualiter compendiosius queat proficere, quomodo in hoc vel illo casu debeat se habere; timet ne forte sub specie boni fallatur, et suos sibi dici defectus precatur. Quærit verbum quo ædificetur et accendatur, et sapientioribus ac devotioribus se conjungit, præsertim his quorum collatione sentit se magis proficere; vana fastidit colloquia, et de melioribus ac vicinioribus saluti inquirit, loquitur, et verum audire desiderat. Et utinam omnes tales essemus; utinam omnes sic ageremus, et in colloquiis de talibus dumtaxat colloqueremur.

Hebr. vi, 9.

Postremo, sicut gloriosissimus Paulus apostolus in diversis epistolis sæpius eadem scribit et repetit, utpote quia necessariora salubrioraque exstant; sic Pater religiosorum ea potissimum in capitulo sermocinari ac sæpe reiterare debet, quæ ad Fratrum informationem in moribus, reformationem a vitiis, inflammationem in actibus bonis plus pertinent : ut scilicet in observantiis Ordinis sint intenti, in bonis concordes, in omni humilitate, patientia, mansuetudine, fervore et alacritate quotidie proficientes; sicque instar optimæ et uberrimæ terræ, Dei verbum in suis cordibus suscipientes, fructum in patientia referant copiosissimum.

SERMO SEPTIMUS

DE IMPEDIMENTIS FRUCTIFICATIONIS VERBI DEI.

S*EMEN est verbum Dei.* Luc. VIII, 11. A Christus in evangelio hodierno ponit quatuor differentias audientium verbum Dei. Prima significatur per terram quæ est secus viam, in qua terra semen conculcatur et a volucribus tollitur ac voratur. Per terram hanc sitam juxta viam sæculi hujus, quæ lata est, intelliguntur religiosi carnales, intimorati, qui ad levitates, risus, dissolutiones cito moventur, et consolationes quærunt externas in cibo, potu, colloquio, signis et factis : qui tepidi sunt, quia ad virtutes non habent inten- B sum integrumque affectum. De quibus sanctus ait Bernardus : Inde horum tam perniciosa venit tepiditas, quia voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum *Jacob.* I, 14. sic volunt sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti et illecti. Amant enim terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, aut in alio aliquo; et si hæc aliquando interrumpunt, non tamen penitus rumpunt ac deserunt. Inde est quod affectiones suas raro dirigunt in Deum, et eorum compunctio non conti- C nua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Dei suavibus, anima his distractionibus levitatibusque subjecta non potest.

Hinc S. Basilius interrogatus an liceat ridere, respondet in Regula : Quum Do- *Luc.* VI, 25. minus eos qui nunc rident condemnet, manifestum est quia nunquam tempus est risus fideli animæ, maxime quum tam multi sint qui per prævaricationem legis Deum assidue inhonorent, et in peccatis suis moriantur, pro quibus nos contristari convenit et lugere. Iterum interrogatus D qualiter valeamus evagationes mentis reprimere, causam distractionum et dissolutionum nostrarum pandit, dicendo : Vagatur mens interdum otio, dum non occupatur in necessaria sollicitudine, sed in remissione et securitate inaniter posita, non attendit Deum esse præsentem, scrutantem corda et renes. *Ps.* VII, 10. Si enim hoc pensaret, impleret quod ait Propheta : Providebam *Ps.* XV, 8. Dominum in conspectu meo semper. Quod qui attendit et dicit, non evagabitur mente, neque habebit otium vanis cogitationibus indulgere, aut aliquid cogitare quod non ad fidei ædificationem pertineat, vel aliquam mentis humanæ spectet utilitatem : quanto magis nihil audebit quod sit Deo contrarium, sed dicet cum beato Elia, Vivit Dominus, in cujus conspectu *III Reg.* XVIII, 1. sto hodie? Insuper, teste S. Gregorio, vanus sermo vanæ conscientiæ index est, et cito polluit mentem tam proferentis quam audientis. Et quam detestanda sit ipsa loquacitas pandit Salomon, dicens : Vidisti *Prov.* XXIX, 20. hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Et iterum protestatur : Stultus verba *Eccle.* X, 14. multiplicat.

Si ergo loquacitas, evagatio cordis, levitas immoderatusque risus omni Christiano in tantum sunt fugiendæ, quanto magis religiosis, quos oportet omni maturitate et probitate pollere, semperque timoratos ac lugubres esse, et potissimum exemplares, non leves et pueriles, ut sint bonus odor Christi in omni loco? *II Cor.* II, 14, 15. Itaque, quum ista atque similia exhortatoria verba ad gravitatem, maturitatem, timorem, compunctionem custodiamque audimus, videamus ne semen vérbi cœlestis conculcetur, et infructuosum fiat in nobis, et a dæmonibus auferatur : alioqui dupliciter, imo multipliciter culpabiles erimus atque damnabiles.

Secunda differentia audientium verbum A
Dei, signatur per terram petrosam, in qua
Dei verbum arescit, quia non habet ibi
humorem. Per terram hanc exprimuntur
religiosi duri, rebelles, superbi : quorum
inobedientia et duritia nasci ex superbia
solet, quia superbus subdi recusat et hu-
miliare se dedignatur, nec habet in se
humorem, id est gratiæ rorem, aquam
sapientiæ salutaris, fluenta imbris cœle-
Jacob. IV, 6. stis. Deus namque superbis resistit, non
Prov. VIII, 13. influit, qui in Proverbiis fatetur : Arro-
gantiam, superbiam, viam pravam et os B
bilingue detestor. Humiliemus ergo, sub-
damus et parvi pendamus nos valde, ne
ab Altissimo conteramur. Rogemus im-
mensam clementiam Spiritus Sancti, ut
tollat a nobis cor omne lapideum, cor con-
suetudine prava infectum, mole propriæ
Ezech. XXXVI, 26. voluntatis armatum, et præstet nobis cor
carneum, cor docile, pium, compunctum,
ad sanctam obedientiam semper pronissi-
Eccli. X, 7. mum : siquidem odibilis coram Deo et
Ibid. III, 27. hominibus est superbia; et cor durum in
novissimo male habebit. De incorrigibili- C
bus quoque et rebellibus loquitur Deus
Jer. V, 3. per Jeremiam : Induraverunt faciem suam
supra petram, et noluerunt reverti; et
Ezech. III, 7. item per Ezechielem : Attrita fronte sunt
et indomabili corde. Hi sunt qui superi-
oribus suis se increpantibus, admonen-
tibus, disciplinantibus, indignantur, ob-
loquuntur, et nocent si possunt. Certe
experientia lamentabiliter docet quod re-
ligiosus rebellis, perversus, induratus, in-
corrigibilior et inconvertibilior est quam
impii sæculares. Quo etenim ad obedien- D
tiam, emendationem, profectum amplius
obligatur, eo ita non faciendo gravius
Deum offendit, enormiusque transgredi-
tur : propter quod magis a Deo relinqui-
tur, et relictus a gratia, in deteriora labitur
vitia. Superbus monachus est monstrum
turpissimum, et similis simiæ vestimento
viri sapientis indutæ. Nam superbia vertit
hominem in dæmonem, quemadmodum
Is. XIV, 12. angelos olim in dæmones permutavit.

Tertia differentia audientium verbum
Dei, significatur per terram spinosam, in
qua simul exortæ spinæ verbum suffo-
cant. Per hanc terram spinosam designan-
tur religiosi passionati, ambitiosi et cu-
pidi, qui passionum suarum aculeis et
vanitatum suarum acutis atque miserri-
mis curis pungunt, dilaniant infructuo-
saque reddunt propria corda. Numerari
equidem culpæ, id est vanæ, malæ et sol-
licitæ cogitationes, pœnosæ affectiones, vi-
tiosæ suspiciones, quæ ex ambitione na-
scuntur, non possunt ; et qui mentem
suam ab inordinatis circa terrena et vilia
affectionibus radicitus non expurgant, fre-
quenter pro rebus vilissimis sibi negatis,
ablatis, vel dilatis, aut perditis, contur-
bantur, irascuntur, et tribulant semetipsos
ac alios. Verumtamen per terram spino-
sam specialiter accipiuntur amari, iracun-
di, impatientes ac invidi, in quibus spinæ
ac tribuli, aculei et sagittæ indignationum,
comminationum, ultionum, contentionum
pessimorumque motuum oriuntur, nec ver-
bum Dei fructificare sinunt in ipsis. Tales
namque non vincunt malum in bono, sed *Rom.* XII, 21.
protinus vincuntur a malo, atque in ver-
ba prorumpunt malitiæ ac retributionem
vindictæ, et instar herniosi, pondus tur-
pitudinis, motus pravos ferunt in corde.
Hinc juxta Scripturas, impatiens operatur *Prov.* XIV, 17.
stultitiam, et vir iracundus incendit li- *Eccli.*
tem; ira quoque in sinu stulti quiescit; et XXVIII, 11.
parvulum occidit invidia, quæ et ipsa os- *Eccle.* VII, 10.
sium est putredo; nec invido aliquid in- *Job* V, 2.
felicius reperitur. *Prov.* XIV, 30.

Quarta differentia audientium verbum
Dei, designatur per terram bonam fructife-
ram. Per quam humiles docilesque signan-
tur, omnes etiam boni et obedientes religi-
osi, qui informationes et correptiones non
solum a superioribus, sed a suis quoque
confratribus gratanter suscipiunt, seque
in cunctis diligenter emendant, atque in
observantiis Ordinis universis sunt seriosi.

Tales esse conemur. Nam auris bona *Eccli.* III, 31.
cum omni concupiscentia audiet sapien-
tiam. Et qui acquiescit increpationibus, *Prov.* XV, 32.
possessor est cordis ; ei vero qui cor- *Ibid.* XXIX, 1.

ripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Prætacta quoque vitia penitus detestemur ac fugiamus : quia ut sanctus ait Cæsarius, sicut gaudendum est de monacho qui in monasterium veniens, mansuetudinem, patientiam, obedientiam mitis humilisque exhibuit ; ita lugendum est de illo qui corpore tantum de sæculo egressus videtur, corde vero in sæculo mansisse probatur : qui pro humilitate profert superbiam, pro patientia iracundiam, pro obedientia contemptum, pro caritatis dulcedine ve- B nenum malitiæ. Quibus competit illa B. Petri vera et multum metuenda sententia : *Melius illis erat viam justitiæ non cognoscere, quam post cognitionem reverti retrorsum.* II *Petr.* II, 21. Non tamen de illis est desperandum, sed orandum pro eis, quoniam potens est Deus stillam compunctionis in eis accendere, omnemque sæculi voluptatem et vanitatem, quasi spinas ac tribulos nequitiæ, salubri igne consumere, de quo ait Salvator : *Ignem veni mittere in terram.* *Luc.* XII, 49. Ipse quippe est optimus medicus animarum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR ET ANGELORUM, ETC. I Cor. XIII, 1-13.

NECESSITATEM, utilitatem, excellentiam et efficaciam caritatis docet diffuse Apostolus in præsenti epistola. Atque in primis declarat necessitatem caritatis, quoniam sine ea nullum donum prodest ad veram salutem, nec aliqua virtus meritoria est vitæ æternæ, eo quod caritas sit spiritualis vita animæ, Deo eam conjungens, assimilans, gratam sive acceptam amabilemque efficiens. Ait ergo Apostolus :

Si linguis hominum loquar, id est, quamvis omnium hominum utar loquelis, (Act. II, 4.) sicut et utor (Apostoli namque per donum linguarum, omnium acceperunt usum atque notitiam loquelarum); loquar quoque *et* linguis spiritualibus *angelorum,* id est, licet sic loqui possem, sicut angeli sancti loquuntur ad invicem : quorum collocutio est per intellectualem conversionem unius ad alium ; ut dum superiores angeli illuminant inferiores, vel inferiores superioribus suos manifestant conceptus. Quod fit per voluntariam determinationem et intellectualem conversionem eorum ad invicem : nempe quod in corporalibus facit situs, hoc in spiritualibus agit ordo, ut asserit Augustinus. Deinde, juxta doctores, duplex est angelorum cognitio : una et principalis, in qua eorum beatitudo consistit, qua scilicet divinam vident essentiam. De qua visione unus alium nunquam docet, quoniam omnes immediate illam conspiciunt, nec in ejus visione proficiunt. Alia angelorum cognitio est de rebus creatis : et illa est duplex. Una de mysteriis divinorum, effectibusque divinæ providentiæ exsequendis : et de his superiores instruunt inferiores, loquunturque eis, non econverso, nisi forsitan consulendo. Unde Nicolaus de Gorra : Superiores (inquit) angeli loquuntur inferioribus revelando ; sed inferiores superioribus, de majoribus consulendo. Imo, secundum divinum Dionysium, angeli inferiores, quæstiones aliquas proponunt superioribus, ut doceantur ab eis, sicut in Christi ascensione fecerunt : et ita loquuntur inferiores superioribus interrogando. (De Cœlest. hier. c. VII. — Ps. XXIII, 7-10; Is. LXIII, 1, 2.) Porro, alia est angelorum cognitio de propriis conceptibus : et de hac cognitione inferiores loquuntur superioribus, et econtra. Itaque potestas taliter mutuo manifestandi quod placet, angelorum lingua vocatur. Potest quoque hoc loco per angelorum linguam intelligi loquela seu vox tam tubalis atque sonora, ut esse solet angelorum loquela quando sensibiliter homines alloquuntur.

Si ergo sic loquar, *caritatem autem,* id est spiritualem Dei ac proximi amorem infusum, *non habeam; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens,* id est, strepitum verborum mihi ipsi inutilem et inanem emitto, qui alios instruit ac delectat, mihi autem non prodest, eo quod spiritualiter mortuus sim per mortale peccatum, ratione cujus careo caritate. Æs namque sonando, aliis aliquid significat; et cymbalum tinniendo, alios delectat : sic

A qui absque caritate est, aliis potest aliqua loquendo significare delectationemque parare. Et tamen sibi ipsi non proficit ad salutem. Imo, sicut æs sonando, aliis significat, et se destruit; cymbalum quoque tinniendo, audientes delectat, et se ipsum consumit : ita qui sine caritate exsistens aliis prædicat, quamvis illis prosit ac placeat, tamen se ipsum damnabiliorem constituit, quoniam prædicare indignus est. *Luc.* XIX, 22. Et illud Lucæ Christus loquitur ei : Ex ore tuo te judico, serve nequam.

Et si habuero prophetiam, quæ est supernaturalis cognitio contingentium futurorum desuper data, secundum illud se- *II Petr.* I, 21. cundæ Petri : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines; *et noverim mysteria omnia,* id est divina secreta, et Scripturarum occulta, *et omnem scientiam,* scilicet tam infusam quam acquisitam, seu theologicam ac philosophicam, vel utriusque Testamenti scripturam. Verumtamen scientia illa infusa quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti, a caritate separari non valet. *Et si habuero omnem fidem,* id est fidem tam perfectam, *ita ut montes transferam,* hoc est, transferri a Deo per orationem obtineam, vel imperando id possim. De qua *Marc.* XI, 23. fide ait Salvator apud Marcum : Quicumque dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit, fiet ei. Verum, ut ait Hieronymus, ex his quidam perversi argumentum sumpserunt, quod nullus Apostolorum habuerit fidem perfectam : nam nullus eorum legitur montes aliquos transtulisse. Ad quod primo respondet Hieronymus, quod multa fecerunt Apostoli quæ non sunt scripta; secundo, quod per montem intelligi potest diabolus, ratione suæ elationis; tertio, quod Apostoli majora fecerunt. Itaque respondendum, quod manifestatio Spiritus per miracula datur, ad utilitatem Ecclesiæ. Ideo Sancti fecerunt miracula, prout utilitas exegit Ecclesiæ. Unde si competens exstitisset, transtulissent montes, quia majora fecerunt, mortuos suscitando, natos cæcos illuminando, atque similia : quæ fieri nequeunt nisi virtute divina. Translatio vero montium virtute fieri posset dæmonum, si naturali ac propriæ dimitterentur potentiæ. Verumtamen de quodam S. Gregorio episcopo legitur, quod quadam vice, ut locus sufficeret basilicæ construendæ, montem precibus movit. Sic et S. Dunstanus murum magnum dorso suo ad convenientiorem situm perduxit pro utilitate ecclesiasticæ fabricæ. *Caritatem au-* B *tem non habeam; nihil sum,* hoc est, de spirituali ac meritorio, deiformi ac supernaturali esse nihil habeo : hoc enim per caritatem seu gratiam gratum facientem habetur. Unde et alibi ait Apostolus : Qui *Galat.* VI, 3. se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. Peccator autem seu homo carnalis ac vitiosus dicitur nihil, non absolute, sed comparative, quia respectu hominis spiritualis et esse gratuiti supernaturalis nihil est, seu pro nihilo reputatur.

Et si distribuero in cibos pauperum C *omnes facultates meas,* juxta illud Matthæi : Si vis perfectus esse, vade, et vende universa quæ habes, et da pauperibus. *Matth.* XIX, 21. Nam distributio talis, quamvis sit opus supererogationis, tamen quantum ad substantiam facti, absque caritate potest fieri. *Et si tradidero corpus meum,* id est, pœnis illud exponam, *ita ut ardeam,* hoc est, comburar pro defensione fidei sive justitiæ : quod etiam sine caritate fieri potest, puta jactanter; imo et ex servili timore. Unde Guillelmus Antisiodorensis D in Summa sua, et Alexander de Hales super Sententias, scribunt, quod aliquis posset pro fide martyrium pati, et tamen damnari, quia ex solo servili timore possit hoc fieri. *Caritatem autem non habuero; nihil mihi prodest* ad æternæ vitæ consecutionem. Omnis etenim actio aut passio meritoria, ex caritate procedit elicitive aut imperative, vel ex caritate acceptatur.

Caritas patiens est, hoc est, amore Dei et proximi facit adversa æquanimiter tolerari : homo etenim caritativus potius

cupit injurias pati, quam Deum offendere ac proximum lædere; *benigna est,* id est clemens ac facilis indulgere. *Caritas non æmulatur,* id est, prosperitati alterius non invidet. Porro verbum hoc, Æmulor, multa significat, ut patet hoc versu :

Æmulor, inflatur, amat, invidet ac imitatur.

Non agit perperam, id est perverse, bonum impediendo alterius; *non inflatur* tumore superbiæ; *non est ambitiosa,* appetendo inordinate honorem aut prælationem.

Non quærit quæ sua sunt, id est, non est inordinate ad se reflexa, nec privata commoda quærit, sed bonum spirituale ac commune, potissimum Dei honorem et animarum salutem. Itaque non quærit proprium bonum tantum sive finaliter; verumtamen sicut homo post Deum debet præcipue diligere semetipsum, ita post Dei honorem debet in primis propriam quærere salutem, et ea sine quibus Deo placere non potest : idcirco communiter dicitur quod caritas incipit a se ipsa. Ait
Luc. ix, 25. namque Salvator : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat? Unde ea quæ sunt de necessitate salutis non debet quisquam dimittere propter quemcumque. Nihilo minus in viris perfectis ac notabiliter virtuosis, frequenter plus sentitur et actualius viget desiderium boni communis, quam propriæ salutis : nam et hoc perfectionis est, quum bonum sit tanto divinius, quanto communius. Hinc divini honoris zelo communisque boni amore fervere, est Deo gratissimum, atque potissime meritorium. Vel, « non quærit quæ sua sunt », id est, cum scandalo proximorum non repetit sua, malens perpeti temporalium damnum, quam animarum evenire dispendium. Bona tamen Ecclesiæ non obstante scandalo repetuntur : et istud consilii est, nec esset servandum ubi contra caritatem et contra commune bonum militaret.

Non irritatur, nec verbis nec signis provocatur ad iram. *Non cogitat malum,* A id est nocumentum inferre alicui. *Non gaudet super iniquitate,* hoc est, de alterius ruina non lætatur, imo tristatur atque compatitur; *congaudet autem veritati* doctrinæ, veritati vitæ, veritati justitiæ : facit etenim hominem de aliorum bonis operibus et sanis doctrinis lætari. *Omnia suffert,* id est, adversa omnia tolerat : quia ut dictum est, caritas patiens est, et proximorum defectus pie supportat, implens illud Apostoli, Alter alterius onera portate. Galat. vi, 2.
Omnia credit quæ cadunt sub fide et di-
B vinitus revelantur : non omnibus, quum in prima Joannis Canonica scriptum sit, Nolite credere omni spiritui. Levitatis quippe est omnibus credere. I Joann. iv, 1. Ideo Salomon loquitur, Innocens credit omni verbo : ubi innocentia pro defectu sensus accipitur. Prov. xiv, 15. *Omnia sperat,* hoc est, divina promissa longanimiter præstolatur, et quæ postulat, adipisci confidit. *Omnia sustinet,* id est, dilationem pie suffert.

Caritas nunquam excidit, id est, quantum est ex parte ipsius, nunquam aufer-
C tur, nec desinit, quoniam ita perfectus est tam habitus quam actus elicitus caritatis, quod statui Beatorum non repugnat, sed maxime competit : ideo in patria caritas ipsa perficitur, et caritatis præceptum ibi perfecte implebitur. Non est ergo sic intelligendum, ut aliqui male intellexerunt, quod caritas semel habita non possit amitti : caritas enim ex parte sui subjecti potest excidere et amitti, quum in Evangelio Christus loquatur, Refrigescet caritas multorum; Matth. xxiv, 12. et in Apocalypsi, Habeo ad-
D versus te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Apoc. ii, 4. Potest tamen exponi de caritate perfectorum, qui ita in dilectione et gratia sunt roborati, ut cum Apostolo dicere queant : Quis nos separabit a caritate Dei? Rom. viii, 35.

Sive sint prophetiæ, tamen *evacuabuntur,* hoc est, esse cessabunt in termino vitæ hujus. Prophetia namque est obscura seu ænigmatica quædam cognitio, respicitque futura; cognitio autem Beatorum est clara, et omnia sunt eis quasi præsentia. *Sive* sint *linguæ, cessabunt* esse in

patria. Non quod substantia linguæ aut
usus ejus non erit ibidem : in corpore
etenim integro Sancti resurgent, et vocalis
laus erit in cœlo, ut probabilius creditur,
Ps. CXLIX, 6. Glossaque dicit super illud in Psalmo, Ex-
sultationes Dei in gutture eorum. Intelli-
gendum est ergo, quod donum linguarum
cessabit, quia non dabitur alicui Beatorum
donum linguarum ad hoc ut diversis lo-
quatur per linguas diversas, quasi non
omnes intelligant singulas linguas : singu-
li enim singulas linguas scient; atque ut
probabiliter æstimatur, sicut in prima æta-
Gen. XI, 1, 6. te generis humani erat populus unus et
labium unum, ut in Genesi legitur, ita in
ultimo statu erit omnium electorum unum
idioma. Ad quod illud Zachariæ poterit
Zach. XIV, 9. applicari : In die illa erit Dominus unus,
et nomen ejus unum. *Sive* sit *scientia,* ta-
men *destruetur,* hoc est, cum vita hac
desinet : non quantum ad habitum aut spe-
cies intelligibiles, nec quantum ad quem-
libet suum actum; sed quoad actum suum
agendique modum quem habet in hac
vita, scilicet quoad ratiocinationis discur-
sum et reflexionem ad phantasmata : quo-
rum utrumque est imperfectionis. Sancti
autem in cœlo claro intuitu omnia sciunt.
Hinc subditur :

Ex parte enim, hoc est imperfecte, *co-
gnoscimus, et ex parte,* id est imperfecte,
prophetamus. Utraque namque cognitio
valde est imperfecta. Nam sicut se habet
oculus vespertilionis ad lumen solis, ita
se habet intellectus noster ad manifestis-
sima naturæ, id est ad separatarum noti-
tiam substantiarum : quæ ex sua natura
sunt maxime cognoscibiles, sicut sunt ma-
ximæ actualitatis ac formalitatis. Potissi-
mum vero a Dei plenaria cognitione defi-
cimus infinite; imo a sensibilium plena
notitia deficimus vehementer, juxta illud
Sap. IX, 16. Sapientiæ : Difficile æstimamus quæ in
terra sunt, et quæ in prospectu sunt in-
venimus cum labore : quæ autem in cœlis
sunt quis investigabit? Ea quoque quæ sci-
mus, paucissima ac minima sunt compa-
ratione eorum quæ ignoramus. Unde in

A Ecclesiastico fertur : Multa sunt abscon- Eccli. XLIII, 36.
dita majora his; pauca enim vidimus ope-
rum ejus. *Quum autem venerit quod per-
fectum est,* id est, beatifica Dei visione
nobis concessa in patria, et statu gloriæ
apparente, *evacuabitur quod ex parte est,*
hoc est, imperfectio cognoscendi tolletur :
non habitus scientialis, nec actus ejus per-
fectionalis, sed ratiocinativus, quo proce-
ditur a cognito ad ignoti notitiam : quod
non erit in patria. — Sed circa hoc objici
potest, quod etiam dilectio nostra est im-
B perfecta, et imperfectio ejus in patria au-
feretur. Et respondendum, quod quamvis
imperfectio auferetur, directus tamen, im-
mediatus ac proprius actus caritatis non
tollitur, imo perficitur in Beatis. His con-
sonat illud B. Joannis in prima sua Ca-
nonica : Carissimi, nunc filii Dei sumus, I Joann. III, 2.
et nondum apparuit quid erimus; scimus
quoniam quum apparuerit, similes ei eri-
mus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Deinceps ponit Apostolus declarationem
istorum per exemplum status puerilis, qui
C quum sit imperfectus, evacuatur adveni-
ente ætate matura. *Quum essem parvulus*
ætate, sensu et quantitate, *loquebar ut
parvulus,* verba imperfecte pronuntian-
do; *sapiebam ut parvulus,* circa veritatis
notitiam sæpe errando; *cogitabam ut par-
vulus* puerilia et jocosa, ut moris est par-
vulorum. *Quando autem factus sum vir*
ætate, scientia et virtute, *evacuavi quæ
erant parvuli,* id est, puerilia dereliqui, et
ad perfectionem me transtuli. Similiter
quum venerimus ad statum gloriæ, relin-
D quemus imperfectionem competentem sta-
tui viæ. Hinc subditur :

Videmus oculo intellectuali, id est, Deum
cognoscimus, *nunc,* id est in statu pere-
grinationis atque exsilii hujus, *per spe-
culum,* id est per obscuras imagines, puta
naturas creatas, quæ Creatoris essentiam
imperfectissime repræsentant. Non enim
ostendunt quid Deus sit, sed quid non sit :
in infinitum namque distant, occumbunt,
deficiunt ab excellentia et plena repræ-
sentatione Creatoris. Nec ostendunt de eo

quid est, sed quia est. Ideo additur : *in ænigmate,* id est umbrosa atque obscura similitudine, puta in formis intelligibilibus, Scripturarumque figuris ac tropis, in quibus modicum quid divinæ majestatis ac lucis resplendet. Hinc divinus Dionysius : Impossibile (inquit) est nobis aliter lucere divinum radium, nisi circumvelatum variis velaminibus sensibilium formarum. De Cœlest. hier. c. I.

Præterea advertendum, quia ut in Summa contra gentiles scribit Thomas, quemadmodum sensibile videtur tribus modis : primo, per suam essentiam seu realem in sensu præsentiam, ut lux, quæ propter suam diaphaneitatem ac puritatem in visu suscipitur, et per se ipsam videtur; secundo, per speciem in sensu receptam et a sensibili immediate derivatam, ut color; tertio, per speciem a sensibili impressam non immediate sensui, sed alteri rei, sicut res aliqua videtur in speculo : conformiter de Deo habetur triplex cognitio. Una per suam essentiam : et ista soli Deo naturaliter competit, et Beatis supernaturaliter datur ac inest, ut mox clarius ostendetur. Alia per similitudinem a Deo immediate derivatam in cognoscentem : hæcque cognitio Dei competit naturaliter angelo, cujus essentia est quædam Dei similitudo, per quam naturaliter Deum cognoscit. Tertio modo cognoscitur Deus a nobis quasi in speculo, in quantum per creaturas, in quibus divina relucet perfectio, in Dei cognitionem ascendimus. Ex consideratione etenim ordinis, bonitatis ac pulchritudinis universi, in divinæ sapientiæ, pulchritudinis, bonitatis ac omnipotentiæ contemplationem aliqualiter elevamur, ita ut ordo et consistentia rerum est quasi scala ascendendi ad Creatoris notitiam, juxta illud Sapientiæ : Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est; a magnitudine enim speciei et creaturæ, poterit cognoscibiliter horum creator videri. *Sap.* XIII, 1, 5.

Tunc autem videbimus Deum *facie ad faciem,* hoc est clare et immediate, sive A per speciem : sicut videtur res corporea clare, dum facies ejus inspicitur. *Nunc cognosco ex parte,* id est imperfecte. Unde in Job habetur : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? In Ecclesiastico quoque legitur : Multa dicimus, et deficimus verbis; consummatio autem sermonum ipse est. Quis vidit eum, et enarrabit ? Et quis magnificabit eum sicuti est ab initio ? *Tunc autem,* B id est in patria, *cognoscam sicut et cognitus sum,* id est, Deum clare et per essentiam contemplabor, quemadmodum ab ipso clare cognoscor. *Job* XXVI, 14. *Eccli.* XLIII, 29, 35.

Verumtamen « sicut », hoc loco non dicit similitudinem plenam, sed aliqualem, quæ consistit in hoc, quod sicut Deus omnipotens et æternus cognoscit se ipsum per propriam essentiam, ita quod in ipso sunt idem, quod videtur, et quo videtur, seu objectum et species intelligibilis; sic et nos videbimus eum per ipsius essentiam, C quasi per intelligibilem formam menti nostræ immediate, non inhæsive, unitam; sicque Deus sublimis et felix erit nobis objectum et species. Quum enim, ut tactum est, omnis creata essentia, forma et species infinite a divina natura et perfectione plenaque ejus repræsentatione occumbat, non potest per eam Deus videri facie ad faciem, seu clare prout in se ipso est. Idcirco necesse est ut ipsamet Dei essentia, quæ est veritas in se subsistens, uniatur mentibus Beatorum loco intelli- D gibilis formæ. Unde hæc Dei cognitio est penitus supernaturalis, quæ nec angelicis mentibus naturaliter potest competere. Hinc summi philosophi, tam Peripatetici quam Platonici, dixerunt primum ens a nulla intelligentiarum intelligi quantum ad quid est, sed quia est, et per negationem, ita ut tanto verius atque perfectius cognosceretur ab eis Deus, quanto limpidius cernerent eum inenarrabilem et incomprehensibilem esse. De hoc in Elementatione theologica Procli Platonici et in

libro de Causis multa scribuntur. Ad hanc A vero beatificam Divinitatis visionem facialem disponuntur mentes beatæ per lumen gloriæ, quod est gratia consummata, ponens eas in esse deiformi ad tam præclaram contemplationem idoneo.

Nunc autem, id est in statu viæ et peregrinationis præsentis, *manent* in fidelibus viatoribus *fides, spes, caritas, tria hæc,* hoc est tres theologicæ istæ virtutes, habentes Deum pro immediato objecto, tamen sub distinctione ratione formali : quia sub ratione primæ veritatis nondum B clare cognitæ, objectum est fidei; sub ratione summæ felicitatis objectalis nondum adeptæ, objectum est spei; atque sub ratione puræ bonitatis, objectum est caritatis. *Major autem horum,* id est fide et spe perfectior, *est caritas,* quia perfectius atque intimius Deo conjungit, diuturnior quoque est, nec aufertur, nec potest esse informis : imo ceterarum virtutum est forma, vertex et vita, imperatrix et finis. Fides vero ac spes possunt esse informes, et in sua ratione imperfectionem includunt, nec manent in patria : fides namque obscuritatem cognitionis includit; spes vero, absentiam boni sperati. Verumtamen ceteris donis atque virtutibus fides et spes perfectiores dicuntur, quum Deum pro objecto sortitæ sint, et datæ sint ad conjungendum nos Deo. Ceteræ vero virtutes ordinantur ad hoc, ut in actibus theologicarum virtutum, potissimum caritatis, simus perfecti, expediti et fixi. Dona quoque sunt habituales perfectiones infusæ, quibus efficimur bene dirigibiles prompteque mobiles a Spiritu Sancto : et ita ordinantur ad virtutes theologicas tanquam ad fines.

SERMO PRIMUS

QUALITER EXAMINARE NOS DEBEAMUS AN VERE SIMUS IN CARITATE.

S*I estis in Christo, ipsi probate.* II Cor. C xiii, 5.

Quamvis absque divina revelatione nullus nostrum certus esse valeat se esse in Christo, hoc est in caritate et gratia et absque mortali peccato, nihilo minus docet Apostolus ut unusquisque probet, id est, se ipsum discutiat, an in caritate et Christo exsistat : non quod se ipsum discutiendo, queat hoc certitudinaliter invenire ac scire, sed verisimiliter et probabiliter tantum. Porro, examinatio ista sui ipsius facienda est ita : D

In primis debet homo propriam conscientiam perscrutari, ac investigare an sibi sit conscia de mortali aliqua culpa de qua non sit confessio facta et pœnitentia seu satisfactio persoluta. Considera ergo, o homo, te ipsum, et interiora tua revolve, an lateat in te superbia, an invidia, avaritia, acedia, concupiscentia vitiosa, an simile aliquod mortale peccatum; et si dubitas inde, pensa an vere sis humilis, parvus et vilis in oculis tuis, malens subesse ac obedire, quam præesse et imperare, magisque cupiens approbari, laudari ac honorari a Deo in regno cœlesti, quam ab hominibus in hoc mundo. Considera demum an Deum super omnia pure ames, an ad omnes homines, tam amicos quam inimicos, pie ac amorose afficiaris, an Dei atque Ecclesiæ præcepta observes, an sollicitior sis de animæ tuæ salute, quam de quibuscumque exterioribus ac temporalibus rebus, an etiam sollicitior sis de salute filiorum ac filiarum tuarum, et ceterorum ad te pertinentium, quam de temporali provisione, prosperitate seu di-

tatione ipsorum. Insuper te inquire, an temporales divitias inordinate non appetas, nec amplius quæras quam indiges et tuo statui congruit, tibique expedit ad proficiendum in spiritualibus bonis, in Dei obsequio ac virtutibus. Præterea inspice an ad Dei servitutem sis alacer, ad orandum, ad frequentandum ecclesiam, ad audiendum sermones, nec tempus tuum infructuose expendas potando, fabulando, dormiendo, etc.; an etiam carnales concupiscentias reprimas et compescas. Si igitur nullum in te mortale peccatum inveneris, sed virtutes illis contrarias, sicut partim jam tactum est, confide te esse in Christo et caritate, et Deo gratias age, teque custodi; si vero de aliquo mortali tibi es conscius peccato, mox toto corde te ejus pœniteat, veniam ab Altissimo pete, confessionem, satisfactionem et emendationem propone.

Secundo, facienda est examinatio ista juxta doctrinam Apostoli in præsenti epistola, in qua actus et proprietates caritatis declarat Apostolus. Si ergo vis scire an sis in Christo et caritate, perpende an in te vere consistant quæ Apostolus caritati attribuit. Caritas, inquit, patiens est. Vide an vere sis patiens, an de injuria tibi illata non contristeris nec perturberis, nec ultionem inordinate exquiras. Verumtamen si aliquis contristaretur de injuria sibi facta, non in quantum est directe contra suam personam, sed in quantum est Dei offensiva ac inhonorativa, et in derogationem justitiæ, atque in damnum animæ injuriantis, hoc non esset caritati contrarium, sed veræ caritatis virtuosus effectus. Si ergo pronus es ad indignationem, ad iram, ad impatientiam, ad vindictam, time te in caritate non esse : imo scias te in caritate esse aut nihil, aut modicum. Caritas demum, secundum Apostolum, benigna est. Considera ergo te ipsum, an clemens sis et facilis indulgere. Si autem in corde portas injuriam tibi illatam, et amarus, indignabundus atque aversus es ab eo qui tibi forefecit, non palpes te ipsum, nec in caritate te esse arbitreris.

I Cor. XIII, 1 et seq. — *Ibid.* 4. — *Ibidem.*

Amplius, teste Apostolo, caritas aliorum prosperitati non invidet, sed congaudet : sicut enim proximos diligit tanquam se ipsum, sic facit bona aliorum amari ut propria, et mala eorum dolere atque vitare ut propria mala. Verumtamen si aliquis prosperetur temporaliter contra salutem animæ suæ, condolendum est ei, in quantum illa prosperitas est sibi occasio culpæ ac condemnationis, non in quantum est bonum quoddam sive prosperitas, quoniam ex divina ordinatione justo judicio accidit ei. Ideo ait Psalmista : Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Discute igitur temetipsum, an de aliorum prosperitate ac profectu in temporalibus ac spiritualibus contristeris. Quidam autem, quamvis non sint adeo malitiosi ut de aliorum prosperitate tristentur in quantum est quoddam bonum illorum, inde tamen tristantur secundum quod apprehendunt illam prosperitatem ut sui ipsius nocivam, hoc est, in quantum per illorum prosperitatem, excellentiam et profectum, impediuntur a temporali promotione, honore seu commoditate, ad quæ illi aptiores sunt ipsis : et hoc ad invidiam pertinet. Si ergo malum hoc tibi inesse compereris, caritatis te esse expertem cognosce. Sed, heu ! pestis hæc pessima multis inhæret, nec tamen advertunt. Nempe si viderint quempiam quem præire desiderant, cadere, despici, seu infortuniis agi, gratulantur magis quam compatiantur : quod periculosum est vehementer, et veræ ac spirituali dilectioni contrarium. Fugiamus ergo hoc malum pestiferum.

I Cor. XIII, 4. — *Ps.* XXXVI, 1.

Insuper, docente Apostolo, caritas non est ambitiosa. Ecce et hic examinet quilibet se ipsum, anne ambitionis fatuitas sibi inhæreat, an ad officia, ad honores adspiret, an fratribus cupiat præsidere, an Absalonis, imo et primi illius apostatæ, qui est rex super omnes filios superbiæ, magis quam Christi, sit filius. O quam

I Cor. XIII, 5. — *II Reg.* XV. — *Is.* XIV, 13, 14. — *Job* XLI, 25.

multi hac vanitate falluntur, et ita obte- A nebrantur ut propria non advertant pericula! Imo per blandimenta et simulationes, promissa et calliditates, ad honores adspirant, quemadmodum scriptum est : *Eccli.* XIX, 23. Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Tales quoque interdum occulto, justo et metuendo Dei judicio, permittuntur adipisci quod cupiunt, in gravissimam sui ac aliorum damnatio- *Job* XXXIV, 30. nem, prout rursus testatur Scriptura : Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. O utinam insipientes B isti adverterent quod sanctus ait Gregorius : Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire cupio; itemque : Numerari culpæ non possunt quæ ex ambitione sequuntur. Radicitus ergo evellatur hoc vitium detestandum, per quod intentio hominis quasi in omnibus obliquatur, atque ad propria commoda et honores vitiose reflectitur. Postremo, secun- *I Cor.* XIII, 5. dum Apostolum, caritas non quærit quæ sua sunt. Vide ergo an Dei honorem, an communem salutem, pacem atque profe- C ctum sincere desideres, an omnibus prodesse peroptes.

Si ergo has caritatis proprietates ac operationes tibi inesse perspexeris, in Christo et caritate te esse confide, et gratias age, atque ne cadas attende; sin autem, pœnite et emenda, nec cesses quousque ea quæ caritatis sunt, tibi inesse experiaris. Unde quum caritas Dei ac proximi sit summe necessaria, utilissima ac saluberrima, sancti Patres in ea præcipue emicabant. Unde quam perfectus ac fervens fuerit in caritate Dei ac proximorum beatissimus Moyses legifer filiorum Israel, sacra Scriptura declarat. Quum enim populum Israeliticum de Ægypto per multa miracula eduxisset, et nihilo minus multas murmurationes ac tribulationes sustinuisset ab eis, in tantum ut diceret Deo, Quid faciam *Exod.* XVII, 4. populo huic ? adhuc pauxillum, et lapidabit me; tamen in ejusdem populi caritate permansit tam fervens, quod dum populus ille Deum gravissime per idolo- *Ibid.* XXXII. latriam offendisset, vitulum aureum adorando, atque ob hoc Deus populum illum terribiliter vellet plagare ac trucidare, Moyses ineffabili caritate medium se objecit, et Deum oravit pro populo illo, dicens : Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non *Ibid.* 31, 32. facis, dele me de libro quem scripsisti. Tanta caritate Deus quasi devictus, placatus est. Nihilo minus Moyses divinæ caritatis zelo succensus, tantam Dei injuriam non dimisit inultam ; sed idolola- *Ibid.* 26-28. tras illos fecit occidi : ita quod viginti tria millia eorum simul prostrata sunt a Levitis, quibus Moyses præcepit hoc facere.

Studeamus ergo in Dei ac proximorum sancta dilectione semper proficere, Dei honorem ac proximorum salutem in omnibus peroptando, promovendo ac procurando pro posse, verbis et factis.

SERMO SECUNDUS

DE SIGNIS ET EFFECTIBUS AMORIS DIVINI ECSTATICI ET PERFECTI.

FORTIS *est ut mors dilectio.* Cant. VIII, 6. D

De Divin. nom. c. IV. Quemadmodum S. Dionysius docet, caritas est virtus unitiva, quia conjungit amantem amato. Quumque caritas ista proficere cœperit, transformat diligentem in dilectum, et unum facit cum eo quem amat; quum autem perfecta fuerit, indissolubiliter colligat amantem cum suo dilecto. Hinc, Dionysio teste, amor divinus *De Divin. nom.* c. IV. seu caritas ista infusa ecstasim facit, quo-

niam mentem amantis quasi extra se ponit, scilicet in dilectum. Unde, secundum Augustinum, anima hominis verius est ubi amat quam ubi animat, id est, in dilecto quam in corpore proprio. Caritas ergo divina, fervida ac perfecta, merito vocatur ecstatica.

Denique, quamvis amor carnalis sit caritati, id est spirituali dilectioni, valde contrarius, quamdam tamen similitudinem habent istæ dilectiones ad invicem, ita quod actus ac proprietates spiritualis amoris ecstatici melius clariusque exponi non B queunt quam per actus et proprietates amoris carnalis ecstatici. Spiritualia namque per corporalia declarantur; unum quoque oppositorum per reliquum cognoscitur. Porro amor carnalis ecstaticus, est amor ille sensualis prædominans qui a medicis amor eros* nominatur, quasi rationi totaliter prævalens. Estque amor iste impetuosa æstuansque affectio sensualitatis ad rem carnalem, cum nimia concupiscentia et inquietudine animi atque cogitationum afflictione, non sinens amantem C aliud cogitare quam objectum quod diligit; et tali amore miserrimo quidam juvenes homines mutuo afficiuntur ac contabescunt, ita quod vix comedere aut dormire jam possunt. Hinc amor iste pravissimus est ac penitus detestandus, quia tam viliter ac miserabiliter subdit rationalem creaturam rebus carnalibus ac creatis.

* ἔρως

Nunc ergo actus et proprietates divini amoris ecstatici, per actus et proprietates seu signa amoris carnalis ecstatici sunt pandenda, ut carnalem vitantes amorem, D ad divinæ dilectionis festinemus ardorem.

Itaque primum signum ac opus, seu prima proprietas amoris carnalis ecstatici, est quod taliter amorosi multa concipiunt, præsertim in absentia, sed pauca loquuntur, et ea proferunt imperfecte. Defectivæ namque locutiones propriæ sunt ita amantium, maxime dum de re amata vel cum ea loquuntur. Magnitudo quippe ingensque vis amoris rationem quasi absorbet, aliarumque virium actiones partim A suspendit ac impedit, et verba intercipit atque abrumpit : quod etiam magnitudo doloris et aliarum affectionum facere solet. Sic enim et Christus de civitate Jerusalem ex compassione locutus est per verba defectiva, dum ait : Quia si cognovisses *Luc.* XIX, 42. et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. In quibus verbis aliqua sunt supplenda. Pariformiter anima divino amore ecstatico vulnerata ac languida, paucis ac defectivis utitur verbis, loquens de Deo, vel certe cum eo, sicut in Canticis canticorum : Ego dilecto meo, et ad me *Cant.* VII, 10. conversio ejus; itemque, Dilectus meus *Ibid.* II, 16. mihi, et ego illi. Sed sicut Aaron eloquens *Exod.* IV, 14-16. loquebatur pro Moyse ineloquente, sic ratio loqui debet pro affectu, et verba affectus supplere, ut dicat, Dilectus meus mihi; hoc est : Sponsus cœlestis, Unigenitus Dei, est mihi summe conveniens, summe placens, ipse tota requies mea, opulentia mea, et bonum finaliter concupitum; et ego illi intenta sum atque complaceo. Verumtamen ista suppletio nequaquam necessaria est dilecto, qui optime novit ecstatici sancti amoris languorem, et apud quem dulcissime sonant imperfectæ seu defectivæ atque abruptæ locutiones amoris.

Secundum signum amoris carnalis ecstatici, desiccatio est membrorum. Nam taliter amorosi arefiunt in membris, quoniam ex vehementi cordis applicatione circa rem dilectam, multiplicantur in eis spiritus, ex quo desiccationem incurrunt. Sic ex amore spirituali ecstatico et ardenti, arescit anima a carnalium voluptatum humore : quemadmodum Dominus desiccavit et abstulit mare Rubrum, urente ve- *Ibid.* XIV, 21. hementique vento flante; et super Apostolos, in die Pentecostes, factus est repente *Act.* II, 2. sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. Et hoc affligit diabolum, quum viderit animam a carnalibus desideriis arefactam ex vehementia divini amoris, quia in ea non invenit requiem : ipse enim, ut *Job* XL, 16. Dominus ad Job ait, in locis dormit hu-

mentibus. Hinc beatissimus Augustinus, A
qui ante suam conversionem timuit viam salutis quasi arduam, eo quod sibi videbatur difficile voluptatibus carere carnalibus, statim post suam conversionem, divinæ dilectionis fervore accensus, et Dei suavitatem expertus, tam promptissime omnia carnalia sprevit, atque ab omni carnali affectu siccatus est, quod ipsemet admiraretur.

Tertium signum carnalis amoris ecstatici, est concavitas oculorum. Consueverunt etenim taliter amorosi oculos habere con- B
cavos seu profundos, quoniam oculi sequuntur spiritus sese retrahentes atque ad locum æstimativæ concurrentes. Conformiter oculi interiores animæ ecstatice amorosæ profundantur in capite, id est corde : totum quippe est intra quod quærit ac diligit eamque delectat; extra nil cupit, carnalia cuncta fastidit. Habet quoque oculos introrsum collectos, ut consideret an aliquid sit in corde quod Sponso
I *Reg.* XVI, 7. cœlesti displiceat, qui solus cor intuetur,
ejusque occultos accessus atque recessus C
pro posse advertat : accedit enim dum gratiam internæ consolationis ac fervidæ devotionis largitur; quam quum subtrahit, recedere perhibetur.

Quartum signum amoris carnalis ecstatici, est siccitas oculorum seu carentia lacrimarum, nisi fletus adveniat ex parte rei dilectæ : unde nec mors proximorum, nec damna rerum, lacrimas possunt in taliter amorosis excutere. Sic anima ecstatice spiritualiter amorosa ob nulla damna ad rem dilectam non pertinentia contri- D
Prov. XII, 21. statur, quemadmodum scriptum est, Non contristabit justum quidquid ei acciderit; sed de omni eo quod inhonorativum ac offensivum est Dei, intime dolet. Verumtamen cantilenæ amoris et musica instrumenta solent in carnaliter amorosis lacrimas provocare, quoniam liquefaciunt amorosum in amore rei dilectæ, et ejus memoriam innovant. Ita in ecclesiasticis canticis anima fervens in fletum resolvitur, et sui recordatur dilecti, ac ejus inflammatur amore, quemadmodum Augustinus de se ipso fatetur : Flebam (inquiens) uberrime in hymnis et canticis suave sonantis ecclesiæ, vocibus ejus vehementer affectus.

Quintum signum amoris carnalis ecstatici, est pulsus inordinatus. Omnis quippe taliter amorosus pulsum habet aut nimis tardum ac rarum, aut nimis velocem atque frequentem, secundum diversas apprehensiones quas concepit de amato. Tardus namque est pulsus ejus, dum de dilecto habendo desperat; velox autem, quando de re dilecta confidit vicem reportare amoris. Porro pulsus animæ sunt ejus affectiones. Pariformiter ergo anima spiritualiter amorosa pulsum habet velocem, id est affectiones celerrimas, dum de Sponsi cœlestis gratiosa præsentia vel gloriosa adeptione confidit : talem equidem apprehensionem habebat, qui dixit, Cor meum *Ps.* LXXXIII, 3.
et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Quum demum anima amorosa peccata sua periculumque considerat, et meliores se cecidisse atque periisse attendit, quasi a suarum affectionum velocitate lentescit, a timore concepto reprimitur.

Sextum signum amoris carnalis ecstatici, est profunda cogitatio ac sollicitudo versa ad interiora, ita quod taliter amorosus gerere videtur imaginem dormientis, qui evigilare vix valet, nisi dum de re amata sibi fit mentio. Ideo si cum taliter amoroso loquaris de his quæ inter homines fiunt, quæ ad rem dilectam non spectant, parum aut nihil advertit; sed quum de re quam amat aliquid audit, mox quasi evigilans hoc advertit, quoniam tota sua intentio, cogitatio atque affectio fixa ac recollecta est in dilecto. Simili modo anima ecstatice amorosa, ad sæcularia verba, ad impertinentes rumores, ad vana ac frivola, ad Deum non pertinentia, claudum ac tardum habet intellectum; porro ad ea quæ Dei sunt, statim attendit, et loqui de laudibus ejus lætatur, verbis sacris cum ipso insistere non fastidit. Væ igitur homini qui obtusum ac pigrum habet intelle-

ctum et affectum ad ea quæ Dei sunt et A salutis, facilem vero et acutum ad ea quæ sunt carnalia ac mundana : cui locutiones de Christo ac spiritualibus rebus sunt onerosæ ; fabulationes vero de sæculo et de his quæ ad curiositatem carnalitatemque pertinent, delectabiles sunt.

Septimum signum amoris carnalis ecstatici, est quod taliter amorosus videndo rem rei dilectæ valde consimilem, quasi insanire videtur præ magnitudine affectionis. Eodem modo anima amorosa dum bonitatem atque dulcedinem Dei in præsenti B degustat (quæ degustatio, futuræ beatitudinis quædam prælibatio est et imago), incipit alienari, et præ desiderio Sponsi cœlestis quodam modo insanire.

Itaque omnem despiciamus carnalem amorem ac vitiosam cupiditatem, et ad præfatum spiritualem amorem ecstaticum properemus, in Dei amore crescendo quotidie ; et omnes nostras affectiones adunemus ac stabiliamus in eo, ipsum in primis super omnia appetendo, amando ac honorando, alia vero non nisi in eo, hoc est C secundum voluntatem ac legem ipsius.

Postremo, hoc spirituali amore ecstatico specialiter plenus ac æstuans fuit sacratissimus Paulus apostolus, sicut et ipsemet
Galat. II, 20. ait : Vivo, jam non ego, vivit vero in me
Rom. VIII, 38, 39. Christus ; et iterum, Certus sum quia nec vita, nec mors, nec alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Nam tam ardentissime desideravit Deum ab omnibus honorari, quod non curavit quidquid pro veritate evangelicæ prædicationis ageret, laboraret ac pateretur, dummodo in divini honoris promotione proficeret. Sic quoque accensus fuit fraterno amore ; et quidquid ab incredulis sustinebat, non cessavit eos diligere, pro ipsis orare, pro eorum conversione incessabiliter laborare, discurrere, prædicare per se ipsum ac suos discipulos. Nam quamvis a Judæis quinquies fue- *II Cor.* XI, 24.
rit flagellatus, qualibet vice triginta novem ictus suscipiens, semel etiam lapidatus, et *Act.* XIV, 18.
plurimas persecutiones perpessus, nihilo minus, sicut ipsemet scribit, tristitia sibi *Rom.* IX, 2.
magna fuit, et dolor continuus, propter illorum infidelitatem : imo et anathema cu- *Ibid.* 3.
piebat esse a Christo pro illis, eo sensu quo Moyses dixit Deo, Aut dimitte illis hanc no- *Exod.* XXXII, 31, 32.
xam, aut dele me de libro quem scripsisti.

Quantumcumque ergo aliquis forefecerit nobis, non deficiamus a caritate ipsius ; sed Dei intuitu ac amore, atque ut Christo propter nos passo aliqualiter conformemur, a vitiis quoque nostris purgemur, in gratia proficiamus, omnia sustineamus pie adversa, ad laudem et gloriam Dei sublimis. Amen.

SERMO TERTIUS

DE TRIBUS VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, FIDE, SPE, ET CARITATE.

N*UNC manent tria hæc : fides, spes,* D *caritas.* I Cor. XIII, 13.

Quoniam ad supernaturalem beatitudinem creavit nos Deus ex sua bonitate, caritate et liberalitate immensa, indigemus supernaturalibus virtutibus, quibus Deo supernaturaliter jam aliquo modo assimilemur, et supernaturalem illam beatitudinem aliqualiter agnoscamus. Et istæ virtutes supernaturales infusæ sunt tres, utpote : fides, spes, caritas. Ordinatur enim homo ad Deum per intellectum, et ideo propter illuminationem intellectus datur ei fides, quæ intellectui ostendit quid credere, et ad quid finaliter tendere debeat ; item per voluntatem, quæ du-

pliciter se habet ad ultimum finem, sci- A licet Deum, puta : tendendo in ipsum, et ad hoc datur ei spes ; et tenendo amplectendoque eum, ad quod caritas ei infunditur. Denique hæ virtutes dicuntur theologicæ, quoniam a solo Deo per creationem infunduntur, et eum pro proprio habent objecto. Credendum est ergo firmissime omnibus quæ sacra docet Scriptura, et quæ credit Ecclesia, quia a Deo sunt revelata, affirmata et comprobata. Spes vero est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et propriis B meritis proveniens : quæ definitio datur de spe formata, id est caritate et bonis operibus decorata. Debemus quoque sperare exaudiri et adjuvari a Deo, prout ipse in Scripturis testatur.

Insuper caritas habet tres gradus. Primus est gradus caritatis incipientium. Primo namque incumbit homini ut recedat a malo, et concupiscentiis vitiisque resistat : et hoc agit caritas incipientium. Secundo incumbit homini ut principaliter occupetur circa profectum in bonis : et C hoc agit caritas proficientium, qui ad hoc præcipue tendunt, ut in ipsis caritas per augmenta corroboretur. Tertio incumbit homini ut in Deo quiescat, ei inhæreat, et eo fruatur : quod agit caritas perfectorum, prout huic vitæ exstat possibile. Hinc loquitur Augustinus : Caritas quum fuerit nata, nutritur; quum fuerit nutrita, roboratur ; quum fuerit roborata, perficitur; quum fuerit perfecta, cupit dissolvi et esse cum Christo. (*Philipp.* I, 23.) Præterea ordo caritatis est de necessitate salutis : ut scilicet D primo et super omnia diligamus Dominum Deum, principaliter propter ipsius bonitatem summam ac puram; deinde nos ipsos in Deo; tertio proximos, utpote omnem hominem in hoc mundo, desiderando ipsius salutem; quarto proprium corpus, cupiendo glorificationem ipsius in resurrectione futura.

Sed quia de ista materia in multis sermonibus dicta sunt plurima, nunc breviter finem impono.

Diligamus ergo nos ipsos veraciter. Homines enim carnales, libidinosi, avari, superbi, non vere se amant, sed odiunt : quoniam ea affectant, et quærunt, ac agunt, quæ suæ adversantur saluti, et quæ ineffabiliter nocent eis, quoniam privant eos felicitate æterna, acquiruntque eis damnationem perpetuam. Ideo ait Psalmista : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam (*Ps.* x, 6.); et Salomon, Usquequo stulti quæ sibi nociva sunt cupient? (*Prov.* I, 22.) Verumtamen quoniam tales sunt innumerabiles, iterum Salomon loquitur : Stultorum infinitus est numerus. (*Eccle.* I, 15.)

Sunt tamen in habitu sæculari aliqui valde boni. Nec æstiment sæculares se ad præfatam caritatis atque virtutum perfectionem non posse pertingere. Legitur namque in tertio libro Vitaspatrum, quod quadam vice, orante sancto abbate Macario in cella sua, venit ei vox de cœlo, dicens : Macari, nondum pervenisti ad perfectionem illarum duarum mulierum civitatis illius. Perrexit ergo ad eas, et dixit : Propter vos tantum assumpsi laborem ; dicite ergo mihi vitam vestram. Dixerunt : Crede quia nec hac nocte fuimus sine viris nostris : qualem ergo vitam possumus nos habere ? Tunc senex instanter obsecravit eas ut sibi exponerent vitam suam. Tunc dixerunt : Nos secundum sæculum sumus extraneæ, et placuit nobis nubere duobus fratribus secundum carnem. Quindecim quoque annis habitavimus simul, nec unquam litigavimus, nec turpe verbum dixit aliqua nostrum, sed in pace atque concordia semper viximus simul. Proposuimus autem ingredi monasterium, et rogati a nobis mariti nostri non consenserunt. Quum ergo hoc propositum implere non valuissemus, proposuimus inter nos ut usque ad mortem non proferamus verbum sæculare. Audiens hæc Macarius, dixit : In veritate non est personarum acceptio apud Deum (*Act.* x, 34; *Rom.* II, 11; I *Petr.* I, 17.), sed Deus secundum uniuscujusque virtuosum propositum dat ei Spiritum Sanctum. Cui honor et gloria per sæcula sempiterna.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ASSUMPSIT AUTEM JESUS DUODECIM DISCIPULOS SUOS, ETC. Luc. XVIII, 31-43.

Quoniam tempus quadragesimale propinquat, in quo Christifideles non solum debent corpora sua a voluptatibus refrenare, sed jejuniis quoque et abstinentiis laboribusque virtuosis affligere, atque per pœnitentiæ lamenta ac opera passioni Christi se conformare; idcirco in dominica ista legitur evangelium istud, in quo Christus suam passionem prædixit, quatenus a vanitatibus ac voluptatibus, quibus multi vitiosi nunc vacant, abstrahantur, et Christo grati esse conentur. Ait ergo Lucas evangelista :

Assumpsit autem Jesus duodecim discipulos suos, id est Apostolos : inter quos tunc proditor unus fuit, qui tanquam Satan adfuit inter filios Dei. (Job I, 6.) Origenes autem hic scribit : In duodecim adhuc erat et Judas; adhuc enim forsitan dignus erat cum aliis seorsum audire quæ passurus erat Magister. Alii dicunt, quod Christus etiam eum ad hæc audienda admisit, ut sic a traditionis scelere retraheretur. *Et ait illis* secreto, ut in Matthæo legitur, (Matth. XX, 17.) ad vitandum inquietudinem, turbationem et scandalum plurimorum, et quorumdam aliorum discipulorum suorum qui Apostolis imperfectiores fuerunt; et ne feminæ ex complexionis suæ mollitie flerent, ut moris est eis in talibus. Itaque Apostolis tanquam familiaribus Christus passionem suam prædixit, ne ea veniente scandalizarentur, nec putarent magistrum suum præventum, aut improvise captum, seu invite occisum. Denique teste Chrysostomo, tota salus hominum in Christi morte est posita, nec aliquid est propter quod magis Deo regratiari debemus, quam propter passionem et mortem ipsius. Idcirco Apostolis mortis suæ annuntiavit mysterium in secreto, quoniam semper pretiosior thesaurus melioribus vasis includitur.

A

Ecce : quod valde notabile atque mirabile est, quod scilicet Unigenitus Dei locum suæ passionis sponte accessit, et tanta pati dignabatur pro homine; *ascendimus Jerosolymam :* quæ in montanis sita fuit, ideo de Galilæa venientes ad eam localiter ascendebant; de qua jam Christus prædixerat, Non capit Prophetam perire extra Jerusalem; (Luc. XIII, 33.) *et consummabuntur,* id est, opere implebuntur, *omnia quæ scripta*

B

sunt per Prophetas, qui fuerunt quasi organa Spiritus Sancti, per quæ ipse locutus est, *de Filio hominis,* id est de me. Christus quum esset æterni Patris ac matris Virginis filius, tamen frequentius appellavit se Filium hominis propter humilitatem, ne se aliquis vane extollat. Et quod ait, « consummabuntur omnia », intelligendum est de pertinentibus ad passionem resurrectionemque Salvatoris. De cujus passione quamvis in plurimis propheticorum voluminum locis multa sunt prophe-

C

tata, tamen apud Isaiam Danielemque, et Psalmistam, (Is. LIII; Dan. IX, 26; Ps. XXI.) præsertim in psalmo cujus exordium est, Deus, Deus meus, respice in me, tam evidenter est prophetatum, ut magis historia videatur quam prophetia. Denique, quoniam Christus tam incomparabilis exstitit dignitatis, ejusque passio tam summæ fructuositatis, ac cetera ejus mysteria tam miranda et incomprehensibilia erant; decentissimum ac utilissimum fuit ea diu atque per multos desuper prænuntiari, ut suo jam tempore adimpleta,

D

firmius crederentur. Hinc omnium Prophetarum opus est Christus, et universi Prophetæ non sunt locuti nisi super dies Messiæ, ut etiam Judæorum testantur ma-

gistri. Unde in Actibus princeps Apostolo- A
Act. III, 18. rum disseruit : Deus prænuntiavit per os
omnium Prophetarum pati Christum suum.

Tradetur enim gentibus. Nam primo ad
Joann. XVIII, 12. capiendum eum venerunt cohors et tri-
bunus, qui erant gentiles, et ministri Ju-
dæorum, ut in Joanne habetur; deinde
Marc. XV, 1. pontifices et eorum ministri tradiderunt
Joann. XIX, 1-3. eum Pilato, qui tradidit eum suis militibus
ad flagellandum et illudendum; *et* ideo
illudetur, dicentibus illis : Ave, rex Judæ-
Luc. XXIII, 11. orum. Sprevit quoque eum Herodes cum
exercitu suo, et illusit indutum veste al- B
ba, ut Lucas ait. Fuit autem Christus in
passione quater illusus. Primo, in nocte
Ibid. XXII, 63, 64. in domo Caiphæ, juxta illud Lucæ : Viri
qui tenebant illum, illudebant ei, cæden-
tes; et velaverunt eum, et percusserunt
faciem ejus. Secundo, ab Herode, sicut
jam tactum est. Tertio, a satellitibus Pilati
in prætorio, quemadmodum apud Matthæ-
Matth. XXVII, 29. um scriptum est : Plectentes coronam de
spinis, posuerunt super caput ejus, et genu
flexo ante eum, illudebant eum, dicentes,
Ave, rex Judæorum. Quarto, suspensus in C
Marc. XV, 29-32; Luc. XXIII, 35-37. cruce, prout in Marco fertur : Accesserunt
autem et milites illudentes, etc. Præterea
traditus est Christus a Patre, juxta illud
Rom. VIII, 32. Apostoli : Proprio Filio non pepercit, sed
pro omnibus nobis tradidit illum. Traditus
est etiam a se ipso, quoniam per Isaiam di-
Is. LIII, 12. citur : Tradidit in mortem animam suam.
Traditus quoque est a Juda, itemque a dia-
bolo suggerente, atque a præside. Sed qua-
liter diversimode, quære infra in Passione.

Et flagellabitur : juxta illud Joannis,
Joann. XIX, 1. Tunc apprehendit eum Pilatus, et flagel- D
lavit, hoc est, a suis ministris flagellari
fecit. Fuitque flagellatus usque ad costa-
rum suarum patefactionem, ut S. Brigitta
loquitur : quod fuit nobilissimo atque te-
nerrimo corpori Christi ineffabiliter valde
pœnale; eratque valde ignominiosum, quia
publice factum est coram tot millibus ho-
Marc. XIV, 65; XV, 19. minum. *Et conspuetur.* Consputus est pri-
mo ab immundissimis atque vilissimis ca-
nibus illis nocte in domo Caiphæ; secundo
in prætorio a ministris Pilati. Hinc per

Isaiam Christus prædixit : Faciem meam Is. L, 6.
non averti ab increpantibus et conspuen-
tibus in me. *Et postquam flagellaverint,
occident eum :* quod fecerunt Judæi pro-
curando, Pilatus sententiam dando, satel-
lites ejus exsequendo. Unde in Daniele
prædictum est : Post hebdomadas sexa- Dan. IX, 26.
ginta duas occidetur Christus.

Et die tertia resurget : propter quod in
Sophonia habetur, Exspecta me in die re- Soph. III, 8.
surrectionis meæ in futurum. Itaque, post-
quam Christus animas Apostolorum de
passionis suæ prænuntiatione contristavit,
de resurrectionis suæ promissione conso-
latur eosdem, et hoc, quantum fuit ex
parte verborum suorum : quæ tamen non
intelligebantur ab eis, sicut subjungitur.

*Et ipsi nihil horum intellexerunt, et
erat verbum istud* de Christi passione *abs-
conditum ab eis,* id est incognitum, *et non
intelligebant quæ dicebantur* a Christo de
sua passione. In quo patet eorum magna
et mira simplicitas, quod verba in se fa-
cillima et tam apertissime dicta non in-
tellexerunt. Sed ejus præsentiam tantum
amabant, quod verba de ipsius ablatione
et morte corda eorum non intraverunt; et
rursus, quoniam Christus eis in parabolis
sæpissime loquebatur, etiam nunc eum
parabolice loqui forsan putabant.

*Factum est autem, quum appropinqua-
ret* Jesus *Jericho.* Ista enim verba protulit
Christus non diu ante suam passionem.
Quum enim Lazarum suscitasset a mor- Joann. XI, 44.
tuis (quem, ut aliqui dicunt, per unam
quindenam ante passionem suam suscita-
vit), tunc, inquam, paululum declinavit Ibid. 54.
persecutionem Judæorum, eo quod non-
dum venisset hora sua; deinde post pau-
cos dies cœpit reverti : et tunc dixit quæ
nunc scripta sunt, et fecit quod subdi-
tur. Quumque ergo appropinquaret civitati
quæ Jericho nuncupatur, *cæcus quidam,*
qui a Marco Bartimæus, id est filius Ti- Marc. X, 46.
mæi, vocatur, *sedebat secus viam, men-
dicans,* ut a prætereuntibus eleemosynam
peteret, quia publica via fuit ibi. *Et quum
audiret turbam prætereuntem,* quæ ibat

cum Christo, et aliqui præcedebant eum, A aliqui sequebantur, *interrogabat quid hoc esset,* id est, qui essent illi, et cur ibi simul incederent. *Dixerunt autem ei,* id est, aliqui responderunt cæco, *quod Jesus Nazarenus transiret* per viam illam, ideo alii irent ibi, eum sequentes ex diversis
Cf. p. 319 C'. causis, ut in præcedentis evangelii expositione præhabitum est.

Et clamavit, dicens, ferventi affectu altaque voce : *Jesu fili David, miserere mei.* Quamvis enim Jesum corporaliter nunquam vidisset, tamen ex aliorum re- B latu et fama eum cognovit Christumque credidit. Et quoniam tanta eum audivit fecisse miracula, sanari ab ipso expetiit. Filium quoque David eum vocavit, quoniam apud Judæos celebre fuit et omni-
Rom. I, 3. bus notum, quod Christus ex David semine nasceretur. *Et qui præibant* Jesum, sicut regem quidam præcedere solent, *increpabant eum ut taceret,* vel attædiati clamoribus ejus, vel metuentes ne Christus ejus clamoribus offenderetur, vel ne iter eorum per ejus curationem retardaretur. C *Ipse vero multo magis clamabat,* id est altius, ferventius atque frequentius : *Fili David, miserere mei* visum mihi præstando. Tanto equidem ejus affectio in se ipsa incendebatur, seu fortior calidiorque fiebat, atque in valentiorem vociferationem erupit, quanto majorem contrarietatem ac resistentiam sensit : quemadmodum aliquæ qualitates, ut frigus et calor, per antiperistasim, hoc est sui appositionem contrarii, intenduntur. Unde putei in æstate sunt frigidiores, in hieme calidiores. Hinc D ait Chrysostomus : Talis est natura fidei, ut quanto magis vetatur, eo magis accendatur : propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur; virtusque fidei in periculis est secura, in securitate autem periclitatur. Insuper dicendo, « Fili David », commemorat generis dignitatem, ut Christi captet benevolentiam, et pii ac liberalis patris, videlicet sancti David, exemplo ad misericordem subventionem provocet eum.

Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se. Poterat utique non adductum et longe sedentem illuminare, sed ad gloriam Dei illuminationemque populi, ad suæ etiam confirmationem doctrinæ, et roborationem fidei nostræ, voluit istud miraculum manifeste atque solenniter exhibere. Præterea hanc Christi stationem sequi deberent principes, judices ac prælati, stando, dum audirent aut cernerent pauperes conquerentes, oppressos, seu auxilium postulantes, et vocare illos ad se aut ire ad eos, ad audiendum eorum querelas aut preces, ut facerent eis subventionem justitiamque velociter. Sed heu! quia jam dici potest de illis illud Isaiæ, Pupillo non *Is.* I, 23.
judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos : imo, si quandoque introeat, tamen antequam expediatur, pauperes plus expendunt quam ipsa valeat causa.

Et quum appropinquasset cæcus hic Christo corporaliter : cui et spiritualiter propinquavit per fidei ac devotionis augmentum; *interrogavit illum* Jesus omnia sciens, *dicens : Quid tibi vis faciam?* Diversis ex causis unus interrogat alium. Primo, ut aliquid discat : sic discipulus magistrum interrogat. Secundo, ut sciat an alter sciat quod ab eo interrogat; tertio, ut instruat : et his duobus modis solent magistri interrogare discipulos. Quarto, ut alterius ignorantiam demonstret : quemadmodum Christus interrogavit Philippum, Unde ememus panes ut manducent hi? *Joann.* VI, 5.
ut Augustinus exponit. Quinto, ut culpam ejus tangat et increpet : sicut Deus dixit ad Adam, Ubi es? hoc est, vide in quali *Gen.* III, 9.
culpa atque miseria sis. Sexto, ut interrogati scientiam pandat, quatenus alii quam doctus sit noscant. Septimo, propter mysticam rationem. Et sic Christus interrogavit hunc cæcum : ut scilicet ex cæci responsione gloriosior appareret ejus curatio, prout verba sequentia manifestant; atque ad ostendendum quanta sit vis piæ orationis ac bonæ affectionis multoties iteratæ ac diu continuatæ.

At ille dixit : Domine, ut videam corporaliter, imo et spiritualiter. Sensus et-

enim visus præ ceteris exterioribus sen- A
sibus utilior, appetibilior jucundiorque
consistit, quia in pluribus deservit et ne-
cessarius est hominibus, pluriumque dif-
ferentias rerum ostendit, secundum Phi-
losophum; spiritualior quoque est et in
remotiora pertingens. Ideo dixit Tobias :
Tob. v, 12. Quale mihi gaudium esse potest, qui hic
in tenebris sedeo, et lumen cœli non vi-
Eccle. xi, 7. deo? Ecclesiastes quoque : Dulce lumen,
et delectabile oculis videre solem. *Et Jesus dixit illi : Respice* visu exteriori ac
interiori. Christus namque verus Deus, cu- B
Deut. xxxii, 4. jus perfecta sunt opera, quos corporaliter
illustravit sive sanavit, spiritualiter quoque curavit et illuminavit. *Fides tua te salvum fecit,* per modum causæ meritoriæ ac dispositivæ, non principaliter effectivæ : hoc est, per fidem tuam hanc illuminationem promeruisti. Tanta ergo est fidei virtus, ut per eam obtineatur salus corporalis, ut hic; et salus spiritualis, ut
Luc. vii, 50. in Maria Magdalene, cui hæc eadem verba Christus protulit, dum ei peccata sua remi-
sit; ac salus æternalis, secundum quod in C
Marc. xvi, 16. Marco scribitur, Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, etc.

Et confestim vidit. In quo patet potestas ac magnificentia Christi, cujus jussionem mox sequebatur supernaturalis effectus; et quam potestative miracula fecit, imo et auctoritative in quantum Deus : nempe ut Deus est infinitæ potentiæ, cui competit agere in instanti; sicque inter ipsius dictum et factum non fuit tempus medium, secundum Hilarium. *Et sequebatur illum,* scilicet Jesum, prompto corpore D
et devoto atque gratissimo corde, *magnificans Deum,* id est, magnitudinem et immensitatem omnipotentiæ ac misericordiæ Dei ore ac corde protestans, extollens, collaudans, et in se ac sua illuminatione materialiter repræsentans, alios etiam ad idem agendum inflammans. Erat enim potentiæ ac misericordiæ Christi argumentum gradiens super terram. Ideo subditur :

Et omnis plebs quæ aderat, *ut vidit* miraculum istud : in quo modus agendi gloriosior fuit quam opus, quia tam imperialiter fecit hoc Christus; *dedit laudem*
Deo, qui ait in Psalmo, Sacrificium laudis *Ps.* xlix, 23.
honorificabit me. Ad hoc utique tenebatur plebs illa; et Deus exigit hoc a nobis, ut ei in omnibus honorem et gloriam offeramus, tanquam omnium principalissimæ causæ independenti et nullo egenti. Propter quod per Isaiam Dominus loqui-
tur : Ego Dominus, hoc est nomen meum; *Is.* xlii, 8.
gloriam meam alteri non dabo. Psalmista quoque divini honoris zelo succensus pre-
catur : Non nobis, Domine, non nobis, sed *Ps.* cxiii, 1,
nomini tuo da gloriam. Non igitur nobis sec. Hebr.
vanissime et injuste horum aliquid usurpemus quæ soli Deo debentur, ne divini honoris et gloriæ fures, tanquam sacrilegi reprobemur a Deo. Postremo, si cæcus iste et plebs hæc explicite crediderunt Jesum esse verum Deum, tunc nomine Dei, ipsum Dominum Jesum intelligebant; si autem, quod potius puto, hoc explicite non credebant, ideo Deum laudaverunt, quia divina virtute Jesum hoc egisse senserunt.

Spiritualem autem intelligentiam hujus loci in sermone inducam.

SERMO QUARTUS

QUALITER PASSIONI CHRISTI CONFORMARE SE DEBEANT CHRISTIANI.

NON *est servus major domino suo.* Joann. xiii, 16.

Ideo Pater æternus unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum
misit in mundum, et conversari inter ho- *Baruch* iii, 38.
mines voluit, ut verbo et opere, ac tribu-

lationibus et passionibus quas perpessus **A** est, viam salutis et iter redeundi ad veram beatitudinem nobis ostenderet ac præiret. (*Gen.* II, 8.) Primi namque parentes in loco delicioso, scilicet paradiso, constituti fuerunt ante suam transgressionem, ubi in magna tam spiritualium quam corporalium bonorum opulentia erant, in grandi quoque honore et sincera jucunditate; sed tantam felicitatem peccando perdiderunt, et tam sibi quam posteris suis. Quoniam itaque paradisi divitias, delicias et honores per peccatum originale amisimus, ad cœlestem redire non possumus paradisum nisi per spiritus paupertatem : de qua ait Salvator, (*Matth.* V, 3.) Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; per pœnitentialem dolorem et afflictivam satisfactionem : unde et Christus testatur, (*Luc.* XIII, 3, 5.) Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis; et item per propriam atque spontaneam humiliationem : propter quod Filius Dei profatur, (*Matth.* XVIII, 3.) Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum; et denuo, (*Luc.* XIV, 11; XVIII, 14.) Omnis qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur. Et hæc eadem Christus exemplo monstravit : (*Zach.* IX, 9.) quia in summa paupertate venit (*Matth.* VIII, 20.) et vixit in sæculo isto, ita ut non haberet ubi caput reclinaret; persecutionibus quoque, tribulationibus atque laboribus vita ejus in sæculo exstitit plena, sicut ait in (*Ps.* LXXXVII, 4.) Psalmo : Quia repleta est malis anima mea; et rursus, (*Ibid.* 16.) Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Deinde Christus se maxime humiliavit, (*Philipp.* II, 8.) factus obediens usque ad mortem, (*Sap.* II, 20.) quam turpissimam ac acerbissimam pro humani generis redemptione sustinuit.

(*Joann.* XIII, 16; *Matth.* X, 24.) Quum igitur servus non sit major domino suo, neque discipulus super magistrum, si volumus esse ac inveniri veri servi atque discipuli Christi, oportet ut in tribus præfatis ipsum sequamur. Primo, in paupertate, omnia temporalia bona derelinquendo, vel saltem non immoderate amando, nec ea spiritualibus præferendo, (*Ps.* LXI, 11.) sicut ait Propheta : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Non enim rerum possessio, sed inordinata affectio, est in culpa. Secundo debemus sequi Salvatorem in tribulationum æquanimi perpessione. Et sicut Christus nostra deploravit peccata, (*Is.* LIII.) et satisfecit pro eis : ita nos ipsi propria debemus peccata dolorose deflere, humiliter confiteri, et vere satisfacere pro eisdem, omnia quoque adversa et aspera quæ nobis contingunt, pro nostris libenter sustinere excessibus. Tertio Christum imitari debemus in omnium mundanorum ina- **B** niumque honorum contemptu, et vera humiliatione usque ad mortem. Ipse enim in Evangelio ait superbis : (*Joann.* V, 44.) Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ? Qui ergo in hoc mundo cupiunt honorari, exaltari aut dominari, indignos se faciunt honore cœlesti, nec vere sunt servi atque discipuli Christi.

Consideremus ergo quotidie quæ, quanta et qualia pro nobis sustinuit Filius Patris æterni; et maxime caveamus ne quod **C** Judæi, et Pilatus, Herodes, eorumque satellites, Christo corporaliter tam scelerate fecerunt, nos ei spiritualiter æquivalenter ac proportionabiliter faciamus. Ab illis quippe est traditus et illusus, consputus, spinis coronatus, flagellatus atque occisus. Quæ omnia Christo quotidie faciunt impii Christiani, de quibus ait Apostolus : (*Hebr.* VI, 6.) Rursum crucifigentes sibi Filium Dei, et ostentui habentes. Christus etenim habet esse in se ipso, et item in corde fidelium. Quemadmodum ergo indurati Judæi et **D** ministri Pilati occiderunt Christum quoad esse et vivere humanum quod habuit in se ipso, sic impii Christiani occidunt eum quantum ad esse quod habet in fidelium cordibus, dum eum per peccata mortalia de suo aut proximorum corde expellunt, atque diabolo cordis sui habitaculum tradunt. Insuper, quoniam Christus sibi reputat fieri quod suis fit membris (unde ad Paulum adhuc persecutorem credentium dixit : (*Act.* IX, 4, 5.) Saule, Saule, quid me persequeris ? Ego sum Jesus Nazarenus, quem

tu persequeris; in Evangelio quoque : A *Matth.* xxv, 40, 45. Quod uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis), hinc etiam illi Christum persequuntur, tradunt, flagellant et crucifigunt, qui animas ejus sanguine liberatas ad peccata inducunt, qui pusillos ac debiles scandalizant, qui opprimunt pauperes, et qui justos molestant. Ideo ait Bernardus : Non tibi videtur Christus graviorem ab illo pati persecutionem, qui suggestione maligna, pernicioso exemplo, scandali occasione, ab eo avertit animas quas redemit, quam a Judæo qui illius B sanguinem fudit ?

Præterea, Judas tradidit Christum ex *Ibid.* xxvi, 15. avaritia : Quid (inquiens) vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam ? Judæi tradiderunt eum Pilato ex invidia, juxta illud *Ibid.* xxvii, 18. Matthæi : Sciebat quod per invidiam tradidissent eum. Pilatus vero tradidit eum voluntati Judæorum ut crucifigeretur, ex humano timore quo timuit offendere Cæ- *Joann.* xix, 12, 16. sarem. Quum enim dixissent ei Judæi : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris ; omnis enim qui regem se facit, contra- C dicit Cæsari : mox expavit Pilatus, judicavitque fieri petitiones eorum.

Judam igitur proditorem imitantur simoniaci, et usurarii, ac avari, qui pro pecuniis et opulentia temporali animas suas habent venales, easque tradunt in manus diaboli, hoc est in captivitatem et servitutem ipsius, non attendentes quod *Eccli.* x, 10. ait Scriptura : Nihil iniquius quam amare 1 *Tim.* vi, 10. pecuniam; et quod ait Apostolus : Radix omnium malorum est cupiditas.

Porro Judæos proditores sequuntur ma- D litiosi et invidi, præsertim qui gratiam Dei in proximis persequuntur, et justos diffamant aut gravant, non formidantes quod S. Joannes apostolus in sua ait epi- 1 *Joann.* iii, 15. stola prima : Omnis qui odit fratrem su- *Ibid.* ii, 11. um, homicida est ; et rursus, Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Isti *Sap.* ii, 24, 25. imitantur diabolum, juxta illud Sapientis : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

At vero Pilatum judicem sequuntur timidi et pusillanimes, qui homines et mala pœnalia vitæ præsentis magis verentur quam Deum ac pœnam æternam, quum tamen dicat Salvator : Nolite timere eos *Matth.* x, 28. qui corpus occidunt, animam vero non possunt occidere ; eum vero timete qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. Et Salomon ait : Qui *Prov.* xxix, 25. timet hominem, cito corruet. Talis etenim non est justus, qui ne humanum perdat favorem, aut ne temporale incurrat damnum, aliquid facit contra justitiam, et potius timet offensam hominis mortalis, quam Dei omnipotentis. Et tales sunt qui in præsentia vultus Dei non erubescunt vana, inutilia, immunda ac frivola cogitare sive appetere, quæ coram hominibus non audent proferre. Idcirco in talibus non est castus pudor qui ex sapientia oritur, quo homo verecundatur se coram divino adspectu injuste turpiterque habere; idcirco damnabiles sunt, et graviter punientur, secundum illud Apocalypsis : Timidis, et incredulis, et exsecratis, et *Apoc.* xxi, 8. omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda.

Noli ergo, o Christiane, noli persequi Christum, noli præfatis modis tradere aut crucifigere eum; nec solum non persequaris, sed gratias age Salvatori, et sequere eum, quemadmodum ipsemet ait : Qui vult venire post me, abneget semet- *Luc.* ix, 23. ipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Debet equidem quilibet Christianus abnegare aliquo modo se ipsum, quamvis religiosi dumtaxat per votum solenne se abnegent, obedientiam promittendo. Uno siquidem modo se ipsum abnegare, est propriam voluntatem abjicere, prout propria voluntas vocatur, quæ Deo et saluti contraria est; sicque propriam voluntatem et se ipsum abnegare, est prava desideria frangere, vitia superare, et non secundum propriam inclinatio-

nem, sed secundum divinæ legis tenorem A ac regulam vivere. Quod est se ipsum
Galat. v, 24. salubriter vincere, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, atque per bonam violentiam sibi ipsi illatam cœleste
Matth. XI, 12. regnum acquirere, sicut ait Salvator : Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Ista est via salutis, non alia. Consideremus frequenter quam indecens sit et injustum servos velle temporaliter ditari, carnaliter deliciari, inaniter exaltari, quorum Dominus in tam summa paupertate, persecutione ac humilitate vixit, B et pro eis amarissimam mortem tulit. Ideo
Joann. XIV, 6. ipse testatur : Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me, hoc est, nisi meam humilitatem, patientiam, paupertatem, caritatem, misericordiam, ceterasque sequendo virtutes.

Postremo, hoc modo secuta est Christum beatissima vidua illa S. Elisabeth, quæ fuit regis Hungariæ filia atque Landgravii Thuringiæ uxor. Quæ quasi ab infantia sua in omni innocentia et devotione Deo servivit; et potissimum in meditatio- C ne dominicæ passionis se ipsam affectuosissime ac frequentissime occupavit, in tantum quod sæpe ex nimia dilectione ad Christum et compassione ad ipsum, corporaliter quasi defecit, uberrime flevit, et proprium corpusculum cruciformiter castigavit ac flagellavit. Eratque ei delectabile pro Christi amore contemni, adversa perferre, et se in omnibus profundissime humiliare, et mediis noctibus surgere, orationibus, meditationibus, compunctionibus devotissime ac amorose insistere. Si ergo tam illustrissima, tenerrima et adolescentula regis filia, et præclarissimi principis conjux, ita devote se habuit etiam in suo palatio, et cuncta terrena despexit, corpusque suum inter ferculorum ac potuum pretiosorum supereffluentiam tam districte per abstinentias ac jejunia, per disciplinas seu virgas atque vigilias maceravit, et tam humillima fuit; quid nos barbati, pigri ac miseri, faciemus? quo evademus? Vitam ergo in omnibus emendemus, et Christi passioni nos conformare conemur.

SERMO QUINTUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE EORUM QUÆ CIRCA CÆCUM ILLUMINATUM CONTIGERUNT.

Q*UUM sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Mich. VII, 8.

Sicut in evangelio legitur hodierno, D
Luc. XVIII, 35. quum Christus appropinquasset Jericho, cæcus quidam sedebat juxta viam. Jericho interpretatur luna; per lunam vero, quæ est in mutatione quadam continua, designatur humanæ conditionis inconstantia, defectuositas atque stultitia, juxta illud
Eccli. XXVII, 12. Ecclesiastici : Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur. Quemadmodum enim luna nihil habet de lumine, nisi a sole, et statim eclipsatur, id est, luce sua privatur, dum inter eam et solem interponitur terra : sic homo nihil habet de lumine gratiæ ac virtutum, nisi a Deo; quumque mortale peccatum ab homine committitur, ita quod illud inter ipsum et Deum quasi medium ponitur, protinus luce gratiæ ac virtutum homo privatur, ut Isaias testatur, dicendo : Iniquitates vestræ diviserunt in- *Is.* LIX, 2.
ter Deum et vos. Dum ergo Filius Dei Jericho propinquavit, hoc est, quum nostræ mortalitatis naturam ac pœnalitates assumpsit, cæcus quidam sedebat secus viam.

Per cæcum istum intelligi potest genus

humanum, quod fuerat pro majori sui parte
variis vitiis excæcatum, juxta illud Isaiæ :
Is LIII, 6. Omnes nos quasi oves erravimus. Ideo se-
dit juxta viam, quia non fuit in statu salu-
tis, nec in via fidei ac virtutum, sed extra,
quia in peccatis mortalibus; et tamen pro-
pe viam, quoniam gratiæ capax fuit, atque
in statu merendi ac demerendi, et prope
erat ut illuminaretur a Christo. Quumque
genus humanum audisset Dei Filium esse
Baruch III, 38. incarnatum et cum hominibus conversa-
tum, petivit illuminationem mentis ab eo:
quia tunc quidam fuerunt quibus incarna-
tio atque præsentia Christi constabat, qui
pro totius mundi illustratione rogabant,
sicut et Zacharias, loquens ad Christum :
Luc. I, 79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra
mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros
in viam pacis. Porro qui præibant, id est
spiritus maligni, qui antequam Christus
corda humana illuminet atque inhabitet,
ea tentando accedunt, increpabant invo-
cantes Dominum Jesum Christum, quia
variis modis eos a Christi imploratione im-
pedire conati sunt. Quod advertentes ho-
mines boni, fortius clamaverunt ad Chri-
stum: qui humano compatiens generi, jussit
illud sibi adduci, id est per Apostolorum
prædicationem converti, et sibi per cari-
tatem incorporari. Quo facto, genus huma-
num gratias egit Deo.

Præterea per hunc cæcum intelligi po-
test unusquisque peccator. Omne enim
mortale peccatum mirabiliter miserabi-
literque obtenebrat mentem, juxta illud
Sap. II, 21. Sapientiæ : Cogitaverunt impii, et erra-
verunt; excæcavit enim eos malitia eo-
Ps. LXXXI, 5. rum. Atque in Psalmo : Nescierunt, neque
intellexerunt, in tenebris ambulant. Spe-
cialiter obnubilant mentem superbia, ira,
impatientia, luxuria, avaritia atque invi-
dia. Nec solum ista directe mentem excæ-
cant, sed alia etiam quædam indirecte hoc
faciunt. Et primo, abundantia divitiarum,
delicata cibaria, mollities vestium et le-
ctorum, ex quibus oritur homini facilitas
ad peccandum, occasio excedendi, materia
lasciviendi. Secundo id facit societas pra-

A va, quæ trahit ad vitia. Tertio, naturalis
pulchritudo ac amabilitas creaturarum,
quæ allicit imprudentes ad inordinatum
amorem, ita quod obliviscuntur Domini
Dei, et finem sibi constituunt in rebus
creatis, ad quas magis afficiuntur quam
ad Creatorem incomparabiliter meliorem,
pulchriorem ac dulciorem. Ideo in libro
Sapientiæ scriptum est : Creaturæ Dei fa- *Sap.* XIV, 11.
ctæ sunt in odium et in tentationem ani-
mæ hominum, et in muscipulam pedibus
insipientium. Omnia ergo ista vitare opor-
B tet, videlicet tam peccata quam occasiones
seu incitamenta peccandi.

Præterea, dum Christus appropinquat
Jericho, hoc est, dum animam peccatri-
cem, instar lunæ mutabilem, incipit mi-
sericorditer visitare, hortando eam variis
modis ad conversionem, scilicet per ad-
versa, per comminationes sacræ Scriptu-
ræ, per timorem damnationis æternæ, per
aliorum exempla sive miracula, per quæ
omnia disponitur anima ad veram contri-
tionem et gratiam; tunc cæcus secus viam
C sedens, hoc est, ad viam salutis propin-
quans, clamat ad Christum pro plena il-
luminatione. Sed qui præibant, hoc est
consuetudines malæ et cogitationum tu-
multus, renituntur, et impedire conantur;
ipse vero non cessat, sed fortius orat. Tunc
Jesus stans, hoc est ad succurrendum exhi-
bens se paratum (stare enim juvantis est),
et illum clementer adspiciens, jubet eum
adduci ad se, id est per sacerdotes absolvi
ac reconciliari. Itaque cum cæco isto af-
fectuosissime clamemus ad Dominum, ut
D misereatur nostri, atque a cunctis mundi *Ps.* LXVI, 2.
vanitatibus nos avertat, præsertim hoc tem- *Ps.* CXVIII, 37.
pore pœnitentiali.

Sed væ amatoribus sæculi hujus, væ *Is.* I, 4.
filiis sceleratis, væ vanis et intimoratis ho-
minibus, qui his diebus plus solito Deum
offendunt, ludis et jocis intenti, chorizan-
tes, gulose viventes, ac diversis vitiosis
jucunditatibus se replentes. Isti non lau-
dant Deum, sed dæmones quibus obedi-
unt; nec serviunt Christo, sed suo ventri; *Rom.* XVI, 18.
nec est timor Dei ante oculos eorum. Ideo *Ps.* XIII, 3.

Ps. LXXII, 7. prodit quasi ex adipe iniquitas eorum, A
Eccle. VIII, 11. transeuntque in affectum cordis; et absque timore perpetrant mala. Ad quos clamat
Ps. IV, 3. Propheta : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Quibus et in Proverbiis
Prov. I, 25, 26. loquitur Deus : Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis quod
Ps. II, 4, 5. timebatis evenerit. Unde ait Psalmista : Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos; tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Heu! quomodo miseri homines sic mente cæcantur, quod propria pericula non advertunt, neque quam stulte agant intelligunt? Præfatis enim vanitatibus et peccatis vacare, repugnat loco habitationis præsentis, quia in valle lacrimarum, in loco exsilii, in terra peregrinationis hic positi sumus. Repugnat et tempori vitæ istius : quia nunc tempus est pœnitentiæ et satisfactionis, tempus bene agendi, proficiendi atque ad cœlestem beatitudinem properandi; qui autem prædictis vanitatibus va-
Eccli. III, 29. cant, peccata peccatis adjiciunt, ad inferos
II *Tim.* II, 26. currunt, diabolo juxta libitum ejus obtemperant. Repugnat demum et statui vitæ hujus : status etenim hominum in hoc mundo vere et ineffabiliter periculosus est, in quo æternæ damnationis periculis in tantum expositi sunt, quod illam, comparative loquendo, pauci evadunt, atque in medio ambulant laqueorum, et ab invisibilibus hostibus undique obsidentur;
Matth. XXV, 13. in quo etiam nec diem sciunt nec horam, D et in quo quotidie tot millia animarum pereunt, et miserabiliter damnantur, et ab inferis tandem absorbentur. Verum si diligenter videremus aut rite perpenderemus, qualiter dum peccamus, dæmones adstant et complacentiam in nostris peccatis habent, nequaquam pessimos ac crudelissimos illos animarum nostrarum hostes ita lætificaremus.

II *Tim.* II, 26. Resipisce ergo, o homo, a laqueis diaboli, quibus captivus es ad voluntatem ipsius; considera quam breve, vanum et fallax sit quod illicite nunc delectat, et quam grave ac æternale sit illud supplicium ad quod perducit. Quemadmodum in Job de impiis scriptum est : Ducunt in bonis dies suos, *Job* XXI, 13.
et in puncto ad inferna descendunt. Et rursus ait Scriptura : Laus impiorum bre- *Ibid.* XX, 5-8.
vis est, et gaudium hypocritæ instar puncti; si ascenderit usque ad cœlum superbia iniqui, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet B quasi visio nocturna. Luet quæ fecit om- *Ibid.* 18.
nia, nec tamen consumetur; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit. Revelabunt cœli iniquitatem *Ibid.* 27.
ejus, et terra adversus eum consurget. Ecce quam terribiliter loquitur sacra Scriptura contra iniquos, qui quanto liberius, ardentius ac delectabilius propriæ voluntati contra Dei voluntatem consentiunt ac satisfaciunt, tanto districtius, horribilius atque pœnalius a divina voluntate contra voluntatem propriam punientur. Væ igitur C eis qui modo tam irrefrenate ac libere peccant, quasi non esset Deus, nec providentia ejus, nec futurum judicium suppliciumque æternum.

Postremo, legitur de S. Melania, quæ fuit nobilissima atque ditissima senatrix Romana, quod universa quæ mundi sunt propter Deum reliquit; ac Roma egrediens, transfretavit venitque in Ægyptum et in Terram sanctam. Deinde eremiticam vitam duxit, in omni paupertate, humilitate ac caritatis fervore serviens Deo; atque tam sancte vixit, quod multa fecit miracula, et cœlestes habuit visiones, sed et consolationes quotidie valde suaves. Hujus igitur sanctæ matronæ exemplo spernamus inania, simusque timorati in omnibus. Ad gloriam Omnipotentis. Amen.

Specialiter autem hoc tempore pastores ac prædicantes prædicent populo de prædictis, ut a vanitatibus abstrahatur. Et possunt hic multa induci ac prædicari contra gulam, incontinentiam vanitatesque sæculi : de quibus supra habiti sunt sermones.

AD RELIGIOSOS

SERMO SEXTUS

DE EXCELLENTIA ET EFFICACIA CARITATIS.

NUNC manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas. I Cor. XIII, 13.

Beatissimus Paulus apostolus, qui visceribus caritatis erat totus redundans, et igne caritatis vehementissime inflammatus ; imo teste Chrysostomo, sicut ferrum in ignem missum totum fit ignis, sic Paulus quasi in caritatis ignem et affectum videtur fuisse conversus : hic itaque gloriosus ardentissimusque Apostolus, quemadmodum in se ipso caritatis vim et proprietates excellentissime experiebatur, et eamdem foris copiosissime exercebat, sic ejus naturam et eminentiam, vim et proprietates, et efficaciam operationesque ejus subtilissime ac verissime intellexit atque descripsit, præsertim in hodierna epistola :
I *Cor.* XIII, 1-3.
asserens et protestans sine caritatis præsentia nihil prorsus ad salutem prodesse, nec quempiam aliquid spiritualiter esse aut Deo posse placere, sed nec dona gratiæ gratis datæ, ut sunt virtus miraculorum, gratia prophetiæ, peritia omnium linguarum, sine caritate alicujus exsistere meriti; et, quod plus est, nec alias virtutes, nec earum actus, quantumlibet excellentes, extra caritatem exhibitos, Deo esse acceptos, in tantum quod et si quis, quamvis ditissimus, omnia sua largiatur pauperibus, et insuper corpus suum pro fide exponat incendio, atque martyrium patiatur, caritate autem non decoretur, nil proderit ad salutem. Hinc, secundum Alexandrum de Hales et Guillelmum Antisiodorensem, si quis ex fide informi et timore pure servili moreretur pro fide, caritatem non habens, condemnaretur. Est itaque caritas virtus altissima, vitaque animæ, et ceterarum virtutum forma, motrix et imperatrix, vertex, finis ac domina.

Præterea advertendum, quod actus aliqui dicuntur a caritate procedere, modis duobus. Primo elicitive : et ita a caritate procedunt actus qui directe spectant ad eam et immediate. Qui actus sunt duplices, utpote : interiores, ut Deum diligere, desiderare, amplecti, et in ipso gaudere atque per internam pacem quiescere, amantem accendere, elevare, spiritualiter vulnerare ac languidum facere. Alii sunt actus caritatis eliciti exteriores, ut qui a præfatis actibus directe et immediate procedunt. Secundo dicuntur aliqui actus a caritate procedere caritatisque actus esse imperative, quia videlicet præcipiuntur a caritate, ita quod voluntas caritate formata et accensa, caritate eam movente ac stimulante præcipit hujusmodi actus produci, qui tamen ab aliis virtutibus directe ac elicitive procedunt. Sicque in præsenti epistola multos actus adscribit Apostolus caritati, dicendo : Caritas patiens est, benigna est; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.
I *Cor.* XIII, 4, 5, 7.

Denique tanta est dignitas caritatis, tamque sublimia sunt quæ de ea dicuntur, et tam præclarissimi ei adscribuntur effectus, quod quidam magni theologi, ut Magister Sententiarum, putabant caritatem non esse aliquid creatum in anima, id est
Cf. t. XX, p. 91 [illegible]

non habitum, nec virtutem infusam, sed ipsummet Deum, et per appropriationem Spiritum Sanctum : quod secundum doctores communiter stare non potest. Idcirco tenendum, quod caritas est virtus supernaturalis, spiritualis, infusa, voluntatem perficiens et informans, spiritualiterque omnem eam habentem vivificans : per quam Deum proximumque diligimus, optando et volendo Deo quod ipse est, et quod habet, et quod ei debetur eumque decet primo et maxime propter se ipsum ; proximis quoque bona gratiæ in præsenti et bona gloriæ in futuro desiderando, et eis ad illa pro viribus cooperando.

Idcirco per caritatem Deo volumus et cum interna congratulatione favemus suam bonitatem, perfectionem, sapientiam, opulentiam, beatitudinem infinitam; ejus quoque bonitatem, præsentiam, beatitudinem desideramus, et ei uniri ac complacere eoque frui super omnia præoptamus; zelo etiam sui honoris accendimur, ipsum totis viribus honorantes, atque ab omnibus honorari jugiter cupientes. Ecce isti sunt sanctæ et infusæ caritatis actus sive effectus : in quibus quanto perfectiores et alacriores fuerimus, tanto in caritate perfectiores ferventioresque probamur.

Præterea, inter tres virtutes theologicas, quæ sunt, fides, spes, caritas, primatum caritas ipsa sortitur. Et dicuntur tres istæ virtutes theologicæ seu divinæ, quoniam Deum habent pro immediato objecto, quamvis sub diversa ratione formali : quia sub ratione summi boni Deus est caritatis objectum; sub ratione primæ veritatis ipse objectum est fidei; sub ratione summæ beatitudinis objectum est spei. Harum virtutum, fides et spes possunt esse informes, non caritas.

Et dicuntur virtutes hæ etiam theologicæ ac divinæ, quia per ipsas præcipue et immediate colitur Deus : imo per ipsas anima Deo desponsatur, intime copulatur, et ab ipso salubriter fecundatur suaviterque amplectitur. Per has virtutes spi-

A rituales corruptio animæ recuperatur, et anima spiritualiter virgo seu integra, sponsa Christi efficitur. Insuper per caritatem efficitur homo adoptivus filius Dei, amicus Altissimi, heres Creatoris excelsi, membrum Christi atque Ecclesiæ.

Quum igitur talis ac tanta virtus sit caritas, per quam homo tam ineffabiliter dignificatur, tam supernaturaliter Spiritui Sancto conformatur, tam gratiosissime sublimatur, et ad beatitudinem perducitur æternalem ; hinc caritatem super omnia B desideremus, custodiamus, et perficere enitamur. Ipsa quippe est supernaturalis similitudo et admiranda prorsus expressio increati amoris qui Deus est, de quo Joannes ait apostolus : Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. (I *Joann.* IV, 16.) Et quoniam caritas appropriatur Spiritui Sancto, caritas specialiter Spiritus Sancti similitudo sive expressio perhibetur.

Præterea, quoniam caritas tanta est nobilitas, salus ac opulentia animæ, hostis C antiquus super omnia insidiatur, conatur et satagit caritatem in nobis ferire, lædere et auferre, vel unum contra alium incitando, vel unumquemque ad quodcumque mortale peccatum trahendo, vel saltem ad venialia et eorum frequentiam, ut sic tandem ad mortale ruamus, vel saltem in caritate minus proficiamus. Ad hæc tota illius ordinatur malignitas, qui quum sit omni invidia plenus, nulla re tantum sicut caritate nostra affligitur, igne nostræ dilectionis incenditur, pace et concordia ac D mutuo nostro caritativo obsequio, exemplarique conversatione ; et cum eo quod est caritatis nutritivum, conservativum ac perfectivum, vehementer torquetur.

Sed jam nunc contra tam crudelissimum ac invidissimum hostem, nil aliud nisi nostrarum animarum sanguinem, id est spiritualem interitum atque æternam damnationem, implacabiliter sitientem, magnanimiter provocemur, contra eum circumspecte armemur, ei infatigabiliter reluctemur, et de ipso nos fortius ulciscamur. Hæc est

optima ira, magnanimitas virtuosa, sapi- A entia vera, fortitudo præinclyta, ut quanto plus ille conatur caritatem in nobis lædere et auferre, pacem concordiamque turbare, dilectionis obsequia ædificationisque opera impedire, tanto ardentius ac indesinentius demus et extendamus nos ad omnia bona ista, et in eis persistere, proficere, perfici incessanter conemur, nosque ab insidiis inimici cum omni diligentia protegamus ac resistamus, orando, meditando, Christi passionem semper adspiciendo, sanctis exercitiis inhærendo, nos B invicem in humilitate præveniendo; sicque divini amoris ardore, fraternæ dilectionis fervore, pace interna, concordia inconcussa, humilitate profunda, patientia stabili, ædificatoriis verbis, exemplaribus actibus affligamus, persequamur, repellamus diabolum, quemadmodum ait vir sanctus : *Ps.* XVII, 38, 39. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; confringam illos, nec poterunt stare. Quod totum facere attentemus, non propriis viribus, sed benignissimo Dei ad- C jutorio jugiter confidentes ac innitentes; sicque experiemur in nobis quod promisit *Rom.* XVI, 20. Apostolus : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

Postremo, quemadmodum dæmones concorditer contra nos pugnant, et se invicem contra nos juvant; nec quisquam illorum nobis contra suos collegas exhibet opem, sed omnes dentibus contra nos strident : ita contra eos concorditer repugnemus, et orando, hortando, exemplariter conversando, nos invicem contra ipsos juvemus; nec aliquis opem præbeat illis contra suos confratres, ipsos inquietando, scandalizando, turbando, impediendo, sed simus unus atque fidelis exercitus contra aciem illorum impiorum. Sed, heu! quidam sunt nimis pusilli, nimium imperfecti et valde infirmi, qui facillime superantur, cito labuntur, atque dæmonibus contra proximos cooperantur, ipso facto illud Isaiæ dicentes : Percussimus fœdus cum morte, *Is.* XXVIII, 15. et cum inferno fecimus pactum. Hi sunt qui fratres suos scandalizando tribulant sive inficiunt, aut aliis modis a bono impedire et ad vitia trahere non verentur, non ponderantes quod ait Salvator : Væ *Matth.* XVIII, 7. homini per quem scandalum venit. Tales sunt susurratores, detractores et passionati, ac discordiam seminantes, Deo odibiles, qui sunt satellites ac vasa diaboli, per quos exsequitur quod per se ipsum concipit, sed implere non valet. Tales ergo sua pensent pericula, seque emendent. Ad gloriam Omnipotentis.

SERMO SEPTIMUS

DE LAUDE AC UTILITATE CARITATIS, ET QUAM PROXIMUM HOMINEM DEO FACIAT.

CARITAS *patiens est, benigna est.* D I Cor. XIII, 4.

Caritatem satis atque condigne quis poterit commendare? Sed quid ego tantillus de ejus præconiis potero fari? Audiamus quid magni viri de ipsa locuti sint. Climacus ait : Caritas est philosophiæ, id est sapientiæ, ministratrix; caritas, prodigiorum exhibitrix et operatrix. Caritas, illuminationis abyssus, fons, ignis; quantum sursum emanaverit, tantum sitientem inflammabit. Caritas, pacis mater, sapientiæ fons, immortalitatis et gloriæ radix; caritas, angelorum statio, sæculorum profectus. Annuntia nobis, o pulchra in virtu- *Cant.* I, 6. tibus, ubi pascas oves, ubi habites in meridie; illumina nos, pota nos, deduc nos, quoniam jam de cetero ad te ascen-

dere volumus. Tu enim dominaris univer-
Cant. IV, 9. sis. Nunc vero cordialiter animam meam
vulnerasti, nec possum tuam flammam
Ps. LXXXVIII, 11. continere. Quo te laudans ibo? Tu humi-
liasti sicut vulneratum, cogitationem su-
perbam; in brachio virtutis tuæ disper-
sisti inimicos tuos. Nisi quis obliviscatur
grossitiem insipientiæ suæ, tuam pulchri-
tudinem intelligere non valet. Tu in scala
Gen. XXVIII, 12, 13. virtutum quam contemplatus est Jacob,
apicem tenes, et in summo innixa es.

Denique de hac divinissima virtute san-
De Caritate, c. 6. ctus ait Bernardus : Flagrans et vehemens
amor, præsertim divinus, quum se intra
cohibere non valet, non attendit quo or-
dine, qua lege, quave serie seu paucitate
verborum ebulliat, dummodo ex hoc nul-
lum sui sentiat detrimentum. Interdum
nec verba requirit, interdum nec voces
omnino ullas, solis contentus suspiriis.
O amor præceps, vehemens, flagrans, im-
petuose, qui præter te aliud cogitare non
sinis, fastidis cetera, contemnis omnia
præter te, te contentus. Confundis ordi-
nem, dissimulas usum, modum ignoras:
totum quod opportunitatis, quod pudoris
et rationis, quod consilii judiciive esse
videtur, triumphas in temetipso et redi-
gis in captivitatem. Amor reverentiam ne-
Deut. VI, 13; Malach. I, 6. scit. Exigit Deus timeri ut dominus, hono-
rari ut pater, amari ut sponsus. Quid in
I Joann. IV, 18. his eminet? Utique amor, sine quo timor
pœnam habet, et honor gratia caret. Honor
quoque qui de amore non venit, non ho-
I Tim. I, 17. nor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo
honor et gloria : et tamen nullum horum
Deus acceptat, si melle amoris conditum
non fuerit. Amor per se et propter se
placet : ubi amor, non labor, sed sapor,
quia amanti nihil difficile. Magna res
amor : nam quum amat Deus, aliud non
vult quam amari, quippe qui non ob aliud
amat nisi ut ametur, sciens ipsos amore
beatos qui ipsum amant.

Insuper amor Omnipotentem vicit, ut
propter homines fieret homo. Amor Moysis
Exod. XXXII, 10-14. Deum ligavit, ut diceret ei : Dimitte me,
ut irascatur furor meus contra eos. Idem

A amor Dei iram exstinxit, et veniam impe-
travit Judæis. Amor Dei Filium instigavit Galat. II, 20.
ut pro hominum salute mortem pateretur
turpissimam, et pro suis crucifixoribus in- Luc. XXIII, 34.
tercederet.

Deinceps, de perfectione caritatis abbas
Chæremon inter cetera, Cassiano referen-
te, disseruit : Tria sunt quæ faciunt homi-
nes a peccatis cessare. Primum est metus
gehennæ præsentiumve pœnarum; secun-
dum est spes seu desiderium regni cœ-
lorum; tertium est affectus ipsius boni
B amorque virtutum. Primum fit per fidem,
secundum per spem, tertium per carita-
tem. Caritas namque ad amorem Christi
ac spiritualium fructum virtutum mentem
succendens, quidquid illis contrarium est
toto facit nos odio detestari. Hæc tria mul-
tum inter se distant. Nam timore pœna-
rum et spe præmii a peccatis recedere,
sunt eorum qui ad profectum tendentes,
necdum sincerum conceperunt affectum
virtutum. Tertium specialiter Dei est, et
eorum qui in se Dei imaginem et simi-
C litudinem habent reformatam. Deus nam-
que ea quæ bona sunt, nullo metu, nulla
remunerationis gratia provocante, sed solo
bonitatis operatur affectu. Omnia quippe,
ut Salomon loquitur, operatus est Domi- Prov. XVI, 4.
nus propter se ipsum. Suæ enim bonitatis
intuitu bonorum copiam dignis et indi-
gnis largitur, quia nec fatigari injuriis po-
test, nec hominum iniquitatibus passiona-
biliter commoveri, bonitas manens semper
perfecta immutabilisque natura.

Volens ergo proficere, de metu pœna-
D rum ascendat ad spem præmiorum; et am-
bos illos transvolans gradus, discat Deum
propter se ipsum pure diligere, et solo
bonitatis ejus intuitu ac amore ei servire
ac adhærere, ita ut voluntas ipsius trans-
formetur in affectum bonitatis purissi-
mum, in amorem virtutum, in summi bo-
ni dilectionem ferventem; sicque a vitiis
fugiat, et quæ bona sunt exsequatur, non
pœnarum formidine, nec propriæ merce-
dis obtentu, sed ex puro Dei amore, ob
ejus dignitatem, bonitatem, gloriam et ho-

norem, ut ad imitationem unigeniti Filii Dei Patris confidenter dicat : Omnia quæ habet Pater, mea sunt. In his etenim qui vel timore pœnarum aut mercedis intuitu serviunt Deo, solet aliquando interrumpi bonitatis affectus atque servitium Dei, dum aut tepore aut delectatione vigor animi relaxatus, metum gehennæ aut desiderium intermittit cœlestium : et tunc peccant. Qui autem puro bonitatis amore abhorret peccata et bona exercet, stabilis perseverat in bonis. Similiter qui ex humano timore vitat peccatum et efficit bonum, subtracta causa illius timoris, ad prava revertitur. Porro is cui Deus est ratio bene agendi, bonis fixe inhæret, quoniam rationem bene agendi semper habet præsentem.

Joann. XVI, 15.

Unde ad veram perfectionem nequaquam pervenire poterimus, nisi quemadmodum Deus nullius alterius rei quam nostræ salutis gratia nos prior dilexit, ita nos quoque eum nullius alterius rei obtentu seu causa quam suæ bonitatis ac amoris jam diligamus. Ad quam perfectionem hortatur nos Christus, dicens : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Multo etenim melius est propter ipsum bonum nolle a bono discedere, quam timore supplicii aut mercedis affectu hoc nolle. Qui enim timore tormenti aut præmii appetitu recedit a malo, velut coactus discedit ab illo, et quantum in se est, malo potius adhæret quam bono : quo constat quod non sincere diligit bonum virtutis, nec in affectum transivit bonitatis ac caritatis. Ei vero qui puro amore peragit bona, nihil honestatis adjiciet reverentia humanæ præsentiæ, nec minuet solitudo. Is talis instar cœlestis Patris, in bonos et malos, in gratos et ingratos, caritativus, pius beneficusque consistit; et impletur in eo quod in prima sua epistola dicit S. Joannes : Quia sicut ille est (scilicet Deus), ita et nos sumus in hoc mundo. In quo enim infirmus et fragilis homo esse potest sicut et Deus est, nisi in bonos et malos, justos et injustos, ad imitationem Dei, placidam semper sui cordis extenderit caritatem, et bonum propter boni operetur affectum ?

I Joann. IV, 10, 19. — *Matth.* v, 48. — *Ibid.* 45; *Luc.* VI, 35. — *I Joann.* IV, 17.

A

Hucusque Cassianus.

Sed possit quis dicere, quod juxta præhabita, Deum diligere propter ipsius beneficia ac promissa, esset caritatis perfectæ aliqualiter infectivum, quia debemus diligere Deum dumtaxat propter ipsius bonitatem, si eum pure et perfecte diligere cupimus. — Respondendum, quod in puro et perfecto Dei amore convertitur homo mere totaliterque in Deum, et nequaquam ad se ipsum ac commoda sua reflectitur. Beneficia autem atque promissa Dei dupliciter considerantur. Primo, in quantum sunt habenti aut ea habituro accommoda, salubria et jucunda : sicque propter ea Deum diligere, puritati ac perfectioni caritatis non concordaret, sed derogaret, quoniam esset ibi ad se ipsum reflexio. Secundo, in quantum sunt homini necessaria ad hoc quod Deo plene inhæreat, placeat et ministret, ac perfectissime, utpote beatifice, uniatur ad laudem gloriamque ipsius : et sic propter ea Deum diligere, caritatis perfectioni ac puritati non obsistit, sed consonat, quia tunc finaliter referuntur omnino ad Deum et ejus honorem. Præterea, ex sola pœnarum formidine aut solo præmiorum intuitu Deo servire, peccata vitare, non esset meritorium apud Deum, quum sine caritatis affectu nil sit Deo acceptum.

B C

Postremo, quoniam caritas patiens est, benigna est, nec quærit quæ sua sunt, nec inflatur, nec est ambitiosa, nec lætatur de malo culpæ confratrum, sed omnia suffert; si scire appetimus an in caritate veraciter simus, discutiamus nos ipsos, an universas has caritatis proprietates et operationes habeamus : et si sic, Deo regratiemur; si non, doleamus. Caritatis quoque est mentem sursum erigere, terrena et carnalia fastidire, frequentem ac stabilem Dei memoriam in mente causare, ea quæ Dei sunt alacriter exsequi, et Deum in se amorose complecti. Si ergo in nobis experiamur hæc omnia, probabiliter agno-

I Cor. XIII, 4-7.

D

I Joann. IV, 20. scamus quod simus in caritate divina, quam nemo habet, nisi qui et proximos omnes veraciter amat. Atque, ut sanctus affirmat Basilius, qui fratri peccanti nullam impendit benignam compassionem, A sed severam animadversionem, fraterna ostenditur carere caritate. Ideirco peccantibus non sic zelo justitiæ correptionem aut correctionem exhibeamus, quin eis ex caritate et pietate compatiamur.

SERMO OCTAVUS

DE FRUCTIBUS PASSIONIS CHRISTI ; AC QUORUMDAM RELIGIOSORUM AD EVANGELICUM HUNC CÆCUM COMPARATIO.

DIXIT Jesus ad cæcum : *Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam.* Luc. XVIII, 41.

In hodierno evangelio duo principaliter recitantur. Primum est, quemadmodum Christus suam passionem prædixit Apostolis. Secundum est, qualiter cæcum illuminavit. Debemus itaque passionem unigeniti Filii Dei in cordibus nostris tam frequenter imprimere, tam indelebiliter inscribere, tam affectuose recolere, tam efficaciter imitari, ut jugiter inter mentis oculos moveatur, appareat, adspiciatur. Ex C quo ineffabiles, copiosissimi ac saluberrimi fructus nobis mox orientur atque provenient.

Primo, quod erimus grati Domino Salvatori, cujus beneficia, potissimum passionem, non recordari, ponderare, et pro eis gratias agere, est maxima benefactoris tanti injuria, et summa improbitas ingratitudoque nostra.

Secundo, quod in omni virtute docebimur : primo in summa caritate ; deinde in obedientia, patientia, humilitate, forti- D
I Joann. III, 16. tudine, mititate : eo quod Christus animam suam pro omnibus nobis posuit, et
Philipp. II, 8. usque ad mortem obediens factus est ;
I Petr. II, 23. et quum pateretur, non comminabatur ; quum malediceretur, non remaledicebat ; nulla iræ, impatientiæ, indignationis aut amaritudinis commotione adversus inter-
Jer. XI, 19; Is. LIII, 7. fectores suos est tactus, sed tanquam B ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente obmutuit ; insuper pro crucifixoribus suis oravit. Quum ita- Is. LIII, 12; Luc. XXIII, 34.
que Christianis, præcipue religiosis, incumbat necessariumque sit, Dominum Christum sequi et ejus passioni se conformare, dicente summo Apostolo, Chri- I Petr. II, 21.
stus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ; et Joanne, Qui se dicit in Chri- I Joann II, 6.
sto manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare ; imo ipsomet Christo, Qui Joann. XII, 26.
mihi ministrat, me sequatur : si Christo placere, conformari, et suæ passionis fructum consequi affectamus, oportet nos prætactas Christi virtutes inspicere et sectari, omnes sinceriter diligendo, superioribus nostris prompto corde obediendo, adversa patienter ferendo, humilitatem in omnibus amplectendo, in arduis ac maximis adversitatibus fortitudinem retinendo. Sicque necesse est nobis bona Rom. XII, 21.
pro malis rependere, pro tribulatoribus Matth. V, 44.
exorare, indignationem, amaritudinem, ultionem vitare. Quid dicemus ad hæc, qui pro una festuca movemur, qui querulosi vindicativique sumus, et pro modica parvipensione magnam, si possumus, ultionem inferimus, atque tamdiu illatæ injuriunculæ exsistimus memores ? Numquid istud est Christi vestigia sequi, et ab ipso I Petr. II, 21.
addiscere quod mitis est et humilis corde ? Matth. XI, 29.

Tertius fructus est, quod per hoc contra

omnem tentationem armabimur. Si enim de superbia, si de inobedientia, impatientia, ira aut voluptate carnali tentemur, omnia facillime superamus, si Christi passionem modo prætacto intueamur. Quomodo enim superbire, rebellare, irasci, vindicare poterimus, si rite pensemus quam humillime, obedientissime, mansuetissime, patientissime, Rex cœlorum, Dominus universorum, Filius Dei Patris, Deus et homo, dominus et salvator, magister ac legislator, pater et judex noster, in sua acerbissima se habuit passione? Idcirco dixit Gregorius : Nihil tam asperum est et adversum quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur. Nonne si miles videret regem suum in omnibus se humillime patientissimeque habere, regis sui exemplo ad humilitatem ac patientiam moveretur?

Sed potest quis dicere: Quomodo passionem Christi potero menti meæ modo prætacto imprimere, inscribere, eamque tam jugiter et affectuose ac compassive recolere?

Ad hoc ex verbis Nesterotis abbatis patet responsio. Quum enim abbas Germanus, Cassiani collega, conquereretur se adhuc in eremo poeticarum fabularum, nugarum, historiarum et carminum inquietari memoriis, etiam in divinis, dixit ei Nesteros abbas : De hac infestatione poteris nunc curari, si eamdem diligentiam atque instantiam nunc adhibeas circa Scripturas et circa virtutum exercitationes, quam in sæculo circa illa poetica addiscenda præbebas.

Sic ad propositum dico : Si tanta aviditate, diligentia ac frequentia fecerimus nobis quotidie usum recolendi ac perspiciendi dominicam passionem, qua aviditate, diligentia atque frequentia aliquando circa vana et sæcularia fuimus occupati, cito profundissime, firmissime imprimetur jugiterque occurret mentibus nostris, et intima compassione eam commemorabimus. Quumque quamcumque nocivam cogitationem, inordinatam affectionem, vanam et frivolam occupationem, sive phan-
A tasticam apprehensionem, aut nocturnum timorem, vel puerilem formidinem, cordibus nostris oriri vel inesse senserimus, statim dominicæ passionis recordatione omnia illa celerrime atque facillime repellemus. Idcirco cum S. Bernardo, ex omnibus quæ Dei Filius pro nostra salute assumpsit, fecit ac toleravit, quasi fasciculum nobis efficiamus, et intra cordis arcana locemus, ac jugiter recordemur, juxta illud in Threnis : Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Hæc *Thren.* III, 20. 21.
B recolens in corde meo, in Deo sperabo. Non reor neque experior aptius medium proficiendi in omni gratia et virtute, superandi omnem aciem vitiorum ac omnia tentamenta dæmoniorum, quam est ipsa dominicæ passionis frequens ac devota memoria.

Præterea, per cæcum qui in evangelio hodierno legitur a Christo curatus, mystice designatur vel genus humanum, vel quicumque homo tenebris ignorantiæ, erroribus aut peccatis mortalibus excæca-
C tus, sed et religiosus propriæ iracundiæ fumo, propriæ impatientiæ morbo aut animositatis seu cujuslibet passionis commotione obtenebratus : qui passione sua durante, erronee judicat, nec sibimet credere debet, quum iracundus stulto assimiletur, *Eccle.* VII, 10. et impatiens stultitiam operetur, animosus *Prov.* XIV, 17. vero omnia sibi putet lucere, sicque sæpe suæ arrogantiæ nebula offuscetur, ut nec Deum timeat, nec hominem revereatur. Hic ergo clamet ad Christum, ut videat et suum recognoscat errorem. Dein-
D ceps omnis religiosus, quantumcumque doctus, unctus atque illustratus, cæcum se potest ac debet reputare, quia non solum Dei, sed et angelorum ac omnium civium supernorum respectu, tanquam nesciens insipiensque consistit, Jeremia loquente : Stultus factus est omnis homo *Jer.* X, 14. a scientia sua; et Psalmista, Deus meus, *Ps.* XVII, 29. illumina tenebras meas. Idcirco pro benignissima directione ac illuminatione Spiritus Sancti, omnes jugiter deprecemur, dicentes : Deduc me, Domine, in via tua; *Ps.* LXXXV, 11.

Ps. cxviii, 133. et, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum; et, Faciem tuam illumina super servum tuum; et, Doce me facere voluntatem tuam. Ibid. 135. Ps. cxlii, 10.

Postremo, secundum Bernardum, per cæcum istum cui locutus est Christus, «Quid tibi vis faciam?» intelliguntur pigri spiritualiterque infirmi, et ad sanctam obedientiam non satis proni ac fervidi. Propter quod pater eorum eis injungit ea quæ novit eis magis placentia; vel, ne per inobedientiam gravius ruant, explorat ac sciscitatur quid sibi velint juberi. Sic enim scribit S. Bernardus : Heu! plures habemus evangelici hujus cæci imitatores, cui Dominus ait, Quid vis faciam tibi? Nam usque hodie multorum pusillanimitas ac perversitas exigit ut ab eis quæri oporteat, Quid vis faciam tibi? Considerare necesse habet minister et vicarius Christi quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est eorum obedientia plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Joann. vi, 38. Discernunt et dijudicant in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptorem suum necesse sit sequi voluntatem ipsorum. Hujusmodi etsi tolerari se videant, ac condescendi et morem geri infirmitati eorum, proficiant obsecro, pudeatque semper parvulos inveniri, ne quando forte audiant, Quid debui facere vobis, et non feci? Is. v, 4. et abutentibus patientia et benignitate prælati fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis, cumulus justæ damnationis.

Insuper in regula S. Basilii quæritur : Si quis industrior sit et promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habebit? Ad hoc respondet Basilius : Merces ejus illa ipsa est, quod sibi placet, quum hoc et Apostolus dicat, Unusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Rom. xv, 2. Et ut amplius inclinaret atque constringeret audientes, addit et dicit, quia ipse Christus sibi non placuit. Ibid. 3. Scire debet unusquisque periculum suum in eo esse, quod sibi vult placere : simul enim et inobediens invenitur. De hac re multa scribit Basilius, quæ infra Deo agente tangentur. Præinducto autem verbo Basilii consonat illud Bernardi : Quisquis aperte vel occulte satagit ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit, si sibi de obedientia blandiatur; neque enim ipse in ea re prælato, sed magis ei obedit prælatus.

Discamus ergo prompte et ex caritate, absque murmuratione, in omnibus obedire; et si in principio fuerit difficultas, mactetur, frangatur, subdatur, superetur propria voluntas, atque viriliter laboremus, nos ipsos subjiciendo, propriæ cervicis duritiam conterendo, omnemque confringendo superbiam, exstirpando consuetudinem pravam, et assuefaciendo nos ad plenam subjectionem, Dei auxilium invocando, Christi et Sanctorum obedientiam contemplando, proprium quoque pensando votum, inobedientiæ enormitatem, obedientiæ virtuositatem ac præmium, et super omnia Dei majestatem ac sanctitatem, cujus intuitu et amore debemus semper libentissime obedire, ad laudem et gloriam ejus.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

HORTAMUR VOS NE IN VACUUM GRATIAM DEI RECIPIATIS, ETC. II Cor. VI, 1-10.

CONVENIENTISSIME præsens epistola in prima dominica Quadragesimæ legitur, quia in hoc quadragesimali tempore operibus pœnitentiæ, imo et cunctis exercitiis virtuosis specialissime est insistendum, quatenus hoc sacrum tempus non solum fructuose expendatur, sed totius quoque anni negligentiæ in ipso recuperentur. Et ad hoc beatus Apostolus in hodierna epistola nos hortatur, et opera ipsa quibus insistendum est diffuse prosequitur :

Hortamur vos (inquiens) *ne in vacuum,* hoc est sine fructu et perseverantia, *gratiam Dei recipiatis,* id est gratiam habitualem gratum facientem, quæ est qualitas supernaturalis a Deo infusa, intellectualem creaturam perficiens et in esse spirituali deiformi ad promerendum idoneo constituens, atque meritoriorum actuum formale ac generale principium. Quemadmodum enim res ponitur in esse naturali per formam specificam, sic intellectualis creatura ponitur in esse spirituali supernaturali per gratiam. Et sicut oportet esse naturale præcedere operationes naturales, ita necesse est esse istud spirituale supernaturale præcedere operationes æternæ vitæ meritorias. Nam sicut beatitudo illa æterna ad quam conditi sumus ac tendimus, est supernaturalis, ita per supernaturalia media ad eam pertingitur. Præterea gratiam istam primo percipimus in Baptismo; perditam vero recuperamus in

A Pœnitentiæ sacramento, quum Pœnitentia sit prima post naufragium tabula. Quoniam ergo gratia ista a Deo infunditur ut per eam meritorie operemur perseveranter, sicque gloriam adipiscamur æternam, quæ est gratiæ finis ac consummatio; qui gratia Dei hoc modo non utitur, sed per negligentiam aut mortalem culpam amittit, in vacuum eam accipit. Et sicut, beatissimo principe Apostolorum testante, melius est viam justitiæ ignorasse, quam post agnitionem reverti retrorsum; sic melius (II *Petr.* II, 21.)

B quodammodo est non recepisse gratiam, quam perdidisse susceptam. Fructuose ergo utamur donis ac gratia Dei. Unde ad Timotheum ait Apostolus : Noli negligere gratiam quæ est in te. (I *Tim.* IV, 14.) Quidam per gratiam intelligunt hic remissionem peccatorum, quam in vacuum recipit qui recidivat.

Quod autem Deus paratus sit gratiam dare, probat Apostolus. *Ait enim* Deus per Isaiam : *Tempore accepto,* id est opportuno et gratioso, (*Is.* XLIX, 8.) quod maxime est tempus

C evangelicæ legis : quod tempus gratiæ nuncupatur, quia in eo præ ceteris temporibus gratia Dei liberalissime est effusa et omni generi hominum communicata. Propter quod in Actibus loquitur Paulus : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut (*Act.* XVII, 30.) omnes ubique pœnitentiam agant. *Exaudivi te,* quicumque sis, dummodo perseveranter et salubriter postulasti. Ideo in

Matth. VII, 8. Matthæo Christus testatur : Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Unde a Joele asseri- Joel II, 32. tur : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Et in die salutis,* id est tempore liberationis factæ per Christum, quod est tempus gratiæ, *adjuvi te,* dando tibi supernaturale auxilium gratiæ ac virtutum, instinctum et consolationem Spi- Ps. CVIII, 26. ritus Sancti : sicut orat Psalmista, Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Deinceps auctoritatem inductam applicat Apostolus ad propositum. *Ecce nunc tempus acceptabile,* id est gratum et aptum ad promerendum gratiæ incrementum, quia nunc maxime operatur meritum passionis dominicæ, *ecce nunc dies salutis,* id est tempus salvationis a Christo exhibitæ. Propter quod in Actibus loqui- Act. III, 24. tur sacratissimus Petrus : Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt dies istos. Et quod Apostolus ait hic bis, Ecce, designat valde notabile esse quod dicitur, ut dignitatem temporis hujus pensemus, et in eo fructuose vivamus, Deoque grati simus quod isto in tempore nos creavit. Singulariter vero tempus hoc quadragesimale est tempus « acceptabile » et salubre, tempus christianæ militiæ, in quo jejuna- Matth. IV, 2. mus cum Christo, et præ ceteris temporibus exercitiis insistere virtuosis debemus.

Nemini dantes ullam offensionem, hoc est, nemini injuriantes, nullum scandalizantes verbo aut facto inordinato : hoc enim caritati non congruit. Ideo ad Ro- Rom. XIV, 13. manos scriptum est : Ne ponatis offendiculum fratri aut scandalum; et rursus, Ibid. 19. Quæ pacis sunt, sectemur, et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. *Ut non vituperetur ministerium nostrum,* quo Deo servimus : quia si reprehensibiliter egerimus, vituperari poterit, et aliqui scandalizarentur in nobis, et esset hoc ipsum ad Dei inhonorationem. Conari ergo debemus ut ea quæ agimus, perfecte agamus, ne bonis permixta sint mala.

Sed in omnibus actibus vitæ nostræ A *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros,* id est, prout vere decet famulos Dei : sicque, Sicut, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum; *in multa patientia,* hoc est in copiosa ac prompta tolerantia adversitatum, puta : *in tribulationibus, in necessitatibus,* id est penuriis victus atque vestitus, *in angustiis,* id est cordis pressuris, *in plagis, in carceribus :* quæ omnia pro Deo patienter sunt sustinenda : *in seditionibus* contra nos motis eo quod juste agamus; *in labori-* B *bus* manualibus, quibus necessaria victui procuramus (quod quam salubre sit pandit Propheta, dicendo, Labores manuum Ps. CXXVII, 2. tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit; unde de his qui otiositati vacant loquens : In labore (inquit) homi- Ps. LXXII, 5, 6. num non sunt; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua); *in vigiliis* sanctis, quæ fiunt ut orationibus, contemplationibus, prædicationibus et similibus exercitiis virtuosis insistatur, juxta illud Threnorum : Consurge, lauda in Thren. II, 19. C nocte in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui; *in jejuniis* pro carne domanda et gratia impetranda, *in castitate* mentis et corporis, vel conjugali, vel viduali, vel virginali; *in scientia* pertinentium ad salutem : de qua scriptum est, Dedit Deus illi scientiam Sanctorum; Sap. X, 10. unde et Apostolus ait, Qui ignorat, igno- I Cor. XIV, 38. rabitur; *in longanimitate,* hoc est longa et certa exspectatione felicitatis futuræ, *in suavitate,* id est mentis dulcedine, et pia D applicatione ad proximum, *in Spiritu Sancto,* hoc est gratiosa directione Spiritus Sancti, ut secundum ipsius voluntatem omnia ista fiant; *in caritate non ficta,* id est non simulata et falsa, qualem habent hypocritæ : unde in prima Joannis Canonica legitur, Non diligamus verbo, neque I Joann. III, 18. lingua, sed opere et veritate; *in verbo veritatis,* id est in prædicatione Christi, qui est veritas et vita, *in virtute Dei,* hoc Joann. XIV, 6. est, divinæ potestatis auxilio, non propriis viribus, jugiter innitendo; *per arma ju-*

stitiæ, hoc est virtutes et actus earum, A quibus contra tentamenta ac vitia munitur atque protegitur anima, *a dextris et a sinistris,* id est in prosperis et adversis, ut neque in prosperis extollamur aut inaniter gloriemur, nec in adversis tristitia dejiciamur, sed animo roborato in gratia, regia semper via, hoc est per rectitudinem æquitatis mediumque virtutum, tendamus ad patriam Beatorum.

Exhibeamus insuper nos Dei ministros, *per gloriam et ignobilitatem,* id est per honorationem et vilipensionem, ut sive ab B hominibus glorificemur, sive ab eis vilipendamur, firmi et puri in Dei maneamus obsequio; *per infamiam et bonam famam,* hoc est, sive diffamemur, sive celebre nomen apud homines habeamus, in Christo stabiliter perseveremus, non curantes laudes aut vituperia hominum, quantum ad nos ipsos pertinet. Tamen propter aliorum ædificationem, et ne scandalizentur, optanda et conservanda est bona fama; quod si fieri nequeat, in diffamia patientia est servanda. *Ut seductores* ab errantibus re- C putati, *et veraces* sumus verbo ac opere; *sicut qui ignoti,* hoc est quasi ignorati a Deo, ac reprobi ab impiis æstimati, *et cogniti,* id est a Deo per approbationem noti, ut confidimus vel per revelationem certi exsistimus. *Quasi morientes* vitam naturalem perdendo : quoniam adversarii fidei conabantur quotidie Apostolos trucidare; *et ecce vivimus* vita naturæ ac gratiæ, Deo nos conservante. *Ut castigati,* id est Deo permittente flagellati pro culpis nostris, vel aliorum, vel propter exemplum eorum, aut propter nostram coronationem (Deus enim flagellat filium om- *Prov.* III, 12; *Hebr.* XII, 6.
nem quem recipit, ut Salomon ait), *et non mortificati,* hoc est non occisi, nec peccato perempti, juxta id Psalmi : Castigans *Ps.* CXVII, 18.
castigavit me Dominus, et non morti tradidit me. *Quasi tristes* propter adversa, secundum aliorum opinionem, *semper autem gaudentes* in Domino, per veram patientiam, gratiarum actionem et consolationem internam, juxta illud Actuum : Ibant Apostoli gaudentes a conspectu con- *Act.* V, 41.
cilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Sicut egentes* temporalibus rebus, *multos autem,* quos ad Christum convertimus, *locupletantes* spiritualibus bonis gratiæ ac virtutum : quæ locupletatio fuit a Deo effective, ab Apostolo dispositive. *Tanquam nihil habentes,* quia omnia propter Christum reliquimus, *et omnia possidentes,* id est omnia quæ nobis necessaria sunt sive utilia ad salutem. Unde jubet Salvator ut primo *Matth.* VI, 33.
quæramus regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur nobis. Atque Psalmista : Nihil (inquit) deest timenti- *Ps.* XXXIII, 10.
bus eum.

SERMO PRIMUS

DE FRUCTUOSA TEMPORIS DEDUCTIONE.

ECCE *nunc tempus acceptabile, ecce* D *nunc dies salutis.* II Cor. VI, 2.

Sicut beatus ait Hieronymus, unum tempus non est pejus aut melius alio, accipiendo tempus secundum se; sed sicut virtus et prosperitas faciunt tempus bonum, ita vitium atque adversitas tempus efficiunt malum. Sed quia exterior prosperitas interdum plus nocet animæ quam adversitas, quum Salomon dicat, Prospe- *Prov.* I, 32.
ritas stultorum perdet illos; hinc, proprie et absolute loquendo, tempus non facit bonum aut malum nisi virtus aut vitium.

Merito igitur tempus evangelicæ legis,

« tempus acceptabile » appellatur. Primo, quia in eo misericordia Dei hominibus copiosissime est impensa, et semper impendi parata. Secundo, quoniam in tempore isto Christus pro hominibus incarnatus et mortuus est, suæque conversationis in sæculo isto ac passionis meritum hominibus liberalissime communicavit, et communicare exstat promptissimus, quemadmodum (*Apoc.* III, 20.) in Apocalypsi loquitur : Ego sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum. Christus quoque, ut Paulus testatur, interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34.). Propter quod ait Bernardus : Christus ostendit Patri latus et vulnera, ut Pater per passionem ipsius propitietur hominibus. Christus namque secundum quod homo, pro hominibus interpellat tanquam inter Deum et homines mediator. Unde ad Hebræos legitur (*Hebr.* VII, 25.) : Christus accedit per semetipsum ad Patrem, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Hinc in prima sua Canonica ait Joannes apostolus (I *Joann.* II, 1, 2.) : Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Tertio, quia in tempore isto innumerabiles fuerunt homines virtuosi ac sancti, ineffabiliter plures quam unquam ante Christi adventum, sicut Psalmista prædixit (*Ps.* CXXXVIII, 18.) : Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Quarto, quia in tempore isto gratiosissime subvenit Deus uni per alium, utpote Ecclesiæ militanti per Ecclesiam triumphantem, potissimum per Virginem gloriosam; et per preces ac merita Ecclesiæ militantis, pro cunctis fidelibus quotidie deprecantis, multipliciter Deus succurrit peccatoribus multis; atque per caritatem meritum unius redundat in alium. Rectissime ergo tempus evangelicæ legis, tempus acceptabile nuncupatur ac dies salutis.

Præterea tempus istud adhuc alia ratione « tempus acceptabile » et « dies » appellatur « salutis » : quia videlicet in ipso, omni hora tam multum proficere, promereri spiritualiterque ditari valemus, et tam multa ad hoc habemus auxilia, scilicet, misericordiam Dei, meritum Christi, angelos sanctos, Virginem gloriosam, triumphantem Ecclesiam, sacramenta Ecclesiæ militantis, preces et merita ejus, prælatos et prædicatores virtuosos, innumerabilia Sanctorum exempla ac documenta. Quum ergo quotidie tantum valeamus in omni gratia ac virtute proficere, in æternæ beatitudinis augmento excrescere, et pœnas quas peccando meruimus minorare, nonne inexcusabilis ac damnanda est negligentia nostra, si tempus nostrum infructuose expendimus, si remissi et acediosi consistimus; si non solum bona non agimus, sed et peccatis peccata adjicimus, sicut in libro Judicum scribitur, quod filii Israel (*Judic.* X, 6.) veteribus peccatis nova junxerunt? Ecce si alicubi nundinæ sint aut forum ubi indubitanter copiosissima lucra sunt, nonne fatuos reputamus desides mercatores qui negligunt ire? Et nonne incomparabiliter insipientiores sunt homines qui tempus suum in virtutibus non expendunt, qui spiritualia lucra non quærunt, qui in donis gratiæ atque in divitiis gloriæ sempiternæ proficere negligunt, imo insuper tot peccata omni die committunt?

Attende ergo, o homo, temporis tibi concessi pretiosissimam dignitatem. Ait namque Bernardus : Nil pretiosius tempore; et heu! nihil vilius tempore reputatur. Transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo perire sibi diem nunquam rediturum causatur. Hinc idem sanctus Pater iterum loquitur : Nemo nostrum parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Fabulemur, inquiunt, donec hora pertranseat. O! donec prætereat hora quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam gratiam, ad acquirendam gloriam miseratio Conditoris indulsit; donec transeat tempus quo divinam repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, adspirare ad promissam felicitatem, excitare tuam pigram

remissamque voluntatem, deflere commissam iniquitatem atque virtutem omissam!

Præterea, quamvis omne tempus nostrum in vita hac taliter appelletur « acceptabile » ac « dies salutis », specialissime tamen tempus istud quadragesimalis jejunii : quod sancta ordinavit, instituit ac deputavit Ecclesia, ut in ipso singularissime actibus pœnitentiæ insistamus, compunctioni ac devotioni vacemus, Christo propter nos passo compatiamur, cum ipso etiam jejunemus, ceterorum dierum negligentias ac peccata recuperemus et emendemus ; sicque ad recolendam ac celebrandam Christi passionem ac resurrectionem, atque ad corporis et sanguinis sui dignam susceptionem, salubriter disponamur.

II Cor. vi, 3. Insuper, juxta doctrinam Apostoli, nemini demus ullam offensionem, aliquid injuste agendo : hoc est, nullum contristemus, lædamus, scandalizemus, neque damnum alicui inferamus, imo sic singulis *Tob.* iv, 16; *Matth.* vii, 12. faciamus sicut nobis ab ipsis fieri cupimus. Atque in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, quatenus tota conversatio nostra sit quasi continua honoratio Dei. Quod est, si universa quæ agimus, ex caritate agamus recta intentione ad gloriam Dei, et adversa

A omnia amore Dei æquanimiter toleremus. Sic enim cogitationes, affectiones, verba et opera nostra meritoria erunt vitæ æternæ, et honorativa majestatis divinæ.

Postremo, hoc tempore sacro, plus solito quotidianas negligentias et culpas vitemus, actibus pœnitentiæ, compunctioni ac devotioni inhæreamus, orationibus, eleemosynis, jejuniis insistamus, superfluum somnum et omnem expellamus pigritiam, loquacitatem ac dissolutionem. Decet quoque ut circa Quadragesimæ hujus exor-
B dium omnes adulti confiteantur, ut in gratia crescant et opera eorum Deo sint grata. Conjugatos etiam ab amplexibus condecet abstinere in hoc quadragesimali jejunio, si fieri rationabiliter queat. Qualiter tamen in hoc conjugati habere se debeant, supra descriptum est, in sermone dominicæ tertiæ post nativitatem Christi circa evangelium.

Legitur de S. Francisco, quod valde magnæ abstinentiæ fuit. Unde quodam tempore solus secessit ultra fluvium ad locum
C quemdam secretum atque quietum, non nisi tres parvos panes deferens secum; et per totam quasi quadragesimam mansit ibidem, contemplationi, orationi devotionique vacans, et non comedit nisi de panibus illis tribus, tantum aquam bibens.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM A SPIRITU, UT TENTARETUR A DIABOLO, ETC. Matth. iv, 1-11.

APTE in hac prima Quadragesimæ dominica præsens evangelium legitur, quia in eo describitur qualiter Christus quadraginta diebus ac noctibus jejunavit, statimque postea est tentatus : quia Christiani tunc a dæmonibus magis tentantur, dum Christi vestigia ac virtutes efficacius imitantur. Ait ergo evangelista Matthæus : *Ductus est Jesus,* hoc est, rationabiliter

D motus est ad proficiscendum, *in desertum,* quod fuit inter Jericho atque Jerusalem, ut communiter dicitur; *a Spiritu :* non dubium quin a Spiritu Sancto, qui Christum secundum quod homo est, induxit, movit seu instigavit ad hoc quod ingrederetur desertum, propter rationabiles causas infra tangendas. Christus quippe secundum suam humanitatem, plenissimus fuit

septem donis Spiritus Sancti, juxta illud A
Is. XI, 2, 3. Isaiæ : Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, etc. Quemadmodum autem virtutes morales efficiunt hominem prompte mobilem a ratione, ut ejus sequatur judicium (refrenant etenim passiones, quibus impeditur homo ab obedientia seu sequela atque judicio rationis), sic dona Spiritus Sancti reddunt hominem faciliter mobilem seu dirigibilem a Spiritu Sancto. Itaque Christus ut homo, a Spiritu Sancto directus, motus sive inductus est, ut introiret desertum. Hinc in B
Luc. IV, 1. Luca habetur, quod agebatur a Spiritu Sancto in desertum. Agi namque seu moveri a Spiritu Sancto, caritatem et dona Spiritus Sancti habentibus competit, juxta
Rom. VIII, 14. illud ad Romanos : Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.

Præterea humanitas Christi fuit instrumentum seu organum Spiritus Sancti, imo totius superbeatissimæ Trinitatis, per eam indivisibiliter operantis : potissimum tamen fuit instrumentum Verbi æterni, a quo fuit assumpta. Ideo sicut corpus no- C strum est instrumentum animatum, immediatum, conjunctum ac proprium animæ nostræ, sic Christi humanitas fuit Verbi æterni instrumentum animatum, conjunctum, immediatum ac proprium. Hinc Christus ut homo, movebatur in omnibus a Spiritu Sancto, imo et a se ipso.

Potest quoque per spiritum quo ductus est Jesus in desertum, intelligi spiritus ejus rationalis creatus, videlicet anima (de
Matth. XXVI, 41. quo ait : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma), ad denotandum quod D propria atque spontanea voluntate, et ex rationis judicio, non coacte, desertum in-
Ibid. V, 3. gressus sit. Unde et alibi loquitur : Beati pauperes spiritu, hoc est mente seu voluntate, ut Leo Papa exponit.

Præterea, multiplex est spiritus, utputa increatus, qui est Deus (secundum illud
Joann. IV, 24. Joannis : Spiritus est Deus), et creatus. Qui est duplex, videlicet rationalis et irrationa-
Eccle. III, 21. lis : unde Salomon ait, Quis scit, si spiritus filiorum hominum ascendat, et spiritus jumentorum descendat? Porro spiritus rationalis creatus est duplex, puta conjunctus, ut anima, et separatus. Qui est duplex : nam alius est inavertibiliter ad Deum conversus, ut angelus; alter inconvertibiliter a Deo aversus, sicut diabolus.

Deinceps subditur ratio cur in desertum ductus est Jesus : *Ut tentaretur a diabolo.* Ista est una causa, non tamen tota, nec sola, neque præcipua. Poterat enim et extra illud tentari, quemadmodum et in pinnaculo templi tentatus est. Sunt ergo et aliæ causæ potiores. Prima, ut vitam solitariam commendaret, et eremiticæ ac anachoreticæ vitæ præberet exemplum. Christus quippe peccare non potuit; et virtus ejus sicut in publico non poterat impediri, ita nec solitudine adjuvari. Nihilo minus voluit diversas species vitæ virtuosæ ostendere ac docere. Hinc in pueritia habitavit cum Matre et Joseph, *Luc.* II, 51.
fuitque subditus eis, ut conversationem monasticam, qua sub obedientia spiritualis patris aut matris vivitur, exemplariter demonstraret et opere approbaret. Deinceps ingressus est eremum, quatenus, sicut jam tactum est, eremiticæ ac anachoreticæ vitæ præberet exemplum : quia ad hanc nullus secundum communem legem est aptus, nisi prius in sociali vita sit exercitatus. Secunda causa est, ut instrueret nos, quod ad pœnitentiam peragendam atque ad vacandum compunctioni, devotioni, orationi et contemplationi, solitarius præcipue conferat locus, præsertim desertum, ubi sensualium delectationum et sæcularium inquietudinum desunt objecta. Tertia, ut exemplum vitandi laudes hominum demonstraret. Mox enim ut a Joanne est baptizatus ac magnifice com- *Joann.* I, 26-36.
mendatus, imo et a Patre et Spiritu San- *Matth.* III, 16, 17.
cto honoratus, Patre dicente, Hic est Filius meus dilectus, etc., eremum est ingressus, ut ejus exemplo, et nos laudati et honorati, optemus latere, et nesciri amemus. Quarta, ut pro nostris peccatis corpus suum jejunando affligeret, atque alios actus satisfactorios exerceret. Creditur enim

quod ibi peccata mundi copiose deflevit, et pro hominibus uberrime exoravit.

Et quum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus : non utique eo modo sicut nos jejunamus, qui quotidie semel reficimur, et tamen jejunare censemur; sed toto tempore illo nullum corporeum sumpsit cibum aut potum. Ideo Lucas asserit : Nihil manducavit in illis diebus. *Postea esuriit,* hoc est statim post dies illos, non necessitate naturæ, sed divina dispensatione atque spontanea voluntate. Quamvis enim omnino supernaturale sit hominem infra tantum tempus absque cibo ac potu subsistere, sicut in Moyse et Elia, tamen in Christo mirabilius fuit quod postea esuriit, quam quod interim nil comedit : quia ut asserit Augustinus theologorum princeps et in omni doctrina excellentissimus, in epistola ad Dioscorum, Tanta exstitit beatitudo animæ Christi, quod ex redundantia ejus poterat corpus Christi ab omni passione ac læsione præservari, et præservatum fuisset nisi Deo sic ordinante redundantia illa fuisset suspensa usque post resurrectionem. Non ergo indiguit cibo, nisi ex voluntate qua voluit redundantiam illam suspendi. Esuriit quoque, ut suæ famis afflictione magnam nobis gratiam et animæ spiritualem saturitatem promereretur: siquidem quidquid fecit et pertulit ut viator, nobis meritorium fuit. Esuriit item, ut assumptæ humanitatis ostenderet veritatem, suamque diabolo absconderet deitatem, et occasionem tentandi ei conferret.

Luc. IV, 2. — *Exod.* XXXIV, 28; *Deut.* IX, 9; III *Reg.* XIX, 8.

Quæritur, cur Christus non jejunavit diutius quam Moyses et Elias. Respondet Chrysostomus, ne incredibilis videretur carnis assumptio, hoc est, ne putaretur non fuisse veraciter homo; et rursus, ne ejus divinitas pateret diabolo. Sed et propter mysticam rationem, quoniam quadragenarius numerus pœnitentiæ congruit : constat namque ex denario quater ducto, sicque designat castigationem hominis ex quatuor elementis compositi, cum observatione Decalogi secundum quatuor Evangeliorum doctrinam. Et iterum, quoniam tot diebus jejunando, offerimus Deo quasi decimas dierum anni, cui et aliarum rerum decimas offerre jubemur, secundum Gregorium.

Et accedens tentator, dixit ei. Iste tentator sive diabolus fertur fuisse Lucifer : quod Magister Sententiarum sentire videtur. Hilarius quoque testatur, quod fuerit dæmonum princeps. Et multi affirmant, quod victus a Christo, reclusus sit in inferno, detinendus ibidem quousque Antichristi tempore exeat et illum subintret. Accessit autem ad Christum in forma visibili ac humana, atque ut aliqui opinantur, in forma hominis religiosi, ut simulata sanctitate circumdatus, facilius falleret.

Subinde, sicut Unigenitus Patris pro nostra salute dignatus est incarnari, circumcidi, baptizari, crucifigi, ita et tentari. Primo, ut nobis gratiam ac virtutem triumphandi in omni tentatione promereretur. Secundo, ut nos ad sustinendum æquanimiter omnia tentamenta animaret ac provocaret : quoniam membra, et servi atque discipuli, suo debent capiti, domino ac magistro libenter ac proportionabiliter conformari. Tertio, ne quis in tentationibus quantumlibet gravibus constitutus, pusillanimis fiat, aut a Deo se suspicetur relictum, quum et Filius Dei tam acriter est tentatus. Quarto, ut formam resistendi ac prævalendi nobis monstraret. Idcirco in qualibet tentatione, per allegationem Scripturæ diabolum confutavit, ut et nos similiter faciamus. Quinto, ut tentatoris potestatem debilitaret, nosque ab omni tentatione erueret. Hanc rationem et alias quasdam tangit Apostolus ad Hebræos : Debuit (inquiens) per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum : in quo enim passus est ipse et tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari.

Joann I, 14; *Luc.* II, 21; *Matth.* III, 13; *Joann.* XIX, 18. — *Hebr.* II, 17, 18.

Præterea, quod Christus contra diabolum dimicaturus primo voluit jejunare, ostendit quod volentibus tentamenta dia-

bolica vincere, necesse est proprium corpus A a voluptatibus gustus et tactus abstrahere, ac sobrie et continenter in omnibus se habere. Abstinendo enim perducitur homo ad gratiam devote orandi; per orationem quoque devotam, ad contemplationem sinceram : et per tria hæc, ad aliorum informationem, prædicationem ac gubernationem aptissimus dignissimusque efficitur, ut sic gratiam, sapientiam et fervorem, quæ a Deo in abscondito sumpsit, per ignea et efficacia verba aliis communicet et proponat. Ideo Christus antequam pu- B blice prædicare exorsus est, prius in solitudine, jejunio, orationi et contemplationi vacavit, ad instruendum aliorum rectores, prædicatores atque prælatos, ut primo se ipsos in actibus illis exercitent, quatenus per hoc mereantur a Deo gratiam efficaciter prædicandi ac fructuose regendi, ut scilicet verba quæ proferunt, non ex frigido corde ac arido, sed ex gustu interno, ex caritatis fervore, ex spirituali experientia profluant, sicque audientes accendant,
Ps. CXLIV, 7. juxta id Psalmi : Memoriam abundantiæ C suavitatis tuæ eructabunt.

At vero tentare, proprie sumptum, est experientiam explorare, seu certitudinem investigare, de re ignorata, vel dubia. Diabolus ergo dubitavit de Jesu Nazareno, an esset Christus : habuit namque pro utraque parte sibi quodammodo insolubilia argumenta. Dicit namque Ambrosius, quod ex eo quod diabolus explorando ac tentando loquitur Christo, Si Filius Dei es, constat quod noverat Filium Dei venturum, sed hunc esse Jesum non æstimavit, pro- D pter corporis infirmitatem quam in ipso perpendit. Joannes Chrysostomus quoque
Luc. II, 14. fatetur, quod diabolus audivit angelos, Gloria in excelsis Deo, in Christi nativitate cantantes; angelum etiam pastoribus nun-
Ibid. 11. tiantem, Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Itemque vidit tres Magos puerum adorantes; Simeonem demum ac Annam viduam et
Dan. IX, 24-27. Joannem Christo testimonia perhibentes audivit. Ex prophetia etiam Danielis de numero hebdomadarum, agnovit tempus adventus Christi esse impletum. Ex aliorum quoque oraculis Prophetarum, cognovit quod Christus sit Deus. Ex quibus omnibus vehementer suspicabatur quod Jesus esset Christus Unigenitus Dei. Porro, ex alia parte, videns eum inter populares et peccatores baptizatum, et fame confectum, dubitavit et fluctuavit quomodo talis posset esse Filius Dei, verusque Deus : ideo veritatem explorans, dicebat, Si Filius Dei es, etc. Hinc et alii quidam dicunt, quod diabolus humilia in Deo non potuit credere.

Sed circa hæc verba dubitationes non parvæ occurrunt. Quum enim diabolus sit tantæ subtilitatis atque scientiæ, scivit certissime angelos sanctos nequaquam mentiri. Si ergo præfata angelorum audivit testimonia de Christi nativitate exhibita, viditque quod puerum illum Magi adoraverunt quem angelus asseruit esse Christum, nequaquam dubitasse videtur quin Jesus fuerit Christus. Rursus, sicut ex Prophetarum eloquiis noverat Dei Filium incarnandum, sic quoque ex eisdem scivit eum pro mundi salute passurum, imo ignominiosissima morte necandum. Hoc enim per Isaiam, atque in psalmo qui *Is.* LIII; *Ps.* XXI.
incipit, Deus, Deus meus, respice in me, etc., evidentissime est prædictum. Itaque apparet, quod non ideo æstimaverit Jesum non esse Christum, quia abjecta sustinuit : præsertim quoniam scivit Christum inter homines conversaturum, atque in magna paupertate victurum, prout per Zachariam *Baruch* III, 38; *Zach.* IX, 9.
et Baruch fuit prædictum; imo tempore passionis Christi, videns ineffabilem patientiam ejus, suggessit uxori Pilati ut persuaderet Pilato : Nihil tibi et justo illi. *Matth.* XXVII, 19.

Propter hæc et multa similia quæ possem inducere, non video quid ad hanc difficultatem solvendam aptius valeat responderi, nisi quod libro nono de Civitate Dei, capitulo vicesimo primo, asserit Augustinus : Dæmonibus, inquit, tantùm innotuit quantum voluit; tantum autem voluit quantum oportuit, hoc est, expediens

fuit, hoc est, quantum terrendis innotescendum fuit. Innotuit quoque eis, non per id quod est vita æterna et incommutabile lumen, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta seu opera, et occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati humanæ possent esse conspicua. Insuper, quando ea Christus paululum supprimenda judicavit et aliquanto altius latuit, tunc dubitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit, an esset Christus explorans, quantum se ipse tentari permisit. Hæc Augustinus.

Hinc arbitror quod diabolus, ex præinductis de angelorum concentu et annuntiatione, testimoniisque Simeonis, Annæ, Joannis Baptistæ parentumque ejus, et aliis variis verbis, factis atque miraculis Christi, certitudinaliter ac stabiliter cognovisset Jesum esse Christum, si Christus hoc permisisset, potissimum dum Christus aperte docuit post hæc esse se Christum in lege promissum, ac Dei Unigenitum, idque per miracula soli Deo possibilia confirmavit. Illa etenim verba et opera non latuissent diabolum, si Christus permisisset. Nihilo minus Christus quædam fecisse asseritur, ne sua nativitas dæmonibus innotesceret : et tamen quædam illorum talia exstiterunt, quod diabolus per suam naturalem industriam potuit ea cognoscere, eaque cognovisset, nisi divinitus fuisset prohibitus ; et ita per ea Christi cognovisset nativitatem. Communiter enim dicitur, quod Christus suam Matrem virgineam esse voluit desponsatam, ne ejus virginitas, et per illam sua nativitas pateret diabolo : et tamen non obstante desponsatione, diabolus faciliter explorasset ac cognovisset, an Mater Christi virgo fuisset, ut communiter doctores scholastici, Thomas, Albertus, ac alii, scribunt : præsertim quia et per humanam potest explorari industriam, an puella sit virgo. Unde quod hoc diabolum latuit, fuit quia divinitus fuit prohibitus, nec explorare permissus. Sic ad propositum dico, quod testimonia angelorum hominumque sanctorum de Christo præfata, tantum ac taliter innotuerunt diabolo, quantum et qualiter Deus voluit ac permisit : cujus moderamine factum est, ut diabolus sic sæpius fluctuaret considerando diversa circa Christum et opera ejus. — Hæc tam prolixe induxi, quia frequenter in Scripturis et infra locum habet hæc quæstio, qualiter dæmones ac Judæi noverant Jesum esse Christum.

Postremo et illud notandum, quod Augustinus adstruit Christum a principe dæmonum esse tentatum : unde communiter a Lucifero tentatus asseritur.

Denique, per hoc quod diabolus Christum post baptismum atque jejunium tentare aggressus est, constat quod tunc hominem potissimum tentat et impedire ac vincere nititur, quum viderit eum spiritualem incepisse profectum, ac aliquo ferventiori proficiendi affectu succensum. Ideo in Ecclesiastico docetur : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* II, 1. Insuper, ex hoc quod non legitur Christum tentasse nisi postquam desertum ingressus est, insinuatur quod illos præcipue conatur tentator dejicere, qui student perfectioni, solique Deo, relicta frequentia hominum, vacare nituntur. Hinc secundum doctores et sanctos Patres, solitaria et eremitica vita periculosa est imperfectis, loquendo de vita omnino solitaria, non sociali. Vita autem Cartusiensium, inter vitam omnino solitariam et claustralem ac socialem medium tenet. Præterea, per hoc quod completo mirabili illo jejunio Christum aggressus est dæmon, insinuatur quod virtuosos ac religiosos etiam tunc de spiritualibus vitiis tentat, quum eos carnalia viderit superasse peccata. Nunquam ergo securi et improvidi simus, sed timorati semper et circumspecti, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Nisi in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. *Ibid.* XXVII, 4.

Itaque, « accedens tentator », hoc est dia-

bolus (qui ab actu et habitu tentandi appellatur tentator, prout tentare sonat in vitium, seu ad fallendum atque vincendum malevole ordinatur), « dixit ei » : *Si Filius Dei es.* Noverat versipellis iste, quod in Scripturis angeli sancti hominesque devoti vocentur filii Dei, nec dubitavit de Christi sanctitate : idcirco ejus intentio fuit inquirere, an Christus esset naturalis ac unicus Filius Patris æterni, verusque Deus et Patri consubstantialis. *Dic,* hoc est, propria auctoritate jube, jubendoque effice, *ut lapides isti,* qui coram te jacent, *panes fiant.* Cogitavit autem callidissimus iste tentator : Si propria potestate poterit subito rerum naturas mutare, lapides convertendo in panes, sciam quod Deus sit, *Ps.* XXXII, 9; CXLVIII, 5. de quo ait Scriptura, Ipse dixit, et facta sunt; quod si non poterit, purus homo apparebit. Ideo dæmon locutus est valde astute. Non enim dixit, Roga Deum ut lapides convertat in panes, vel, Pete a me ut ego hoc faciam; sed ait, Dic, id est, solo imperio imperialique verbo hoc fac. Scivit equidem iste malignus, quod taliter rerum naturas mutare, et unum in aliud ita convertere, Deo sit proprium : cui *Sap.* XII, 18. a Sapiente dicitur, Subest tibi, quum volueris, posse.

Primo quoque tentavit Christum de vitio gulæ, et lapidum in panes mutatione, eo quod esset fame laborans, et per consequens ad panis appetitum ac tale miraculum pronior, ut putavit tentator. Quo patet quod unumquemque de illo specialiter tentat peccato ad quod eum conspicit proniorem : idcirco quilibet contra illa præcipue vitia debet pugnare ad quæ se procliviorem agnoscit. Id demum est intuendum, quod non tentavit Christum in primis de aliquo manifeste inhonesto, turpi ac vitioso, quoniam sanctitatem ejus consideravit, nec confidebat quod ad tale aliquid posset eum statim inducere. Quo datur intelligi, quod eos quos non potest per aperta decipere mala, per apparenter bona nititur fallere, ut per immoderatas abstinentias, vigilias, castigationes, fictasque visiones.

A Propter quod ait Apostolus : Ipse Satanas in angelum lucis se transfigurat. *II Cor.* XI, 14. Propterea necessaria est discretio spirituum.

Tentavit igitur Christum astute. Sed non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum. *Prov.* XXI, 30. Sapientia enim in omnibus sapienter agit.

Quid ergo respondit Fons sapientiæ, *Eccli.* I, 5. Verbum Dei in excelsis, sequitur : *Qui respondens, dixit ei : Scriptum est* in Deuteronomii libro : *Non in solo pane vivit homo,* *Deut.* VIII, 3. hoc est, non solum corporeo B alimento indiget homo ut bene subsistat, *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* id est, per verba sacræ Scripturæ homo salubriter vivit, eisque indiget ut bene subsistat ac spiritualiter roboretur. Quemadmodum enim quantum ad corpus et conservationem in vita naturæ, indiget homo nutrimento corporeo; sic quantum ad animam et conservationem in vita gratiæ, indiget verbo Dei. Quod merito dicitur cibus animæ, quia id spiritualiter agit in anima, quod corporeum alimentum in C corpore. Materiale etenim alimentum restaurat deperditum, confortat naturam, ad debitam quantitatem perducit, in vita conservat, et refectum lætificat : sic verba divina hominem inducunt ad pœnitentiam, qua deperdita tempora et bona omissa, opera quoque virtuosa per mortale peccatum mortificata, recuperantur; interiores animæ vires confortant; ad debitam spiritualis profectus mensuram perducunt, hortando, comminando, jubendo, consulendo, ac aliis modis, sicut ait Apostolus : D Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis *II Tim.* III, 16, 17. est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum paratus. Conservant quoque animam in vita gratiæ actibusque virtutum. Et breviter, verbum Dei intellectum illuminat, ad fidem inducit, spem roborat, caritatem accendit, opera dirigit, contra tentationes confortat, in bonis cor stabilit, consolatur atque delectat, mortemque culpæ, videlicet passiones, errores et vitia, expellit ab anima.

Ps. cxviii, 105. Hinc ait Psalmista : Lucerna pedibus meis
verbum tuum, Domine, et lumen semitis
Ibid. 14. meis ; itemque, In via testimoniorum tu-
orum delectatus sum sicut in omnibus
Ibid. 140. divitiis ; et rursus, Ignitum eloquium tu-
um vehementer. In libro Sapientiæ quo-
Sap. xvi, 26. que legitur : Non nativitatis fructus, sed
sermo tuus, Domine, eos qui in te credunt
conservat.

Victus ergo diabolus in prima tentatione, qua Christum tentavit de gula, tentavit eum secundo de superbia et gloria vana. Noverat quippe hostis versutus, viros perfectos, qui gulam faciliter vincunt, frequenter motu superbiæ vanæque gloriæ tangi. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem.* Qualiter autem eum assumpserit, Scriptura non exprimit. Quidam vero affirmant, quod portavit eum in brachiis, vel humeris suis, tanquam fatigatum et debilem ex longo jejunio et magnitudine famis, quasi compatiens ei : cui et Christus acquievit, ut falleret deceptorem. Alii dicunt, quod portavit eum volando per aerem : unde Lyra dicit, quod intentio dæmonis Christum portantis erat, ut Christus a populo videretur volare, atque ex hoc inaniter gloriaretur. Alii dicunt, quod Christus ivit secum super ipsum apodiando, ut fessus. Alii, quod diabolus duxit eum quasi manu ad manum super terram. Et hoc verius puto, quod super terram Christus cum illo perrexit absque illius contactu, quia hoc magis consonare videtur ei quod scriptum
Luc. iv, 9. est apud Lucam : Et duxit illum in Jerusalem. Quocirca loquitur Origenes : Sequebatur plane Christus, quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens, et quodammodo loquens : Duc me quo vis, invenies me in omnibus fortiorem. Porro, quod volando per aerem Christum portavit, minus videtur : quia communiter dicitur, et verisimile est, quod diabolus in forma humana, ac specie hominis religiosi seu eremitæ, Christum in prima tentatione aggressus est, ut eum per simulatam sanctitatem citius falleret ; et hanc formam seu speci-
A em in secunda tentatione videtur servasse, in qua adhuc sub specie boni Christum tentavit, Scripturam allegans ad persuadendum. Si autem volasset secum per aerem, prodidisset se ipsum.

Assumpsit ergo Jesum « in sanctam civitatem », hoc est Jerusalem : quæ sancta vocatur, quia in veteri Testamento electa fuit ad cultum Dei, et erat in ea templum, et fuit ac viguit ibi interdum observatio legis ; deinde ipsemet Christus in ea frequenter fuit, prædicavit, miracula fecit,
B sanguinem fudit. Primitiva quoque Ecclesia ibi fuit, Spiritum Sanctum recepit ; et evangelicam legem Apostoli ibi prædicare post Christi resurrectionem exorsi sunt, et tunc fuit ibi vita Christianorum sanctissima. *Et statuit,* id est posuit, *eum super pinnaculum templi,* id est deambulatorium quoddam planum, quod fuit supra aliquam partem vel portam templi, ubi sacerdotes sedere solebant dum populo prædicabant. Duxit autem diabolus Christum de deserto versus Jerusalem, non
C quasi vim inferendo, sed admonendo ut iret ad homines causa vescendi sive docendi, vel ob aliud opus quod bonum apparuit. Et quoniam voluit Christum tentare de gloria vana, duxit eum ad urbem regiam totius Judææ metropolim, ubi major fuit occasio ac incitatio appetendi laudem humanam ; posuit quoque eum supra pinnaculum, ubi magistros Judæorum solitus fuit ad multiplicem inducere vanitatem.

Et dixit ei : Si Filius Dei es, non sicut
D ceteri sancti, sed Unigenitus Patris, de quo Filio ejusque incarnatione ac passione Prophetas scio esse locutos ; *mitte,* hoc est projice, *te deorsum* in conspectu adstantium, ut videntes te sine læsione cadere, aut sine casu volare, mirentur, teque collaudent, et magnus de cetero habearis ab omnibus, qui latuisti tam diu. Nec habes timere, *scriptum est enim* in Psalmo :
Quoniam angelis suis mandavit, hoc est, *Ps.* xc, 11, 12.
præcepit Deus Pater, *de te,* quod in psalmo illo subjungitur, scilicet : Ut custodiant

te in omnibus viis tuis; non autem in vanis præcipitiis : idcirco diabolus hoc subticuit, ne sua fraudulentia notaretur a Jesu, quem sapientem esse perspexit. *Et in manibus,* hoc est sua virtute ac operatione seu administratione, *tollent,* hoc est portabunt *te,* quum fuerit opportunum, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* hoc est, ne aliquid in via tibi obsistat aut læsionem inducat. Secundum Hieronymum, aliosque doctores, psalmus ille non est ad litteram scriptus de Christo, sed de quocumque homine justo viatore, angelorum custodia indigente, qua Christus non eguit. In quo patet dolus diaboli, Scripturam mendaciter, et tamen verisimiliter multumque apparenter allegantis et applicantis. Christus autem angelorum auxilio et custodia non egebat, quia et secundum superiores animæ suæ vires exstitit comprehensor, angelis cunctis perfectior, eisque altior, dignior atque potentior, non solum secundum quod Deus, imo et secundum naturam assumptam, propter ejus cum Verbo æterno hypostaticam unionem. Porro scriptura illa non est ita intelligenda, quasi electi et virtuosi in vita hac per angelorum custodiam a malis pœnæ seu adversitatibus et tormentis præserventur aut eripiantur, quamvis interdum hoc accidat : imo multæ sunt tribulationes justorum in vita præsenti; sed quod a malis culpæ potissimum præserventur per angelos, et ab aliquibus etiam corporalibus nocumentis. *Ps.* XXXIII, 20.

Circa hunc locum loquitur Origenes : Unde tibi, diabole, scire quod ista sunt vera? Numquid legisti Prophetas, aut divina eloquia? Legisti quidem, non ut ex eorum lectione melior fieres, sed ut de simplici littera eos qui amici sunt litteræ interficias. Vide autem quomodo et in ipsis testimoniis diabolus versipellis est. Vult enim minuere gloriam Salvatoris, quasi indigeat auxilio angelorum, offensurus pedem nisi illorum auxilio sublevetur. Hoc enim testimonium, non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est : non enim indiget angelorum auxilio, qui major est angelis. Quin potius disce, diabole, quod nisi Jesus adjuvaret angelos, offenderent pedes suos. Quare autem siles quod subditur : Super aspidem et basiliscum ambulabis, etc., nisi quia tu es aspis, tu basiliscus, tu leo, tu draco? Hæc Origenes. *Ps.* XC, 13.

Ait illi Jesus rursum : Scriptum est in Deuteronomio : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc protulit Christus, non se appellando Deum diaboli, quamvis sit ejus creator, Deus, ac Dominus, neque directe increpando diabolum de hoc quod Christum creatorem suum tentare præsumpsit : non enim voluit insinuare diabolo Deum se esse. Sed sensus est : Non tentabis Dominum Deum tuum, id est, O homo quicumque, non præsumas Deum tentare. *Deut.* VI, 16.

Porro Deum tentare, est absque necessitate de ejus sapientia, providentia, vel potentia, experimentum sumere, utputa omittendo quod aliunde potest vel habet homo, et secundum humanum modum sibi incumbit. Multipliciter autem contingit sic Deum tentare. Primo, experimentum quærendo de sapientia ejus, an omnia sciat; vel de providentia ejus, an humana gubernet, et servientibus sibi adsit, quemadmodum in Exodo de filiis Israel scriptum est : Dixerunt, Estne Dominus in nobis, an non? Vel de omnipotentia ejus, secundum illud in Psalmo : Tentaverunt Deum, et dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Item experiendo voluntatem Dei : ut illi qui volunt experiri utrum Deus infra tempus præfixum eos velit liberare, ita quod postea ejus non præstolentur auxilium nisi interim eis subvenerit, juxta illud Judith : Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrio vestro diem constituistis ei. Rursus hoc fit, indebite experimentum quærendo quid homo possit apud Deum : et hoc diabolus Christo suasit. Hæc ergo vitanda sunt, quamdiu habet quis aliud *Exod.* XVII, 7. *Ps.* LXXVII, 18, 19. *Judith* VIII, 11, 13.

quod faciat, et quo sibi provideat seu veritatem cognoscat. Quod si non habuerit, nec aliunde quiverit adipisci, tunc cum ingenti fiducia invocet Deum pro ope, juxta illud secundo Paralipomenon : Quum (II *Par.* xx, 12.) ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te, Domine, dirigamus. Quoniam itaque a pinnaculo templi fuit via ad terram per gradus, præcipitare se inde fuisset Deum tentare. Si autem Sancti vicissim legantur in talibus humana contempsisse subsidia, atque divinæ se providentiæ commisisse, ex occulto Spiritus Sancti videtur processisse instinctu, nec ad imitationem trahendum.

Deinceps describitur tentatio tertia, quæ fuit de avaritia et ambitione. *Iterum assumpsit eum diabolus,* forte eo modo quo ante (nam Lucas ait : Et duxit illum), (*Luc.* iv, 5.) *in montem excelsum valde,* ut locus esset occasio consentiendi tentationi, quoniam ex mutatione locorum frequenter mutantur affectus; *et ostendit ei omnia regna mundi,* id est principalia vel quædam de omnibus; vel, omnia regna ostendit ei, non ad oculum corporalem, sed intellectualem, species et dispositiones regnorum ei proponendo, seu concupiscibilia illorum commemorando. Porro secundum Theophilum, ostendit ei omnia regna in phantasmate : et forte per phantasma intelligit Theophilus imaginariam visionem. Chrysostomus vero imaginatur, quod regna viciniora ostendit ei ad visum exteriorem, quantum fieri potuit; cetera quodam indicio, velut si quis cum alio stans, digitum versus diversas mundi regiones extendat, dicendo : Ecce ibi est Roma, ibi Alexandria. *Et gloriam eorum,* id est, divitias, delicias, pompas terrenorum regnorum exposuit Christo. *Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens,* id est, in terram te prosternens, vel super genua ruens, *adoraveris me* adoratione latriæ. Hæc est antiqua et solita dæmonis pompa, ut Deo assimilari et a creaturis adorari ac divinis honoribus coli desideret.

Tunc dixit ei Jesus : Vade, id est, recede a me, *Satana,* id est, adversarie veritatis. Vade, inquam, in ignem æternum, secundum Hieronymum. *Scriptum est enim* in Deuteronomio : *Dominum Deum tuum* (*Deut.* vi, 13.) *adorabis* adoratione interiori ac exteriori. Deo namque tanquam altissimo principi, ac maximo benefactori, propria quoque virtute salvare potenti, nec aliquo indigenti, debetur summus singularisque honor, videlicet latriæ cultus interior atque exterior. Interdum tamen adoratio extense accipitur pro honoratione duliæ : per quam excellentes creaturæ debite honorantur. Sicque multoties in Scripturis leguntur quidam adorasse angelos vel homines magnos, ut Josue angelum, et Nathan (*Josue* v, 15.) propheta David regem. (III *Reg.* i, 23.) *Et illi soli servies* servitute latriæ. Latria namque est virtus quæ Deo cultum cærimoniamque impendit. Si vero hoc verbum de quacumque servitute exponatur, sensus est, quod soli Deo serviendum sit propter se atque finaliter : ita ut quidquid servitutis exhibitum fuerit creaturis, totum ad Dei referatur honorem, et propter ejus ordinationem et voluntatem agatur, ut dum homini ministramus, non tam homini quam Deo in homine obsequamur.

Præterea perpendendum, qualiter Christus falsas a diabolo sumptas ex Scripturis sagittas, veris Scripturarum clypeis rejiciat et confringat.

Tunc reliquit eum in monte isto sublimi, *diabolus,* confusus et victus, atque de Christi divinitate incertus, nec sciens an esset Christus. *Et ecce angeli accesserunt* repente ad Jesum, *et ministrabant ei,* non quasi indigenti, sed ut Domino, cum humilitate ac reverentia, eum de montis vertice reponendo in terra, quamvis Christus propria virtute sine difficultate ac læsione potuisset descendere, non solum potestate divina, sed et dotem agilitatis assumendo. Nec solum hac vice, sed etiam ante angeli ministraverunt ei in eremo, juxta illud Marci : Spiritus expulit eum (*Marc.* i, 12, 13.) in desertum; eratque cum bestiis, et an-

geli ministrabant ei. In quibus omnibus, A divinitatis majestas humanitatisque veritas declarantur in Christo.

Insuper circa hæc posset inquiri, quo ordine factæ sunt istæ tres tentationes. Lu- *Luc.* IV, 3-9. cas enim hanc quam Matthæus ponit tertiam, scribit fuisse secundam; et quam Matthæus ponit secundam, ipse posuit tertiam. Ad hoc aliqui responderunt, quod Lucas describit has tentationes secundum ordinem rei gestæ. Sed hoc non videtur, quia Matthæus apertissime scribit, diabolum recessisse Christumque reliquisse, au- B dita Christi responsione ad tentationem factam in monte, quæ fuit de idololatria : quam tentationem tertio loco factam scribit Matthæus. Tunc enim Christus dicebat : *Matth.* IV, 10. Vade, Satana. Item, tentatio diaboli paulatim processit ad deteriora : tertia autem, in qua se petiit adorari, pessima fuit. De hac re plenius scripsi super Matthæum.

Ibid. 9. Denique, quamvis diabolus dixit, Hæc omnia tibi dabo, etc., non est putandum, quod diabolus ad libitum suum valeat dare regna mundi, sed præsumptuose atque mendaciter dixit hoc : nisi intelligatur, quod permissione divina frequenter cooperetur aliquibus ad obtinendum mundi dominia.

Postremo, per hoc quod Christus duas primas tentationes, ad suam injuriam pertinentes, mansuete sustinuit; ad tertiam vero, quæ Divinitatis contumeliam continebat, quasi exasperatus cum exprobratione respondit, Vade, Satana : docemur, secundum Chrysostomum, proprias injurias magnanimiter tolerare, Dei vero injurias ac contemptum, nec usque ad auditum sufferre : quoniam in propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare nimis est impium. Sed, heu! multi oppositum faciunt : nam proprias injurias districtissime ulciscuntur, de Dei autem inhonoratione parum aut nihil curant. Hi pleni sunt proprio et privato amore, non vera dilectione.

SERMO SECUNDUS

QUALITER HOMINES VARIIS MODIS TENTENTUR IN VITA PRÆSENTI ; ET DE UTILITATIBUS TENTATIONUM ; QUOMODO ETIAM RESISTENDUM SIT EIS.

MILITIA est vita hominis super terram. Job VII, 1. C

Sicut unicuique homini deputatus est angelus bonus in custodem et adjutorem, sic quilibet homo habet angelum malum, id est dæmonem impugnatorem ac tentatorem. Et quamvis homines acrius atque frequentius tententur a dæmonibus, non tamen ab eis dumtaxat tentantur.

Igitur agnoscendum, quod homines tentantur a quatuor causis. Primo, ab interiori principio, id est a propria carne, et naturali inclinatione et pronitate ad malum : quæ D pronitas seu inclinatio ab originali peccato exorta est. Porro originale peccatum est defectus originalis justitiæ debitæ inesse. Ex originali quoque peccato infliguntur animæ quatuor vulnera, videlicet : ignorantia in ratione; malitia, id est pronitas ad peccandum, in voluntate; concupiscentia in vi concupiscibili; et infirmitas, id est debilitas resistendi peccatis, in vi irascibili.

In primis ergo tentamur, id est, ad vitia inclinamur, a propria carne, et a præfatis quatuor viribus animæ, secundum quod vulneratæ atque infectæ sunt ex originali peccato, imo multo plus secundum quod assuetæ sunt vitiis, seu consuetudine prava corruptæ. Sic namque sæpissime atque fortissime ad peccata inclinant, etiam post

conversionem seu pœnitentiam ad tempus, quia peccatis per gratiam dimissis, adhuc reliquiæ vitiorum, utputa pronitates ad mala, manent in viribus animæ, quousque per exercitia virtuosa tollantur, aut per singularem ac maximam gratiam subito auferantur. Hinc Jacobus ait apo-
Jacob. I, 14. stolus : Unusquisque tentatur a propria concupiscentia, abstractus et illectus. Et
Galat. V, 17. Paulus : Caro (inquit) concupiscit adversus spiritum. Princeps quoque Apostolo-
I *Petr.* II, 11. rum hortatur ut abstineamus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Insuper tentamur a carne, imo potius a remissa ac tepida voluntate, quando labores horrendo, a spiritualibus studiis ac virtutum operibus retardamur. Nam et spirituales ac fervidi viri interdum a tali horrore laborandi ac patiendi tentantur, et a bonis aliquando retrahuntur. Propter quod
Matth. XXVI, 41. dixit Salvator : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Caro namque inclinat ad corporales repausationes, sensuales delectationes et vitiosam quietem, variaque objecta sibi delectabilia sive uti-
Rom. VII, 18, 22, 23. lia. Ideo ad Romanos ait Apostolus : Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum : nam velle adjacet mihi ; perficere autem non invenio. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem alteram legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Secundo, tentamur a mundo dupliciter. Primo, dum mundus offert seu proponit nobis exteriora et temporalia bona, quibus affectum nostrum sibi alliciat, scilicet voluptates, divitias et honores, curiositates, adulationes, ludos, atque similia. Quæ omnia sunt spernenda amore Dei spiritualiumque bonorum, sicut in prima sua
I *Joann.* II, 15, 16. Canonica monet Joannes : Carissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Nam si quis diligit mundum, non est caritas in eo : omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Secundo tentamur a mundo, dum per

A adversa, videlicet per comminationes, persecutiones, injurias, læsiones, irrisiones, nititur nos a Deo ac virtuosis operibus impedire atque retrahere. Quocontra admonet Christus : Nolite timere eos qui *Matth.* X, 28.
corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; itemque, Beati estis, quum *Ibid.* V, 11, 12.
maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

B Tertio, tentamur a dæmonibus, qui generaliter ad omnia mala nos conantur inducere, et de iis de quibus caro et mundus nos tentant, etiam ipsi nos tentant : imo carnem et mundum movent et concitant ad tentandum præsertim homines spirituales ac virtuosos. Et quidam dæmones de quibusdam specialibus vitiis homines tentant : unde quidam vocantur spiritus superbiæ, quidam spiritus fornicationis, quidam spiritus blasphemiæ sive perfidiæ.

Quarto, tentamur a Deo. Sed quum Deus
C dicitur tentare homines, sumitur tentare in bono. A Deo ergo tentamur dupliciter. Primo, dum per adversa et aspera nos flagellat, id est, purgat aut perficit ob nostram salutem ac aliorum profectum, sicut Job et Tobiam. Unde in Tobia legitur *Tob.* II, 12.
angelus Raphael dixisse ad Tobiam : Quia *Ibid.* XII, 13.
acceptus eras Deo, necesse erat ut tentatio probaret te. Et in libro Sapientiæ scribitur : Deus tentavit justos, et invenit illos *Sap.* III, 5.
dignos se. Secundo dicitur Deus tentare homines, dum probat eos per aliqua ardua
D virtutum exercitia : sicut tentavit Abraham, præcipiens ei ut unicum atque carissimum filium suum offerret. *Gen.* XXII, 1-12.
Probatque Deus homines, non ut ipse sciat quales sint, sed ut ipsi se ipsos agnoscant, vel eorum perfectio aliis utiliter innotescat, videlicet, ut ædificentur in virtutibus sanctorum, ut eas salubriter imitentur : sicque probavit sanctum Job et Tobiam, ut *Job* XXIII, 10; *Tob.* XII, 13.
eorum patientia aliis in exemplum ponatur; Abraham quoque, ut magna ejus obe- *Gen.* XXII, 12.
dientia ponatur aliis in exemplum.

Præterea tentationes patienter sustinere debemus, quoniam multipliciter utiles sunt, si quis eis bene utatur. Nam primo per eas purgamur a vitiis, quia infestant et tribulant animam eis non consentien-
I Cor. x, 13. tem. Ideo, secundum Apostolum, Deus cum tentatione facit proventum. Secundo per eas gratia augmentatur. Idcirco Deus
II Cor. xii, 9. dixit apostolo Paulo : Virtus in infirmitate perficitur. Tertio per eas æternaliter coronari meremur, si viriliter eis resistimus.
II Tim. ii, 5. Propter quod ait Apostolus : Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Quarto per eas in spiritualibus exercitati, experti atque periti efficimur, ita ut aliis in tentatione positis possimus consulere atque succurrere. Hinc in Ecclesiastico scriptum
Eccli. xxxiv, 9, 10. est : Qui non est tentatus, quid scit ? Qui non est expertus, pauca recognoscit. Quinto per eas diligentes ac agiles reddimur. Quo enim magis tentamur, eo plus admonemur ad Deum confugere, virtutibusque insistere, et omnem torporem abjicere, juxta
Jonæ i, 6. illud Jonæ : Quid tu sopore deprimeris ? Surge, et invoca Deum tuum. Sexto per tentationes propriam infirmitatem cognoscimus, et nos profundius humiliamus, donaque gratiæ quæ habemus, diligentius custodimus. Hinc Deus frequenter subtrahit suis ministris dulcedinem consolationis internæ, et expeditionem solitæ celeritatis promptitudinisque in bonis, ne incauti sint et nimis de se confidant sive præsumant, sed in labore quoque certaminis proficere studeant. Hinc ait Gregorius : Quum tentamur vitiis, divina dispensatione nobiscum misericorditer agitur, ne virtutibus quibus proficimus extollamur. Propterea
II Cor. xii, 7. dicit Apostolus : Ne magnitudo revelationis extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Septimo per eas aliis innotescimus et exemplares efficimur, sicut de Job, Abraham et Tobia jam dictum est. Octavo per eas electi etiam in præsenti glorificantur a Deo. Unde quum S. Antonius a dæmonibus fuisset sæpe acerrime flagellatus ac laceratus, sursum adspiciens vidit

A lucem magnam desuper venientem, statimque intellexit Christum sibi esse præsentem, et ait : Ubi eras, bone Jesu ? Quare a principio non adfuisti, ut sanares vulnera mea ? Et dixit ad eum Jesus : Antoni, hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum ; et nunc quia viriliter dimicasti, in toto mundo te faciam nominari.

Post hæc tangenda sunt remedia contra tentationes in generali. Siquidem contra quædam specialia vitia specialia sunt re-
B media : de quibus omnibus modo dicendum non est, ut vitetur prolixitas. Primum ergo remedium contra tentationes est, de propriis viribus nequaquam præsumere, sed totam spem in Deo defigere, juxta illud Osee : Spera in Deo tuo semper. Nam *Osee* xii, 6.
per eumdem Prophetam Deus effatur : Perditio tua ex te ; in me tantummodo au- *Ibid.* xiii, 9.
xilium tuum. Per hanc enim spem firmam ac humilem, homo meretur a Deo protegi et juvari, juxta illud Psalmistæ : Qui habitat in adjutorio Altissimi, in pro- *Ps.* xc, 1.
C tectione Dei cœli commorabitur. Unde per Jeremiam loquitur Deus : Eruens liberabo *Jer.* xxxix, 18.
te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. Valde enim placet Deo firma, plena ac indeficiens spes in eo, potissimum in adversis, secundum quod sanctus Job profitetur : Etiam si *Job* xiii, 15.
occiderit me, in ipso sperabo. Hinc de electis ait Psalmista : Adjuvabit eos Do- *Ps.* xxxvi, 40.
minus, et liberabit eos ; et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo. Ecce quam potens est spes
D in Deo. Sed talis spes non est otiosa et vacua, imo bonis operibus est repleta.

Secundum remedium est, Deum cum omni fiducia incessabiliter invocare, sicut ipse hortatur in Psalmo : Invoca me in *Ps.* xlix, 15.
die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me. Nec solum debemus Deum in tentatione pro adjutorio invocare, sed etiam ipsum laudare, et gratias agere quod in præsenti nos visitat. Ideo dixit Psalmista : Laudans invocabo Dominum, et ab ini- *Ps.* xvii, 4.
micis meis salvus ero ; Jacobus quoque

Jacob. v, 13. apostolus : Tristatur aliquis vestrum ? Oret A æquo animo, et psallat.

Tertium est, cordialis et frequens consideratio dominicæ passionis. Legitur namque in libro Numerorum (Num. xxi, 6-9.), quod dum filii Israel graviter peccassent, atque ob hoc Deus ignitos serpentes misisset in illos, a quibus multi occidebantur, Deus præcepit Moysi ut æneum serpentem faceret, ac levaret, id est, in alto defigeret, quatenus filii Israel illum serpentem æneum intuendo, curarentur a morsu ac læsione serpentium : et factum est ita. Per quod B significatum est, quod Christiani Christum in cruce levatum ejusque passionem fideliter intuendo, ab infernalium morsibus serpentium, id est malignorum spirituum tentationibus, eruuntur.

Quartum est, tentationes patienter ferre, nec propter earum importunitatem turbari, aut furere, aut pusillanimitate deficere, sed prætactas earum utilitates perpendere, sicque viriliter eis resistere.

Quintum est, Virginem gloriosam, et proprium angelum, atque Sanctos magis C dilectos, fiducialiter in adjutorium invocare, juxta illud Job (Job v, 1.) : Ad aliquem Sanctorum convertere.

Sextum est, bene pensare qualis sit ipse tentator, quid prætendat, et quid quærat, sicque tanto ferventius ad virtutes se dare, quanto plus nos ipse nititur impedire. Consideremus ergo, quod diabolus tentans sit pessimus et crudelissimus ac implacabilis hostis noster, nil aliud sitiens, prætendens et quærens, nisi damnationem nostram æternam. Ex qua consideratione provocemur contra eum, et ulciscamur nos de eo, totis viribus atque præcordiis faciendo omnia quæ invitissime habet et quæ maxime eum affligunt, hoc est, nos ipsos totaliter humiliando, Deo fervide inhærendo, ipsum indesinenter orando, Christi passionem jugiter recolendo, patientiam in cunctis servando, pacifice conversando. Dum ergo tentamur, dicamus diabolo : Tu, diabole, me tribulas et infestas, a Deo me avertere cupis et tecum damnari desideras; ego quoque te tribulabo, etc. Et tunc faciamus actus præfatos, atque in Deo sperando despiciamus malignum. Unde S. Franciscus docuit Fratres suos ut tempore tentationis diabolo dicerent : Aperi os tuum, et projiciam ibi stercus.

Septimum est, novissima præmeditari, id est, districtum Dei judicium formidare, et quanta sit pœna inferni his qui tentatione vincuntur parata, sapienter pensare; et quam brevis sit vita præsens, quam periculosum sit tentationi succumbere, quia nescimus diem neque horam (Matth. xxv, 13.); quam ineffabilis etiam sit beatitudo et gloria electorum qui tentationibus digne resistunt, quam perdunt qui tentatori consentiunt.

Sic ergo agentes, laboremus sicut fideles milites Christi (II Tim. II, 3.), nec adversariis ejus dæmonibus consentiamus, sed impleamus quod ait Apostolus (I Cor. xvi, 13, 14.) : Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, et omnia vestra in caritate fiant.

SERMO TERTIUS

DE NECESSITATE, UTILITATE ET LAUDE JEJUNII SEU ABSTINENTIÆ.

NON *est regnum Dei esca et potus, sed* D *justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.* Rom. XIV, 17.

Quoniam tempus istud quadragesimale est tempus jejunii, et jejunium appellatur, sciendum quod jejunium est actus virtutis quæ abstinentia dicitur, quæ est species temperantiæ. Præcepit autem Ec-

clesia ut omnes Christifideles jejunium istud quadragesimale observent, quos ætas, aut debilitas, aut alia causa rationabilis non excusat. Idcirco quicumque absque rationabili causa istud non servat jejunium, peccat mortaliter, et toties quoties frangit istud : potissimum autem fortes et divites, et qui graves non exercent labores. Cur autem instituerit Ecclesia istud jejunium, in sermone circa epistolam hujus dominicæ tactum est. Istud ergo jejunium est de necessitate salutis, quoniam cadit sub præcepto.

Præterea utilitas jejunii magna est et multiplex valde. Primo etenim valet ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, et veniam impetrat : sicque purgat a malis præteritis seu a reatu eorum, et a futuris suppliciis purgatorii liberat. Hinc jejunium pro pœnitentia imponitur, ut Aposto-
I *Cor.* IX, 27. lus ait : Castigo corpus meum. Quemadmodum ergo corporis voluptate et cibi ac potus superfluitate Deum offendimus, ita jejuniorum afflictione ac parcitate satisfacere et Deum placare debemus : quia contraria contrariis curantur; et sicut in
Sap. XI, 17. libro Sapientiæ legitur, per quæ quis peccaverit, per hæc et punietur.

Secundo valet jejunium ad carnalium desideriorum refrenationem ac debilitationem, quia materiam et incitamentum illorum aufert : sicque per ipsum caro domatur et animæ subditur. Unde quum dixisset Apostolus, Castigo corpus meum,
I *Cor.* IX, 27. mox addidit, Et in servitutem redigo, id est, animæ servire compello, illud per abstinentiam castigando. Quemadmodum enim ebrietas et ventris repletio concupiscentias et varias passiones seu carnales affectiones pariunt et inflammant, ita jejunium illas exstinguit aut minuit. Idcirco ad sobrietatem in Scripturis sæpissime admonemur.

Tertio valet jejunium ad cavendum peccata futura et multa opera vitiosa. Tollit namque ab animo vanam lætitiam, dissolutionem et levitatem : sicque minus delectat peccare.

A Quarto valet ad impetrandum gratiam ac virtutem, et profectum magnum in eis. Nam quanto cum majori diligentia et conatu, corporisque afflictione, gratiam Dei et dona Spiritus Sancti atque incrementum in eis quærimus, tanto abundantius Deus dona spiritualia nobis infundit ac auget. Quamvis enim Deus sit liberalitatis ac opulentiæ infinitæ, vult tamen ut dona gratiæ suæ cum fervore et conatu quæramus. Propter quod ait Eusebius Emisenus, quod Deus non vult dona sua nimia
B inveniendi facilitate nobis vilescere. Atque in Deuteronomio scriptum est : Si quæsi- *Deut.* IV, 29.
eris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde et tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum. Et ista est causa, quod quamvis quotidie multas fundimus orationes vocales, tamen parum aut nihil in virtutibus crescimus, imo magis decrescimus : quoniam non cum debita diligentia, affectione et laboris instantia Deum quærimus et oramus. Sed sicut cattus amat piscem, sed non vult crura ma-
C dere; sic desideramus virtutes, sed pro eis non volumus debite laborare, jejunando, in orationibus pernoctando, a vanitatibus nos domando : idcirco rudes, indevoti ac frigidi permanemus. Hinc per Isaiam Dominus loquitur : Si quæritis, quærite, *Is.* XXI, 12.
id est, si vere me quæritis, ex totis præcordiis digne me quærite. Ad Danielem quoque prophetam Gabriel angelus dixit : Ex die quo posuisti cor tuum ut affligeres *Dan.* X, 12.
te in conspectu Domini Dei, exaudita sunt verba tua.

D Quinto valet jejunium ad obtinendam illuminationem et instructionem a Spiritu Sancto. Unde per Danielem describitur, *Ibid.* I, 3 et seq.
quod dum Nabuchodonosor rex Babylonis præcepisset uni eunuchorum suorum ut de filiis Israel introduceret quosdam pueros de semine regio, formosos ac elegantes, qui digni essent stare coram rege, et eunuchus elegisset ex filiis Israel Danielem, Ananiam, Azariam ac Misaelem, præcepit rex ut pueri illi regio cibo ac potu nutrirentur. Sed juvenes illi timorati at-

que devoti, rogabant eunuchum ut daret eis legumina simpliciaque cibaria. Et quoniam pueri illi tam abstinenter vixerunt ac sobrie, dedit eis Deus sapientiam et scientiam magnam, Danieli quoque interpretationem ac intelligentiam visionum. *Is.* xxviii, 9. Hinc loquitur Isaias propheta : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere, id est abstinentes et sobrios, qui carnales delectationes ac superfluitates contemnunt.

Sexto valet ad omnium virtutum expeditiorem ac puriorem exsecutionem. Nempe qui abstinenter et sobrie vivit, est ad meditationes subtiles acutior, ad contemplationes sublimes agilior, ad orationes devotas stabilior, ad ardentes in Deo affectiones paratior, et ad omne Dei obsequium aptior; et minores habet sollicitudines pro necessariis vitæ, minus quoque onerosus est aliis, est etiam cautior ac moderatior in loquendo.

Septimo valet ad corporis sanitatem diuturnioremque vitam, quoniam malos exsiccat humores. Idcirco in Ecclesiastico habetur : Qui abstinens est, adjiciet ad *Eccli.* xxxvii, 34. vitam. Chrysostomus quoque fatetur : Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio.

Denique præinductis consonat quod loquitur Augustinus : Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum quoque exstinguit ardores, castitatis ac veritatis lumen accendit. Hinc ait Bernardus : Bonum est et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia dum remittuntur peccata. Non solum autem ablutio est peccatorum, sed et exstirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed meretur et gratiam; non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed etiam repellit futura quæ committere poteramus. Sanctus quoque Ambrosius contestatur : Jejunium est mors culpæ, ex-

A cidium vitiorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentumque castitatis. Hoc gradu ad Deum citius pervenitur ; hoc gradu, antequam curru, Elias ascendit. IV *Reg.* ii, 11.

Insuper ad abstinentem ac sobrium pertinet : Primo, statutum comedendi tempus non prævenire. Secundo, cibaria et pocula lauta non quærere, et in cibis ac potibus non voluptatem, sed necessitatem naturæ intendere. Tertio, studiositatem præparandi cibos cavere : nam cibos studiose parare, est hostis nostri ensem acuere, quo-

B niam cibus potusque delicatus est gladius quo caro, imo diabolus, utitur contra animam. Quartum est, immoderatum desiderium cibi ac potus reprimere, nec instar canis famelici se super cibum et potum effundere. Ait equidem Augustinus : Fieri potest ut absque omni vitio cupiditatis ac voracitatis pretiosissimo cibo et potu utatur sapiens, insipiens autem fœtidissimæ gulæ ardore in vilissimum cibum ardescat. Quinto, non nimis diu in mensa sedere, nec in ea loquacitati, jocis risibusque

C vacare, sed cum Dei timore necessaria vitæ accipere. Sexto, ante refectionem benedicere alimenta, et postea gratias Deo peragere. Septimo, non excedere neque deficere in quantitate cibi ac potus, ut sit rationabile obsequium nostrum. Ideo ait *Rom.* xii, 1. Ambrosius : Sic debes jejunare, non ut palpites et respirare vix possis, et sociorum tuorum manibus traharis sive porteris, sed ut in obsequio Dei solito minus nil facias, imo sic ut opus Dei devotius peragas. Hinc ait Gregorius : Per abstinen-

D tiam vitia carnis exstinguenda sunt, non caro. Plerumque etenim dum plus justo caro restringitur, ab exercitio boni operis impeditur. Observandum est ergo medium.

Præterea, quoniam corporale jejunium ordinatur ad spirituale jejunium, quo abstinetur ab omnium excessibus vitiorum, idcirco nil prodest corpore jejunare, et animam a peccatis non præservare. Ideo loquitur Augustinus : Quid prodest corpus tenuari abstinentia, si animus intumescat superbia ? Quid virtutis habet, vinum non

bibere, et ira ac odio inebriari? Gregorius quoque : Incassum, inquit, per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens, vitiis dissipatur. Unde, secundum Isidorum, qui cibis abstinent et male vivunt, dæmones imitantur. Itaque non venter seu stomachus tantum, sed et cetera membra jejunent, sicut beatus ait Bernardus : Si sola gula peccavit, sola jejunet, et sufficit. Si vero peccaverunt et cetera membra, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus a curiosis adspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa; jejunet auris nequiter pruriens, a fabulis atque rumoribus, ac quibuscumque otiosis et ad salutem non pertinentibus; jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus quoque, vanis ac scurrilibus verbis; jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus quæ non sunt imperata aut licita. Sed multo magis anima ipsa jejunet a vitiis et propria voluntate sua : etenim sine jejunio isto a vitiis, cetera jejunia a Domino reprobantur, quia in diebus (*Is.* LVIII, 3.) jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.

Postremo, quam stricte ac diligenter observandum sit istud quadragesimale jejunium, ex verbis sanctorum Patrum ostenditur. Ait equidem Augustinus : Quamvis abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulcia alimenta non sumat, non tamen illius fertur acceptum jejunium qui non diebus Quadragesimæ jejunat. Pudet dicere, senes et aniculæ Quadragesimam faciunt, divites juvenesque non faciunt. Ambrosius quoque affirmat : Qui constitutum numerum Quadragesimæ una die manducando præterit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Iterum ait : Ille Quadragesimam facit, qui jejunando et in bonis operibus ascendit ad Pascha. Nam sicut reliquo tempore anni jejunare præmium est, ita in Quadragesima non jejunare peccatum est : nam in Quadragesima jejunare necessarium est, et lege præfixum.

In octavo libro Vitaspatrum legitur, quod vir sanctus nomine Dorotheus, habitavit in eremo in spelunca, qui fuit abstinentissimæ vitæ. Per omnes enim dies, in æstu et solitudine, juxta mare colligebat lapides, et ex eis omni anno unam cellulam ædificavit, quam dedit alicui non potenti ædificare. Quumque discipulus suus diceret ei, Quid facis, Pater, in tali senectute interficiens corpus tuum? respondit : Occidit me, occido illud. Sumpsit autem quotidie in cibum modicum panis et aquæ; nunquam requievit super lectum aut mattulam, nec pedes extendit ad dormiendum, sed per omnes noctes sedens et operans, fecit sportas, de quarum pretio vixit; nec dormivit nisi operando, aut manducans claudebat oculos per dormitionem, ita ut sæpe panis caderet ex ore ipsius præ nimia dormitatione. Quumque discipulus ejus vidisset aspidem in aqua ex qua potare solebant, clamavit : Mortui sumus, Pater, quoniam aspidem vidi in aqua. Ipse subridens, aquam cruce signavit, atque jejunus bibit ex aqua, nec nocuit ei.

Ecce sancti Patres quam rigorosam vitam per totum tempus suum duxerunt : et nos pigri ac miseri, quadraginta hos dies jejunare recusamus. Emendemus igitur vitam, et sacrum tempus istud virtuose expendamus, plus solito jejuniis, orationibus, eleemosynis et ceteris operibus pœnitentialibus ac laudabilibus insistentes.

SERMO QUARTUS

DE POENITENTIA, ET PARTIBUS EJUS.

VIAS *meas in conspectu* Dei *arguam, et ipse erit salvator meus.* Job XIII, 15, 16.

In hoc verbo duo tanguntur. Primum est sui ipsius reprehensio justa, quum dicitur : Vias meas in conspectu Dei arguam. Secundum est fructus hujus reprehensionis, videlicet liberatio a peccatis seu consecutio veræ salutis, quum subditur : Et ipse erit salvator meus. Quoniam itaque tempus hoc quadragesimale est tempus pœnitentiæ, dicendum nunc aliquid est de pœnitentia.

Porro in reprehensione sui ipsius includuntur dolor interior seu contritio de peccatis, et accusatio propriæ iniquitatis. Pœnitentia ergo, secundum Gregorium, est, præteritas culpas deplangere, et eas non iterare, id est firmum habere propositum peccata semper vitandi, non iterandi. Verumtamen ad veram pœnitentiam non requiritur de necessitate exterior planctus seu lacrimarum effusio, quum non sit semper in hominis potestate sic flere, sed planctus interior, hoc est dolor internus de hoc quod Deum offendit. Pœnitentia namque essentialiter est ipsa contritio de peccato, seu displicentia ac detestatio culpæ. Communiter tamen ponuntur tres partes pœnitentiæ, videlicet, contritio, confessio et satisfactio, quia ad perfectionem pœnitentiæ tria hæc requiruntur, præsertim si adsit facultas confitendi ore et satisfaciendi opere. Debemus ergo de peccatis nostris dolere, et ea confiteri, atque satisfacere pro eisdem juxta arbitrium confessoris ; et hoc propter multas causas :

Primo, quoniam peccando Deum maxime inhonoravimus, graviter offendimus, ejus quoque amicitiam gratiamque perdidimus. A Ideo quanto Deus æternus et gloriosus est honorabilior, sanctior et amabilior, tanto plus de peccatis nostris dolere ac verecundari debemus. Deus autem altissimus, est penitus infinitæ honorabilitatis, immensæ sanctitatis atque incomparabilis amabilitatis : ideo summe dolere debemus quia peccavimus. In omni namque peccato mortali est quidam contemptus Dei, quia peccator præceptum Dei non curavit nec digne advertit, sed parvi pendit atque neglexit. Iterum, in B omni peccato mortali sunt duo, videlicet : aversio mentis a summo, infinito et incommutabili bono, utputa Deo sublimi et benedicto ; et conversio mentis ad aliquod bonum creatum, caducum, commutabile et apparens. Sicque peccator peccando præfert bona ista creata, carnalia, vana et vilia, Creatori altissimo et superdignissimo Deo : sicque ipsum maxime inhonorat. Rursus, omnis peccator dum mortaliter peccat, propriam voluntatem præfert voluntati divinæ, quoniam contra C jussionem voluntatis divinæ consentit et satisfacit propriæ voluntati : quod utique omnino et summe perversum atque injustum est. Ideo per peccatum Deus maxime inhonoratur. Quod autem Deus per peccata summe offenditur, hinc probatur. Videmus enim, quod quanto aliquis homo est justior ac sanctior, tanto plus odit ac detestatur iniquitatem ; et quanto aliquis est dignitatis ac auctoritatis majoris, tanto ejus offensio est gravior. Quum ergo Deus omnipotens et excelsus, sit omnino infinitæ D sanctitatis atque justitiæ, immensæ quoque dignitatis et excellentiæ, constat quod ipse ineffabiliter incomprehensibiliterque odit ac detestatur peccata, et ejus offen-

sio gravitatem incomparabilem habet. Amplius, quanto Deus adorandus et gloriosus in se ipso amabilior est, et quanto amabiliorem se nobis exhibuit, quanto plura atque majora beneficia nobis largitus est, tanto cordialius de ejus inhonoratione, offensione et amissione debemus valde dolere.

Secundo, de peccatis nostris summe debemus dolere propter multiplex nocumentum quod nobis inferunt in præsenti : quia ut tactum est, per ea amicitia et gratia Dei privamur, virtutibus ac donis Spiritus Sancti nudamur, in naturalibus vulneramur, a communione et membris Ecclesiæ separamur, diabolo incorporamur, servi iniquitatis dæmonumque efficimur, vani, viles ac miseri reddimur, ad pœnam obligamur æternam, et præcedentium meritorum amittimus gloriam. Hinc *Jer.* II, 19. in Jeremia habetur : Scito et vide quia malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem *Eccle.* IX, 18. ejus apud te. Salomon quoque : Qui in uno (inquit) deliquerit, multa bona perdet. Ecce quanta nocumenta infert homini quodcumque mortale peccatum, quamvis comparatione aliorum minimum videatur, et non nisi semel admissum. Propter quod *Jacob.* II, 10. Jacobus ait apostolus : Si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

Tertio, de peccatis nostris maxime pœnitere debemus propter nocumenta quæ inferunt nobis in futuro : quia non solum propter ea beatitudine spoliamur æterna et gloria illa immensa, sed perpetuis demum deputamur suppliciis, et infernalem illam interminabilem calamitatem incurrimus : quæ sunt duo ineffabilia nocumenta, magis consideranda quam describenda. *Is.* XXVI, 10, juxta LXX. Ideo scriptum est : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et Propheta loquitur *Ps.* V, 6. Deo : Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos *Ps.* CXXXIX, 11. tuos. Atque de impiis loquitur Deo : Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos; in miseriis non subsistent.

A Quarto, de peccatis summe dolendum est quoniam in se ipsis inæstimabiliter turpissima atque vilissima sunt, et enormitatem indicibilem habent. Nempe quo supergloriosissimus Deus majoris est pulchritudinis, puritatis ac dignitatis, eo peccata, quæ sunt quædam aversiones et recessiones ab ipso, majoris sunt fœditatis ac vilitatis; et quo major est Dei auctoritas, eo enormiora sunt vitia quibus ipse offenditur.

Quinto, de peccatis est vehementissi- B me pœnitendum propter maximum atque multiplicem pœnitentiæ fructum. Per eam namque peccator absolvitur a peccato, reconciliatur Deo, incorporatur denuo Christo atque Ecclesiæ, spiritualibus gratiæ donis ditatur, templum Spiritus Sancti efficitur, de filio et ministro diaboli filius et minister Dei efficitur, cœlesti regno aptatur, præcedentium operum bonorum merita reparare sibimet vere asseritur. Hinc ergo pœnitere ex totis debemus præcordiis.

C Præterea, quoniam proximos diligere debemus sicut nos ipsos, eorum etiam peccata deflere debemus ut propria, et amorose orare pro eis. Verumtamen, sicut scribunt doctores, lugere propriis pro peccatis, actus est pœnitentiæ; lugere pro aliorum peccatis, actus est caritatis et misericordiæ; lugere autem desiderio beatitudinis sempiternæ, actus est beatitudinis tertiæ, de qua ait Salvator : Beati qui lugent. — Deinde, quoniam malum culpæ est incomparabiliter pejus malo pœnæ seu D damni, idcirco de peccato magis dolere oportet, si erit vera contritio, quam de quocumque damno seu malo pœnali ac temporali, ut dicunt doctores super illud Jeremiæ : Planctum unigeniti fac tibi. Sed ut hoc sane intelligatur, scire oportet, quod est duplex dolor : videlicet rationalis, qui est in superiori animæ parte; atque sensibilis, qui est in parte animæ inferiori. De primo autem dolore intelligendum est verbum præfatum : qui dolor est displicentia detestatioque peccati, quod magis

Matth. XXII, 39. — *Ibid.* V, 5. — *Jer.* VI, 26.

displicere ac abhorreri oportet quam omnia temporalia damna, sicut et Deus atque virtutes magis sunt diligendi quam cetera cuncta creata.

Nec sufficit interius pœnitere, sed et confiteri oportet sacerdoti potenti absolvere, hoc est jurisdictionem habenti super confitentem. Et confessio integra esse debet, et humilis, dolorosa, plana, et debite circumstantionata ac satisfactoria. Porro satisfactio quæ fit in mortali peccato non valet. Videat ergo confessus, an pœnitentiam sibi injunctam complevit antequam in mortale peccatum collapsus est; et si non, recuperet eam a tempore quo mortaliter se peccasse nec vere pœnituisse considerat. Verum de hac materia multa possent saluberrima atque pulcherrima introduci, sed nunc brevitati studere compellor. Suis tamen locis, Deo præstante, describam qualiter confessio fieri debeat. Sed penitus expedit ut Christiani in principio hujus confiteantur jejunii, vel saltem cito confiteri proponant, quatenus eorum jejunia et cetera opera pœnitentialia ac virtuosa complaceant Deo, quia ab exsistentibus in mortali peccato nil meritorium Deoque placitum agitur. In ipsa autem sacramentali confessione multa concurrunt quæ ad remissionem culparum infusionemque gratiæ valent ac conferunt : et quædam ex parte confitentis, videlicet, humiliatio ejus in confitendo, et erubescentia de peccato, actualis contritio, et fervor voluntatis ad meliora; quædam vero ex parte confessoris, puta vis clavium, et oratio ejus. Confessio quoque seu Pœnitentia in quantum est sacramentum, continet, causat ac tribuit gratiam. Hinc valde salubre est sæpe confiteri cum diligenti examinatione conscientiæ, et maturitate, ac interno dolore.

Postremo, principales partes satisfactionis sunt, oratio, eleemosyna, jejunium : ita quod omnia opera carnis afflictiva reducuntur ad jejunium, ut peregrinationes, disciplinæ, vigiliæ ; omnia vero opera spiritualia ad orationem, ut psalmodia, celebratio, Missæ auditio; et om- A nia opera misericordiæ ad eleemosynam.

Post confessionem demum summe cavendum est a recidivo, quoniam vulnera reiterata gravius lædunt difficiliusque curantur. Et quanto quis gravius atque frequentius Deum offendit, tanto oportet dolorem interiorem esse intensiorem, si erit vera contritio per quam peccatum dimittitur. Ideo ait Hieronymus : Necessaria est pœnitentia quæ aut æquet crimina, aut etiam excedat. Augustinus quoque : Inanis est pœnitentia quam sequens inquinat cul- B pa ; nil prodest lamentatio, si replicantur peccata; nil valet a malis veniam poscere, et mala denuo iterare. Verum ut scribit Ambrosius : Quum sic pœnites, ut tibi amarescat in anima quod antea male dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat nunc in corde, tunc bene ingemiscis ad Deum. Nempe ut contestatur Gregorius : Qui perfecte senserit enormitatem et onus peccati et animi læsionem, aut parum sentiet aut ex toto non curabit corporis pœnam, nec gravem C reputabit laborem quo novit peccata deleri præterita et caveri futura. Nam ut ait Hugo de S. Victore : Pœnitentia appellatur quasi punientia, eo quod homo in se ipso pœnitendo punit quod male commisit. Tria namque quæ sunt in pectoris percussione, videlicet pectus, sonus et manus, significant quod pœnitentia est de his quibus corde, ore et opere peccavimus. Et sicut de peccatis commissionis dolendum est, ita de peccatis omissionis. Vide ergo, o homo, quam salubris sit pœnitentia. D Ipsa enim est medicamentum vulnerum mentis, spes salutis : per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur; quæ non tempore, sed profunditate luctus et lacrimarum pensatur. Dum etenim Deus piissimus conspicit hominem veraciter pœnitentem, protinus dicit : Parcamus huic homini, quoniam ipse sibi non pepercit : ignoscamus, quoniam ipse agnovit : conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum.

Legitur in Vitaspatrum, quod Thais fuit meretrix tam formosa, quod amatores ejus sæpe præ foribus ejus se mutuo vulnerabant desiderio introeundi primo ad eam. Quo cognito, vir sanctus abbas Paphnutius, mutato habitu, perrexit ad eam, dixitque ei : Ingrediamur cubiculum. Quumque ingressi fuissent, dixit ad eam : Intremus secretiorem cameram. Quumque per plures cameras introissent, et sanctus vir ille semper diceret, Introeamus locum secretiorem, illa dixit : Est unum cubile in quod nullus ingreditur; si autem times Deum, non est locus in quo abscondamur ab eo. Dixit ei abbas Paphnutius : Et credis esse Deum et futurum judicium ? Illa respondit : Etiam. Et ille : Si ergo hæc credis, cur non times tanta peccata committere, et tot animas perdere, et tanta supplicia promereri ? Quibus auditis, illa A compuncta et territa fuit. Deinceps Paphnutius sua prædicatione eam convertit, et secum ad eremum duxit, atque in cella omnino reclusit. Dixitque Thais ad eum : Qualiter orabo Deum ? Respondit : Non es digna Deum nominare, quoniam labia tua iniquitate repleta sunt; sed ita orabis : Qui creasti me, miserere mei. Deinde dixit Thais Paphnutio : Ubi faciam opus naturæ ? Respondit Paphnutius : Sub te, in cella tua, ut digna es. Quumque per aliquot annos Thais mansisset in cella, in B summa pœnitentia, S. Paphnutius vidit in visione, quasi pulcherrimum lectum omnibus floribus decoratum præparari in cœlo, et B. Thaim collocari in eo. Mane igitur facto, ivit ad cellam ejus, invenitque eam feliciter migrasse ad Deum. Hujus itaque peccatricis, imo sanctissimæ mulieris, pœnitentiam imitemur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUANTUM SIT DEDECENS, MAXIME RELIGIOSIS, TEMPORE GRATIÆ PECCAMINOSE VIVERE.

ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem. II Cor. VI, 2, 3.

Tempus adventus Christi ac evangelicæ legis, merito tempus acceptabile appellatur ac dies salutis, quum sit tempus gratiæ, in quo meritum passionis Christi maxime operatur. Et Deus omnipotens, merito passionis conversationisque Christi in sæculo isto, potissimum pronus est ad miserendum, ad conferendum atque salvan-
Ps. XVIII, 5. dum; et non solum in Judæa, sed ubique terrarum viam salutis per Christi discipulos annuntiavit hominibus. Verumtamen tempus hoc quadragesimale, singulariter tempus acceptabile et dies salutis voca- C tur, quum sit tempus christianæ militiæ, tempus pœnitentiæ, tempus recuperationis beatæ, in quo aliorum totius anni dierum negligentias et peccata emendare, corrigere et sanare debemus, atque præterita tempora infructuose expensa recuperare. His ergo sacris diebus, præ solito studere debemus compunctioni et omni custodiæ interiori, orationibus, vigiliis ordinatis, jejuniis, abstinentiis, silentio, disciplinis, omnique observantiæ regulari et obedientiæ, salutari mortificationi sensualitatis ac vi- D tiorum reformationi, morum compositioni profectuique virtutum, caritati, paci, maturitati, solitudini ac mutuæ ædificationi. Quamvis itaque semper, tamen nunc ma-

xime carnalis consolatio, ludi, risus, joca, loquacitas, dissolutio, contentio, carnalitas, intemperantia, sunt vitanda, ut simus timorati, fructuosi, exemplares in omnibus, vigilesque in divinis.

Hinc in præsentis dominicæ epistola multipliciter ac saluberrime nos hortatur
II Cor. vi, 1. Apostolus : primo, ne Dei gratiam in vacuum recipiamus. Gratia Dei, extense loquendo, vocatur omne donum nobis a Deo pie impensum, quo ad obtinendum æternam beatitudinem adjuvamur. Gratia ergo Dei est, quod nobis negligenter viventibus, male agentibus et ingratis tamdiu pepercit, atque ad sanctum Ordinem istum nos traxit; quod usque ad diem præsentem nos fecit venire, et nunc ad meliora ac viciniora saluti dignatur nos admonere. De hoc sic ait Eusebius Emisenus : Scimus spirituali nostræ militiæ magnam in futuro esse remunerationem; sed si bene attendimus, etiam in præsenti magnam præmii partem accipimus. Nonne magnus vitæ fructus est, mundum reliquisse, et sæcularia contempsisse ac Deo servire cœpisse, evasisse vitiorum infelicissimum dominatum, effugisse gulæ atque luxuriæ fœdissimam servitutem? Nonne pars præmii est, nihil jam habere commune cum sæculo, vanarum rerum cupiditatibus non torqueri, sceleribus non misceri, tempus fructuose transigere, virtutibus operam dare, beatæ paupertatis sufficientiam cum timore Domini possidere ? Consideremus quantum nobis Dominus pia ista vocatione contulit, a quantis nos eripuit vitiis. Idcirco de gratia ista Deo condignas pro posse gratias rependamus. Verumtamen de gratia ista sic regratiemur ac gloriemur in Domino, ut vehementissime doleamus quod etiam post hujus vocationis exordium, post professionis nostræ emissionem, tam negligentes exstitimus, tot bona omisimus, tot mala commisimus, et tempus istud in quo aliorum temporum deperditiones recuperare debuimus, non magis fructuose, pure ac fervide expendimus; atque de cetero omni cum diligentia istud virtuosius consumamus, quid Deo promisimus, quid ipse a nobis requiret, sollicite contemplemur. Reminiscamur quemadmodum dæmonibus ascensum S. Antonii in cœlum impedire conantibus, et eumdem de culpis suis in sæculo contractis accusantibus, sancti angeli responderunt, non illa debere Antonio objici mala quæ incurrit in sæculo, et sua emendavit atque delevit conversione, sed si quæ post conversionem egisset. Ex quo patet quam grave et erubescibile sit coram Judice summo, etiam post religionis ingressum negligenter reprehensibiliterque vixisse.

Ideo, juxta apostolica documenta, nemini demus ullam offensionem, ut non II Cor. vi, 3.
vituperetur ministerium nostrum, id est obsequium quo Deo servimus : non quod illud debeamus velle laudari pro nostro commodo vel honore, sed pro gloria Dei ædificationeque proximi. Quod si vituperabile fuerit, scandalizativum est aliorum. Offendit autem unus alium dupliciter. Primo, injuriam aliquam irrogando in verbo, signo aut facto. Quod qui facit, veniam petere obligatur. Secundo, occasionem peccandi ei præstando. Quocontra dicit Apostolus : Ne ponatis fratri offendiculum aut Rom. xiv, 13, 15.
scandalum; noli perdere eum pro quo crucifixus est Filius Dei. Sic alium offendit qui ei vane blanditur, aut eum inaniter laudat, aut quovis modo inexemplariter habet se coram illo. O quam graviter, quam damnabiliter Deum hominesque offendit, qui proximis suis verba detractoria, pacis et concordiæ corruptiva, mentem inficientia, pungitiva et provocativa instillat! Nonne venenum eis propinat mortiferum, quod nunc mortem ingerit culpæ, deinde mortem infernalis miseriæ ? Tales sunt qui quum parum offensi, aut certe juste et caritative correpti disciplinatique fuerint, non solum mox conturbantur, sed aliis quoque passionum et querimoniarum suarum verba inconsideratissime insusurrant, non intuentes quantum sibi ipsis ac audientibus noceant. Talium familiaritas est nociva, præsertim novellis plantis.

Quumque vir timoratus ac sapiens talem audierit, statim reprimat verba ipsius, et pie instruat eum; ad Dei timorem, patientiam, tranquillitatem eum reducere et pro ipso orare non differat, aliorumque verba et facta interpretetur in melius.

Itaque, juxta Apostoli exhortationem, sa-
II Cor. vi, 4. cro hoc tempore, in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, utputa, prout decet veros religiosos et Regis altissimi famulos, quos utique Regi summo cum in-
Luc. i, 74, 75. genti reverentia, in sanctitate et justitia
Ibid. xxi, 19. servire oportet; in patientia, in qua anima possidetur, sicut per impatientiam perdi-
Job xviii, 4. tur, quemadmodum scriptum est, Quid perdis animam tuam in furore tuo? in
Ps. xxxiii, 20. tribulationibus : Multæ enim tribulatio-
Act. xiv, 21. nes justorum; et per multas tribulationes oportet nos intrare regnum cœlorum.

II Cor. vi, 5. Præterea, si juxta Apostolum, in plagis et carceribus non exhibeamus nos Dei ministros, vulnera et incarcerationes pro justitia æquanimiter sustinendo, etiam absque nostro demerito; saltem in correptionibus paternis et fraternis pro nostris culpis nobis adhibitis, exhibeamus nos Dei ministros, illas grataunter suscipiendo, quum
Eccli. x, 28. dicat Scriptura : Vir prudens non murmu-
Prov. ix, 8. rabit correptus; et denuo, Argue sapientem, et diliget te.

II Cor. vi, 7. Simus quoque armati armis justitiæ, hoc est virtutibus firmis ac radicatis, a dextris et sinistris, puta in prosperis et adversis, ut regia semper via tendamus; nec prosperis extollamur, neque adversis vincamur; nec laudibus, adulationibus, honoribus, prosperitatibus emolliatur ac seducatur cor nostrum, nec vituperiis, adversitatibus, aspernationibus exasperetur, sed cogitet intra se : Ego Deo placere desidero, ab ipso approbari glorificarique cupio. De hoc et pro hoc in tantum sollicitor, quod alia duco pro nihilo. Humana judicia falli possunt, Deus cor intuetur : si vere lau- I Reg. xvi, 7.
dabilis sum, hoc coram Deo inveniam. Quomodo interim inaniter potero mihi placere aut gloriari, qui ignoro an amore sim di- Eccle. ix, 1.
gnus an odio, et quem cum metu, timore Philipp. ii, 12.
et tremore oportet propriam operari salutem? Prospera ergo, blanda et laudes magis quam vituperia atque adversa abhorreo, præsertim quum Deus in adversis gratiosius adsit, eique soli honor et gloria I Tim. i, 17.
debeantur. Hinc beatus ait Hieronymus : Per bonam et malam famam a dextris et II Cor. vi, 7, 8.
sinistris miles Christi graditur, nec laude extollitur, nec vituperiis frangitur, non divitiis tumet, nec confunditur paupertate, et læta parvi pendit ac tristia.

Conemur ergo in omni eventu cor tranquillum et imperturbatum habere in Domino, jamque præ solito actibus pœnitentiæ insistamus; pro communi bono Ecclesiæ, pro vivis et mortuis, pro parentibus, propinquis, commissis et benefactoribus nostris, pro infidelium conversione, fidelium reformatione et universorum salute assidue ac devotissime deprecemur viscera misericordiæ Creatoris.

SERMO SEXTUS

QUOMODO QUILIBET POST SUAM A VITIIS PURGATIONEM GRATIÆQUE INFUSIONEM CUSTODIRE CONTRA RECIDIVUM SE DEBEAT.

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. iv, 1.

Quemadmodum Christi doctrina omnium virtutum perfectionem includit, sic conversatio ejus in sæculo isto omnium graduum et statuum ac ordinum vitam ac sanctitatem fundavit ac demonstravit, at-

que totius perfectionis fuit exemplar. Unde per hoc quod desertum, Spiritu Sancto suam humanitatem ad hoc movente, ingressus est, et ibidem quadraginta diebus, jejuniis, orationibus contemplationibusque vacavit, eremiticæ vitæ fundamenta instituit ordinemque fundavit. Non enim idcirco solitudinem intravit, ut ibi liberius atque perfectius præfatis insisteret actibus, quia nec hominum frequentia et consortio poterat impediri a bonis aut affici culpis, nec deserto aut solitudine adjuvari; sed nobis dedit exemplum. Quum itaque tota Christi conversatio sit nostra informatio, diligentissime consideremus quidquid in evangelio hodierno de Christo conscriptum est : quod totum specialiter informativum est religiosorum.

In primis ergo, quod a Spiritu Sancto ductus est in desertum protinus post baptismum, designat quod homo post suam a vitiis purgationem et gratiæ infusionem in sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ factam, sive post religionis ingressum concessam, aut per correptionem aut correctionem a præsidente desuper impertitam, debet se solito diligentius custodire ne recidivet, nec divinæ ingratus sit pietati, damnabiliusque offendat: quoniam vulnera repetita sunt graviora; et qui post indulgentiam impetratam se a culpis præservare non nititur, irrisor magis quam pœnitens esse convincitur, estque coram Deo improbus et ingratus. Ideo Sponsa in Canticis : Lavi (inquit) pedes meos, id est, affectiones purgavi; quomodo inquinabo eos? quasi dicat, Nullatenus decet. *Cant.* v, 3.

Præterea et Salvator solitudinem introeundo, docuit nos sæculi vanitates, prava colloquia, delicias mundi respuere, nociva consortia fugere, spontanee corpus castigare. Siquidem quæ carnem delectant et fovent, spiritum necant. Et si arcta via omni Christiano, multo magis religioso est necessaria. Et quemadmodum filiis Israel idololatriæ multiplicisque ruinæ fuit occasio, nimia eorum familiaritas et communicatio cum Amorrhæis ac ceteris gentibus inter quas morabantur; sic multis religiosis occasio est deficiendi atque ruendi, immoderata communicatio et familiaritas eorum cum mundanis hominibus. Maneant ergo religiosi in sua abstractione ac solitudine, soli Deo intenti, atque cum Christo jejuniis orationibusque insistant, contemplationi quoque quum Deus concesserit, quum divinitus dictum sit cuidam devoto : Fons et origo omnis boni est, monachum in cella sua assidue considere. Et S. Antonius dixit : Sicut pisces extra aquam tardantes mox moriuntur, sic religiosi si sæcularibus commisceantur, et diu cum eis remaneant, a suo resolvuntur proposito, et fiunt remissi, dissoluti ac tepidi. Quod eis summe est evitandum, quum in Apocalypsi Deus cuidam loquatur : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. *Matth.* vii, 14. *Apoc.* ii, 4.

Porro, per desertum sacra religio monastica designatur. Desertum namque a deserendo nomen sortitur; et ipsa religio, ea quæ mundi sunt deserit et contemnit. Verum ait Joannes : Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Ideo hæc tria mala ac pessima sunt religiosis potissimum fugienda, præsertim hoc tempore sacro. Potest autem per concupiscentiam carnis intelligi omnis inordinatus appetitus ac prava inclinatio ad delectationem illicitam sensualem, non solum in cibis ac potibus, atque in venereis, sed etiam in risibus, jocis, ludis, et immoderatis solatiis. Quæ omnia sunt vitanda, quia non licet gaudere nisi in Domino, dicente Apostolo : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gaudere autem in Domino, est vel immediate in Deo gaudere, tanquam in proprio objecto, videlicet in contemplatione, dilectione ac laude ipsius, vel de rebus creatis in Deo, hoc est secundum voluntatem ipsius, illas scilicet referendo ad Deum et ejus honorem, tanquam ad debitum finem. Hinc asseruit Augustinus : Quum me magis delectat cantus quam res ipsa quæ cantatur, peccare me fateor; et *I Joann.* ii, 16. *I Cor.* i, 31.

tunc mallem ego non audire cantantem. Idcirco in psalmodia et cantu debemus principaliter ad sensum ac Deum attendere, et omnem complacentiam vanam abjicere.

Porro per concupiscentiam oculorum, vel curiositas vel avaritia designatur, et omne desiderium rerum quæ per usum corporalem inordinate delectant. Quod vitium in multis religiosis periculose abundat ac damnabiliter viget : qui quidquid ornatus aut curiositatis concipiunt aut in aliis vident, appetunt et habere conantur. Contra quod scribit S. Bernardus : Credite mihi, fratres, quia pulchritudines istæ et honestates externæ cito virile enervant propositum, et masculinum effeminant animum. Nam etsi ipso sæpe usu sopiuntur earum delectationes, tamen contemptu melius quam usu exstirpantur et vincuntur hujusmodi affectiones. Intentum quoque interioribus suis animum magis decent inculta omnia et neglecta exteriora, per quæ incola domus, animus ipse, sæpius alibi, puta in cœlestibus, conversari dignoscitur, seque alibi magis occupatam intentio sancta denuntiat. Hinc denuo ait gloriosus Bernardus : Negligentia interiorum generat curiositatem, quia dum homo interiora sua custodire et fecundare omittit, forinsecus evagatur, sicque evagando per multa, faciliter invenit ubi illicite delectetur. Effusus equidem animus interiora damna non sentit, quia nec intus est. Et quid mirum si propriam minime sentiat læsionem, qui oblitus est sui ipsius? Qui
Ps. CI, 5. pœnitendo dicere potest et debet, Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum : panem utique bonæ operationis et obe-
Joann. IV, 34. dientiæ salutaris, de quo ait Salvator, Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Sic dum ea quæ Deus a nobis requirit et professio exigit, obliviscimur, foris curiose diffundimur, fitque anima nostra absens sui, in regionem longinquam profecta.

At vero per superbiam vitæ designatur A ambitio et omnis elatio. Quum ergo ad monachum spectet nihil honoris et delectationis in mundo hoc quærere, sed abjectione et subjectione gaudere, et quantum in se est, velle ab omnibus despici, conculcari, vituperari, seque omnium vilissimum reputare; constat quam longe et infinite distent a veritate perfectionis monasticæ omnes superbi et ambitiosi. Rursus, quum monachorum sit, in omni conversatione, actione et intentione ad Deum directe converti, et nequaquam ad se ipsos B inordinate reflecti, intendendo propria commoda aut honores; omnis elatio et ambitio debent a monachis in infinitum contemni, quia elati et ambitiosi, quasi in cunctis quæ agunt, etiam quæ bona videntur atque ex genere bona sunt, ad se ipsos reflectuntur inordinate, suntque valde obliqui, injusti, distorti, non plani, recti et justi. Ideo, juxta Gregorium, numerari non queunt culpæ quæ generantur ex ambitione. Et certum quod omnium vitiorum origo consistit elatio, cujus demerito per- C mittitur religiosus sæpe etiam in carnalia vitia aut in eorum desideria cadere. Ideo timoratus ille Tobias optime dixit : Super- *Tob.* IV, 14. biam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio. Ut itaque vere simus religiosi, secludantur in æternum a nobis omnia ista in sæculo isto nequam regnantia.

Amplius, Christus per quadraginta dies jejunando, docuit quid agamus, ut qui per immoderantiam cibi ac potus excessimus, D per abstinentiam atque jejunium aliquid etiam necessariorum nobis subtrahendo satisfaciamus. Quomodo ergo abstinet et jejunat, qui plus quam natura requirit manducat ac bibit, ita ut ad spiritualia reddatur ineptior? Quæ ergo sunt opera et indicia veri jejunii, audi Augustinum dicentem : Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum exstinguit ardores, et castitatis accendit ful-

gorem; jejunium est mors culpæ, excidium A delictorum, salutis remedium, radix gratiæ, fundamentum castitatis, incrementum et custos virtutum. Sed ut ait Salvator,
Matth. vi, 16-18. quum jejunamus, non efficiamur sicut hypocritæ tristes, ne tangamur gloria vana; sed caput ungamus faciemque lavemus, ne videamur hominibus jejunantes: hoc est, jucundum in Domino assumamus apparatum et vultum, soli complacere cupientes Altissimo, et omnia cum discretione ac recta intentione agamus.

SERMO SEPTIMUS

QUALITER SIT TENTATIONIBUS RESISTENDUM.

NON *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matth. iv, 4.

Nunc reliqua evangelii hujus mysteria sunt tangenda. Itaque per hoc quod tentator diabolus Christum tentare aggressus est quum quadraginta diebus ac noctibus jejunasset, innuitur quod homines bonos spiritualibus exercitiis diligenter intentos diabolus maxime dejicere conatur ac vincere, vel saltem in aliquo impedire ac retardare. Tales namque sunt adversarii ejus; et illorum exercitiis invidet ac torquetur, quoniam illos conspicit scandere unde corruit ipse. Illi se erigunt contra ipsum, et ei viriliter renituntur: non itaque mirum si illos magis impugnet. Idcirco vir bonus, virtuosus, devotus, sit
I *Cor.* x, 12. semper sollicitus, et stans videat ne labatur, sciens se crudelissimis, astutissimis atque fortissimis hostibus esse vallatum;
Habac. ii, 1. et cum Propheta loquatur, Super custodiam meam stabo. Religiosus quippe debet esse oculatum pennatumque animal, in
Apoc. iv, 6. tantum ut plenus sit oculis ante et retro,
Agg. i, 5, 7. id est undique circumspectus, ponendo cor suum super vias suas, hoc est, omnia opera sua discutiens, an vere sint virtuosa atque cum debita reverentia coram Deo peracta, et ne ab adversariis suæ vincatur aut retardetur salutis. Hinc beatus ait Gregorius: Hostis noster quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto magis nos B expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Et rursus: Plerumque qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius paulo post tentationibus molestetur; sicut quibusdam bene proficientibus sæpe contingere solet, quorum mentem dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super se rapit, statim etiam tentatio subsequitur, ne de his ad quæ rapta est mens extollatur. Hinc, secundum sanctos Patres, juvenibus seu incipientibus nondum bene C exercitatis, tamen gratia speciali præventis et in magno fervore ambulantibus, summe necessaria est discretio et cautela, imo magna humilitas incessabilisque custodia, ne inaniter glorientur, aut subito elidantur, aut corpus ac caput suum nimis debilitent. Ideo asserit Augustinus: Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quam si in ea incaute ambuletur.

Insuper, per hoc quod diabolus Christum post tam diuturnum jejunium, et D jam fame affectum, tentavit de lapidum conversione in panes, ad quod eum putavit amplius inclinatum, eo quod esuriret, datur intelligi quod unumquemque de his vitiis specialius tentat, laqueos parat, rete expandit, ad quæ eum conspicit proniorem sive ex naturali dispositione, sive ex consuetudine. Propter quod optime dixit Leo Papa: Non desinit hostis antiquus

tentationum laqueos ubique extendere, ut A quoquomodo virtutem credentium possit corrumpere; novit cui carnis illecebras ingerat, cui invidiæ virus infundat, cui luxuriæ incitamenta apponat; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat; omnium discutit mores, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi quærit viam et causas nocendi, ubi viderit quemquam diligentius occupari. Quum ergo sit tanta contra nos imbecilles astutia dæmonum, utamur et nos omni bona industria B nobis possibili. Consideret unusquisque ad quæ peccata, ad quas passiones sit pronior, et de quibus rebus magis tentetur; et contra illa tentamenta ac vitia specialissime, indesinenter ac infatigabiliter reluctetur, nec cesset quousque Deo auxiliante triumphet. Imo juxta doctrinam Philosophi de virga curva, quam si rectificari debeat, opus est ultra medium flecti ac recurvari, ut sic tandem in medio maneat fixa; sic religiosus ad iram, impatientiam, tristitiam, voracitatem, pigritiam aut C aliam passionem proclivis, contra illam tam fortiter prælietur, ut in ea quasi ultra medium se vincat ac frangat, donec in medio roboretur. Ideo expedit ut suam quisque complexionem agnoscat : quatenus si cholericus est, contra iram plus pugnet; si phlegmaticus, contra pigritiam ; si melancholicus, contra tristitiam atque invidiam; si vero sanguineus, contra carnalitatem, dissolutionem et animi relaxationem.

Præterea, per hoc quod diabolus Chri- D stum primam tentationem vincentem, statim tentavit de alio malo, insinuatur quod diabolus semel victus non protinus abit semper aut cessat : imo frequenter insurgit validius, impugnat atrocius, et de vitio tentat periculosiori, quemadmodum Christum primo de conversione miraculosa et gula tentatum, ac superantem, mox de vana gloria tentationeque Dei impugnare præsumpsit. Idcirco fatetur Gregorius : Antiquus hostis dum ex primo certamine se succumbere cernit, ad alia tentationum bella instaurat ; intuetur uniuscujusque mores cui vitio sint propinqui, et illa proponit ante faciem ad quæ novit facilius inclinari mentem. Hinc ait Hugo : Diabolus quando decipere aliquem tentat, prius naturam ejus considerat, et inde se applicat unde aptum conspicit hominem ad tentandum ac superandum. Blandis ac levibus mentibus sæpe luxuriam proponit gloriamque inanem; asperis vero mentibus, iram, superbiam sive ferociam. — Ex quibus omnibus constat dictum illud quorumdam non esse ratum, dicentium dæmonem semel ab aliquo victum statim discedere, nec eumdem hominem amplius impugnare. Nec S. Thomas hoc approbat, quum in Luca de Christo dicatur, Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus : quo constat quod postmodum rediit. Ideo nunquam simus in ista vita securi aut torpentes et pigri, nec de triumpho præterito inaniter gloriantes, sed semper ad acriora bella parati, spiritualibus armis muniti, et undique circumspecti : præsertim quum unicuique dicantur duo angeli deputati, unus malus ad exercitium, alter bonus in adjutorium, qui usque in finem vitæ hujus cum homine manent. Hinc Cassiodorus ait : Tentatio ista a dæmone est bellum grave atque occultum, quia cum fortiore, et quoniam hostis hujus insidiæ non videntur. Et ipse adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando in toto discedit : imo tanto atrocior redit, quanto fortius per divinam gratiam debellatur. *Luc.* IV, 13.

Porro, per hoc quod diabolo ter confutato, accesserunt sancti angeli et Christo ministraverunt, exprimitur quod victores tentationum a Deo ac angelis honorantur, confortantur ac consolantur. Et hoc ad præliandum fortissime contra tentationes ac vitia debet nos inflammare, quod Dominus, rex, Deus et creator noster, et angeli, certamen nostrum adspiciunt, et coronare victores paratissimi exstant : sicut videmus quod milites adspiciente impe-

ratore aut rege, fortissime præliantur. Hoc A quoque nos semper sollicitos reddat ac timoratos, quod dæmones tam ferocissimi, fortissimi infatigabilesque consistunt, et nihil de nobis sufficit eis, nisi ut nos non solum æterna beatitudine privent, sed perpetuis quoque involvant miseriis. Quomodo ergo nos pusilli, ignorantes, cæci, infirmi, tantis ac talibus poterimus resistere hostibus et prævalere eisdem? Et hoc nunc postremo tangendum est breviter.

Et unum nunc ex Evangelio habetur B remedium, utputa allegatio Scripturarum, per quam Christus diabolo restitit semper atque prævaluit. Ita ergo et nos quando tentamur, Scripturarum testimonia recolamus, et quidquid eis adversatur abominemur. Unde, secundum Apostolum, verbum Dei est gladius spiritus, quo superatur diabolus. (*Ephes.* VI, 17.) Est etiam cibus mentis, eam contra tentationes corroborans. Secundum remedium sive auxilium est, coram Deo propriam infirmitatem et insufficientiam humiliter recognoscere, et Dei auxilium C fervide implorare, ac totam in Deo spem stabilire. Unde cum Apostolo dicamus, Omnia possum in eo qui me confortat; (*Philipp.* IV, 13.) et cum beato Job, Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me; (*Job* XVII, 3.) atque cum Josaphat rege, Quum ignoremus quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos ad te, Domine, dirigamus, quia in nobis non est tanta fortitudo, ut tantis ac talibus valeamus adversariis reluctari. (II *Par.* XX, 12.) Et tunc utique fidelis Deus, qui non patitur nos ultra vires (quas ipse D præstare paratus est) tentari, faciet cum tentatione proventum. (I *Cor.* X, 13.) Tertium est, dominicæ passionis meditatio frequens ac cordialis : quæ ad omnia tentamenta ac vitia superanda est efficacissima. Quartum est, etiam Sanctos ad quos quis majorem habet dilectionem ac devotionem, fiducialiter invocare, potissime Virginem gloriosam et angelum proprium, juxta illud Job : Ad aliquem Sanctorum convertere. (*Job* V, 1.) Quintum est, quatuor novissimorum profunda consideratio, utputa, amarissimæ mortis, divinæ districtionis in judicando, perpetuæ damnationis, æternaliumque gaudiorum in cœlo : imo utique cujuslibet horum attentio sagax, ad superandum tentationes ac culpas universas est efficax. Sextum est, statim in principio repugnare, nec locum diabolo dare, phantasiis non immorari, nec vanis apprehensionibus, suggestionibus, imaginationibus condelectari, sed ad prætacta remedia se statim convertere. Hinc per Jeremiam loquitur Deus : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? (*Jer.* IV, 14.) quia etsi veniant, tamen in corde morari non debent. Septimum est, otia devitare et boni aliquid jugiter operari, imo virtuosis exercitiis ferventer insistere, ne dæmon vacantem comperiat locum. Ideo dicit Hieronymus : Semper boni aliquid facito, ut te diabolus inveniat occupatum, quia non facile a diabolo capitur, qui bono exercitio occupatur. Octavum est, secreta cordis alicui viro spirituali, experto, discreto, clarissime aperire, et ejus consiliis uti. Hoc enim vehementissime dæmonum vires debilitat, qui quum sint tenebrarum ministri, et quærant latere ac fallere, nolunt suggestiones suas deduci in publicum, sed eis manifestatis refugiunt : præsertim quum et magnæ sit humilitatis secreta cordis, cogitationes, et proprium lapsum ac conflictationem taliter aperire, qua humilitate debilitatur diabolus. Et quam utile est talia viro experto ac sapienti manifestare, tam periculosum est ea indiscreto et inexperto insinuare.

Itaque viriliter resistamus, indefesse pugnemus, quum tam ineffabile præmium sit eorum qui vincunt, tamque indicibile tormentum illorum qui superantur. Propter quod ait Ambrosius : Deus, omnium rector ac Dominus, cum omni angelorum militia certamen tuum exspectat, tibique contra diabolum dimicanti æternitatis parat coronam. Quam nobis post vitæ hujus incolatum concedat, qui æternaliter vivit et regnat Deus super omnia benedictus. Amen.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

ROGAMUS VOS ET OBSECRAMUS IN DOMINO JESU, ETC. I Thess. IV, 1-7.

In præsenti epistola hortatur Apostolus A universos fideles, ut digne ambulent coram Deo, spiritualiterque proficiant, et præsertim ab omni fornicatione abstineant, atque ad proximos suos caritative et juste se habeant. Itaque ait :

Rogamus vos simplici prece, *et obsecramus,* id est, per sacra deposcimus (quomodo autem oratio et obsecratio differant, Cf. p. 90 D. plene expositum est in elucidatione epistolæ dominicæ quartæ Adventus), *in Domino Jesu,* id est secundum voluntatem Christi, et ad ejus honorem, ac juxta do- B ctrinam ipsius, *ut quemadmodum accepistis a nobis,* id est, ex nostra doctrina didicistis, *quomodo vos oporteat ambulare,* id est, quam reverenter ac timorate vos Deo servire necesse sit, si salvari debetis, Matth. VII, 14. ambulando per arctam viam quæ ducit ad vitam beatam, *et placere Deo* per Luc. I, 74, 75. opera virtuosa, serviendo ei in sanctitate et justitia perseveranter, *sic et ambuletis,* id est conversemini, observando divina præcepta et apostolica documenta. Recte autem vita hominum in præsenti ambu- C latio appellatur, quoniam cursus est ad I Par. XXIX, 15. aliam vitam, et peregrini ac viatores sumus in sæculo isto. Hoc itaque obsecramus, *ut abundetis magis,* id est, non solum in bonis actibus consuetis stabiles maneatis, sed per quotidianum profectum virtutum magis ac magis in spiritualibus exuberetis divitiis, scilicet in splendore gratiæ, in caritatis fervore, in cordis sinceritate, in contemplatione æternorum. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis,* dum apud vos eram, *per Dominum Jesum,* id est per Christi auctoritatem et gratiam, et ipso loquente atque jubente per me. Apostolus namque tanquam Christi minister, non sua, sed Christi auctoritate, id est auctoritate sibi a Christo collata et commissa, præcepit.

Hæc est enim voluntas Dei, id est res complacens Deo, seu præceptum, signum exsistens divinæ voluntatis antecedentis vel consequentis, *sanctificatio vestra,* id est purgatio a peccatis et decoratio per virtutes. Nam et Christus in Evangelio loquitur : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes Luc. XIII, 3. similiter peribitis. Sed et in secunda Petri epistola habetur : Patienter agit Dominus II Petr. III, 9. propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Et rursus ait Salvator : Estote perfecti, sicut et Pater Matth. V, 48. vester cœlestis perfectus est. Atque frequenter per Moysen Deus locutus est : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Lev. XI, 44, 45; XIX, 2; XX, 26. Dominus Deus vester. *Ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat* scientia formata, practica, approbativa boni, *unusquisque vestrum vas suum,* hoc est proprium corpus, aut contoralem, *possidere,* ipsum regendo per rationem, ne possideatur ab eo, sensualitate rationi prædominante, *in sanctificatione,* id est in gratia sanctificante, vel in sanctificatione in Baptismo collata, permanendo in ea, seu in virtutum

ac castitatis munditia, *et honore,* id est A conversatione honesta, cui honor debetur, ut ab omni inquinamento mentis et corporis sitis immunes; *non in passione desiderii,* id est non in carnali concupiscentia, ei consentiendo aut satisfaciendo, *sicut et gentes* faciunt, hoc est gentiles, *quæ ignorant Deum,* id est, Deum non noscunt cognitione formata, actuali et practica, quæ caritate et bonis actibus adornatur. Unde
Tit. i, 16. Apostolus loquitur: Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Hinc in Ecclesiastico
Eccli. xviii, 30. scriptum est: Post concupiscentias tuas B non eas, et a voluptate tua avertere.

Et ne quis supergrediatur, id est, aliquem violenter suppeditet, aut impie opprimat, *neque circumveniat,* hoc est decipiat, *in negotio* quocumque *fratrem,* id est proximum, *suum: quoniam vindex,* hoc est ultor justissimus, *est Dominus de*
Job xxiv, 12. *his omnibus* vitiis (juxta illud Job: Deus inultum abire non patitur), *sicut prædiximus vobis et testificati sumus,* hoc est, firmiter asseruimus, et testimonio Scripturarum probavimus. Siquidem in Levi- C
Lev. xix, 13. tico scriptum est: Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum; et alibi, Non decipiat unusquisque proximum Lev. xix, 11.
suum. Jacobus quoque ait, Judicium sine Jacob. ii, 13.
misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam: quanto magis ei qui fecerit fraudem, aut violentiam, sive damnum? qui ad satisfactionem seu restitutionem tenetur.

Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, id est ad hoc ut sordibus vitiorum contaminemur, quoniam Deo essentialiter sancto, bono et justo, iniquitas placere non potest; *sed in sanctificationem,* id est ad
hoc ut ei in sanctitate et justitia jugiter Luc. i, 74, 75.
serviamus, ut loquitur Zacharias. Unde in
Deuteronomio Moyses loquitur: Perfectus Deut. xviii, 13.
et absque macula eris cum Domino Deo. Similitudo quippe est causa amoris, et efficit unionem. Ideo sanctus Dominus Deus noster sanctos requirit ministros, prout in
Levitico ait: Nolite contaminare animas Lev. xi, 43, 44.
vestras; ego enim sum Dominus Deus vester. Vult ergo piissimus Pater cœlestis, ut ei in virtutibus assimilemur, et omnem vitiorum turpitudinem odiamus. *In Christo Jesu Domino nostro,* quia per ipsum, ejusque gratiam, virtutes ac merita, sumus vocati, conversi, salvati.

SERMO PRIMUS

QUOD HOMINIS SALUS ET PERFECTIO SIT, SI SE A REBUS TERRENIS AC TEMPORALIBUS TRANSFERAT AD DIVINARUM COELESTIUMQUE AMOREM.

H*ÆC est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* I Thess. iv, 3. D

Quoniam homo constat ex corpore vili et anima rationali ac immortali, tota hominis virtus, sapientia, salus atque perfectio consistit in hoc, ut a terrenis et a temporalibus rebus ad spiritualium ac divinarum amorem se transferat, et summo Deo pura ac libera mente inhæreat. Ad hoc ordinantur ac tendunt universa præcepta. Noli ergo, o Christiane, sensibilibus et caducis immorari magis quam spiritualibus ac omnium Creatori; sed sicut anima tua incomparabiliter dignior est corpore tuo, ita incomparabiliter sollicitior esto circa provisionem animæ tuæ, ut ipsa ditetur virtutibus, virtuosis nutriatur operibus, vera sapientia ac spirituali amore perficiatur, protectione quoque continua ac gratia Spiritus Sancti contra tentamenta omnia roboretur, et quotidiano virtutum decoretur profectu, quam circa cor-

poris tui provisionem, ut necessaria huic vitæ ad sufficientiam habeat. Sed, heu! multi concipiunt et diligunt se potissimum secundum id quod sunt quantum ad corporalem et sensitivam suam partem : cujus signum est, quod corporalia et sensibilia et temporalia ista plus cogitant, optant et quærunt, quam spiritualia ac divina. Hinc amant se amore carnali et falso, non spirituali et vero.

Iterum, sicut vita futura, beata ac sempiterna incomparabiliter præferenda est huic vitæ brevissimæ, defectuosæ ac miseræ; ita incomparabiliter diligentiores esse debemus, ut ad illam mereamur pertingere vitam, quam ut in hac incertissima vita in temporalibus abundemus. Sed ecce quam mirabilis ac deflenda est excæcatio plurimorum, qui quum certissime sciant se morituros, nec diu in hac posse vita durare, atque post hanc vitam in alio sæculo æternaliter permansuros, vel in summa gloria, vel in summa miseria, nihilo minus tam avide circa temporalium abundantiam occupantur, atque tam parum de spiritualibus curant, quasi in hoc mundo essent æternaliter victuri. O infelix ac miserabilis homo, aperi oculos cordis tui veritati lucis æternæ, id est doctrinæ Christi altissimi; illuc semper dirigatur tua intentio, ibi tua figatur affectio, ubi æternaliter es mansurus. Hæc namque est Dei voluntas, sanctificatio tua, ut a vitiis emunderis virtutibusque orneris.

Præterea, juxta doctrinam Apostoli, possideat quilibet nostrum vas, id est corpus suum, in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, hoc est, ut unusquisque corpus suum debite regat. Porro, regere, est rem in suum finem dirigere : finis autem corporis est anima rationalis. Ideo corpus regere, est illud ita cibare, potare, vestire, somno recreare, et operibus exercere atque compescere, prout expedit animæ ad proficiendum in gratia et virtute, ad serviendum Altissimo, ad obtinendum salutem æternam. Unde si corpori tantum detur de cibo, potu et somno, quod ex hoc anima impeditur a virtuosis operibus, jam in hoc peccatum committitur. Et tamen sic agunt gulosi et delicati, qui lauta et superflua cibaria poculaque requirunt. Quod prohibens Christus : Videte (inquit) ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate. Ex immoderantia namque cibi et potus ac somni multa vitia oriuntur, et anima a spiritualibus actibus multipliciter impeditur : ex immoderantia etenim illa sequuntur somnolentia, loquacitas, vana lætitia, dissolutio morum, concupiscentia carnis, tædium occupandi se in exercitiis virtuosis. Ideo sobrietas est valde necessaria.

I Thess. IV, 4, 5. — Luc. XXI, 34.

Insuper carnales affectiones frangendæ ac refrenandæ sunt, potissimum appetitus venereorum, quoniam sola interior concupiscentia libidinosa, cui non resistitur, sed consentitur, est mortale peccatum. Quemadmodum ergo reprimendum ac penitus suffocandum est desiderium spoliandi, furandi et occidendi injuste, ita et desiderium fornicandi, imo et tangendi ac amplexandi carnaliter, quia in lascivis tactibus atque amplexibus consistit culpa mortalis. Maxime autem in hoc sacro jejunio vitanda sunt peccata ista carnalia et desideria prava, immoderati risus, joci ac ludi, ut in pœnitentiali dolore ac corporis salubri afflictione, in orationibus, eleemosynis et aliis actibus pietatis tempus istud laudabiliter expendatur in omni timore Dei, ac vera devotione et cordis custodia.

Frater quidam in eremo habitavit, promptus et alacer in Dei obsequio. Huic diabolus immisit cogitationem cujusdam notæ sibi mulieris formosæ, et perturbavit ac tentavit Fratrem illum. Contigit autem quod alius quidam Frater visitavit Fratrem illum, et inter cetera retulit ei : Mortua est mulier illa. Post paucos igitur dies Frater ille tentatus, occulte perrexit ad locum sepulturæ illius mulieris, et nocte aperuit sepulcrum ejus; vestemque suam tinxit in putredine cadaveris illius

defunctæ, et reversus est in cellam suam. Posuit illum fœtorem in suo conspectu, et dixit sibimetipsi : Ecce habes quod desiderasti, satia te ex eo. Sicque cruciavit se in illo fœtore, quousque immunda cogitatio cessavit ab eo.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EGRESSUS JESUS, SECESSIT IN PARTES TYRI ET SIDONIS, ETC. Matth. XV, 21-28.

DESCRIBITUR in evangelio hodierno, quemadmodum Christus, ad magnam cujusdam mulieris instantiam, filiam ejus a dæmonis obsessione curavit. Per quod spiritualiter designatur qualiter fideles pro propriarum ac proximorum curatione animarum a vitiis tentationibusque diaboli, Christum debeant invocare, et curari ab ipso. Et quia hoc potissimum in hac Quadragesima est agendum, ideo evangelium istud convenienter nunc legitur. Ait ergo evangelista Matthæus :

Egressus Jesus de terra Genesareth, et derelictis conventiculis Scribarum ac Pharisæorum, qui opera atque miracula Christi perversissime interpretabantur, *secessit in partes,* hoc est, cum discipulis suis intravit loca, terras seu terminos, *Tyri et Sidonis,* quæ fuerunt urbes famosæ, antiquæ, magnæ et opulentæ. *Et ecce mulier Chananæa,* id est de stirpe Chananæorum progenita : prædictæ etenim urbes ad terram Chanaan pertinebant; *a finibus illis egressa* corpore et animo : corporaliter namque domum suam exivit ut quæreret Jesum; incredulitatem quoque et vitia alia Chananæorum deseruit, credens in Christum; *clamavit :* quia ex vehementi affectu in verba alte prorupit, et ex magnitudine necessitatis suæ oblita est femineæ verecundiæ, clamans sine rubore : quemadmodum Maria Magdalene ex nimio suorum peccatorum dolore intravit locum convivii, et lacrimis suis Christi pedes lavit. Excessiva enim affectio rationem non pensat, suoque impetu trahit optantem. *Dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David.* Percepit mulier ista Christi miracula, audivitque eum filium David vocari, quia de semine ejus descendit : fama quippe Christi tunc undique se diffudit, propter crebra miracula quæ abundantissime fecit. Unde paulo ante verba evangelii hujus S. Matthæus præmisit : Quum transfretasset Jesus, venerunt ipse et discipuli ejus in terram Genesareth. Et quum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et curavit eos. *Filia mea male,* id est graviter atque crudeliter, *a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum,* non ex superbia vel ex contemptu : sed ratione mysterii, ut designaret se primo ac principaliter missum ad loquendum ac subveniendum populo Israel; et quia jam ante præcepit Apostolis, In viam gentium ne abieritis. Hæc autem mulier erat gentilis, genere Syrophœnissa, id est de Syria Phœnicis. Ideo etiam non respondit, ut illa instantius peteret, atque ardentius postulando copiosius exaudiretur.

Et accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Dimitte eam,* hoc est, fac quod postulat, ut revertatur, *quia clamat post nos,* sequens vestigia nostra, et suo clamore molesta est nobis. Unde patet, quod ista facta sunt in via. Sed contrariari videtur quod in Marco legitur, quod mulier ista venit et procidit coram Christo in domo. Ad hoc respondet Augustinus in libro de Consensu Evangelistarum, quod mulier is-

Matth. XV, 1 et seq.
Luc. VII, 37, 38.
Matth. XIV, 34-36.
Ibid. X, 5.
Marc. VII, 26.
* rogabant eum dicentes
Ibid. 25.

ta primo venit ad Christum in domo, et A Christo nil respondente, sed domum illam cum silentio hujusmodi exeunte, secuta est eum in via. Porro discipuli oraverunt pro ea, vel ejus clamoribus attædiati, vel ejus dolori compassi, vel certe fide ejus devotioneque moti. Verumtamen Chrysostomus ait : Æstimo discipulos ad calamitatem mulieris tristatos ; non tamen ausi sunt dicere Christo, Da ei hanc gratiam, sed, Dimitte eam : sicut et nos, quum volumus alicui aliquid persuadere, multoties contraria dicimus. Origenes quoque B hic ait : Vide prudentiam feminæ : non ivit ad homines seductores, non quæsivit ligaturas inanes ; sed omnes relinquens diaboli cultus, venit ad Dominum. Deinceps, quamvis hæc femina non clamavit nisi ad Christum, discipuli tamen pluraliter dicunt, Clamat post nos : quia jam reputaverunt se unum cum Christo in Deo.

Ipse autem respondens discipulis, *ait : Non sum missus* primo ac principaliter, atque ad prædicandum ac operandum miracula in propria persona, *nisi ad oves* C *quæ perierunt domus Israel.* Constructio hæc est : nisi ad oves domus Israel quæ perierunt, id est ad oves seu plebem Israeliticæ nationis perditas per originale ac actuale peccatum, hoc est ad populum Judæorum, quibus Christus per se ipsum usque ad passionem, per Apostolos quoque ante suam passionem et postea diu prædicavit, donec illis penitus obstinatis et inexcusabiliter induratis, justa facta est Apostolorum transmigratio ad gentiles. Un-

Act. XIII, 46. de in Actibus Paulus dixit Judæis : Vobis D oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.

At illa venit, et adoravit eum. Aliqui dicunt, quod credidit Jesum esse Deum. Et sic adoratione latriæ eum adoravit. Alii probabilius dicunt, quod non putavit Jesum esse Deum, nec hoc explicite credidit, quum neque discipuli hoc putaverint, secundum Bedam; sed putavit eum esse hominem sanctum et Prophetam, seu etiam Messiam. Sic eum adoratione duliæ adoravit, sicut mulier Thecuitis David regem, II *Reg.* XIV, 4.
ut secundo Regum habetur. *Dicens : Domine, adjuva me.* Mulier ista filiam suam rogavit curari ; et tamen ait, Adjuva me : primo, quoniam calamitatem filiæ suæ reputavit ut propriam; secundo, quia credidit filiam suam non posse sanari principaliter nisi a Deo, idcirco oravit per Christi auxilium impetrari a Deo quod per se non potuit obtinere. Sic quippe et Martha locuta est Christo : Scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. *Joann.* XI, 22.

Qui respondens ait, difficultatem quamdam monstrando : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Hoc ad litteram ita est; nec tamen iste est sensus litteralis principaliterque intentus, nec mulier sic intellexit. Est igitur sensus : «Non est bonum», id est decens ac justum, «sumere panem filiorum», id est spiritualia alimenta, ut legis evangelicæ documenta, et opera miraculorum Judæis promissa ac impendenda, qui filii nominantur propter fidem et cultum unius Dei ; « et mittere canibus », id est dona ista impertiri gentilibus, qui propter idololatriæ insaniam et sanguinis atque immolatorum cadaverum esum, vitamque vilissimam, canes vocantur. Unde de populo Israel Deus ait per Osee : Puer Israel, et dilexi eum ; per *Osee* XI, 1.
Jeremiam quoque, Ephraim primogenitus *Jer.* XXXI, 9.
meus. Verum, per filios hoc loco designantur præsertim electi, quales fuerunt discipuli Christi. Non enim reputantur in semine, nisi qui credunt, secundum Apostolum. *Rom.* IV, 12, 13.
At illa dixit : Etiam, Domine, id est, ita est sicut dicis, nihilo minus fieri decet quod postulo ; *nam et catelli,* id est parvi catuli sive caniculi, *edunt de micis,* id est fragmentis, *quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Hoc litteraliter ita est ; sed sicut Christus metaphorice loquebatur, ita et mulier metaphorice, subtiliterque et valde pertinenter respondit. Ut sit sensus : Sicut parvuli canes sustentantur fragmentis cibi dominorum suorum,

sic decet me gentilem catello similem, A aliquid gratiæ Judæorum sortiri, et a te aliqualiter refocillari, ut ad instantiam meam filia mea curetur a te.

Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua, id est firma et integra, bonis operibus ceterisque virtutibus adornata, quoniam toties repulsa, et quasi vilipensa seu canibus comparata a me, non cessas fideliter, humiliter, prudenter, perseveranter ac patientissime postulare : dignum est ergo ut tibi aperiam januam pietatis. Ideo *fiat tibi sicut vis,* id B est, sicut petisti. Et hunc Christi sermonem effectus protinus est secutus, ut subditur : *Et sanata est filia ejus,* id est a dæmonio liberata, *ex illa hora,* id est, eodem momento quo dixerat Christus, Fiat tibi sicut vis. Hic ait Hieronymus : Magna est hujus mulieris fides, patientia, humilitas : fides, quia credidit sanari posse filiam suam ; patientia, quia toties repulsa, perseverat in precibus ; humilitas, quia non canibus, sed catulis se comparavit. Scio me, inquit, panem filiorum non mereri, nec integros C posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum patre, sed contenta sum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri magnitudinem veniam.

Præterea quæritur : si verum est quod dixit Salvator, Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus ; ergo ipsemet faciendo oppositum, videtur non bene fecisse. Respondetur, quod verbum Christi servandum fuit et verum erat secundum legem communem ; tamen in certo casu et ex gratia speciali bonum fuit oppositum : sicut et Moyses jussit ne Ammonitæ et Moabitæ intrarent in Ecclesiam Dei ; nihilo minus Ruth Moabites et Achior Ammonites, propter virtutes suas et devotionem ad Deum Israel, statim admissi fuerunt ad ritum Judæorum. Sic et mulier ista ex singulari devotione obtinuit quod communiter aliis gentilibus adhuc condonandum non fuit. — Postremo, quo Christus videbatur huic mulieri asperior foris in verbis ac gestibus, eo fuit ei benignior intus per operationem occultam, per inspirationem et illustrationem internam. Alioqui, quomodo mulier ista tantam fidem, humilitatem, patientiam atque prudentiam habuisset? Unde Christus, qui eam forinsecus repulit, intus attraxit, ut in hac femina disceremus qualiter sit orandum, id est quam fideliter, humiliter, ferventer ac patienter.

Deut. XXIII, 3.

Ruth I, 16; III, 10, 11; IV, 10-13; *Judith* XIV, 6.

SERMO SECUNDUS

DE MYSTICA SEU SPIRITUALI SIGNIFICATIONE HUJUS EVANGELII.

NIGRA sum, sed formosa, filiæ Jerusalem. Cant. I, 4.

In hoc verbo duo tanguntur, quæ Ecclesiæ ex gentilibus congregatæ conveniunt. Primum est ejus nigredo, quum ait : Nigra sum. Secundum est ejus pulchritudo, dum subditur : Sed formosa. Porro per filias Jerusalem, intelliguntur animæ devotæ ex Israelitica plebe conversæ, quæ dicuntur filiæ Jerusalem, id est militantis Ecclesiæ. Ecclesia ergo ex gen- D tilitate conversa atque collecta, dicitur nigra propter duo : primo, ratione vitiosæ originis, quia ex infidelibus orta est secundum carnalem propaginem ; secundo, propter diversas tribulationes quibus in præsenti affligitur vita. Multæ enim tribulationes justorum ; et omnes qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. Verumtamen Ecclesia ista intus « formosa » est, quia per Christum est liberata, et in Baptismo ab omni peccato

Ps. XXXIII, 20. II *Tim.* III, 12.

purgata, gratia quoque atque virtutibus A decorata; deinde bene conversando, in spirituali pulchritudine sapientiæ ac virtutum copiose profecit. Hinc ad Ephesios ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, (Ephes. v, 25-27.) et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Hæc ergo Ecclesia significatur per mulierem gentilem, tamen conversam, et Christum devotissime invocantem. Quemadmodum enim mulier illa Christum ob- B nixe rogavit pro curatione filiæ suæ a dæmone, ita Ecclesia indesinenter orat pro animabus credentium, ut a vulneribus, id est peccatis, quibus spiritualiter occiduntur a malignis spiritibus, per gratiam Christi curentur ac præserventur. Apostoli quoque et Sancti, omnesque cives triumphantis Ecclesiæ, pro militanti Ecclesia invocant Deum.

Præterea per mulierem istam, intelligi potest unaquæque anima fidelis post magna peccata vere conversa, quæ invocat C Christum pro curatione filiæ, id est mentis seu conscientiæ suæ, a dæmoniis dire vexatæ sive tentatæ. Dum enim anima peccatrix cordialiter pœnitet, atque ad Deum totis præcordiis se convertit, humanæ salutis inimicus diabolus crudeliter eam suis tentamentis infestat, in tantum ut nonnunquam de desperatione, infidelitate aut blasphemia eam tentet: de quibus tentari molestissimum est. Sed tunc unicum remedium, saluberrimumque consilium, ac summum solatium animæ, D est ad Deum confugere, ejus misericordiam implorare, eum importune incessabiliterque rogare, ut afflictæ menti seu conscientiæ nostræ succurrat, tentationes tollat aut mitiget atque deficere faciat: imo istud in omni tentatione facere nos oportet.

Porro, dum anima affectuosa taliter invocat Christum, ipse interdum tacet ad tempus, non exaudiendo, nec quidquam respondere videtur, et quasi austere se habet, quemadmodum sanctus Job loquitur Deo: Clamo ad te, et non exaudis me; sto, (Job xxx, 20, 21.) et non respicis me; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Sic et Habacuc ait propheta: Usquequo, Domine, clamabo, et non exau- (Habac. i, 2.) dies? vociferabor vim patiens, et non salvabis? Dum ergo Deus ad animam ita se habet, anima ipsa patienter se debet habere, immobiliterque in infinita Dei pietate confidere, nec ab ejus invocatione cessare, imo instantius atque ardentius exorare, certa quod verissime scriptum sit: Nullus (Eccli. ii, 11, 12.) speravit in Domino, et confusus est; et quis invocavit illum, et despexit eum? Deus namque naturaliter bonus et pius, ac invariabiliter in se ipso dulcis et gratiosus frequenter ita se habet ad animam, pro majori ipsius salute, ut scilicet diu et instanter petendo, nec a Dei fiducia recedendo, sed longanimiter sustinendo, copiosius exaudiatur ab eo. Ideo cum muliere hac Chananæa procidat coram Deo, et dicat: Domine, adjuva me. Quod si nec sic (Matth. xv, 25.) Deus exaudierit eam, sed quasi reipsa dicat, Non est bonum sumere panem filio- (Ibid. 26.) rum et mittere canibus, hoc est, non decet me tibi adhuc in mundo peregrinanti atque quotidie peccanti, dare consolationes cœlestes, spirituales divitias, gratiam contemplationis supernæ, tranquillitatem conscientiæ serenatæ, quibus filii, id est viri perfecti, præsertim cives cœlestis Jerusalem, reficiuntur (hæc namque gratiarum charismata, animæ in tribulationibus constitutæ ac cupientes proficere, solent multum optare); tunc anima humilis ac devota respondeat Deo: Utique, Domine; (Ibid. 27.) nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: hoc est, quamvis ex me ipsa non merear dona hæc, imo indigna sum, te tamen ob tuam bonitatem, misericordiam munificentiamque immensam decet mihi pauperculæ aliquid desideratæ gratiæ communicare, et modicum quid illuminationis sapientiæ tuæ caritatisque fervidæ ac consolationis infundere, ut a tentationum et afflictio-

num mearum molestia paululum conquiescam, et semper prævaleam. Tunc Deus, animæ talis fidem, humilitatem, patientiam prudentiamque perpendens, protinus respondebit reipsa : O anima, magna est fides tua; fiat tibi ut postulasti. Eademque hora relevamen sentiet mens seu conscientia nostra.

Sequamur ergo, præsertim hoc tempore, hujus feminæ fidem, fervorem, constantiam; et cum ea Christum indesinenter rogemus, ut animas nostras curare, confirmare et semper tueri dignetur; atque ab omni vanitate et pravitate abstineamus, actibusque pœnitentiæ immoremur, jejunando, orando, eleemosynas faciendo, et de gaudiis cœlestibus, infernalibus pœnis, districtissimo Dei judicio multoties cogitando, præsentisque vitæ brevitatem pensando, et coram Deo in omnibus timorate ac laudabiliter conversando.

Narravit S. Antonius, quod tempore Maximiani imperatoris fuit quædam puella pulcherrima, ancilla cujusdam divitis; qui multis promissionibus ad illicita secum C opera provocare illam voluit, sed nequivit: A ideo ira repletus, tradidit eam præfecto Alexandriæ occidendam quasi christianam. In ipsa vero persecutione submisit ei quosdam cum pecunia, dicens : Si consenseris mihi, eripiam te a pœnis; si autem permanes in duritia tua, rogabo judicem ut torqueat te usque ad mortem. Quumque ad tribunal judicis esset adducta, locutus est ei judex : Aut subdere voluntatibus domini tui, aut certe in hanc caldariam pice ferventem te jubeo mitti. B Illa respondit : Non fiant aliquando tales judices, qui jubeant subdi luxuriæ. Tunc judex fremens jussit eam nudam in caldariam pice ferventem mitti. Illaque dixit: Per caput tui imperatoris adjuro te, jube me paulatim in caldariam deponi, ut videas quantam mihi patientiam Christus donavit, quem tu ignoras. Quumque sic deponeretur in cacabum bullientem, pix refriguit quum circa collum ejus pervenit. Quo viso, multi adstantium in fide sunt roborati. Unde patet quantum Deo complaceat castitas.

SERMO TERTIUS

DE ORATIONE, ET QUALITER SIT ORANDUM.

BONA *est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Tob. XII, 8. Hæc sunt verba angeli Raphaelis.

Quoniam hoc tempore sacro præcipue insistendum est orationibus sanctis, aliquid de oratione dicendum est : et primo, quid sit oratio; secundo, qualiter sit orandum; tertio, de præparatione mentis ad orationem; quarto, de valore seu efficacia orationis; quinto, de ejus impedimentis; sexto, quando orandum sit; septimo, ubi orandum sit.

Circa primum attende, quod oratio proprie sumpta, est petitio decentium a Deo, id est postulatio rerum illarum quas decet peti a Deo, videlicet æternæ salutis, et gra- D tiæ ac virtutum per quas ad illam pertingitur, imo omnium quæ utilia aut necessaria sunt ad serviendum complacendumque Deo, quia et corporalibus rebus egemus ad vivendum ac serviendum Domino Deo nostro. Hinc ait Salvator : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus; et denuo dicit : Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ille autem petit Patrem æternum in nomine Filii ejus, qui hoc petit quod ad veram spectat salutem : unde qui petit quod suæ saluti non expedit,

Matth. VI, 33.

Joann. XVI, 23.

non vere orat, nec Patrem in Christi nomine invocat. Hinc subdit B. Bernardus : Orare, est Deum quærere. Non recte oras, si orando præter Deum aliquid quæras quod propter Deum non quæras, quia in ipso sunt omnia, scilicet remedia vulnerum, subsidia necessitatum, et quidquid accipere vel habere hominibus expedit. Sine causa ergo aliud a Deo petitur, quum ipse sit omnia. Nam si ista temporalia, quando necesse est, postulamus, si ea propter Deum quærimus, non illa, sed hunc potius quærimus, propter quem alia postulamus.

Secundo, dicendum est qualiter sit orandum. Primo igitur orare debemus cum
Hebr. XI, 6. certa fide, quum dicat Apostolus : Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator
Jacob. I, 5-7. sit. Jacobus quoque ait : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui autem hæsitat, similis est fluctui maris : non ergo æstimet homo ille, quod aliquid accipiat a Deo. — Secundo orare debemus cum spe magna, quia spes multum complacet Deo, et fiducialiter exorantem Deus
Ps XXXI, 10. non abjicit, juxta illud Psalmi : Sperantem in Domino misericordia circumdabit.
Ps. LVI, 2. Hinc orat Propheta : Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Verumtamen oratio esse non debet præsumptuosa aut temeraria, sed circumspecta ac timorata. Magnitudo namque spei seu certitudo fiduciæ in orando, debet haberi ex consideratione bonitatis et misericordiæ Dei, quoniam ex parte ipsius non erit defectus. Nihilo minus orans timere debet et circumspectus consistere, ex consideratione propriæ fragilitatis, imperfectionis, indignitatis ac culpæ : ex quorum consideratione vereri debemus, ne juste despiciamur a Deo, et ne finaliter relinquamur ab eo. — Tertio orare debemus cum caritatis fervore, non remisse ac tepide, quum tam infinita sit indigentia nostra, et tam summa felicitas pro qua

A oramus, tantis quoque involvamur periculis, atque in medio invisibilium ac visibilium hostium conversemur. Hinc per Jeremiam Dominus loquitur : Quum quæ- Jer. XXIX,
sieritis me in toto corde vestro, inveniar 13, 14.
a vobis. Magnitudo enim seu fervor desiderii est clamor quem Deus exaudit. Propterea asserit Augustinus : Cur petere, Luc. XI, 9.
quærere et pulsare nos præcepit Deus, qui novit quid nobis necessarium sit antequam petamus, nisi quia exerceri voluit desiderium nostrum in orationibus, quo
B possimus capere quod præparat dare? Iterum ait sapientissimus Augustinus : Si aliquando Dominus tardius exaudit et dat, commendat dona sua, non negat : nam diu desiderata, dulcius obtinentur; cito data, vilescunt. Servat tibi Deus quod non vult dare cito, ut discas magna magne ac stabiliter desiderare. Denique de hac materia pulcherrime scribit S. Bernardus : Periculum (inquiens) est si oratio fuerit nimis timida; majus periculum, si fuerit temeraria; tertium periculum, si fuerit te-
C pida. Timida quippe oratio cœlos non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut nec procedere queat. Tepida autem oratio in ascensu languescit ac deficit, eo quod non habeat vigorem. Temeraria vero oratio ascendit et resilit, resistitur enim ei; nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam. Quæ autem fidelis, humilis fervensque fuerit, cœlos sine dubio penetrabit, et vacua redire non poterit. — Quarto orare debemus humiliter, non præsumendo de propriis
D meritis atque virtutibus : imo coram Deo majestatis immensæ debemus nos profundissime humiliare, et miserrimos, defectuosissimos, itemque vilissimos peccatores jugiter reputare. Hinc in Ecclesiastico habetur : Oratio humiliantis se nubes pene- Eccli. XXXV,
trabit. Et Psalmista de Deo fatetur : Re- 21. Ps. CI, 18.
spexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum; et rursus, Cor Ps. L, 19.
contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Unde et mulier Chananæa se ca- Marc. VII,
tellis humiliter comparando, meruit ex- 28.

A audiri a Christo : nam et in Marco legitur, *Marc.* VII, 29. quod Christus dixit ad eam, Propter hunc sermonem vade, exivit dæmonium de filia tua. — Quinto orare debemus intente, seu cum actuali intentione, sicut princeps Apo- *I Petr.* IV, 7. stolorum hortatur : Vigilate in orationibus, scilicet, ne aliud cogitetis quam quod oratis. Nam indiscrete orare videtur, qui Deum precatur ut ei intendat, quum ipse nec Deo nec sibi intentus sit : imo, quod deterius est, immunda seu vana in corde versando, fœtorem horribilem divino conspectui ingerit. Hinc S. Basilius : Divinum (inquit) auxilium implorandum est non remisse, nec mente huc illucque vagante, quoniam talis non solum nil impetrabit, sed Deum potius irritabit. Corde ergo magis quam ore orandum est, quum dicat Gregorius : Illam orationem Dominus non exaudit, cui homo orans non attendit. — Sexto orandum est cum compunctione, fletu ac gemitu. Ideo dicit Gregorius : Vere orare, est amaros in compunctione gemitus potius quam verba composita resonare. — Septimo orandum est perseveranter, *I Thess.* V, 17. quum dicat Apostolus : Sine intermissione *Luc* XVIII, 1. orate; et Christus, Oportet semper orare, et non deficere.

Circa tertium, scilicet qualiter debeat se homo ad orationem præparare, quum in *Eccli.* XVIII, 23. Ecclesiastico scriptum sit, Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum; sciendum, quod ad digne orandum præparare se debet homo : primo, per divinorum observantiam præceptorum, quum Propheta dicat Deo, *Ps.* CXVIII, 21. Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Et *Prov.* XXVIII, 9. rursus Scriptura sacra testatur : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis, id est indigna, et magis spernenda quam acceptabilis, secundum rigorem justitiæ, et quantum est ex parte orantis. Peccator tamen in persona Ecclesiæ potest orare; et si se emendare proponit, oratio sua aliquo modo ipsum disponit ad gratiam. — Secundo nos præparare ad orationem debemus per recollectionem propriæ mentis, videlicet, distractiones cordis abjiciendo et mentem in Deo figendo, ac talia ante orationem cogitando, qualia in oratione volumus nobis occurrere. Hinc ait Salvator : Spiritus est *Joann.* IV, 24. Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. De his quoque qui sine diligentia et advertentia orant ac psallunt, ait per sacratissimum Isaiam prophetam : Populus hic labiis me honorat, *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8. cor autem eorum longe est a me.

Tertio præparatio ista fieri debet per considerationem propriæ fragilitatis, defectu- B ositatis, vilitatis, culpæ ac indigentiæ, quatenus ex horum atque similium sollicita attentione, oremus cum debita humilitate, formidine ac diligentia. Ait enim Gregorius : Ille Deo veram orationem exhibet, qui semetipsum quia pulvis sit humiliter videt, *Gen.* III, 19. qui sibi virtutis nil tribuit, qui bona quæ agit esse de misericordia Conditoris agnoscit. — Quarto fit præparatio ista per considerationem proprietatum seu attributorum Dei, videlicet bonitatis, misericordiæ, omnipotentiæ, sapientiæ et liberalitatis C ipsius, ut ex horum consideratione, cum debita reverentia ac fervore atque fiducia Dominum invocemus. — Unde hæc duo, videlicet, qualis sit Deus quem oramus, utputa, quam immensus, gloriosus, pius, omnipotens, sapiens, et quales simus nos ipsi qui oramus, hoc est, quam defectuosi ac miseri, tempore orationis ac laudis divinæ specialiter considerare debemus. Hinc ait Bernardus : Illud breviter dico, nonnullos experiri interdum in oratione ariditatem et hebetudinem quamdam mentis, ut la- D biis solis orantes, non satis attendant neque quæ dicunt nec cui loquuntur, pro eo quod velut ex consuetudine quadam, cum minus digna reverentia et sollicitudine accesserunt ad exorandum. In cunctis ergo actibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione : licet enim semper videamur a Deo, tamen in oratione præsentamus nos ipsos ei, quasi facie ad faciem loquentes cum ipso. — Postremo, ad orationem præparant, ignoscere delinquenti, et dare egenti, ac jejunare.

Nunc quarto dicendum est de orationis A efficacia seu valore. Quocirca sciendum, quod oratio est actus valde præclarus ac virtuosus, Deoque placens, ac præpotens nimis, quia ad impetrandum a Deo omne quod salubriter petitur est idoneus. Itaque per orationem Deus honoratur atque placatur, et interdum quasi flecti ac vinci videtur, quum tamen omnipotens invariabilisque consistat. Per orationem peccator Altissimo satisfacit, sibi ipsi ac aliis subvenit, justificatur, super se elevatur, dæmonibus prævalet, angelis placet, in spiri- B tualibus proficit, tempus suum fructuose expendit, æterna evadit supplicia, purgatorii minuit aut penitus effugit tormenta, in bonis firmatur, ad cœlestem felicitatem perducitur. Hinc loquitur Augustinus: Oratio est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, Deo obsequium. Orationis puræ magna est virtus, et velut fidelis nuntius, mandatum peragit, ac penetrat quo caro non pervenit.

Deinceps, quam commendabilis sit oratio, patet : primo, ex hoc quod sacra Scri- C ptura tam singulariter ac frequenter ad orandum nos admonet, orareque jubet; secundo, quod ipsemet Christus toties oravit, ut nobis orandi exemplum daret, quamvis ipse secundum quod Deus, omnia per se posset; tertio, quoniam angeli orationes hominum offerunt Deo. Hinc ait sanctus devotissimusque Bernardus : Rogo vos, fratres, ut semper habeatis ad manum tutissimum orationis refugium. Nemo nostrum parvi pendat orationem suam, quoniam Deus non parvi pendit eam, sed scribi eam jubet in libro suo; et unum e duobus indubitanter sperare possumus, quoniam dabit aut quod petimus, aut quod novit nobis esse utilius.

Alia in principio hujus sermonis tacta, ut vitetur prolixitas, sequenti sermoni reservo.

Legitur in Exodo, quod dum filii Israel fuerunt in deserto, venit Amalec, id est vir ita vocatus cum populo suo, seu populus ex Amalec natus, impugnavitque filios Israel. Tunc Moyses misit Josue cum aliquibus de filiis Israel ad pugnandum contra Amalec. Moyses vero et Aaron frater ejus et Hur ascenderunt in montem Sinai. Quumque elevaret Moyses manus suas ad Deum, vincebat Josue; si autem paululum manus submisit, vincebat Amalec. Manus autem Moysis erant graves. Sumentes ergo lapidem, posuerunt sub eo. Aaron vero et Hur maritus Mariæ, sororis Moysis, sustentabant manus Moysis ex utraque parte : et factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad solis occasum. Et ita Josue fugavit ipsum Amalec. Ex hoc patet quanta sit virtus devotæ ac fervidæ orationis. *Exod.* XVII, 8-13.

Idcirco orationibus aut semper aut frequentissime insistamus cum omni diligentia atque custodia cordis, et cum sincera consideratione ac veneratione majestatis ac omnipotentiæ et sapientiæ Dei altissimi quem oramus.

SERMO QUARTUS

DE IMPEDIMENTIS ORATIONIS; ET QUANDO AC UBI ORANDUM SIT.

VIGILATE, *omni tempore orantes, ut* D *digni habeamini fugere omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.* Luc. XXI, 36.

Hæc sunt verba Christi; in quibus hortatur nos ut jugiter Deum rogemus, quatenus a futuris impiorum suppliciis nos præservet. Oratio namque est summum

unicumque subsidium atque refugium nostrum in omni tribulatione et angustia nostra : ideo maxime esse debemus solliciti ut puro ac stabili corde Deum oremus, ne fructus orationum nostrarum impediatur. Ait enim Bernardus : Quanto oratio efficacior est, si fiat ut debet, tanto callidius impediri a diabolo solet. Unde abbas Evagrius dixit : Magnum est sine impedimento orare; et hoc etiam est valde difficile, scilicet sine evagatione mentis orationi insistere, nisi homo omnino præveniatur speciali ac maxima gratia Dei. Hinc abbas Agathon dixit : Non est labor sicut orare Deum. Diabolus namque nullum opus tantum impedire ac maculare conatur, quantum orationem devotam.

Deinceps multa sunt orationis impedimenta, quæ scilicet fructum orationis impediunt, ita ut non exaudiatur a Deo. Primum est peccatum orantis, juxta illud *Joann.* IX, 31. Joannis : Scimus quoniam peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Hinc in prima sua Canonica ait Joannes evan- *I Joann.* III, 21, 22. gelista : Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus. Hinc quoque in Threnis Jeremias *Thren.* III, 42. loquitur Deo : Nos inique egimus, et te ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es. Qui ergo vult exaudiri a Deo, pœniteat atque abstineat a peccato.

Sed si hæc ita se habent, quid faciet miser peccator, qui vitiosa consuetudine victus et pressus est, nec valet resurgere a peccatis, nisi Deus misericorditer præveniat eum, exaudiatque gratiose indignum ? Et respondendum, quod peccatores in proposito peccandi perseverantes Dominus non exaudit : et tamen tales interdum misericordissime prævenit, gratiosissime tangit atque convertit, sicut et *Act.* IX, 1 et seq. Paulum, quando animo persequendi Christianos ivit Damascum. Peccatores vero emendare se proponentes, et de suis peccatis dolentes, quamvis non tali ac tanto dolore qui possit dici contritio, sed solum A attritio, Deus exaudire solet de congruo, non de condigno, dum faciunt quod in se est, cor suum disponendo ad gratiam. Nihilo minus peccatoribus in peccandi proposito permanentibus, consulendum est ut faciant opera bona ex genere, eleemosynas dando, orando, Horas legendo, divinum Officium audiendo : quia per talia aliquo modo a remoto disponuntur ad gratiam, quam Deus ex sua pietate immensa eis interdum largitur. Verumtamen sunt aliqua opera privilegiata quæ sine peccato B mortali exerceri non possunt ab exsistentibus in culpa mortali scienter, ut celebrare, prædicare, et ceteri sacrorum ordinum actus. Ideo qui sibi de mortali est conscius culpa, actus hujusmodi exercere non debet; sed primo pœniteat, confiteatur, emendet.

Primum ergo impedimentum orationis est mala vita orantis, quemadmodum per Isaiam Dominus protestatur : Quum mul- *Is.* I, 15. tiplicaveritis orationes, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine sunt plenæ. C Psalmista quoque : Iniquitatem (inquit) si *Ps.* LXV, 18. adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Affectio ergo cordis conformanda est sensui orationis. — Secundum impedimentum est fidei mutatio seu dubietas deprecantis. Ideo Jacobus loquitur : Po- *Jacob.* I, 6. stulet in fide nihil hæsitans. Idcirco tam certi esse debemus in fide, quam certi sumus Deum mentiri non posse, qui fidei roborator est tam copiosus. — Tertium est, quia quod petitur non expedit pro vera salute, sicut interdum sanitas corpo- D ralis et abundantia temporalis. Hinc dicit Jacobus iterum : Petitis, et non accipitis, *Ibid.* IV, 3. eo quod male petatis. Unde talia quæ possunt obesse et prodesse, debemus a Deo orare sub conditione explicita sive implicita, utputa, si sint pro Dei honore et nostra salute. Ideo asserit Augustinus : Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur : quid enim expediat ægroto, magis novit medicus quam infirmus. In talibus quippe indifferenti-

Rom. VIII, 26. bus locum habet quod ait Apostolus : Quid A oremus sicut oportet, ignoramus. Et ut ait Bernardus : Nos quid oremus sicut oportet, nescimus, sed miseretur Deus super ignorantia nostra; et orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit. Omnino tamen infructuosa non erit oratio, quoniam quidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. — Quartum est distra- B ctio mentis, seu strepitus evagantium cogitationum, et tumultus curarum affectionumque variarum. Ad quod pertinet illud Eccle. x, 1. Ecclesiastæ : Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Siquidem muscæ morientes sunt cogitationum vanarum evagationes, quæ perdunt suavitatem unguenti, id est, dulcem mentis affectionem et refectionem quæ in devotis orationibus solent sentiri, impediunt. Talis namque refectio mentis in orando, actualem exigit attentionem.

Quintum est duritia cordis, sive in pauperes, sive in forefactores. Unde Jacobus Jacob II, 13. ait apostolus : Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam; Sa- Prov. XXI, 13. lomon quoque : Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse, et non exaudietur. Hinc timoratus ille Tobias Tob. IV, 7. dixit filio suo : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. De eo autem qui Matth. XVIII, 35; VI, 15. aliis non ignoscit loquitur Christus : Quod si non remiseritis unusquisque fratri suo, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. — Sextum est diaboli tentatio sive suggestio. Qui in divinis multipliciter tentat ac impedit homines, per somnolentiam, per pravarum cogitationum immissionem, per tædii inductionem, per exteriorum sensuum incustodiam, ac aliis modis : quæ omnia potissimum in divino Officio sunt vitanda. — Septimum est im- I Reg. XXVIII, 6, 7. patientia deprecantis, quemadmodum primo Regum habetur, quod quum Dominus non exaudiret Saulem regem, dixit : Quærite mihi mulierem pythonissam, hoc est arte magica (quam Pythius invenit) utentem. — Octavum est tepor affectionis, qui mentem efficit gratiæ incapacem. Nam sicut fervor caritatis mentem aperit, et Dei atque donorum ejus capacem constituit; sic tepor eam constringit et claudit, ac Deo facit indignam, secundum quod ipse in Apocalypsi loquitur : Nunc quia Apoc. III, 16. tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. — Nonum est defectus perseverantiæ in orando. Ideo ait Salvator : Oportet sem- Luc XVIII, 1. per orare, et non deficere. Apostolus quoque : Sine intermissione (inquit) orate. — I Thess. V, 17. Decimum est indignitas ejus pro quo oratur, sicut per Jeremiam Dominus loquitur: Si steterint Moyses et Samuel coram me, Jer. XV, 1. non est anima mea ad populum istum.

Insuper de tempore orationis sciendum, quod quamvis sit semper orandum, ut dictum est, præsertim tamen orandum est quibusdam temporibus. Primo, tempore Missæ ac divini Officii : et tunc orandum C est reverenter, genua flectendo, inclinando aut stando, non pigre sedendo, nisi infirmitas aut ætas excuset. Secundo, tempore tentationis, quia tunc opportunum est Dei auxilium. Tertio, tempore prosperitatis, ne mens inaniter extollatur, quemadmodum quarto Regum accidisse legitur Ezechiæ IV Reg. XX, 12 et seq. regi : qui quamvis vir sanctus esset, tamen ex occasione nuntiorum, epistolarum ac munerum regis Babylonis, fuit in superbiam lapsus, per quam Deum valde offendit. Quarto, tempore nocturno, in quo D major est quies et cessatio exteriorum sensuum ab actibus suis : ideo tunc aptius tempus est orandi, sicut de hoc in libro de Compunctione devotissime scribit Chrysostomus.

Præterea de loco orandi proportionabiliter est dicendum, quod sicut Deus ubique est, ita ubique orandus, præcipue tamen in ecclesia. Sed et locus secretus, solitarius et quietus, ad orandum est aptior. Ad quod designandum, Christus as- Matth. XIV, 23. cendit in montem solus orare; et tempore

Luc. XXII, 41. passionis, a discipulis est avulsus quantum jactus est lapidis, sicque seorsum *Matth.* VI, 6. oravit. Unde et ait : Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Porro sicut ait Chrysostomus : Orans sic oret, ut adstantes sono aut sibilo verborum suorum non impediat, alioqui magis peccaret; nec signa specialis devotionis ostendat, si tamen possit vitare.

Postremo, quanta sit vis orationis, apo- *Jacob.* V, 16-18; III *Reg.* XVII, 1; XVIII, 42, 45. stolus Jacobus docet : Multum (inquiens) valet deprecatio justi assidua. Nam Elias B propheta similis nobis erat mortalis; quumque filii Israel Deum gravissime offendissent, ipse succensus zelo justitiæ ac divini honoris, adversus illos oravit ut non plu- A eret, et non pluit annos tres et menses sex ; postea rursus Deum oravit ut plueret, protinusque descendit copiosa pluvia. Sic quoque quum Samuel propheta invocasset Dominum, statim ad ejus instantiam Deus produxit fulgura atque tonitrua, imo et pluvias, ut primo Regum scribitur. I *Reg.* XII, 18.

Omnia ergo prætacta orationis impedimenta vitemus; et corde recollecto, ferventi, perseveranti, pio ac custodito Deum orare jugiter enitamur, ne ad omnium Regem omnipotentem ac summum irreverenter accedentes, et coram eo sine attentione ac reverentia stantes, canibus conformemur, qui suas coram regibus facere fœditates non erubescunt. Ideo maledictus qui opus Dei facit negligenter. *Jer.* XLVIII, 10.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE CASTITATE ET PERFECTA HUMILITATE.

HÆC *est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore, non in passione desiderii.* I Thess. IV, 3-5.

In exordio hujus epistolæ hortatur nos *I Thess.* IV, 1. beatus Apostolus, ut quotidie magis ac magis abundare conemur : non utique in *I Tim.* VI, 9. terrenis divitiis, quia qui volunt divites fieri, in tentationes et laqueum diaboli corruunt; sed in divitiis spiritualibus ac internis, in omni gratia, virtute et dono Spiritus Sancti, in eisdem indesinenter proficiendo, virtuosis exercitiis fervide in- D sistendo, ut simus quotidie in omni caritate, humilitate, patientia, devotione, stabilitate, munditia, magis perfecti. Quod totum ad religiosos potissimum noscitur pertinere : non solum quia non proficere est deficere, sed et ideo maxime, quia C ex sua professione ad perfectionem assidue tendere obligantur. Sed, proh dolor! quidam magis in temporalibus quam in spiritualibus abundare nituntur. Quidam vero quo diutius in religione consistunt, eo remissiores redduntur, et periculosa securitate falluntur, de hoc quod diu in Ordine fuerunt inaniter gloriantes, et non potius de hoc quod tam parum profecerunt dolentes. Isti sunt superficiales, non interni, nec satis illuminati, in annorum pluralitate sperantes, non ad exercitationem internam, plenam reformationem, profundam humilitatem, mentalem puritatem se dantes. Idcirco, o fratres, interiora nostra frequenter discutiamus, et tanquam ante Christi tribunal nos collocemus : sicque intueamur quid nobis desit, quid boni omisimus, quæ mala commisimus.

Insuper quidam sunt tepidi et pusilli, A qui ad homines mundanos sive ad fratres negligentiores se comparant, atque illorum respectu justificant semetipsos, seque aliquid esse aut etiam præminere existimant. Aliqui demum magis attendunt bona quæ habent aut habere se arbitrantur, quam dona quæ desunt ipsis; mala quoque seu imperfectum aliorum, magis quam eorum virtutes ac bona, perpendunt : et sic extollunt miseri semetipsos, et alios aspernantur, nec curant proficere, neque se deflent, sed fatua securitate tabescunt, non B attendentes neque implentes saluberrimum illud Apostoli, Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini. (*Philipp.* II, 12.) Hinc sapientissime et vere pulcherrime ait felix Bernardus : Altiora charismata et viros perfectiores semper attendas, quia etsi tibi aliqua gratia specialis aut major quam fratri tuo videtur collata, tamen si bonus fueris æmulator, poteris te illo in multis judicare inferiorem. Quid enim si jejunare et laborare plus illo potes, et ille te humilitate, patientia, caritate præcedat? Quid C tota die circa id quod videris habere insipienti cogitatione versaris? Esto magis sollicitus ut scias quid desit tibi; nec magnopere cogites quod habere tibi videris, nisi interdum ut Deo gratias agas, et ei debitorem te scias, aut ut consoleris te ipsum in Domino, ne ex qualibet causa tristior fias. De cetero, ea semper magis attendas quæ alius habet, non tu : quia hæc cogitatio te in humilitate custodit, a tepiditate elongat, ac proficiendi inflammat affectum. Vide quanta in te mala D parturiat cogitatio illa, qua sedule versas in animo quod tibi habere videris, et alterum quempiam æstimas non habere. Hinc enim in superbiam elevaris, dum alteri te præponis; hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris; hinc demum incipis et deficere, dum te alterius comparatione multum egisse videris.

(*I Thess.* IV, 3.) Præterea, quia voluntas Dei est sanctificatio nostra, constat quam paratissimus sit subvenire et exaudire, dummodo cum omni fiducia, incessanter ac fervide invocetur. Vult itaque Deus, ut sic purgemur a vitiis, sic decoremur virtutibus, ut sciat quilibet nostrum possidere vas suum, id est proprium corpus, in honore, id est casta et honesta conversatione, cui honor debetur; non in passione desiderii, id est concupiscentia carnali, cui qui subjacet, a suo corpore possidetur, eo quod rationi suæ sensualitas dominetur. (*I Thess.* IV, 4.) Vult itaque Deus, ut non solum ab actu illicito, sed a carnalibus quoque desideriis abstineamus, et omnem in nobis carnalem concupiscentiam prorsus mortificemus, quemadmodum alibi hortatur Apostolus : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. (*Coloss.* III, 5.) Quod quid sit, exponit subdendo : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.

Quod utique totum ad religiosos præcipue attinet, quia ex voto ad castitatem tenentur, atque ad plenam castimoniæ puritatem tendere obligantur. Idcirco omnem motum inordinatum, omnem appetitum illicitum, et quidquid tactu, adspectu, auditu, aut alio modo, ad concupiscentiam seu immunditiam provocat, debent omnino vitare, omnemque carnalem ac sensualem affectum ad alium, et quidquid talem parit affectum. Unde recitat Cassianus, quod apud Ægypti monachos grave reputabatur peccatum, si qui Fratrum manus invicem tenerent. Quod etiam in regula S. Pacomii, de cœlo allata et per angelum tradita, prohibetur. Quo innotescit, quantam spiritualitatem Deus a religiosis requirat, et quantum nos vitare oporteat quidquid carnalem affectum aut motum potest causare.

Deinceps sanctus abbas Chæremon, prout recitat Cassianus in secundo Collationum volumine, ponit sex gradus castitatis. Primus est, ne in vigilia impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, ne cogitationibus lubricis immoretur. Tertius, ut femineo adspectu nequaquam ad concupiscentiam moveatur. Quartus, ne vigi-

lans simplicem carnis sustineat motum. Quintus, ne dum in Scripturis aut alibi aliquid audit de generatione humana aut commixtione carnali, illicite moveatur, aut subtilissimo perstringatur assensu, sed tanquam opus simplex ac ministeriale humano generi necessario contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu. Sextus gradus est, ne illecebrosis phantasmatibus dormiens illudatur : quod fit dum secundum mensuram castitatis ad quam monachus tendit, in odium voluptatis ac impuritatis mens etiam somno sopita convertitur. Quidam vero speciali munere gratiæ, ad tantam castitatis perveniunt puritatem, ut naturali motu carnis emortuo, obscenum illum humorem non patiantur.

Verumtamen agnoscamus quod propriis viribus, laboribus, abstinentiis, lectionibus Scripturarum, perfectionem castitatis obtinere non valeamus; sed Dei indigemus adjutorio gratioso. Prædicta vero idcirco peragimus, ut per ea auxilium gratiæ ad perfectam castimoniam adipiscamur. Tanto igitur castitatis desiderio accendamur, quanto quis avarissimus aut ambitiosissimus desiderio inflammatur pecuniæ aut honoris, aut lascivissimus feminarum affectu : sicque castitatis amore, ciborum ac potuum spernamus illecebras, et sobrietati, orationibus atque vigiliis insistamus, ab immundis cogitationibus, incautis adspectibus, impudicis attactibus penitus abstinentes. Quumque in castitatis gradibus jam prætactis profecisse nos experimur, nequaquam de nostris viribus inaniter gloriemur, sed Deo totum adscribamus profectum. Interea per patientiam et mansuetudinem meretur homo castitatis virtutem ac incrementum, quum dicat Salva-

A tor : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt *Matth.* v, 4.
terram, id est, proprium corpus habebunt rationi subjectum. Nec enim æstus corporis declinabit, nisi qui motus animi ante frenaverit. Itaque jugiter studeamus ad hos castitatis gradus ascendere, et in eis proficere ac firmari.

Postremo in præsenti epistola hortatur Apostolus, ne quis supergrediatur, id est *I Thess.* IV, 6.
opprimat, aut circumveniat fratrem suum, id est decipiat. Nequaquam ergo unus religiosus tribulet alium verbo, signo aut
B facto, eum injuste vexando, irridendo, inquietando; nec unus alteri in hoc auxilietur, sicut sæpe contingit quod quidam infirmi, passionati aut malitiosi mutuo sibi cohærent, et tanquam Pilatus et Hero- *Luc.* XXIII, 12.
des, confœderantur in persecutione alicujus fratris devoti, habentes inter se pacem iniquam, quia uni tertio adversantur. De hoc plenius scribit S. Bernardus, inducens illud Job de diabolo dictum : Corpus ejus *Job* XLI, 6-8.
compactum squamis, una uni adhæret. Sic tales instar squamarum connexi sunt ad
C infestandum fratrem in quo speciale aliquod gratiæ munus refulget quo carent ipsi; nec illud assequi, sed obscurare conantur. Sed in talibus nullus alteri, quantumcumque familiari et caro, adsistat : tum quia in se exstat injustum; tum quoniam vera requirit dilectio, ut a dilecto nil indecens postulemus, nec propter eum quidquam injustum agamus. Nullus quoque decipiat quemquam, quoniam virum *Ps.* v, 7.
sanguinum et dolosum abominatur Dominus. Et Isaias testatur : Fraudulenti vasa *Is.* XXXII, 7.
D pessima sunt. Malachias item propheta : Maledictus (inquit) dolosus. Idcirco in vera *Malach.* I, 14.
sinceritate, in caritate non ficta, in simplicitate columbina semper ad invicem conversemur. *II Cor.* VI, 6.

SERMO SEXTUS

QUOMODO PER MULIEREM CHANANÆAM DESIGNETUR ANIMA RELIGIOSI.

Matth. xv, 22. *MISERERE mei, Domine, fili David; filia mea male a dæmonio vexatur.* In evangelio hodierno.

In muliere de qua præsens evangelium loquitur, multæ considerantur virtutes quas in omni religioso esse oportet. Prima est, quod a finibus suis, videlicet gentilium regionibus, fuit egressa, sequens Dominum salvatorem. Sic religiosus de hoc sæculo nequam egressus, et religionem ingressus, nequaquam pristinis moribus, mundanis affectibus, sæcularium actibus conformare se debet : nemo etenim mittens manum ad aratrum et respiciens retro, est aptus regno Dei. (Luc. IX, 62.) Nullus ergo sub pelle ovina cor gerat lupinum, neque sub veste monastica cor sæculare. Nec instar filiorum hujus sæculi invicem persequamur, detrahamus aut vindicemus, quum dicat Apostolus, Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini; (Galat. V, 15.) sed eum sequamur qui tanquam innocens agnus ductus est ad immolandum, et velut ovis coram tondente obmutuit. (Jer. XI, 19. Is. LIII, 7.) Qui quum malediceretur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur : (I Petr. II, 23.) sed pro crucifixoribus intercessit. (Is. LIII, 12.) Cujus exemplo studeamus in bono vincere malum; (Rom. XII, 21.) et Dominum Jesum, qui non habuit ubi caput reclinaret, (Matth. VIII, 20.) qui usque ad mortem obedivit, (Philipp. II, 8.) atque in omni sanctitate vixit in sæculo isto, in vera paupertate, prompta obedientia, mentis ac corporis puritate, indefesse sectemur.

Secunda virtus feminæ hujus est, quod cum ingenti devotione Dominum invocavit. Ita et nos tot periculis expositi, tot laqueis circumdati, tantis infirmitatibus, culpis ac defectuositatibus pleni, Deum devotissime exoremus, ut subvenire, eripere, roborare, indulgere et conservare nos semper dignetur. Qualiter autem Deum debeamus orare, si exaudiri appetimus, docet nos sanctus Moyses, dicens : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum et tota tribulatione animæ tuæ. (Deut. IV, 29.) Quid est Deum toto corde quærere? Hoc est, pura attentione intellectus atque intensa affectione voluntatis, ut orando non evagemur, aliud cogitando, nec mente avertamur a Deo, illicita appetendo. Quid vero est tota tribulatione animæ quærere Deum? præsertim quum scriptum sit : Qui orat Dominum in oblectatione, exaudietur. (Eccli. XXXV, 20.) Et Psalmista hortatur : Lætetur cor quærentium Dominum; (Ps. CIV, 3.) itemque, Ad ipsum, inquit, ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea. (Ps. LXV, 17.) Ex quibus videtur, quod non in tribulatione, sed delectatione invocandus sit Deus; nec tribulatio, sed delectatio, ad orationis conferat exaudibilitatem, præsertim quum iterum dicat Propheta : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. (Ps. XXXVI, 4.) Et respondendum, quod orans devote, delectationem et tribulationem habere potest et debet orando : delectationem, ex consideratione bonitatis et misericordiæ Dei, et ex spe veniæ, atque in quantum virtutis exercet actum; tribulationem vero, ex attentione propriæ defectuositatis ac culpæ, et ex timore, ne forsitan propter propriam indignitatem ac vilitatem juste despiciatur, nec sua admittatur oratio; itemque ex labore et difficultate custodiæ proprii cordis tempore orationis, quod tunc potissimum in recollectione et elevatione ad Deum est conservandum : quod satis difficile esse experientia protestatur. Propter quod abbas

Agathon dixit : Non est labor sicut orare A Deum. Interdum tamen mens tam gratiose prævenitur et tam fortiter adjuvatur a Domino, quod sine labore, imo cum grandi alacritate et gaudio fixa manet in ipso, dum orationibus meditationibusve insistit. Hinc ait Bernardus : In cunctis actibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione ; licet enim semper a Domino videamur, tamen in oratione præsentamus nos illi, quasi facie ad faciem cum eo loquentes. Ideo dicit Isidorus : Oratio cordis est, non labio- B rum ; neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit. Melius est cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis.

Tertia virtus hujus mulieris exstitit, quod pro filia sua tam lacrimose, indefesse ac fervide precabatur. Ita et nos pro proximis nostris et confratribus deprecemur ex caritate sincera et pietate fraterna. Maxime autem qui præest, pro omnibus sibi commissis, tanquam unicis filiis, oret, C potissimum pro his quos amplius conspi-
Is. XLII, 3 ; *Matth.* XII, 20. cit indigere, ne quassata conteratur arundo, aut linum fumigans exstinguatur. Hinc ait Chrysostomus : Pro se orare necessitas cogit, pro aliis autem caritas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum consistit oratio, non quam transmittit necessitas, sed quam fraternitatis commendat ac immolat caritas. Nihilo minus quilibet nostrum, pro filia, id est mente seu conscientia sua, oret instanter, quæ « a dæmonio male vexatur », dum variis passionibus D inebriatur, dum contra alium furit, dum cogitationum tumultibus ac desideriorum profluviis hinc inde jactatur. Tunc itaque Dominum imploremus, ut a dæmonio liberemur, et in Deo mens nostra quiescat.

Porro consuetudinem nobis faciamus cogitandi semper aliquid boni, sive de verbis sacræ Scripturæ, aut de pœnis gehennæ, de mortis horrore, de futuri judicii perhorrendo rigore, de felicitate cœlesti, de incarnatione, exemplis et mysteriis Christi, præsertim de passione ipsius, de bonitate, amabilitate, misericordia, beatitudine, sapientia, omnipotentia, justitia, pulchritudine, dulcedine, excellentia Dei, de gloria superdignissimæ Trinitatis. Et hæc omnia frequenti meditatione cordibus nostris firmissime imprimamus, ut si tempore orationis et alias, verborum sensui majestatique Domini semper esse intenti non possumus, saltem de una bona cogitatione ad aliam bonam, non ad vana ac frivola, corruamus, quum per Michæam prophetam Dominus comminetur : Væ qui *Mich.* II, 1.
cogitatis inutile. Istud sit studium nostrum, labor noster, pugna nostra.

Quarta hujus feminæ fuit virtus, magna patientia, qua toties et tam diu quasi contempta, in tantum ut nec adspectu, nec affatu quasi digna reputaretur a Christo, perseveravit in precibus, non de sua aspernatione indignans, imo propius acce- *Matth.* XV, 25.
dens, seque prosternens et affectuosissime orans. In his itaque eam sectemur, ut si non protinus exaudimur ab Omnipotente, sed in tribulatione, ariditate desolationeque mentis relinquimur ad tempus, non frangamur, neque cessemus a precibus, imo de pietate et misericordia Dei maneamus certissimi. Sapientissimus quippe Creator, qui per mille occasiones nostram quærit salutem, electorum suorum orationes interdum ad tempus dissimulat, et fidem eorum atque constantiam probat, ut diu ac ferventius postulando, patientiamque habendo ac stabiliter confidendo, mereantur copiosius exaudiri, ac probatiores fiant in vita virtutum. Hinc etenim sanctus Job Domino dixit : Clamo ad te, et *Job* XXX, 20, 21.
non exaudis me ; sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Jeremias quoque loquitur Deo in Threnis : Opposuisti *Thren.* III, 44.
nubem tibi, ut non transeat oratio. Sed ad hæc idem Propheta præstat ibidem salubre consilium : Scrutemur (inquiens) *Ibid.* 40, 31, 32.
vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum, quia non repellet in sem-

piternum Dominus : quia et si abjecit, A miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Semper ergo simus in bonitate et misericordia Dei securi, et de nostra pravitate atque indignitate suspecti ac formidolosi. Ideo vitam et conscientiam nostram discutiamus, ne forte propter culpas, perversitates et negligentias nostras Deus differat exaudire; emendemusque nos, indesinenter orando, suspirando, fervendo ad Creatorem : et tunc sentiemus celeriter misericordiam ejus; quemadmodum in libro B
Judic. x, 6 et seq. Judicum legitur, quod dum filii Israel propter scelera sua hostibus traditi nimiumque oppressi, Dei misericordiam implorarent, et ipse respondisset eisdem, Non addam ultra misereri vobis; ipsi nihilo minus de infinita Dei pietate confisi, idolis suis abjectis, cœperunt se emendare ac Domino deservire : qui mox doluit super miseriis eorum, exaudivitque eos. Sic ergo et nos de nostris defectibus et peccatis assidue doleamus. Nec in suis passionibus aliquis perseveret, nec renovet eas in se, sed omnino repellat a corde, ut sit tranquillus ad Deum, sincerus ad proximum, ac semper sollicitus ne Deo displiceat, ne illum offendat, ne elongetur ab ipso : cujus amore proximis libenter ignoscat, quatenus ejus obtineat, conservet et augeat in se gratiam ac salutem.

SERMO SEPTIMUS

DE EADEM MATERIA.

Matth. xv, 28. O MULIER, *magna est fides tua : fiat* C *tibi sicut vis*. In evangelio hodierno.

Quum omnium virtutum et totius spiritualis ædificii fundamentum sit fides, magnum ac saluberrimum est habere illuminatam, immobilem atque firmissimam fidem : ex hoc enim fit homo ad omnium aliarum actus virtutum alacrior, et contra dæmones fortior, utputa fidei scuto protectus. Hinc in Scripturis magni præclarissimique effectus fidei adscribuntur, ut miracula operari, exauditionem mereri, a vitiis emundari. Itaque tam certi simus et D tam fortes in fide, quam certum est Deum, qui essentialiter verus ac veritas est, nec velle nec posse perhibere testimonium falsitati, qui per tam infinita miracula sibi soli possibilia testimonium perhibuit christianæ fidei veritati. Qui et in servis suis devotissimis ac internis quotidie tot secrete facit prodigia, nunc eos subito illustrando, valide inflammando, mirabiliter consolando, ad omnia bona fortes alacresque reddendo, a tentationibus, distractionibus, tædiis eos repente eripiendo, imo ab omnibus motibus relevando inordinatis; nunc vero dispensatione miranda eos quodammodo relinquendo, et ad oppositas quasdam dispositiones cadere permittendo, ita ut se ipsos juvare non queant, et quid subito ipsis acciderit admirentur, sicque nonnunquam ad tempus afficiantur, ut cœlum eis appareat æneum terraque ferrea : et tunc paulo post rursus ut ante benignissime visitat eos, ut sciant quid sint ex se, quid ex Deo et gratia ejus. Ista revera sunt majora miracula quam quæ in corporibus fiunt.

Studeamus ergo habere fidem cum rationibus credendorum et purificatæ intelligentia mentis. Consideremus quales per fidem facti sint patres nostri, quam virtuosi, perfecti, sanctissimi ; quæ, quanta et qualia egerint per fidem ; qualiter etiam ex lege et Prophetis derelictioneque Judæorum roboretur fides catholica,

et quanta sit evangelicæ legis sinceritas, spiritualitas atque perfectio : sicque fides sit oculus cordis nostri, ad omnia bona nos dirigens, inferni supplicia, cœlorumque gaudia, atque divini districtionem judicii mentibus nostris ostendens, objiciens, repræsentans, quatenus præsentis momentaneæ vitæ prosperitates pro nihilo reputantes, totis præcordiis ad futura tendamus.

Præterea, quidam post mortem resuscitati et ad vitam istam reducti, dixisse leguntur, se nihil tantum mirari sicut quod homines christiani, futurum esse Dei judicium et æterna tormenta credentes, peccare auderent et se tam intimorate haberent. Quod ergo tam desides sumus, quod tanta bona omittimus et tanta mala committimus, nonne ex fidei venire defectu videtur, vel quod ea quæ credimus habitu, non advertimus actu? Quis tam indomitus fur est qui judice homine intuente auderet furari? Si ergo credimus Deum omnia intueri judicaturumque esse, quomodo eo conspiciente peccare præsumimus? Sit ergo in nobis fides magna, talis ac tanta ut ex ea non minus moveamur ad mala cavenda et ad bona agenda, quam si futura impiorum supplicia justorumque gaudia essemus experti. Imaginemur nos aliquem nudo corpore in medio ardentissimæ fornacis jacentem adspicere. O quam miserum talem arbitraremur, imo quam infelicissimum, quam inexcogitabiliter infelicem, si sciremus eum in tali ac tanto supplicio sine fine viventem mansurum! Quam indicibiliter abhorreremus tantam calamitatem! Si ergo indubitanter cognoscimus reprobos in inferno tantum aut certe multo pœnalius esse passuros supplicium, cur eorum consortium non amplius abhorremus? Cur peccata non diligentius declinamus?

Insuper feminæ hujus evangelicæ devotionem, sapientiam, humilitatem sectemur. Devotionem, in eo quod tam promptissime et inavertibiliter secuta est Salvatorem. Est namque devotio, promptitudo voluntatis ad ea quæ divini sunt cultus, atque ut asserit Hugo, fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indiciis : quod de devotione sensibili, experimentali ac ingenti dictum videtur. Sapientiam autem, in eo quod femina illa liberationem a dæmone et pertinentia ad salutem, non exteriora et temporalia bona, tam avidissime postulavit. Ita et nos pro interiori curatione, pro spirituali profectu, pro cœlestium incremento charismatum, non minus solliciti, operosi ac fervidi simus, quam negotiatores sæculi pro lucris terrenis : siquidem Climacus ait, Beatus in quo hæc sancta invenitur insania. Humilitatem vero, in eo quod femina illa non canibus, sed catellis se comparavit. (*Matth.* XV, 27.) Ita et nos a superioribus nostris vel fratribus, seu persecutoribus aut exercitatoribus reprehensi, vilipensi, humiliati, non solum hoc ex corde æquanimiter toleremus, sed demum ex animo nos ipsos profundius humiliemus, vilipendamus ac reprehendamus, sicque cum sancto Job manum adjuvemus corripientis.

Præterea, sicut catelli edunt de micis a dominorum suorum mensa cadentibus, ita (*Ibidem.*) et nos deprecemur humillime spiritualiter refici micis, particulis, reliquiis, portiunculis minimis ferculorum dominorum nostrorum, videlicet civium supernorum, aut etiam perfectorum in hac vita virorum, sive nunc exsistentium, seu patrum nostrorum hic olim degentium, quorum cibi ac pocula pretiosissima, lautissima, pinguissima fuerunt; et sunt : contemplationes theoricæ, inflammationes deificæ, consolationes dulcissimæ, operationes omni alacritate refertæ, exuberantia felicium lacrimarum, refectiones sacramentorum aut mysteriorum cœlestium. Horum quibusdam minutiis refici deprecemur. Et si aliquid horum nobis impertiri senserimus, humiliter regratiemur, non stolide gloriemur, confitentes quia supra id quod meremur ac digni sumus fit nobis; ut timorati ac custoditi permaneamus, sicque in brevi experiamur nos pane refici filio-

rum et poni ad mensam carissimorum : A quia habenti grato, custodito ac studioso, datur ut magis abundet. (Matth. xxv, 29.) Verumtamen tam infinita est bonitas, caritas, liberalitas summi patrisfamilias, ut frequenter genus servorum ad mensam admittat natorum, hoc est, incipientes seu imperfectos præfatis reficiat ferculis, ut ad meliora alliciat eos, atque in fastidium eis vertat oblectamenta carnalia. Et tunc ita admissi magna egent discretione, ne se reputent aut extollant, et ne se indiscreto fervore præcipitent ; ne item tam superpiissimo patri fiant in- B grati, et ne ad proficiendum reddantur remissi, neque ad pristinas redeant consolatiunculas vanas.

Si igitur, juxta prætacta, cum muliere hac evangelica quæsiverimus Christum et ejus charismata, ipse interna locutione dicet ad animam cujuslibet nostrum : « O mulier », imo o amica, o sponsa ac filia mea, « magna est fides tua » : fiat tibi ut vis. Magna quippe est fidei virtus ac opulentia; de qua loquitur Augustinus : Nullæ majores divitiæ, nulli majores honores, nulla hujus mundi major substantia, quam fides catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas ac conjugatos casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, dæmones fugat ac vincit, in æterna hereditate constituit. Quam nobis concedat super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

ESTOTE IMITATORES DEI, SICUT FILII CARISSIMI, ETC. Ephes. v, 1-9.

HORTATUR nos sanctus Apostolus in præsenti epistola, ad divinæ pietatis imitationem, ad spiritualis dilectionis perfectionem, ad vitiorum devitationem; et ait : *Estote imitatores Dei,* hoc est, pietati et misericordiæ Dei vos conformate, ignoscendo offensoribus vestris et benefaciendo eisdem, omnemque hominem diligendo, quemadmodum Deus sæpe indulsit, et per Christum multa beneficia contulit. Unde immediate ante hæc verba dixit
Ephes. IV, 32. Apostolus : Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Sicut filii carissimi,* hoc est, sicut spirituales filii mei mihi valde dilecti; vel, sicut filii Dei adoptivi Deo valde dilecti, hoc est, prout decet tales filios facere : filii enim patrum suorum sequi debent virtutes et opera; propter quod apud Joannem Christus dixit
Joann. VIII, 39. Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Recte quoque fideles electi dicuntur filii Dei carissimi, quia pro eis Pater æternus Unigenitum suum misit ac dedit
Ibid. III, 16. (juxta illud Joannis : Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret), Filius Dei mortem sustinuit, et eisdem Spiritus Sanctus dona sua copiose infudit. Iterum, fideles electi sunt cari filii Dei propter dona naturæ seu naturalem imaginem, cariores propter dona gratiæ, carissimi propter dona gloriæ in futuro. Istud idem in Matthæo docet præcipitque Salvator :
Matth. v, 44, 45. Diligite (inquit) inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

A

Et ambulate, id est, bene vivendo, ad regnum cœlorum procedite, manendo *in dilectione* Dei ac proximi, caritative vivendo, sicut in Joanne loquitur Christus : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Joann.* XV, 12. Hinc subditur : *sicut et Christus dilexit nos,* hoc est taliter, utputa pure ac spiritualiter, quamvis

B

non æqualiter. Unde in Joanne rursus ait Salvator : Sicut dilexit me Pater, et ego *Ibid.* 9. dilexi vos. Christus quoque in tantum dilexit nos, quod pro nobis mori dignatus est, secundum quod ait : Majorem hac di- *Ibid.* 13. lectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Idcirco et nos debemus pro proximorum salute animas nostras ponere et corporalem vitam morti exponere, juxta illud primæ Joannis : In *I Joann.* III, 16. hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam

C

ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Plus enim tenemur diligere animam proximi, quam proprium corpus. Verumtamen animam pro proximo ponere contingit dupliciter : primo, pro utilitate salutis proximi, et hoc est consilium; secundo, pro necessitate salutis illius, et hoc est præceptum, quoniam ordo caritatis id exigit.

Et tradidit semetipsum pro nobis, hoc A est, sponte se obtulit et paratum exhibuit ad moriendum pro nostra salute, juxta
Is. LIII, 12. illud Isaiæ : Tradidit in mortem animam
Ibid. 7. suam; et rursus ibidem, Oblatus est quia
Joann. X, 18. voluit. Unde ipse apud Joannem dicit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego
Galat. II, 20. pono eam. Et alibi ait Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. *Oblationem* pacificam *et hostiam* pro peccato in ara crucis, *Deo* Patri vel Trinitati, id est ad honorem et gloriam ejus, et ut pro nobis satisfaceret illi, quia per sanguinem suum pacificavit nos Deo, secundum illud Apocaly-
Apoc. I, 5. psis : Jesus Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; *in odorem suavitatis,* id est in odorem suavem, videlicet in holocaustum acceptissimum Deo. Maxime etenim placuit Deo Patri totique Trinitati oblatio seu passio Christi ex parte patientis, quia ex maxima caritate, pietate et obedientia Christus se obtulit, et mortem illam sustinuit; non ex parte inferentium, quia ex invidia et crudelitate Christum sceleratissime occiderunt. Itaque passio Christi, ex parte patientis, fuit piissima; ex parte inferentis, impiissima, crudelissima, sacrilega ac displicentissima Deo. Unde propter eam usque in præsens capti et relicti sunt Judæi, di-
I Thess. II, 16. cente Apostolo, quod pervenit ira Dei super illos usque in finem.

Deinde hortatur Apostolus ad mala vitanda. *Fornicatio autem* simplex, quæ est concubitus soluti cum soluta, *et omnis immunditia,* id est alia quævis luxuriæ species, *aut avaritia,* id est immoderatus temporalium divitiarum appetitus, *nec nominetur in vobis,* id est, non solum in vobis non sit, sed nec exprimatur a vobis libidinose (exprimi tamen potest bona intentione, ut vitetur), *sicut decet sanctos* esse absque talium nominatione libidinosa; *aut turpitudo,* id est indecens gestus in osculis atque amplexibus lascivis, *aut stultiloquium,* ut sunt verba procatoria et adulatoria, *aut scurrilitas,* id est jocularitas risum provocans, *quæ ad rem non pertinet,* id est, ad salutem non prodest, sed obest. Itaque horum nullum sit aut nominetur in vobis, *sed magis gratiarum actio* a vobis Domino offeratur.

Hoc enim scitote intelligentes, id est bene considerantes Scripturam, *quod omnis fornicator* simplici fornicatione, *aut immundus,* id est aliud luxuriæ genus committens, ut adulterium vel incestum, *aut avarus, quod,* scilicet avarum esse, *est idolorum servitus,* id est simile idolo- B latriæ : nam sicut idololatra colit idola magis quam Deum, ita avarus divitias præfert Deo, et eis magis inhæret atque confidit quam Creatori. Hinc in Ecclesiastico scribitur : Avaro nihil est scelestius, et nihil *Eccli.* X, 9, 10.
est iniquius quam amare pecuniam; hic enim animam suam habet venalem. *Non habet hereditatem,* id est beatam possessionem aut paratam felicitatem, *in regno Christi et Dei,* id est in regno cœlorum, quod est regnum Patris ac Filii, imo et Spiritus Sancti, qui sunt unus Deus, unus C rex, unus omnium Dominus : talis quippe nec modo pertinet ad regnum ac filios Ecclesiæ militantis per caritatem et gratiam, quum sit membrum ac servus diaboli; nec postea pertinebit ad cives triumphantis Ecclesiæ, nisi pœniteat.

Nemo vos seducat inanibus verbis, id est coloratis sermonibus, apparentibus argumentis, frivolis promissionibus, providentiam Dei negando, vel impunitatem ex divina misericordia promittendo, seu longam vitam spondendo, aut affirmando D quod simplex fornicatio non sit mortale peccatum. *Propter hæc enim,* id est propter talium verborum seductionem et credulitatem, *venit ira,* id est ultio, *Dei in filios diffidentiæ,* id est homines reprobos, qui de vita futura et remuneratione divina desperaverunt, vel in ceteros transgressores, de quorum salute diffidimus. *Nolite ergo effici participes eorum,* id est, eis nullatenus communicetis, nec faveatis, nec conformemini in peccatis. Unde alibi ait Apostolus : Morte digni sunt, non so- *Rom.* I, 32.

lum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Eratis enim aliquando, scilicet tempore gentilitatis et aversionis a Deo, *tenebræ,* id est, tanta vitiorum et ignorantiarum caligine involuti, quod non solum tenebrosi, sed etiam tenebræ potuistis vocari; *nunc autem,* dum estis ad Deum conversi, facti estis *lux,* id est spiritualiter illuminati, gratia virtutibusque ornati, *in Domino,* sicut in causa efficienti atque finali vestræ illuminationis. Idcirco, *Ut filii lucis ambulate,* id est, pure, virtuose et exemplariter vivite, prout spectat ad filios Dei, qui est lux prima, summa et increata. Vel per lucem, intelligitur claritas gratiæ, cu- A jus filii sunt omnes qui gratiam gratum facientem jam habent. Unde apud Joannem loquitur Christus : Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. (*Joann.* XII, 36.) Et merito sic ambulare debetis : *Fructus enim lucis,* id est operatio gratiæ, seu opus placitum luci æternæ, *est* vivere *in omni bonitate,* id est virtute, quæ est bonitas atque perfectio hominis, quoad se ipsum, *et justitia,* id est observatione justitiæ, quantum ad proximos, *et veritate,* quantum ad Deum, ei veraciter ser- B viendo, non ficte; vel, « in omni bonitate » cordis, « et justitia » operis, « et veritate » sermonis, quia in tribus istis consistit perfectio hominis.

SERMO PRIMUS

DE DIGNITATE HOMINIS BONI DEUM FIDELITER IMITANTIS.

ESTOTE *imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Ephes. v, 1.

Perfectio creaturæ, est assimilari proprio Creatori : tantum enim habet perfectionis quantum participat de bonitate Creatoris. Omnis autem creatura in aliquo assimilatur Creatori per dona naturæ, puta in esse aut vivere aut intelligere; sed rationalis creatura multo excellentius assimilatur Deo creatori per dona gratiæ, scilicet per virtutes ac dona Spiritus Sancti, et per usum eorum, videlicet, per exercitia virtuosa, per virtuosum profectum, potissimum per actualem ac fervidum Dei amorem et contemplationem sinceram. Porro in regno cœlesti assimilatur homo Deo excellentissime per lumen gloriæ et beatificam visionem, quia tunc actio ejus maxime conformatur actioni Creatoris. Propter quod ait Joannes : Nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. (I *Joann.* III, 2.) Tunc namque indesinenter con- C templabimur ac diligemus Dominum Deum nostrum clarissime, ardentissime ac saluberrime. Imitemur igitur Deum, quoniam eum imitari, est ei assimilari : in quo consistit perfectio nostra.

O quanta est misericordia atque dignatio Dei, qui ad suam imitationem nos invitare dignatur, et quanta est nobilitas hominis virtuosi Deum suum fideliter imitantis! Ad hanc imitationem invitat nos Christus, dicendo : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. (*Matth.* v, 48.) Et Deus fre- D quenter per Moysen dixit : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. (*Lev.* XI, 44, 45; XIX, 2; XX, 26.) Similitudo namque est causa amoris, et unionis ac complacentiæ; dissimilitudo autem est causa aversionis, separationis ac displicentiæ. Idcirco, qui Deum imitatur, a Deo amatur, et ei unitur ac complacet; qui vero agit opera Deo contraria, odibilis Deo est, et separatur ab eo.

Sed adverte, o homo, quod duplex est imitatio seu assimilatio Dei, videlicet usur-

pata ac ordinata. Nam et diabolus voluit A Deo assimilari, dicendo, Super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo; *Is.* XIV, 13, 14. iterum, quando dixit ad Christum, Hæc omnia, scilicet mundi regna, tibi dabo, si procidens adoraveris me, *Matth.* IV, 9. voluit Deo assimilari. Itaque assimilatio Dei usurpata et falsa est, quando creatura intellectualis nititur Deo assimilari in his in quibus non competit ei assimilari Creatori, vel quando in his in quibus competit ei assimilari Creatori, nititur ei assimilari plus seu aliter quam oportet; porro assimilatio B Dei ordinata est, dum appetit Deo assimilari in his in quibus decet et sicut oportet.

Ubi diligenter pensandum est, quod quædam conveniunt Deo in quibus creatura nequaquam eum potest imitari, ut sunt : nulli subesse, voluntate uti pro lege, ad libitum dominari, omnibus libere præsidere, et velle liberrime dominari, atque propter se velle amari ac honorari, nulliusque indigere. Et omnia ista ad excellentiam pertinent : in quibus primus ille apo- C stata Lucifer voluit Deum imitari quantum ad aliqua; filii quoque ejus, videlicet omnes superbi et ambitiosi, volunt Deum in his aliqualiter imitari, imo et omnes iniqui, qui nolunt Deo subdi, sed libertate propria regi et sibimetipsis lex esse, prout in libro Confessionum Augustinus diffuse prosequitur. Aliqua vero conveniunt Deo in quibus creatura rationalis ipsum imitari potest ac debet, videlicet : bonitas, veritas, misericordia, communicabilitas, æquitas, sanctitas, perfectio. In his pro D modulo nostro studeamus Deo assimilari, ut in affectum bonitatis cordialiter transformemur et omnem malitiam detestemur, veraces in omnibus simus et omne mendacium odiamus, misericordes simus et facillime ignoscamus, liberaliter quæ a Deo accepimus proximis communicemus, omnem crudelitatem et avaritiam fugientes, justi quoque exsistere laboremus, et ad sanctitatem ac perfectionem pertingere nitamur.

Porro, in sapientia Deum imitemur secundum mensuram nostræ capacitati convenientem, ne simus curiosi ad investigandum quæ scire nobis non expedit, nec præsumptuosi majestatem Altissimi perscrutando; nec ita subtilitatibus ac difficultatibus aliquis occupetur, aut supervacuis quæstionibus immoretur, ut negligat ea quæ Deus ab eo requirit, videlicet observantiam præceptorum et conversationem suæ vocationi condignam. Imo, secundum doctrinam Apostoli, meliora ac *Hebr.* VI, 9. viciniora saluti primo ac principaliter exquiramus ac operemur, pensantes illud Ecclesiastici : Altiora te ne quæsieris, et *Eccli.* III, 22, 23. fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.

Præterea, juxta documenta Apostoli in præsenti epistola, ambulemus in dilectione spirituali ac firma Dei et proximi, Deum in omnibus et super omnia honorantes atque ab omnibus honorari cordialissime cupientes, de ejus inhonoratione et injuria ac contemptu summe dolentes; et quidquid offensivum est Dei, id omni diligentia devitemus. Imo in omni occupatione externa mentem nostram ad ipsum frequenter levemus aliqua oratione aut meditatione et adspiratione affectuosa. Nam ipse primo Regum affirmat : Quicumque *I Reg.* II, 30. glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Proximos quoque universos, bonos et malos, *Matth.* V, 43 et seq. amicos et inimicos, benefactores et injuriatores, sinceriter diligamus, pro bonorum profectu, pro malorum conversione, pro universorum salute jugiter exorantes; nec aliquem scandalizemus, sed verbis ac fa- *Ibid.* XVIII, 7. ctis omnes ædificare conemur.

Amplius, quoniam lex Christi, videlicet lex evangelica, est lex maxime spiritualis, cœlestis atque perfecta, idcirco carnalia vitia, ut gula, avaritia et luxuria, cunctis sunt Christianis maxime detestanda ac fugienda. Ideo, sicut ait Apostolus, talia vi-

Ephes. v, 3. tia nec nominentur in eis, quatenus tam honeste ac irreprehensibiliter vivant, quod nullus suspicetur hujusmodi mala de eis : sicut de parentibus beatissimi Joannis Ba- *Luc.* I, 6. ptistæ legitur, quod incedebant in omnibus justificationibus Domini, id est observationibus præceptorum Dei, sine querela; *Judith* VIII, 8. atque de Judith vidua legitur, quod tam virtuose se habuit, quod non erat qui malum loqueretur de ea. Nempe quam longe debeant hujuscemodi vitia esse a Christianis, constat ex eo quod Apostolus vult ea nec nominari in eis.

Præterea, quam grave ac fugiendum peccatum sit avaritia, patet ex hoc quod *Ephes.* v, 5. Apostolus vocat eam idolorum servitutem. Et merito avarus vocatur idololatra : primo, quia plus diligit nummum quam Deum; secundo, quia plus facit pro nummo quam pro Deo : nam multi sunt qui facili occasione postponunt ire ad Missam, quod non postponerent, si eundo ad Missam possent acquirere obolum; tertio, quia plus confidit in pecunia quam in Deo; quarto, quia plus reveretur nummos quam Creatorem. Abjiciatur ergo inordinatus amor temporalium divitiarum; et spirituales divitiæ, quæ sunt virtutes ac dona Spiritus Sancti in via hac, et beatitudo æterna in patria, præ illis incomparabiliter appetantur.

Postremo, non efficiamur participes im- *Ibid.* 11. piorum, sicut ait Apostolus : Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, magis autem redarguite. Multis etenim modis communicat homo peccatis aliorum et reus efficitur, scilicet : consulendo, applaudendo sive laudando, favendo, consentiendo, cooperando, tacendo quum possit ac debeat increpare. Semper ergo displiceat Christiano peccatum proximi sui, et unumquemque pro posse suo retrahat a peccato, atque ad meliora inducat.

Sicque ambulemus ut filii lucis æternæ, *Ephes.* v, 8. ne simus degeneres filii, de quibus per Isaiam loquitur Deus : Filios enutrivi, et *Is.* I, 2. exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Bonus etenim filius patrem suum honorat : et utique Pater cœlestis, Deus omnipotens, super omnia est incomparabiliter honorandus. Ideo per Malachiam locutus est : Si pater ego sum, ubi est honor meus? *Malach.* I, 6. Hinc olim devotissimi Christiani, ut Deo toto corde fidelissime adhærerent, cuncta terrena spreverunt. Unde in quinto libro Vitaspatrum habetur, quod quadam vice vir magnus ac dives venit in solitudinem Scythi, in qua multa millia monachorum habitaverunt, portans secum aurum; et rogavit presbyterum eremi ut aurum illud erogaretur Fratribus. Dixitque presbyter : Non opus est Fratribus. Quumque vir ille presbyterum vehementer ac importune rogaret ut daret aurum illud Fratribus, nec acquiesceret, posuit vir ille sportam cum aureis nummis in ingressu ecclesiæ. Et dixit sacerdos ad Fratres : Qui indiget, tollat. Et nullus eorum tetigit illam pecuniam; quidam vero nec adspexerunt. Dixit ergo presbyter viro : Suscepit Deus orationem tuam; vade et da illud pauperibus. Et valde ædificatus vir ille, discessit. Illorum ergo Fratrum devotionem sectemur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ERAT JESUS EJICIENS DÆMONIUM, ET ILLUD ERAT MUTUM, ETC. Luc. XI, 14-28.

HODIERNO in evangelio S. Lucas describit qualiter quidam obsessus a dæmonio sit curatus a Christo. Et quia per corporalem illius liberationem a dæmone mystice designatur quid in peccatorum conversione spiritualiter fiat a Deo, potis-

simum in hoc sacro jejunio, ut patebit; A idcirco evangelium istud recte in ista dominica legitur. Ait ergo Evangelista :

Erat Jesus ejiciens dæmonium ab homine obsesso, *et illud erat mutum,* id est hominem illum efficiens mutum. Dicitur dæmon surdus et mutus ratione effectus, seu effective, non formaliter, quoniam organa sensuum indisponit, et ab actibus suis impedit ipsos sensus. Hinc subditur : *Et quum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.* Remota equidem causa, removetur effectus. Ideo dæmone mutitatem causante B ejecto, pristinam loquelæ facultatem adeptus est homo. *Et admiratæ sunt turbæ* de tanto miraculo tam imperialiter facto. Porro a Matthæo signum istud plenius describitur, quo habetur : Tunc oblatus est ei, scilicet Christo, homo dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Ubi Hieronymus : Tria (inquit) signa in eodem simul perpetrata sunt, quia obsessus curatus est, et idem cæcus ac mutus visum recepit atque loquelam.

Matth. XII, 22.

Quidam autem ex eis dixerunt. Isti, secundum Matthæum, Pharisæi fuerunt, pleni invidia contra Christum eo quod sanctitate, sapientia, fama, eloquentia et miraculis eos excessit, quum ipsi humanæ laudis et gloriæ cupidissimi essent. Quorum insaniam multi usque in præsens sequuntur, de aliorum prosperitate dolentes, et de eorum infortuniis miseriisque gaudentes. De quibus ait Chrysostomus : Sicut scarabei nutriuntur stercoribus; sic invidi, aliorum infortuniis. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* id est, virtute, ope seu invocatione summi ac pessimi dæmonis, expellit dæmones ab obsessis. Quasi dicant : Non divina virtute nec aliqua sanctitate hoc agit; sed familiaritatem et pactum habet cum principe dæmoniorum, qui inferioribus præcepit dæmonibus ut Jesu jubente egrediantur, ut per hoc homines seducantur, putando quod Jesus sit Christus et Filius Dei. Sicque, secundum hos perversissimos Pharisæos, ejectio dæmonum a Christo fuit illorum obedientia in principem suum, et ficta coactio.

Ibid. 24.

Et alii tentantes, id est, experiri optantes an Jesus divina virtute ejiceret dæmones, *signum de cœlo,* hoc est aliquod magnum miraculum soli Deo possibile, *quærebant ab eo,* ut tale miraculum faceret aut fieri desuper procuraret, sicut ad invocationem seu potius jussionem Josue sol et luna steterunt in cœlo immobiles spatio diei unius; sicque certitudinaliter scirent quod Jesus esset apud Deum bene exauditus et placens, ac divina virtute miracula agens. Denique consuetudinis fuit Judæis quærere signa, ut patet ex utriusque Testamenti scripturis. Propter quod dixit Apostolus : Judæi signa petunt. Et in Joanne loquitur Christus : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

Josue X, 12, 13.

I Cor. I, 22.

Joann. IV, 48.

Ipse autem ut vidit, id est, mente conspexit, *cogitationes eorum :* omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ut ad Hebræos asseritur; *dixit eis.* Non ad verba, C sed ad cogitationes eorum respondit, ut vel sic cogerentur credere potestati ipsius, qui cordium novit occulta. Sed quomodo verum est hoc, quum Evangelista jam dixerit quosdam illorum dixisse, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, alios quoque signum petisse a Christo? Ad quod respondendum videtur, quod Pharisæi basse et secrete inter se verba hæc protulerunt et signum quærere decreverunt. Unde Chrysostomus ait : Quum Pharisæorum suspicio irrationabilis esset, D metu multitudinis non audebant hanc divulgare. Præterea, cordium secreta cognoscere, aliorumque cogitationes certitudinaliter intueri, Deo est proprium ; nec homo hoc potest, nisi Domino revelante. Verumtamen vir doctissimus Nicolaus de Gorra scribit hoc loco : Potest homo aliquas alterius cogitationes cognoscere : de quibus cognoscendis librum edidit Plato ; sed singulorum singulas solus Deus cognoscit.

Hebr. IV, 13.

Post hæc Christus reprobat verba Phari-

sæorum dicentium, In Beelzebub, etc. Et est ratio prima ista : *Omne regnum in se ipsum,* id est contra se invicem, *divisum,* ita quod una pars contra aliam præliatur, *desolabitur,* id est, debilitabitur ac cito peribit, durante discordia intestina ac lite : nam sicut per concordiam parvæ res crescunt, sic per discordiam res maximæ dilabuntur, secundum Hieronymum. Unde et Romana respublica per intestina bella magis ac citius fuit desolata, quam per pugnas externas, sicut in libro de Civitate Dei Augustinus testatur. Hinc in Osee scri-
Osee x, 2. bitur : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Et domus supra domum cadet,* id est, habitatores unius domus irruent super habitatores alterius domus, vel mutuo destruent habitacula sua, vel habitatoribus interfectis, ædificia vetustate deficient.

Si autem et Satanas in se ipsum divisus est, hoc est, si unus dæmonum contra alium pugnat ac machinatur, ita quod ego succursu dæmonis superioris ejicio dæmones, *quomodo stabit regnum ejus?* id est, qualiter diu durabit regnum principis dæmoniorum, quum ipse contra proprium regnum agat, expellendo per me ab hominibus dæmonia sibi subjecta? quasi dicat, Non diu duraret : quum tamen tamdiu sit duraturum, quousque homines per ipsum in hoc mundo probandi sunt : quod erit usque ad finem mundi. Porro, si Judæi et reprobi judaizantes dicant, quod ad Christi vocem princeps dæmoniorum expulit dæmones, non ad sui regni dissipationem, sed confortationem, ut scilicet homines æstimando Jesum ejicere dæmones virtute divina, majoribus implicarentur erroribus, credendo quod Christus sit et Filius Dei ; hoc facillime reprobatur, quoniam universa quæ Christus verbis operibusque edocuit, dæmoni maxime contrariantur. Ad quid enim tendit tota Christi doctrina, nisi ad privati amoris plenariam exstirpationem, ad divinæ dilectionis sincerissimam integritatem, ad sui ipsius cordialem contemptum, ad Dei diligentissimam venera-
A tionem, ad profundissimam humilitatem, inconcussam patientiam, ad omnium hominum, etiam inimicorum, beneficentiam et amorem purissimum, ad plenam in Deo fiduciam, ad idololatriæ omnisque artis magicæ exstirpationem, ad continuam, puram ac fervidam mentis cum Deo adhæsionem, ad mundi contemptum atque diaboli abrenuntiationem ? Per quæ omnia certissimum est, regnum diaboli maxime debilitari ac superari. Ideo Christus cum principe dæmoniorum fœdus non habuit :
B et istud veris, virtuosis internisque Christianis, non fide dumtaxat, sed experimentaliter quoque certissimum est, et per innumerabilia miracula ac mirabilia soli omnipotenti Deo possibilia, sic esse probarunt. Per quod vanissima atque sacrilega callidissimi impiissimique Porphyrii contra christianam fidem excogitata figmenta, penitus destruuntur.

Deinde Christus ad idem probandum aliam rationem inducit. *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia,* sicut exposi-
C tum est, *filii vestri,* id est Apostoli ac discipuli mei, de vestra progenie nati ; vel, « filii vestri », id est exorcistæ vestri ; *in quo ejiciunt?* id est, qua potestate dæmones ab obsessis expellunt? Apostoli namque et discipuli Christi in Christi nomine *Luc* x, 17.
ejecerunt dæmonia, ut apud Lucam legitur. Inter Judæos quoque fuerunt aliqui Cf. in *Act.* xix, 13.
exorcistæ, qui per exorcismos a Salomone editos, dæmones expellebant. *Ideo ipsi* hi filii vestri, *judices vestri erunt :* id est, quia dæmonum expulsiones per ipsos fa-
D ctas, non diabolo sed Deo adscribitis, quas a me factas principi adscribitis dæmoniorum ; hinc hi filii vestri erunt in die judicii judices vestri : non judiciaria potestate, sed comparatione, secundum Hieronymum, quoniam comparatione illorum, isti perversissimi Pharisæi magis damnabiles apparebunt, quum filii illi dæmonum expulsionem Deo, isti diabolo tribuant. Verumtamen, si per filios intelligantur Apostoli, constat quod ipsi judices erunt infidelium Judæorum in die judicii asses-

soria dignitate, secundum quod Christus A eis promisit : Vos qui secuti estis me, sedebitis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. (*Matth.* XIX, 28.)

Porro, id est sed, *si,* pro quia, *in digito Dei ejicio dæmonia.* In Matthæo legitur : (*Ibid.* XII, 28.) Si in spiritu Dei ejicio dæmones. Per quod patet per digitum Dei hoc loco intelligi Spiritum Sanctum, ut sit sensus : « si in digito Dei », id est potestate et operatione Spiritus Sancti, expello dæmonia, *profecto pervenit in vos regnum Dei,* id est, regnum cœleste seu beatitudo æterna per B me manifestatur atque offertur vobis, dum regnum diaboli vinco et debilito, cœlestisque regni introitum vobis paro ac prædico. Expulsio quippe unius contrarii, introductio est alterius. Unde in prima Joannis fertur : In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. (I *Joann.* III, 8.) Vel, « pervenit in vos regnum Dei », id est virtus et dominium seu gubernatio Creatoris, qui per me hominem et per meam humanitatem operatur in vobis dæmonum expulsionem, ita quod ego sum Christus, vobis in lege et C Prophetis promissus, et inter vos spiritualiter regnaturus : prout Jeremias prædixit, Regnabit Rex, et sapiens erit. (*Jer.* XXIII, 5.) De quo angelus dixit : Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. (*Luc.* I, 32, 33.) Vel, « pervenit in vos regnum Dei », id est, per me vobis offeruntur gratiarum charismata, virtutes et dona Spiritus Sancti, quibus regnum cœlorum acquiritur. Cur vestram impugnatis salutem? Unde juxta hunc sensum ait Apostolus : Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et D gaudium in Spiritu Sancto. (*Rom.* XIV, 17.)

Denique Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, id est Patris ac Filii, qui sunt unus verus Deus : et sicut sunt omnium unus creator, ita sunt Spiritus Sancti unum principium et unus spirator. Dicitur ergo Spiritus Sanctus digitus Dei : primo, quoniam sicut per digitum homo aliquid indicat alteri, ita per Spiritum Sanctum Pater et Filius ostendunt hominibus veritatem, quemadmodum in Joanne loquitur Christus : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. (*Joann.* XVI, 13.) Secundo, quoniam sicut per digiti intinctionem sentitur qualiter res sapiat, ita per Spiritum Sanctum homo divinæ bonitatis suavitatem degustat. Tertio, quia sicut per digitum fit exsecutio operis, ita per dona Spiritus Sancti exsequitur homo opera meritoria æternæ salutis. Quarto, quia per Spiritum Sanctum fit partitio seu distincta atque discreta distributio divinorum donorum. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii discretio spirituum, alii gratia prophetiæ. (I *Cor.* XII, 8-10.) Et hæc omnia, secundum Apostolum, operatur unus idemque Spiritus, dividens singulis prout vult. (*Ibid.* 11.) In nulla autem corporis parte tantum apparet discretio sive partitio, sicut in digitis. Rursus, quemadmodum Filius Dei vocatur manus et brachium Patris (juxta illud Isaiæ : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium), (*Is.* LII, 10.) quoniam Pater omnia operatur per Filium; sic Spiritus Sanctus, Dei digitus appellatur, quia per eum veritas indicatur.

Postremo pensandum, quod Filius Dei hic asserit se Spiritu Sancto minorem, quoad suam humanitatem : per quod se Spiritus Sancti virtute affirmat operari miracula. Per quod impii Arii falsitas demonstratur, quoniam Spiritum Sanctum dixit esse puram creaturam, Filiique ministrum, et ab eodem creatum, quum tamen in Filio non poneret veram animam rationalem, sed solum Verbum et carnem : quo stante, Christus a Spiritu Sancto nullam haberet virtutem efficaciamque expellendi dæmonia seu faciendi miracula.

Deinceps Salvator per aliam rationem ac similitudinem probat se dæmoni contrarium, non confœderatum. *Quum fortis armatus,* etc. Similitudo seu parabola ista, quantum ad litteralem intelligentiam superficialiter sumptam, est plana, sed exponenda est mystice; ut sit sensus : « Quum fortis armatus », id est diabolus, naturali

fortitudine valde robustus (secundum il- A lud Job : Non est potestas super terram [Job XLI, 24.] quæ comparetur ei) : quo namque altioris naturæ est, eo et majoris potentiæ. Naturalia quippe in dæmonibus integra permanserunt, secundum divinum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus. Diabolus quoque armatus est multiformi astutia, longa experientia, naturali industria, potestate, scientia, multiplici quoque nequitia, et acie vitiorum ac malignorum spirituum sibi subservientium. Quum itaque fortis iste *custodit atrium suum,* id B est impiorum conventiculum seu mundum in maligno positum, [I Joann. V, 19.] ne scilicet homines mundani pœniteant et salventur. Sic equidem ante adventum Christi homines custodiebat, ne sibi per vitæ emendationem subtraherentur, qui tunc pene ubique idololatriæ ac ceteris vitiis servierunt. *In pace sunt ea quæ possidet,* id est, juxta suam voluntatem possidet tales : quia ut ait Apostolus, ad voluntatem [II Tim. II, 26.] ipsius captivi ab ipso tenentur. Et qui ita diabolo sunt subjecti, non veram, sed car- C nalem falsamque pacem habent, et dæmoni infeliciter damnabiliterque concordant. Nam vera pax, est tranquillitas mentis in Deo concordiaque in bonis : de qua loquitur Isaias, Non est pax impiis, dicit [Is. XLVIII, 22.] Dominus; Apostolus quoque, Fructus (inquit) Spiritus est caritas, gaudium, pax, [Galat. V, 22, 23.] etc. Falsa autem pax, est inordinata concordia : de qua Psalmista, Zelavi (ait) super [Ps. LXXII, 3.] iniquos, pacem peccatorum videns.

Si autem fortior illo, id est Christus : qui secundum quod Deus, est infinitæ po- D tentiæ; per potestatem quoque suæ humanitatis supernaturaliter ei collatam, fortior est omni ente creato. *Superveniens.* Christus namque desuper venit, juxta illud Joannis : Qui de cœlo venit, super omnes [Joann. III, 31.] est. *Vicerit illum.* In omnibus namque Christus vicit diabolum, scilicet : in tentatione, illam viriliter ac prudenter abji- [Matth. IV, 1 et seq.] ciendo; in persecutionibus, derisionibus et amarissima sua passione, illas patientissime tolerando; in suo descensu ad inferos, infernum spoliando. Hinc de eo in Apocalypsi habetur : Ecce vicit leo de [Apoc. V, 5.] tribu Juda; atque in Psalmo : Quis est is- [Ps. XXIII, 8.] te Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Universa arma ejus auferet, id est, tentationes et fallacias quibus decipit homines, compescet, aperiet, superarique faciet ab electis. Unde Christus ait discipulis : Ecce dedi vobis potestatem calcan- [Luc. X, 19.] di super serpentes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici. Cui consonat promissio illa in Psalmo, Super aspidem [Ps. XC, 13.] et basiliscum ambulabis, etc. *In quibus confidebat.* Diabolus namque in suis confidit astutiis, malignitatibus, tentamentis. Quem aliqui pravi homines assequuntur, videlicet simulatores et callidi, qui pro- [Job XXXVI, 13.] vocant contra se iram Dei : qui in Isaia loquuntur, Posuimus mendacium spem no- [Is. XXVIII, 15.] stram, et mendacio protecti sumus. De quibus rursum in Isaia asseritur : Confi- [Ibid. LIX, 4.] dunt in nihili, et loquuntur vanitatem. *Et spolia ejus distribuet.* Spolia diaboli sunt iniqui, quos tentando decepit, Creatori subtraxit, et suo subjecit dominio infelici. Hos Christus redemit, dæmonibus abstulit, angelorum custodiæ deputavit, ecclesiasticisque assignavit officiis. Captivam [Ps. LXVII, 19; Ephes. IV, 8, 11.] quippe ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quosdam constituens Apostolos, quosdam Evangelistas, quosdam Prophetas, alios pastores et doctores. Denique diversas mundi gentes a dæmonibus captivatas distribuit Apostolis convertendas, dicendo : Euntes in mundum universum, [Marc. XVI, 15.] prædicate Evangelium omni creaturæ. Hinc passione instante dixit : Nunc princeps [Joann. XII, 31.] hujus mundi ejicietur foras. Et ab Isaia de Christo prædictum est : Voca nomen [Is. VIII, 3.] ejus, Accelera, spolia detrahe, festina prædari.

Deinceps ponitur ratio quarta probans quod Christus nil confœderationis cum diabolo habet. *Qui non est mecum,* id est, mihi non consentit nec cooperatur, *adversum me est,* id est mihi contrarius, et opera mihi contraria facit; *et qui non*

colligit mecum, id est, homines ad Deum A non reducit, nec ad virtutes trahit, ut potest et debet, orando, docendo, exemplariterque vivendo, *dispergit,* id est, a Deo avertit, et se ac alios peccatis et erroribus implicat. Per hoc Christus insinuat sibi cum diabolo nullam esse communionem, quum ipse sit humilis et benignus, dispersos per vitia et errores reducens ad Deum, et congregans ad unitatem fidei, spei et caritatis. Porro diabolus superbus et malitiosus, semper conatur homines a præfata unitate avertere, a cultu veri Dei B dispergere, per idololatrias ac alia crimina II *Cor.* VI, 15. 14. disgregare. Hinc ait Apostolus : Quæ conventio Christi ad Belial ? aut quæ societas lucis ad tenebras ? Joannes quoque ait : *Joann.* XI, 51. 52. Jesus moriturus erat, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.

Post hæc ostendit Salvator Judæos incredulos a diabolo inhabitari, dicens : *Quum immundus spiritus exierit ab homine,* etc. *Matth.* XII, 43. *Ibid.* 45. In Matthæo, ubi verba hæc scripta sunt, legitur Christus protinus subdidisse, Sic erit generationi huic pessimæ. Per quod C patet hæc de populo Judæorum perfido principaliter dici, ita quod nomine hominis, populus ille signatur, sicut frequenter in veteri Testamento de toto populo illo ac alio, quasi de homine uno, fit sermo : *Is.* XLVII, 1. ut quum dicitur per Isaiam, Sede in pulvere, virgo filia Babylon. Ubi per filiam Babylonis, populus Chaldæorum intelligitur, secundum Hieronymum, Haymonem, Bedam, ac alios expositores.

Itaque, « Quum immundus spiritus », id est diabolus : qui ratione simplicis suæ D naturæ dicitur spiritus, et ob abundantiam suæ impietatis vocatur immundus; « exierit ab homine », id est a populo Judæorum : quod factum fuit quando in monte Sinai *Exod.* XXIV, 7. legem a Deo accepit devoteque dixit, Omnia quæcumque præcepit nobis Dominus faciemus, et erimus obedientes; *ambulat per loca inaquosa,* id est per gentilium corda et conventicula, in quibus non fuit aqua sapientiæ salutaris, neque gratiarum *Job* I, 7; II, 2. fluenta : unde in Job ait, Circuivi terram, et perambulavi eam; *quærens locum,* id est mansionem in eis ad deceptionem et condemnationem eorum, juxta illud Petri : Adversarius vester diabolus tanquam I *Petr.* V, 8. leo rugiens circuit, quærens quem devoret. *Et non inveniens* in gentilibus fixam atque perpetuam mansionem, quoniam per Christi Apostolos sunt conversi, juxta illud Psalmi : Reminiscentur, et *Ps.* XXI, 28. convertentur ad Dominum universi fines terræ; *dicit : Revertar in domum meam unde exivi,* id est, ad Judæorum Synagogam redibo, a qua exivi quando Deo devote servivit. Sed ea Christi fidem spernente, ad eam reversus est spiritus nequam.

Et quum venerit ad eam diabolus, *invenit eam scopis mundatam et ornatam,* id est extrinsecus superficialiter decoratam per observantias cærimoniales, et Scribarum ac Pharisæorum traditiones, apparentesque et fictas devotiones : quæ omnia tempore legis evangelicæ reprobantur. Nam de hypocrisi Christus in Evangelio præ- *Matth.* XXIII, 13 et seq. cipue arguit Scribas ac Pharisæos. *Et tunc vadit* diabolus, cernens sibi patere introitum ad Judæos, *et assumit secum alios septem spiritus nequiores se,* id est multitudinem et copiam dæmonum tentatorum ac vitiorum. Septenario quippe universitas designatur, sicut de Maria Magdalene *Marc.* XVI, 9; *Luc.* VIII, 2. legitur Christus ejecisse septem dæmonia, id est universa peccata mortalia. Et in Apocalypsi habetur : Gratia vobis ab eo *Apoc.* I, 4, 5. qui est, et a Jesu Christo, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Tobiæ quoque Raphael ait : Ego sum *Tob.* XII, 15. Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Deum. Siquidem septem diebus omne tempus evolvitur : ideo septenario universitas, secundum Gregorium, insinuatur. *Et ingressi habitant ibi.* Jam enim videmus quod usque in præsens Judæi in sua obstinatione atque perfidia manent, quemadmodum a Daniele prædictum est : Non erit ejus (scilicet Christi) *Dan.* IX, 26, 27. populus, qui eum negaturus est; et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio. Atque in Psalmo dicitur

Ps. LXVIII, 25. Deo : Effunde super eos iram tuam, et A furor iræ tuæ comprehendat eos. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Sicut enim ultima ista captivitas Judæorum per Romanos inflicta, quæ jam per mille quadringentos annos et amplius duravit, quasi incomparabiliter major est omni captivitate quam sub lege perpessi sunt; ita peccata in quibus nunc sunt, et propter quæ in istam calamitatem redacti sunt, quasi incomparabiliter graviora consistunt quam ante, videlicet quoniam regem Messiam persecuti sunt et occiderunt, B quem et quotidie in suis synagogis blasphemant, et pro destructione Romani imperii discipulorumque Jesu Nazareni jugiter orant, ut S. Hieronymus et alii id experti, plenius scribunt.

Insuper ista moraliter explanantur de quocumque homine recidivante, a quo in Baptismo ac Pœnitentiæ sacramento expulsus est dæmon. Expulsusque pergit per loca inaquosa, id est, bonorum corda a fluxu concupiscentiæ desiccata, atque per abstinentias arefacta, tentare aggreditur et C superare molitur : in quibus locum non invenit, dum ei viriliter reluctantur. Tuncque ad priorem revertitur : quem si non invenerit intus vere purgatum, sed foris dumtaxat ornatum, vadit et assumit alios septem spiritus nequiores se, secundum sensum præhabitum, qui ingressi habitant in recidivante, ita quod posteriora ejus peccata fiunt enormiora prioribus. Vulnera namque repetita sunt periculosiora, in corpore et in anima; et post acceptam sæpe gratiam esse ingratum, deterius est. D

Factum est autem, quum hæc diceret Jesus, hoc est, adversarios veritatis Christus tam sapienter, prompte, clare ac fortiter confutaret, *extollens,* hoc est, devote affectuoseque elevans, *vocem quædam mulier de turba, dixit illi.* Quidam dixerunt hanc feminam fuisse Marthæ ancillam, quæ admirata sapientiam atque constantiam Christi, locuta est : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti,* hoc est, tanta est dignitas, sanctitas, virtus, sapientia et perfectio tua, o Christe, ut te satis laudare non queam; sed merito etiam beatifico illam quæ te concepit, portavit, peperit et lactavit, cujus corpus et membra, specialiter ventrem et ubera, ex contactu tuo et obsequio tibi impenso beatificata protestor. Quis enim digne collaudet sacratissimæ Virginis uterum inviolatissimum et prorsus castissimum, in quo Unigenitus Dei, Deus majestatis immensæ, præelegit et dignatus est incarnari, homo fieri, tot mensibus commorari, crescere et nutriri, cujus etiam Virginis jam natus ubera suxit? Nonne admirabilis et præstantissima Virgo illa, ex Filii hujus unione, communione, contactu, obsequio, inæstimabiliter dignificata ac deificata credenda est?

Sed quoniam Christi matrem esse, singularissimum ac unicum donum est, ad quod nemo deinceps potest adspirare, Christus universale præconium protulit, ad quod omnes pertingere nunc valemus. *At ille dixit : Quin imo,* hoc est, utique sic est sicut dixisti; nec tamen hoc solum sic est, imo et omnes *beati qui audiunt verbum Dei,* id est, qui verba divinæ Scripturæ aure mentis advertunt, libenterque audiunt auribus corporis, ut reponant illa in memoria mentis ac impleant factis. Ideo subditur, *et custodiunt illud* in memoria et effectu, juxta illud in Psalmo : Memores sunt mandatorum ipsius, ad fa- Ps. CII, 18.
ciendum ea. Hi ergo beati sunt jam in spe et merito, atque post vitam hanc beati erunt in re et præmio, felicitatem sortiendo æternam, dummodo jam laudabiliter perseverent usque in finem. Hinc in Joanne asserit Christus : Qui ex Deo est, verba Joann. VIII, 47.
Dei audit. Deinceps Christus verbis his conceptum sui spiritualem prætulit conceptui corporali. Idcirco, secundum Augustinum, virgo Maria beatior fuit concipiendo Christum fide seu mente, quam ventre. Unde et nos de aliorum quantumlibet propinquorum sanctitate non præsumamus quod prosit nobis, nisi illorum virtutes sectari curemus.

SERMO SECUNDUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE HUJUS OBSESSI.

ERAT *Jesus ejiciens dæmonium.* Luc. xi, 14.

Rom. xv, 4. Sicut ait Apostolus, Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Considerandum est ergo quid spiritualiter per istum obsessum et ejus curationem signetur. Itaque agnoscendum, quod quamvis secundum communem modum loquendi, non dicantur a diabolo obsessi, nisi in quibus per operationem diaboli interiores sensus cum suis organis sic perturbantur, quod ratio in eis omnino impeditur a suo usu, ita ut in furorem vertantur; nihilo minus secundum veritatem, a diabolo obsessi sunt et possessi quicumque in mortali peccato exsistunt. Ipsi enim sunt vasa et habitacula ministrique dæmonum, qui regnant in eis. Ratio quoque in eis est excæcata quantum ad ea quæ pertinent ad salutem. Nam temporalia, carnalia et caduca præferunt bonis æternis, spiritualibus atque cœlestibus, imo omnium creatori, Deo altissimo, summo, incommutabili infinitoque bono : quod est amentia maxima. Præterea ista obsessio spiritualis a diabolo, pejor ac periculosior est quam illa corporalis ac prima : quoniam prima illa obsessio est malum pœnæ, et interdum est obsessi purgatio; et potest esse in eo qui est in caritate et gratia. Taliter quoque obsessi non peccant, eo quod ratione uti non possint. Sed secunda ista possessio est malum culpæ atque possessi deceptio; nec est nisi in eo qui est in peccato mortali. Et ita possessi, de uno peccato mortali cadunt in aliud, suntque in statu damnationis.

Quum ergo omnis homo in mortali exsistens peccato, sit obsessus a diabolo, per dæmoniacum istum mutum ac cæcum intelligitur quicumque peccator qui in mortalibus jacet peccatis. Nam talis est mutus a laudibus Dei et a salutaribus verbis : quia etsi ore verba Dei pronuntiet, non tamen acceptum est Creatori, quoniam indevoto corde et absque caritatis affectione id agit, sicut per Isaiam Dominus loquitur, Populus hic labiis me honorat, cor *Is.* xxix, 13;
autem ejus longe est a me. Insuper talis *Matth.* xv, 8.
homo est spiritualiter cæcus, quoniam pericula sua non pensat, nec aliquam habet cognitionem formatam et claram, hoc est lumine gratiæ illustratam caritatisque gustu perfusam, quoniam carnalis atque mundana affectio dominatur in eo : ideo ea quæ de Deo et Scripturis audit, legit aut scit, sibi non sapiunt. Est enim similis febricitanti, cui omnia alimenta videntur amara, quamvis sint dulcia, quoniam gustum exteriorem habet humoribus salsis et amaris ac malis infectum. Ita peccator interiorem gustum et mentis palatum habet vitioso amore mundi et carnis et desiderio peccati ac pravæ delectationis intoxicatum, ita ut nec Deus sibi dulcescat, nec spiritualia ac cœlestia sibi suavia sint, imo exercitia virtuosa ex propria natura vere suavia, sibi tædiosa exsistant.

Amplius, multæ sunt causæ cur peccator spiritualiter mutus et cæcus, imo et surdus vocatur. Prima est, quia diabolo est subjectus, ita quod diabolus eum inhabitans, movet membra et vires ejus ad opera mala, et impedit membra ac vires ipsius ab operibus bonis. Est enim servus diaboli. Et sicut equus comparatur ad sessorem, ita ipse ad dæmonem suum inhabitatorem : quemadmodum enim equester cum freno ducit ac dirigit equum quo vult, ita diabolus cum sua suggestione ac

dominatione ducit ac dirigit impium ad A diversa peccata, atque a bonis actibus retrahit eum. Unde, secundum Apostolum, II *Tim.* II, 26. transgressores captivi tenentur a diabolo ad voluntatem ipsius. Sic ergo diabolus intellectum peccatoris movet ac dirigit ad consentiendum erroneis suggestionibus et desideriis pravis : sicque rationem excæ- *Ps.* XXXIX, 5. cat. Hinc ait Psalmista : Beatus vir cujus est nomen Domini spes, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Ad quas per consensum respicit impius, et lucem veritatis atque justitiæ derelinquit. Dia- B bolus quoque retrahit intellectum ejus a consideratione attenta eorum quæ pertinent ad salutem : et ita fit surdus, ita ut verba Dei auribus interioribus non bene perpendit, nec masticat. Similiter linguam iniqui movet diabolus ad verba illicita, detractoria, turbativa, mendosa, scurrilia et lasciva : a verbis vero utilibus, ædificatoriis, virtuosis retrahit eam ; vel si profert talia, non recta intentione hoc facit. Sicque peccator fit mutus quantum ad usum linguæ salubrem : quemadmodum C *Is.* LVI, 10. Isaias negligentes pastores appellat canes mutos nescientes latrare.

Secunda causa est, quoniam omne mortale peccatum est simile magnæ gravique moli. Ideoque sicut hujusmodi moles exteriorum sensuum organa implet, lædit, et a suis sensationibus impedit, utputa, oculos a visu, aures ab auditu, linguam quoque a locutione, si in ore fuerit posita; ita peccatum mortale intellectum obtenebrat, interioresque aures obturat, et linguam a virtuosis locutionibus impedit. D Hinc, quanto homines plus assuescunt vitiis immorari, atque in suis indurantur sceleribus, tanto minus ponderant sua peccata, et tandem pro nihilo reputant ea, *Prov.* XVIII, 3. quemadmodum Salomon contestatur : Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit.

Tertia causa est, quoniam Deus est prima lux et veritas summa, fons totius illustrationis; peccatum vero est quædam divisio ac interpositio inter Deum et peccatorem, quemadmodum loquitur Isaias : Iniquitates vestræ diviserunt inter Deum *Is.* LIX, 2. vestrum et vos. Quemadmodum ergo janua seu fenestra clausa, sua interpositione inter solem et habitaculum privat illud lumine solis, obscurareque dicitur domum; ita peccatum animam privat lumine gratiæ, et excæcat, non quod nil intellectualiter videat seu cognoscat, sed quoniam quæ suæ salutis sunt non efficaciter pensat, neque quæ Dei sunt, cum caritatis affectu ac gustu considerat.

Quarta causa est, quoniam sicut gratia, virtutes et dona formaliter sunt quædam spiritualia lumina animam intus pulcherrime illustrantia atque ornantia, imo Deo superpulcherrimo ac supersplendidissimo sublimiter conformantia; ita peccata in se ipsis sunt turpitudines quædam ac tenebræ animam obscurantes ac dæmonibus assimilantes. Hinc loquitur Augustinus : Habet justitia lucem suam, perfundit et illustrat animam sibi inhærentem; sic peccatum habet suam caliginem, confundit et obtenebrat animam sibi consentientem. Quum ergo unum mortale peccatum animam ita obscuret, deturpet, dæmonibusque conformet : quam inæstimabiliter obscuratæ, fœdatæ, atque dæmonibus assimilatæ sunt animæ impiorum, qui absque timore quotidie operantur tot mala, et cogitationibus, affectionibus, verbis, operibus ac omissionibus tam enormiter innumerabiliterque Deum offendunt ? Ideo ab universis peccatis et obtenebrationibus mentis corda nostra, per veram contritionem, per sinceram confessionem, per condignam satisfactionem et emendationem in omnibus depuremus : linguam a verbis illicitis refrenemus, et prudentes, graves ac exemplares simus in verbis, factis ac moribus; nec aliquid eorum quæ Deus a nobis exigit omittamus, potiusque formidemus a diabolo per mortalis peccati consensum spiritualiter possideri, quam ab eodem corporaliter vexari ac obsideri.

Unde in dialogo Severi et Galli discipulorum S. Martini narratur, quod in par-

tibus transmarinis fuit vir sanctus qui A incredibilem habuit potestatem et gratiam fugandi dæmonia ab obsessis, et inaudita per singulos dies signa faciebat : quia non præsens tantum, nec verbo solum, sed absens quoque, fimbriis sui cilicii aut epistolis a se missis curavit obsessos. Hinc populus mirabiliter copiose confluxit ad eum. Nec solum vulgus ac minores, sed et præfecti ac comites, diversarumque urbium judices, ante illius fores sæpius jacuerunt per noctes. Episcopi quoque sanctissimi venerunt ad eum, tangi et benedici B ab eo humiliter postulantes ; et sanctificatos se ac divino munere illustratos non immerito crediderunt, quoties manum et vestem illius contigerant. Hic vir sanctus dicebatur ab omni potu in perpetuum penitus abstinere, et septem tantum caricis sustentari. Inter hæc tentatio vanæ gloriæ hunc sanctum virum invasit. Quod malum ut sensit, expellere nitebatur, nec potuit; et qui ex aliorum corporibus dæmones expellebat, a proprio corde diabolicum expellere virus non potuit. Toto igitur corde Deum oravit ut se permitteret a diabolo per quinque menses corporaliter possideri atque vexari. Statimque vir præpotens ille et sanctus, signis et virtutibus toto orienti vulgatus, correptus a dæmone est; et tentus in vinculis, omnia quæ energumeni pati solent perpessus est. Quinto autem mense, a dæmone, et quod ipse plus cupiebat, a tentatione gloriæ vanæ, est liberatus. Ecce quantum sanctus vir ille abhorruit vanam gloriam et omnem Dei offensam, et quam vere humilis fuit, qui maluit a dæmone sic vexari et ab hominibus aspernari, quam ab occulta tentatione seduci. Ejus ergo exemplo discamus vitia abhorrere, ac Dei offensionem incomparabiliter magis quam propriam confusionem vitare.

SERMO TERTIUS

QUALITER VERA DEVOTIO A FICTA POSSIT DISCERNI.

QUI *non est mecum, adversum me est;* C *et qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. XI, 23.

In his verbis docet Salvator, qualiter possit homo probabiliter scire an sit vere ad Deum per gratiam pertinens, hoc est, an sit veraciter virtuosus ac vere devotus. Hujus etenim signum est, si mens ejus Christo consentit. Christi namque doctrina est, de omni peccato cordialiter pœnitere, in quantum est Dei offensivum et in se ipso turpe, ac contra Dei præceptum; item, semper habere cor paratum D ad omnia quæ Deo sunt placita vel ab eo præcepta, et quidquid displicet Deo indesinenter vitare, et esse semper in timore Dei ac cordis custodia, ne Deus Dominus offendatur. Ecce in quo ista sunt, ille est cum Christo, nec est adversarius ejus, sed per caritatem et gratiam spectat ad eum. Porro in quo ista non sunt, ille non est cum Christo, nec ei per caritatem unitus, sed adversus eum est ; nec colligit secum, sed dispergit, quoniam animam suam a Deo avertit et alios scandalizat. Si ergo, o homo, vis scire an vita tua Deo complaceat, an vere devotus sis, vide an ista in te sint. Considera an omnia ad quæ teneris adimpleas, an omnem superbiam, invidiam, avaritiam, acediam, incontinentiam, ceteraque peccata mortalia mentaliter detesteris, odias ac devites; an ad Deum et ad gratiarum charismata magis quam ad temporalia atque carnalia afficiaris. Attende sagaciter an cum Christo colligas, hoc est, an proximorum salutem ex corde desideres, atque pro posse procures, orando, hortando et exempla-

riter conversando. Nam si ita non agis, cum diabolo dispergis, et Christo contrariaris.

Præterea considerandum, quod devotio est promptitudo cordis ad ea quæ Dei sunt. Quidam autem putant se esse vere devotos, et non sunt, sed eorum devotio est ficta et falsa. Quidam vero putant se non esse devotos, et tamen vere devoti sunt. Est namque duplex devotio, utputa : intellectualis, quæ est in superiori animæ parte ; et ista devotio semper est bona, vera et tuta, quum sit sincera promptitudo animi ad omnia quæ Deo sunt placita, cum sincera detestatione eorum quæ displicent Deo, videlicet vitiorum. Alia est devotio quædam sensibilis, scilicet cum perceptibili quodam fervore atque dulcore, seu dulcibus affectionibus ad Deum, ac lacrimis. Et quamvis talis devotio interdum sit vera ac salutaris, quia per eam Deus consolatur ac recreat suos ministros, atque ad pravarum delectationum ac sæcularium vanitatum inducit contemptum ; interdum tamen talis devotio est ficta, fallax et falsa. Nam et diabolus potest per suam naturalem potestatem ac subtilitatem, causare in homine causas lacrimarum ac perceptibilium suavitatum, quemadmodum experimentaliter constat in perfidis Judæis et Sarracenis atque hæreticis, qui in suis ritibus, sacrificiis et erroribus sæpissime inflammantur ac lacrimantur, et multum devotos se arbitrantur, quum totum sit opus diaboli. Insuper aliqui Christiani crebro ex prædicatione, cantu, symphonia, aut simili causa, compunguntur et æstuant, peccata sua nonnulla deplorant, et dulciter orant : non tamen in caritate et gratia, sed in mortali sunt culpa. Quod patet ex eo quod non intendunt pompis ac vanitatibus mundi renuntiare, nec universa peccata mortalia et immediatas occasiones eorum efficaciter declinare : imo retinent aliena, adversarios odiunt, mundano seu carnali amore sordescunt, et aliqua ad quæ ex præcepto tenentur, omittunt.

A Ex his igitur innotescit, quod aliqui in spirituali vita non satis exercitati, quandoque falluntur. Qui tunc se vere devotos existimant, quando devotionem habent sensibilem ; qua dum carent, indevotos atque a Deo relictos se conqueruntur : quum sicut jam dictum est, longe aliter esse possit. Imo tunc homo vere devotus est, dum ex corde appetit Deo placere, et quæ Deus ab ipso requirit non negligit adimplere, sive hoc optet et agat cum sensibili quodam fervore atque dulcore, sive quo- B dammodo duro, amaro afflictoque corde. Non ergo te tunc vere devotum et Deo placentem ac virtuosum semper definias, quando in te devotionem sensibilem sentis, ne per hoc vana securitate fallaris, et interiora tua discutere negligas; sed quando nihil eorum quæ a te Deus exigit negligis, sicut et Salomon protestatur, Qui timet Deum, nihil negligit : hoc est, quando amicos et inimicos, omnesque homines in mundo hoc conversantes, vere et spiritualiter diligis, quando in adversis et C tribulationibus ac persecutionibus veram patientiam habes, quando coram Deo te vere humilias, quando ab omni cupiditate et carnali fœditate immunem te sentis, digneque ambulas vocatione qua vocatus es, in cibo, potu, somno, vestitu, moderantiam servans, et fraternæ correptionis præceptum adimplens.

Eccle. XII, 19.

Ephes. IV, 1.

Insuper in Revelationibus beatissimæ Brigittæ viduæ sæpius scriptum est, quemadmodum sancta femina, quando primo sibi cœperunt fieri revelationes divinæ et D visitationes supernæ, valde frequenter timuit a spiritu malo decipi et illudi : quia ut ait Apostolus, Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Et tunc Christus frequenter in visione dixit ad Brigittam : Non timeas modo illudi. Nam sicut solem materialem duo sequuntur, videlicet splendor et calor, ita quod sole nascente, nebulæ et tenebræ aeris expelluntur, ipseque aer illuminatur et calidus redditur; ita dum Spiritus Sanctus visitat mentem, peccata et passiones animæ disperguntur, intelle-

II Cor. XI, 14.

ctus illustratur, voluntas accenditur, et inordinatus timor expellitur, totaque anima serenatur, pacatur et jucundatur. A

Si ergo alicui fiant visiones, revelationes, consolationes, visitationes et elevationes mentis ad Deum, sapienter perpendat an ex hujusmodi rebus repellantur ab anima sua vanæ distractiones, tumultuantes cogitationes, anxietates et animi perturbationes atque inordinatæ affectiones, an etiam sua ratio in cognitione Dei ac sui veraciter illustretur, an cor suum divino inflammetur amore, atque ad carnalium et temporalium rerum moveatur contemptum, B seque profundius in cunctis humiliet, patientior, custoditior, timoratior fiat. Et si isti effectus in ipso sunt, confidat se vere a Spiritu Sancto misericorditer visitari; si vero non istos effectus, sed contrarios in se senserit homo, decipi pertimescat. Hinc
Job IX, 28. sanctus Job dixit : Verebar omnia opera mea, sciens quod tu, Domine, non parceres delinquenti.

Multo magis nos fragiles et nimium defectuosi, formidare debemus ne forte vita C nostra displiceat Deo; et vitare debemus non solum manifesta mala, sed etiam apparentia bona, quæ tamen sunt mala. Ideo
Ps. CXVIII, 133. Psalmista oravit : Gressus meos dirige, Domine, secundum eloquium tuum. Unde et nos jugiter Dominum deprecemur ut in omnibus nos misericorditer regat, ducat, dirigat ac defendat, quemadmodum scriptum est : Justum deduxit Dominus per *Sap.* X, 10.
vias rectas. Propter quod orat Propheta : Deduc me, Domine, in via tua, et ingre- *Ps.* LXXXV, 11.
diar in veritate tua. Sicque in nobis ipsis ac proximis nostris odiamus omne peccatum, in quantum est Dei inhonorativum ac offensivum; atque in vita præsenti optemus a Deo paternaliter castigari, ne æternaliter condemnemur. Unde in octavo libro Vitaspatrum legitur de quodam sancto presbytero Innocentio nomine, qui primo clarus fuit in militia, in palatio Constantini imperatoris, et post cum conjuge sua abrenuntiavit sæculo, fuitque presbyter in monte Oliveti, et habuit filium nomine Paulum. Qui quum in crimen fornicationis esset collapsus, pater ejus Innocentius Deum rogavit ut talem ei correptionem diaboli daret, quod de cetero peccare non posset : et factum est ita. Statim quippe filius ille a diabolo cœpit vexari, et obsessus fuit pro suis peccatis, ac tentus in vinculis : sicque a suis fuit purgatus peccatis. Nec voluit pater ejus eum a dæmone liberare, quum tamen alios curaret obsessos. Hujus igitur Innocentii virtutes sequendo, peccata super omnia odiamus.

SERMO QUARTUS

QUAM UTILE ET BEATUM SIT VERBUM DEI AUDIRE ET CUSTODIRE.

B*EATI qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Luc. XI, 28. D

In his verbis docet nos unigenitus Filius Dei, quam vigilanter debeamus verbum Dei auribus corporis ac mentis audire, quam etiam memoriter et obedientialiter debeamus hoc custodire. Ita igitur verbum Dei audire ac custodire debemus cum omni diligentia, reverentia et obedientia, propter quatuor causas :

Primo, propter dignitatem Dei. Videmus enim, quod verba regum et principum cum ingenti diligentia audiuntur, et eorum epistolæ cum magna reverentia suscipiuntur ac advertuntur : nonne ergo incomparabiliter diligentius audienda sunt verba Dei, qui est Rex regum et Dominus uni- *Apoc.* XIX, 16.
versorum, cujus excellentia est penitus infinita ?

Secundo, propter dignitatem ministro-

rum Dei, videlicet prælatorum ac prædicatorum, per quos Deus loquitur nobis. Qui quantumcumque indigni fuerint in quantum sunt peccatores et particulares personæ, tamen in quantum sunt prælati et Dei vicarii, magnæ sunt dignitatis, et quasi ipsemet Deus reverenter obedienterque audiendi, quia eorum honoratio ac inhonoratio redundat in Deum, qui ait ad *Luc.* x, 16. eos : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Hinc ait Gregorius : Sæpe contingit ut persona magna despectum habeat servum; quumque servum mittit ad aliquem, servus reverenter suscipitur et auditur, non propter se ipsum, sed quoniam domini ejus honorabilitas consideratur. Hinc quoque apostolus Pau- *Galat.* iv, 14. lus de hoc commendat Galatas, quod cum omni timore et reverentia susceperunt audieruntque eum sicut angelum Dei, imo quasi Jesum Christum.

Tertio, propter multiplicem utilitatem nobis inde provenientem : quoniam verbum Dei est spirituale medicamentum quo vulnera animarum nostrarum, id est peccata, curantur ac expelluntur. Est etiam cibus et refectio mentis, confortatio et conservatio cordis, illuminatio rationis, inflammatio voluntatis, protectio et munimen contra tentationes, atque directio vitæ nostræ in omnibus. Propter quod Propheta *Ps.* cxviii, 105. loquitur Deo : Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. Hinc constat quam verissime Chri- *Luc.* xi, 28. stus dixit : Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Et congruentissime addidit, Et custodiunt illud : nam aliqui diligenter audiunt verbum Dei, solum ut sciant et docti videantur, atque honorem et commodum aliquod consequantur. Quorum abusio stulta est, et exsecratio valde magna, intentioque omnino perversa.

Quarto, propter vitanda damna et pericula quæ oriuntur ex hoc quod verbum Dei non satis diligenter auditur, nec debite custoditur. Hoc namque in se ipso magnum peccatum est, et vilipensio majestatis divinæ; ex hoc quoque sequitur induratio animæ, excæcatio et obstinatio in peccatis, atque æterna damnatio valde gravis. Unde Bernardus in quodam ait sermone : Quam grave mihi esset, et quantum tristarer, si scirem verba mea in vobis non fructificari, nec diligenter a vobis audiri. Quanto magis Dominus majestatis indignabitur his qui verba ejus negligenter audiunt, nec observant ? Dum ergo, o homo, verbum Dei audis, et contra peccata prædicatio sonat, diligenter perpende an in te sint vitia contra quæ loquitur sermo divinus : et si sic, non differas pœnitere et emendare. Aliqui vero sunt ita perversi, quod si audierint contra vitia prædicari, indignentur prædicanti : qui similes sunt stolidissimis vulneratis, qui vulnera sua sibi non permittunt ostendi, neque curari, sed ea abscondunt et putrescere sinunt. — De hac autem materia in aliis sermonibus dicta sunt multa : idcirco abbrevio.

Postremo S. Athanasius scribit in vita B. Antonii, quod Constantinus Augustus potentissimus imperator, et filii ejus Constans et Constantius, frequenter scripserunt S. Antonio tanquam patri, et rogabant ut eis rescriberet. Sanctus vero Antonius ex litteris illorum nequaquam inaniter motus, convocans monachos, dixit : Reges sæculi epistolas nobis miserunt; sed quid de hoc ipso Christianis mirandum est ? Licet enim diversa sit dignitas hominum, eadem tamen cunctis nascendi ac moriendi conditio est. Hoc potius omni veneratione colendum, hoc toto retinendum est affectu, quod Deus hominibus legem dedit, quod per unigenitum Filium suum Ecclesiam suis ditavit eloquiis, propriisque instruxit sermonibus. Quæ monachis est ratio cum epistolis regum ? Rogatus vero Antonius a Fratribus universis, ut christianos reges suis refrigeraret ac informaret epistolis, ne per silentium ejus exasperarentur, ad susceptas illorum epistolas convenienter rescripsit, laudans in primis quod Christum colebant; deinde salutaria persuasit, videlicet, ne magnum

quid putarent regiam dignitatem, ne præsenti tumerent imperio, et se homines esse obliviscerentur, sed se a Christo judicandos esse jugiter recordarentur, circa subditos quoque clementes essent et justi, pauperumque curam haberent. His litteris principes susceptis vehementissime lætabantur.

Itaque et nos miseri peccatores beatis- A simum Antonium aliqualiter imitantes, hoc vere magnificum, gratiosum ac saluberrimum arbitremur, quod sacram habemus Scripturam, quasi epistolam nobis a Deo directam, et ex ea verba non regis mortalis, sed Dei omnipotentis audimus. Ideo verbum Dei diligentissime audiamus, et memoriter ac obedientissime observemus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUOD ASSIMILARI DEO, EST OMNIS CREATÆ MENTIS PERFECTIO.

Ephes. v, 1. ESTOTE *imitatores Dei, sicut filii carissimi.* In epistola præsentis dominicæ.

Philosophi dicere solent, quod omne agens producit sibi simile; et rursus, quod agens intendit passum sive effectum sibi assimilare : propter quod dicunt, quod omnis effectus est quædam participata similitudo suæ causæ. Sic et juxta sacræ Scripturæ doctrinam, Deus creator universa ad aliquam sui assimilationem, hoc est ad aliqualem suæ bonitatis participationem, produxit, ita quod omne creatum suo creatori in aliquo assimilatur, sive in esse, sive in vivere, sive in aliis. Hinc omnis creatura dicitur quidam radius sui creatoris, qui est prima, supersplendidissima infinitaque lux. Porro, rationalem creaturam excellentiori ac speciali modo ad suæ bonitatis
Gen. i, 26, 27. participationem effecit, videlicet ad imaginem et similitudinem suam, ita ut contemplando, diligendo ac possidendo, capax est proprii creatoris, atque in multis virtuosis operibus ei conformare se potest, ipsumque imitari. Rectissime ergo hortatur in exordio epistolæ hodiernæ Apostolus, ut simus imitatores Dei. Quamvis etenim omnis homo quantum ad naturalia sua, sit ad Dei imaginem similitudinemque creatus, utputa quoad intellectum, B voluntatem, memoriam, non tamen sufficit ad salutem Deum in naturalibus harum potentiarum operationibus imitari ; nec assimilatio ista quantum ad dona naturæ, perfecta est, sed oportet eam per dona gratiæ perfici, atque in actibus caritatis aliarumque infusarum virtutum gratuitis ac meritoriis Creatorem altissimum imitari, et ei in talibus assimilari, ut diligatur ab ipso et ei beatifice uniatur. Similitudo namque est causa amoris ; et amor, unionis. Hinc, secundum doctores, C assimilari Deo, est omnis creatæ mentis perfectio.

Sed potest quis sciscitari, quomodo debeat homo velle Deo assimilari seu similis fieri, quum primus ille apostata, dicendo,
Similis ero Altissimo, meruerit in profun- Is. xiv, 14.
da dejici tartarorum. Et respondendum, quod velle Deo assimilari ordinate, est valde laudabile; sed velle ei assimilari inordinate, est summe vituperabile. Imo sicut ordinata Deo assimilatio est summa hominis perfectio, ita inordinata assimilatio D est maximum vitium. Sunt itaque aliqua in quibus velle Deo assimilari, est vitiosum. Aliqua namque conveniunt Deo ratione suæ majestatis et excellentiæ, utputa : dominari, præesse, non subesse, legem

præfigere, voluntatem pro libito sequi, A omnia scire, nullum peccatum inultum relinquere. (Job XXIV, 12.) In his non debemus Deum imitari velle. Imo in his volunt eum imitari superbi, ambitiosi, rebelles, et omnes inique agentes, quos propria et inordinata delectat libertas. Nihilo minus vicarii Dei, puta qui præsunt, Deum imitari debent in præsidendo, juste, pie ac sapientialiter se habendo et absque personarum acceptione procedendo, præcepta rationabilia subditis præfigendo atque eorum corrigendo excessus. Qui autem non præsunt, ad prælationem adspirare non debent, sed subesse et obedire velle, potius quam præcipere et præesse. Porro, aliqua Deo conveniunt ratione suæ bonitatis ac pietatis, caritatis, sapientiæ atque justitiæ : et in talibus Deum imitari debemus, ut simus proximis nostris benevoli, pii, proni ad dandum, liberales ad communicandum, ad opera misericordiæ prompti, et sapientes, inter bonum et malum, verum et falsum efficaciter discernentes. Unde ante hæc verba Apostolus ad Ephesios admonuit : Estote C invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. (Ephes. IV, 32.)

Maxime autem consistit hæc imitatio deiformis ac virtuosa in caritate perfecta, ut non solum amicos in Deo, sed inimicos quoque propter Deum spiritualiter diligamus, eisque benefaciamus pro posse, et pro ipsis cordialiter deprecemur. Per quod Dei filii adoptivi efficimur : filiorum namque est suis patribus conformari. Idcirco dixit Salvator : Diligite inimicos vestros, D benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. (Matth. V, 44, 45.) Qui utique impiis et ingratis multa bona largitur. Unde ibidem Christus adjecit : Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. (Ibid. 48.) Qui frequenter per Moysen dixit : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. (Lev. XI, 44, 45; XIX, 2, XX, 26.) Et denuo Moyses exhortatur : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. (Deut. XVIII, 13.) Deus quippe odit iniquitatem, et diligit (Ps. XLIV, 8.) sanctitatem : ideo servos suos vult esse absque peccato, et virtutibus decoratos. Si ergo ita egerimus, erimus «filii Dei carissimi». Incipientes namque sunt Dei filii cari, proficientes cariores, perfecti vero carissimi; vel dicitur homo Dei filius carus propter dona naturæ (diligit namque Deus cuncta quæ fecit), (Sap. XI, 25.) carior propter dona gratiæ, carissimus propter dona gloriæ, ad quæ est prædestinatus.

Itaque viri perfecti sunt filii Dei carissimi, quorum præcordia in bonitatis affe- B ctum, in zelum justitiæ sunt conversa, in virtutum amorem, in odium vitiorum firmiter transformata : qui non aliud quam justitiam esurire sitireque norunt, et zelo divini honoris succensi sunt, ac bonum commune et universorum salutem ardentissime concupiscunt, atque pro viribus laborant, pro his orando, prædicando, seu aliis modis, quatenus Deus omnipotens, sanctus et bonus, in omnibus et ab omnibus honoretur.

De talibus ait in Regula sua S. Hieronymus : Referam vobis quædam non minus imitanda quam audienda. Dum ergo per eremorum antra septem annis sanctos Patres visitarem, de quorum vita et moribus libellum compegi, nihil tam carum, tam studiosum appetebatur a monachis, quam quod in eis, qui juberet et præesset, posset inveniri. Profecto non tacebo tantam caritatem, tantam humilitatem, quam sanctæ illæ mentes habebant, ut hæc cernens, eremos putarem in paradisos esse conversas. Sic namque sanctorum illorum hominum corda caritas transformaverat in creaturas deificas, ut caro pene nescia fuerit carnis, licet per Joannem dicatur : Omne quod est in mundo, concupiscentia oculorum est, aut concupiscentia carnis, (I Joann. II, 16.) vel superbia vitæ. Nam sic simplicia atque humillima corda illa obedientiæ et humilitatis innitebantur vestigiis, ut quasi quorumdam philosophorum videretur in eis verificari opinio, qui unam solam ponebant animam in universis hominibus. Nam abbates et Patres nihil velle sciebant, nisi quod subditi; et subditi, antea conabantur

Patrum jussa implere quam erant emissa, A et quibusdam quasi vestigiis nitebantur et conjiciebant de voluntate mandantis. De talibus rursus scribit Hieronymus * in prologo primi voluminis * Vitaspatrum : Sunt ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, et caritatis vinculis, quasi quadam germanitate, constricti. Ad æmulationem vero virtutum ingens certamen exercent atque agones : studet enim unusquisque clementior altero, benignior, humilior ac patientior inveniri. Si quis autem sapientior ceteris fuerit, hic ita communis erga B omnes et mediocris consistit, ut secundum Christi mandatum, omnium servus ac minimus videatur.

* Rufinus

* libri secundi

Matth. xx, 26, 27.

Heu! quid nos pusilli, quid nos infracti et mali, nobis ipsis viventes, nondum salubriter mortificati, quid, inquam, ad ista dicemus, qui tam faciliter perturbamur, et omnem quam habere videbamur tranquillitatem ac devotionem, amittimus sive per impatientiam, sive per vanam lætitiam, sive per sæcularem tristitiam, sive C per alias in nobis passiones regnantes? Ubi est nostra professio? Ubi spiritualis profectus? Ubi perfectio monachalis? Erubescamus intra nos et coram Altissimo, imo et mutuo, qui toties passiones, vanitates et levitates nostras invicem demonstramus. Emendemus, et dignos pœnitentiæ fructus agamus; verbaque stulta, vana, inutilia, otiosa, scurrilia in tantum vitemus et abhorreamus, ut juxta doctrinam Apostoli in præsenti epistola, nec nominentur nec audiantur in nobis : corrumpunt etenim mores bonos colloquia mala. Nec unquam obliviscamur quod sanctus pater Benedictus ait in Regula : Scurrilitates et verba otiosa in risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium aperire discipulum os non permittimus.

Ephes. v, 3, 4.

I *Cor.* xv, 33.

Talia ergo vitemus, et juxta Apostolum, gratiarum actio inter nos resonet, vel Dei beneficia recolamus et ei humiliter regratiemur. Nec gratiam una hora adeptam, alia per nostras dissolutiones, passiones negligentiasque perdamus : imo proficiendi studio quotidie validius inflammemur.

Ephes. v, 4.

SERMO SEXTUS

DE DILECTIONE ET VERA AMICITIA, ET QUAM UTILIS SIT ILLA.

Ephes. v, 2.

AMBULATE in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. In hodierna D epistola.

Quum caritas sit omnium virtutum regina, mater ac finis et vita, sine qua nulla actio est spiritualiter viva, meritoria et Deo accepta; idcirco Scriptura ad caritatem uberrime nos hortatur : siquidem ea præsente, omnia ad salutem necessaria adsunt; ea deficiente, nil meritorium inest. Hinc ait Apostolus : Finis præcepti, id est omnium divinorum præceptorum, est caritas, hoc est actio caritatis, videlicet spiritualis dilectio actualis, procedens de corde puro a mortali peccato, quod cum caritate stare non potest, et conscientia bona, non habente remorsum culpæ mortalis, et fide non ficta, sed vere catholica. Nec solum admonet nos Scriptura ad caritatem, sed etiam ad caritatem perfectam ac christiformem, qualem habuit Dominus Jesus Christus. Sic quippe nunc ait Apostolus : Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Hoc ipsum in Evangelio ait Salvator : Hoc est (inquiens) præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Quemadmodum ergo Christus animam suam,

I *Tim.* I, 5.

Joann. xv, 12.

hoc est vitam, pro nostra salute exposuit morti, ita et nos pro Christo, pro ejus gloria et honore, pro suæ fidei defensione, vitam nostram debemus exponere : nec solum pro Christo, sed etiam pro fratribus ac proximis nostris in certo casu, ita ut occidi ac mori simus parati ne pereat anima proximi nostri. Unde in prima Joannis epistola fertur : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. *I Joann.* III, 16.

Deinceps non solum dilectio, sed et ordo diligendi sub divino cadit præcepto. Quatuor namque sunt ex caritate amanda ordine justo ac debito, utputa, Deus, ipsemet homo, et proximus, ac proprium corpus : ita ut Deum super omnia primo ac maxime, imo ac incomparabiliter diligamus, etiam amplius quam nos ipsos, eo quod ipse sit pura infinitaque bonitas; deinde nos ipsos, quia ut ait Salvator, Quid proficit homo, si universum mundum lucretur, se ipsum autem perdat? tertio proximos; quarto proprium corpus : sicque vita corporalis postponenda est fraternæ saluti. Multum ergo distant a caritate, qui proximum suum scandalizare ac perturbare non verentur, quem in tantum diligere obligantur, ut malint occidi quam illum perire. *Luc.* IX, 25.

Præterea dilectio dicitur major dupliciter : primo, intensive, videlicet quantum ad amoris fervorem; secundo, appretiative, videlicet quoad dignificationem et electionem dilecti, ita ut alia malit quis perdere, quam dilectum. Quamvis itaque non obligemur Deum præ omnibus incomparabiliter diligere intensive, tamen appretiative tenemur eum ita amare, ita quod malit quilibet nostrum non solum propriam vitam et cuncta quæ habet, sed et cuncta creata si sua consisterent, quam Deum, amittere. Idcirco, secundum Augustinum, minima caritas est major quam maxima ac summa cupiditas, quia quicumque vere ex caritate diligit Deum, plus diligit eum quam quicumque cupidissimus totum mundum : siquidem incomparabiliter Deum appretiatur, et præ cunctis ei adhæret. Hinc omnis mortaliter peccans, vehementer Deum vilipendit et aspernatur, quoniam ei præponit se ipsum, et propriam voluptatem, et vana quæ appetit; specialiter vero avari, ambitiosi, lascivi, qui pro lucro terreno, pro temporali honore, pro delectatione immunda, Deum relinquunt, mentiendo, false jurando, dolose agendo, aut alio modo, enormiter damnabiliterque despiciunt ipsum. Quum ergo talis ac tanta virtus sit caritas, eam tanquam pupillam oculi, tanquam thesaurum carissimum, tanquam pretiosissimum prorsus clenodium, semper custodiamus. Quidquid contrarium aut minorativum est ejus, jugiter exsecremur; et omne quod nutrit ac perficit eam, incessabiliter amplectamur.

Denique, prout Cassianus ex ore sancti anachoretæ beati abbatis Joseph nos instruit, ad proficiendum in caritate non mediocriter juvat habere aliquem fidelem ac specialem amicum cum quo spiritualis inviolabilisque amicitia habeatur, quatenus se invicem caritative ac ferventer hortentur, corripiant, instruant, consolentur, et omni modo eis possibili se mutuo adjuvent ad spiritualem profectum, ad veram salutem. Et huic doctrinæ consonat sacra Scriptura, quum Salomon protestetur : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. *Prov.* XVIII, 19. Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. Unus quomodo calefiet? Et si duo fuerint simul, mutuo fovebuntur. *Eccle.* IV, 10, 11. Homo etenim naturaliter est animal sociale, civile; et sæpe unus perpendit in alio quod alius non advertit. Multisque modis est homo res indigens et a proximo juvamen recipiens. Idcirco in Ecclesiastico asseritur : Amicus fidelis, protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum. *Eccli.* VI, 14-16. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum.

Denique caritas haberi potest et debet etiam ad inimicos ; amicitia vero quum relationem includat, non nisi ad amicum et amatorem habetur. Et sicut diversæ species sunt amoris, ita et amicitiæ, quæ in amore fundatur, et in similitudine aliqua, atque in aliquo bono. Et sicut non est vera ac spiritualis dilectio nisi quæ fundatur in bono honesto seu communione laudabili, sic illa sola est amicitia vera, quæ in conformitate sancti propositi, et parilitate laudabilis vitæ, et similitudine radicatur virtutum, non in carnis propinquitate, aut munerum largitione, aut carnali delectamento, privatove commodo, aut societate humana. Quæ enim in talibus fundantur dilectiones ac amicitiæ, facile corrumpuntur, remittuntur ac pereunt, videlicet, per locorum distantiam, per donorum cessationem, per oblivionem et offensionem : deficientibus namque causis suis, deficiunt. Vera autem amicitia in bono virtutis fundata, stabilis manet, nec locorum distantia aut munerum vel collocutionis cessatione aufertur, quæ a Spiritu Sancto, qui est indeficiens causa, nutritur et conservatur. Hinc sanctus ait Hieronymus : Vera illa amicitia est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non palpans et subdola adulatio, sed Dei timor et divinarum studia Scripturarum conciliant. Isidorus quoque : Non sunt (inquit) fideles in amicitia, quos munus, non gratia, copulat; dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur. Verum, ut Cassiodorus ait, qui vere amicus est, omni tempore diligit : tormentum non separat, labor non lassat, thesaurus non superat, alienus labor non occupat. Insuper, prout abbas Joseph disseruit, amicitia ista spiritualis et sancta, non nisi inter perfectos seu notabiliter virtuosos invenitur; in ceteris autem cito dissolvitur, sive ex parte amborum, sive ex parte unius, qui scilicet in virtutum processu non crescit.

Prov. XVII, 17.

Ad conservandam autem hanc amicitiam inviolate, primo oportet inordinatum ad temporalia exstirpare affectum, ne propter exteriora aliqua oriatur inter amicos dissensio : imo ipsi amicitiæ nil præponatur. Secundo oportet proprias rescindere voluntates, nec esse immansivum in proprio sensu, nec propriam sententiam aut opinionem contentiose defendere, ne sit quis sapiens in propriis oculis ; tertio, iram prorsus abjicere; quarto, iram fratris contra se injuste conceptam pro posse curare, ac si ipsum realiter offendisset, sciens sibi æqualiter esse perniciosam alterius commotionem, ac si ipse contra alium moveatur, nisi illam quantum in se est, de fratris corde depulerit. Aliqui vero sunt qui sua taciturnitate, aut irrisorio motu aut gestu, fratres suos gravius contra se concitant : quod vehementer exstat culpabile. De hac autem materia abbas Joseph multa pulchra disseruit, quæ infra Deo agente poterunt introduci.

Sit ergo inter nos amicitia vera. Specialis vero et familiaris amicitia quæ cum fratre habetur, sic caute et moderate habeatur cum illo, ne sit pusillis occasio scandali, et ne in carnalitatem aliquam convertatur. Sed taliter se amantes, ad spiritualem profectum se assidue inflamment; et unusquisque alium propter illius bonum, non ob commodum proprium, diligat.

Postremo, sunt aliqui qui non spirituali, sed carnali ac sæculari amicitia in cœnobio connectuntur, ex qua partialitates inducunt; et unus alium fovet in malis, ac contra aliquem forsitan contendentem non caritative redarguit, sed contendendo juvat ac protegit : quod totum perversum est, et carnale ac diabolicum potius.

Constat quoque ex dictis, quam detestabile crimen sit seminatio discordiæ : quæ tanto comprobatur enormior, quanto amicitia est virtus et bonitas major. Optime ergo locutus est Tullius : Hæc lex in amicitia observatur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Idcirco a familiari et dilecto amico nihil indecens

postulemus, nec propter eum tale quid A peragamus, nec alicujus inimici efficiamur : imo si aliquid a nobis petit illicitum, informemus et increpemus eumdem. Hinc etenim et in Ecclesiastico scriptum est : Noli pro amico inimicus fieri proximo. Eccli. VI, 1. Unde si dilectus et familiaris amicus tuus cum aliquo videtur habere discordiam, satage pro concordatione et pacificatione inter eos.

SERMO SEPTIMUS

DE PERVERSORUM COENOBITARUM AD CÆCUM ET MUTUM DÆMONIACUM COMPARATIONE, ET QUO PACTO CURARI DEBEANT.

Luc. XI, 28. BEATI *qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* B In evangelio hodierno.

Evangelium præsentis diei, sacris mysteriis salutaribusque doctrinis plenissimum est. Ibid. 14. Itaque Evangelista testante, Dominus Jesus dæmoniacum ex dæmonis operatione mutum effectum curavit, ita quod ejecto dæmonio, facultatem recepit loquendi : Matth. XII, 22. qui etiam, ut in Matthæo legitur, cæcus fuit. Dæmonium vero illud dicitur mutum fuisse ratione sui effectus, quia obsessum effecit mutum. Porro quicumque mortali subjacet culpæ, a dæmone obsidetur et C possidetur, et miserabiliter hinc inde movetur. Itaque per hunc obsessum, rite intelligitur carnalis, seu rebellis, aut quicumque perversus religiosus, præsertim induratus et pertinax. Qui spiritualiter mutus est, quoniam quidquid ei salubre a superioribus aut fratribus suis dicatur, aures cordis ejus nequaquam ingreditur, secundum quod Christus dixit quibusdam : Joann. VIII, 37. Sermo meus non capit in vobis. Et Salomon ait : Prov. XVIII, 3. Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Talis quo- D que spiritualiter cæcus est, quia gravissima animæ suæ non intuetur pericula, juxta illud : Sap. II, 21. Excæcavit eos malitia eorum. Talis ergo incorrigibilis, a superiori suo ac fratribus spiritualiter Christo est adducendus, ut pro ipso invocent Salvatorem, et ei tam morbidi fratris vulnera fateantur ac detegant, quatenus cœlestis medicus ea dignetur sanare, fratrem de sua duritia, excæcatione, surditate eripiendo, ejusque mentem emolliendo, illustrando ac excitando. Si itaque aliquis videatur multum perversus, durus, rebellis, incorrigibilis, non protinus desperetur, sed oretur pro eo ardenter.

Subinde videat quilibet nostrum ne a dæmonio mutus reddatur, hoc est, ne in divino Officio ad somnolentiam inducatur, ne piger aut acediosus effectus, taceat a laudibus Creatoris, aut remisse atque insipide cantet; ne etiam cæcus fiat a dæmone, ne scilicet ad iram aut impatientiam sive superbiam moveatur, sicque operetur stultitiam, impetuose et turbulenter ac inexemplariter se habendo, in tantum quod personaliter non advertat, quum tamen consideretur ab omnibus, eo quod oculus sui cordis, impetu iræ aut impatientiæ, aut animositatis obtenebretur caligine. Unde de se ipso recte non judicat, sed passione durante, omnia sibi licita arbitratur : quemadmodum stans in fumo aut nebula, clare nequit videre. Talis gravis est ad portandum, quemadmodum Salomon loquitur : Impetum concitati spiritus quis poterit sustinere? Prov. XXVII, 4. Studeat ergo unusquisque implere quod ait Scriptura, Fili, in mansuetudine opera tua fac, et super omnem hominum gloriam diligeris; Eccli. III, 19. et quod ait Apostolus, Omnia decenter et secundum ordinem fiant in vobis ; I Cor. XIV, 40. itemque, Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. Ephes. IV, 31.

Insuper, ut Evangelistæ testantur, Pharisæi miraculosa et benignissima opera Salvatoris, ex sua perversitate atque invidia adscripserunt diabolo, asserentes : *Luc. xi, 15.* In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones. Horum nequissimorum Pharisæorum malignitatem sequuntur quidam perversi religiosi ad temeraria judicia proni, et bona aliorum impie pervertentes, ac dubia interpretantes in pejus, qui bonum quod in se ipsis non habent, malunt in alio vituperare quam honorare : in quo suam insipientiam malitiamque ostendunt. Præterea, bonæ indolis Fratres, pii, caritativi, timorati ac dociles, opposito modo se habent, et quod in se ipsis non cernunt, laudant, mirantur et honorant in aliis : per quod participes fiunt bonorum quæ fiunt per alios, illorumque gratiam ab Altissimo adipisci merentur. Idcirco fratrum nostrorum profectui ac gratiæ cordialiter congratulemur, nec opera Spiritus Sancti attribuamus dæmoniis, nec ad judicandum *I Cor. ii, 11.* de aliis simus præcipites. Quis enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus homi- *Rom. ii, 1.* nis ? Apostolus quoque testatur : Inexcusabilis es, o homo qui judicas. Unde loquitur Augustinus : Quum quisque de se ipso aut non aut vix veram possit proferre sententiam, quomodo potest judicare de alio? Dubia quoque interpretemur in melius ; et mundam custodiat unusquisque conscientiam suam circa proximos suos, ne circa illos se habeat inordinate, judicando, suspicando, indignando, vilipendendo, deridendo, obloquendo, persequendo, aut alio modo. O quam magnum, quam salubre, quam perfectum est hoc ! Vere, ut sanctissimus abbas Pambo asseruit, majus est hoc quam biduo aut triduo abstinere, et de labore manuum vivere, atque quod superest pauperibus erogare : hoc quippe est se a suo proximo vere ac salubriter mortificare.

Præterea, ex Christi responsione dicen- *Luc. xi, 17.* tis, Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, docemur quam magnum bonum sit vera concordia, mutua pax, unanimitas Fratrum, quam magnum etiam

A malum sit discordia, dissensio, contentio, partialitas, aversio. Unde et sanctus fatetur Hieronymus, quod et ante eum dixit Sallustius : Concordia res parvæ crescunt, id est proficiunt ; discordia vero res maximæ dilabuntur. Sit ergo semper in nobis salubris concordia tranquillitasque interna, ut unanimes simus in bono. Nec tamen consentiamus alicui in peccato. Si vero aliquis sit insolens, indiscretus aut turbulentus, eum patienter feramus, condoleamusque ei, et oremus pro ipso : qui

B nihilo minus caritative est corripiendus, instruendus, imo et juste corrigendus a præsidente. Et quoniam inter superbos *Prov. xiii, 10.* semper sunt jurgia, et inter pertinaces, duros ac iracundos, studeamus humiles, dociles, pii ac mites consistere, ac mutuo cedere, honore invicem prævenire, per *Rom. xii, 10.* caritatem mutuo obsequi : solliciti servare *Ephes. iv, 3.* unitatem spiritus in vinculo pacis, quatenus angeli pacis delectentur esse nobiscum, et Deus, qui facit concordiam in *Job xxv, 2.* sublimibus suis, per gratiam abundantem

C commoretur in medio nostri, qui et inha- *Ps. lxvii, 7.* bitare facit unius moris in domo. Christus quoque in Evangelio : Pacem (inquit) ha- *Marc. ix, 49.* bete inter vos. Ad quod uberrime nos hortatur Apostolus : Unanimes (inquiens) uno *Rom. xv, 6.* ore laudetis Deum. Et rursus affectuosissime loquitur : Si qua consolatio est in Chri- *Philipp. ii, 1, 2.* sto, si quod solatium caritatis, si qua societas Spiritus Sancti, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes.

Ecce quam necessarium, quam salu-

D berrimum judicavit beatissimus Paulus habere ad invicem veram concordiam. Qui etiam volens nos scire quam detestabile malum sit discordia, dicit quibusdam : Quum sit inter vos zelus et conten- *I Cor. iii, 3.* tio, nonne carnales estis ? Jacobus quoque apostolus hoc ipsum acrius ac terribilius exprimit, loquens : Si zelum amarum ha- *Jacob. iii, 14-16.* betis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem ; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, et animalis, et dia-

bolica : ubi enim zelus et contentio, ibi A inconstantia et omne opus pravum. Nescio quid horribilius dici potest. Timeat ergo, verecundetur et se emendet religiosus discordiæ, dissensioni, contentioni, partialitati deserviens : præsertim quia ut sancti Patres fatentur, quemadmodum pacifici (*Matth.* v, 9.) sunt filii Dei, ita discordes et turbatores filii sunt diaboli. Propterea scribit Gregorius : Discordes tamdiu nullum boni operis sacrificium Deo immolant, quamdiu a proximorum caritate discordant. Hinc sacerdotibus qui Sacramentum caritatis, unita- B tis ac pacis jugiter consecrant, tractant ac offerunt Deo Patri, omnis discordia est summe vitanda, omnisque concordia desiderantissime amplectenda. Juvemus ergo nos mutuo contra hostes nostræ salutis, quoniam ipsi male concordes sunt ut nos impugnent, perturbent, spiritualiter perimant, ad æternalia quoque trahant tormenta.

Insuper istud nobis pernecessarium est, quia ut in evangelio hodierno tangit Salvator, adversarius noster diabolus vocatur C et est fortis armatus : imo ut in Job habe- (*Luc.* xi, 21.) tur, Non est potestas super terram quæ (*Job* xli, 24.) comparetur ei. Qui armatus est multiformi astutia, calliditate nequissima, experientia diuturna, naturali industria, potestate ingenti, scientia naturali : quia ut divinus Dionysius contestatur, naturalia in ipso (De Divin. nom. c. iv.) integra permanserunt. Armatus est etiam acie nequitiarum ac laqueorum, ac malignorum spirituum sibi subservientium. Hinc, secundum Hieronymum, non debemus esse securi, quoniam hostis noster, D victoris quoque, videlicet Christi, voce fortis vocatur : imo si torpore et ignavia relaxamur, stolidissimi sumus. Ideo indesinenter custoditi, timorati atque ad spiritualia prælia simus parati, in Deo solo sperantes, ejus adjutorio jugiter innitentes, et illud fideliter invocantes ; et tunc indubitanter desuper protegemur, cunctisque hostibus erimus fortiores in eo qui nos confortat adjutore omnipotente, secun- (*Philipp.* iv, 13.) dum illud : Qui habitat in adjutorio Altis- (*Ps.* xc, 1.) simi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Præterea, quia in evangelio isto ait Salvator, Qui non est mecum, adversum (*Luc.* xi, 23.) me est, et qui non colligit mecum, dispergit ; conemur Christi mandatis et consiliis consentire, ejus voluntati nos conformare, et cum ipso colligere, id est proximos ad Deum convertere, exemplariter conversando, orando, et tempore opportuno verba exhortationis, fraternæ correptionis, fervidæ sermocinationis loquendo. Qui autem alios scandalizant, et sibi male alliciunt, ac tentationibus suis involvunt, qui detrahunt, susurrant, pravisque practicis occupantur, nequaquam cum Domino colligunt, sed cum principe tenebrarum, æmulo animarum, dispergere comprobantur. Quod longe a nobis sit in æternum et ultra.

Amplius diligentissime caveamus semper a recidivo, eo quod vulnera renovata sint graviora. Unde in evangelio isto docet nos Filius Dei, quemadmodum diabolus ab homine pœnitente egressus, ad eumdem revertitur, rursus eum tentando : contra quem si prævaluerit, introducit (*Ibid.* 26.) secum spiritus septem se nequiores ; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

Postremo, quoniam Christo testante, bea- (*Ibid.* 28.) ti sunt qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, nos qui verbum Dei die ac nocte copiose audimus, avide illud accipiamus : et tanto avidius quanto frequentius. Nec ex assiduitate et usu audiendi nobis vilescat, insipidum fiat, infructuosum reddatur ; sed tanquam pretiosissimum carissimumque thesaurum id nostris in cordibus conservemus, recordemur, et secundum illud conversari conemur, sicut Propheta loquitur Deo : In corde meo (*Ps.* cxviii, 11.) abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi ; itemque, Quam dulcia faucibus meis (*Ibid.* 103.) eloquia tua ! super mel ori meo. Ipsi omnipotenti ac supergloriosissimo Deo omnis honor et gloria per sæcula infinita. Amen.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SCRIPTUM EST, QUONIAM ABRAHAM DUOS FILIOS HABUIT, ETC. Galat. IV, 22-31.

ECCLESIA, in dominica ista, quæ me- A dium appellatur jejunii, filios suos spiritualiter consolari roborareque volens, ne in pœnitentiæ ac abstinentiæ actibus atque laboribus fatigati deficiant, cantu spirituali jucunditate pleno in ecclesiastico utitur Officio. Idcirco et ista epistola hodie congrue legitur, quia in ea Ecclesiæ eminentia declaratur, et ad veram atque internam libertatem invitamur, ut scilicet a jugo diaboli et servitute peccati abstracti, Deo sinceriter simus subjecti. Specialiter vero intendit Apostolus in ista probare B epistola, quod fideles tempore evangelicæ legis non obligantur ad observantiam legis Mosaicæ quantum ad cærimonialia et judicialia ejus præcepta : cujus oppositum multi dixerunt hæretici. Ait ergo Apostolus :

Scriptum est in diversis capitulis libri Genesis, *quoniam Abraham duos filios habuit : unum,* scilicet Ismaelem, *de ancilla,* Gen. xvi, 1 et seq. id est de Agar Ægyptia : quæ ante fuit ancilla Abrahæ et conjugis suæ Saræ ; sed Sara videns se sterilem esse, persuasit C Abrahæ ut ingrederetur ad Agar. Verumtamen accepit eam in conjugem antequam eam cognovit, alias adulterium incurrisset. Ibid. xxx, 3 et seq ; xxxii, 22. Simili modo in Genesi quatuor filii Jacob vocantur filii ancillarum, videlicet Zelphæ et Balæ : quæ tamen fuerunt uxores Jacob. Ibid. xxi, 2, 3. *Et unum,* scilicet Isaac patriarcham, habuit *de libera,* utpote Sara : quæ nunquam fuit ancilla Abrahæ, quamvis eum appellaverit dominum, eo modo quo uxores vi- Gen. xviii, 12. ros suos communiter dominos vocant, quoniam quantum ad aliqua, vir est caput Ephes. v, 23. conjugis, et superior ea. Interea agnoscendum, quod sicut in Genesi habetur, post Gen. xxv, 1, 2. obitum Saræ Abraham aliam duxit uxorem, habuitque ex ea multos filios. Apostolus tamen de istis duobus filiis solum efficit mentionem, quoniam ceteris principaliores ac famosiores fuerunt, et magis ad propositum faciunt, quia per eos figuratum est quod Apostolus nunc probare intendit. *Sed qui de ancilla* fuit, videlicet Ismael, *secundum carnem natus est,* id est secundum naturalem propagationem, absque miraculo. Quamvis etenim Abraham fuerat senex, poterat tamen de juvencula naturaliter generare. *Qui autem de libera* fuit, scilicet Isaac, *per repromissionem,* id est, ex prævia ac repetita Dei pro- Ibid. xv, 4 ; xvii, 19. missione, miraculosaque operatione virtutis divinæ, natus est. Sara quippe duplex habuit impedimentum fecunditatis : unum, quia ex naturali sua dispositione fuit ste- Ibid. xi, 30 ; xvii, 17 ; xviii, 11. rilis ; aliud ratione ætatis, nam vetula fuit, utpote nonagenaria, et desierant ei fieri muliebria.

Quæ sunt per allegoriam dicta, id est, ista de duobus his filiis introducta mysticam habent significationem, quia ex sensu litterali datur intelligi quid debeat credi. Allegoria etenim docet quid sit credendum ; tropologia, quid agendum ; anagogia, quid in patria sit sperandum. *Hæc enim*

sunt duo Testamenta, hoc est, ea quæ de ancilla ista ac libera earumque filiis dicta sunt, significant vetus ac novum Testamentum. *Unum quidem,* videlicet vetus Testamentum, *in monte Sina* datum a Deo [*Exod.* xix et seq.] per Moysen, ut patet in Exodo. Sina autem et Sinai idem significant. *In servitutem generans :* id est, vetus Testamentum Judæos servituti legalium fuit subjiciens : [*Act.* xv, 10.] quæ servitus fuit importabile onus, sed duræ Judæorum cervici convenienter impositum. Fuit quoque Testamentum hoc « in servitutem generans », quia timore temporalium pœnarum et propter temporalia promissa fecit Judæos Deo servire. *Quæ est Agar,* hoc est, quæ servitus est per Agar ancillam figuraliter designata : servi etenim et ancillæ serviunt ex timore. *Sina enim mons est in Arabia* minori situatus ; *qui* mons *conjunctus est,* non loco, sed allegorica significatione, *ei quæ nunc est Jerusalem,* id est terrenæ Synagogæ, quæ in Jerusalem tempore Apostoli fuit. Quam Synagogam ejusque servitutem mons Sinai designavit ; et servitus illa legalis in Jerusalem viguit. *Et servit cum filiis suis,* hoc est, Synagoga cum membris et suppositis suis servit Deo servili timore : non quod in veteri Testamento non fuerint aliqui qui Deo ex caritate et filiali timore servierunt, sed quoniam tales comparatione aliorum admodum pauci fuerunt, et quoniam lex ipsa Mosaica sæpissime pœnas transgressoribus minabatur.

Illa autem quæ sursum est Jerusalem, id est Ecclesia militans, ex gentibus potissimum congregata : quæ dicitur « sursum », quia per contemplationem, caritatem et spem, ad Deum erigitur, et nunc per inchoationem angelicæ conversationis in cœlestibus demoratur, juxta illud Apostoli, [*Philipp.* iii, 20.] Nostra conversatio in cœlis est ; prædicat quoque et promittit bona cœlestia, secundum quod ait Apostolus, [*Coloss.* iii, 1, 2.] Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram ; *libera est* a servitute legali, quia ad observantiam legis veteris non tenetur ; libera quoque est a servitute diaboli et peccati, et a timore servili, quia per caritatem libere ac sponte servit Deo. *Quæ* Ecclesia *est mater nostra,* quia in Baptismo regeneravit nos Christo. Ecclesia etiam est mater credentium, quoniam instruit, regit et maternaliter fovet eos.

Denique, quod Ecclesia mater sit nostra, probat oraculo Isaiæ. *Scriptum est enim* apud Isaiam : *Lætare, sterilis,* cordialiter [*Is.* liv, 1.] in Deo, *quæ non paris,* id est, tu, gentilitas seu plebs gentilis, quæ tempore veteris Testamenti fueras a bonis et spiritualibus operibus infecunda atque idololatriæ dedita. Nam etsi quidam gentilium boni et electi fuerunt, ut Job, paucissimi tamen [*Job* i, 1.] fuerunt. *Erumpe et clama,** hoc est, ex interiori affectu et gaudio in exteriorem [* *quæ non parturis.*] Dei laudem et gratiarum actionem ac exsultationem exsurge. Ex abundantia enim [*Matth.* xii, 34.] cordis os loquitur. Propter quod ait Psalmista : [*Ps.* lxxxiii, 3.] Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. *Quia multi filii desertæ,* id est, copiosi sunt filii Ecclesiæ ex gentilitate collectæ, quæ olim fuit a Deo relicta, *magis quam ejus quæ habet virum,* id est quam Synagogæ, quæ tempore cursus veteris Testamenti habuit sponsum cœlestem, videlicet Deum, cui in legis susceptione fuerat desponsata. Unde et in Jeremia scriptum est : Non fuit Is- [*Jer.* li, 5.] rael viduatus a Deo suo. Certum est autem Ecclesiam numero meritoque fidelium excedere Synagogam. *Nos autem* Christifideles electi, *fratres, secundum Isaac,* hoc est juxta typum et similitudinem Isaac, *promissionis,* id est cœlestis benedictionis et spiritualis regenerationis, *filii sumus,* quia ex aqua et Spiritu renascimur, grati- [*Joann.* iii, 5.] amque cœlestis beatitudinis obtinemus. Sic ergo per Isaac designatur Ecclesia Christi.

Sed quomodo tunc, id est sicut tempore Abrahæ, *is qui secundum carnem natus fuerat,* id est Ismael, naturali virtute ac ordine genitus, *persequebatur eum qui secundum spiritum,* id est per repromissionem et supernaturalem virtutem, fuerat natus, videlicet ipsum Isaac. Ut enim in Genesi habetur, Ismael lusit cum Isaac. [*Gen.* xxi, 9.]

Quem ludum exponunt Hebræi, quod co- A nabatur sanctum Isaac inducere ad adorationem imaginum lutearum quas ipsemet Ismael fecit. Alii dicunt, quod sub specie ludi sæpenumero læsit Isaac puerum, quia senior et fortior eo fuit, eratque ferox puer, sicut de ipso angelus prænuntiavit :
Gen. XVI, 12. Erit (inquiens) ferus homo. *Ita et nunc :* quia tempore Pauli apostoli, infideles Judæi, et pseudoapostoli, ac tyranni atque
Joann. I, 13. hæretici, secundum carnem ex sanguinibus nati, persequebantur Christianos ex Deo natos, in quibus permanet semen Dei, B
II Tim. III, 12. id est verbum ac gratia Christi. Nam omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur.

Porro contra hanc persecutionem justorum subjungit Apostolus idoneam consolationem. *Sed quid dicit scriptura* Geneseos? Et respondet : *Ejice ancillam et filium ejus : non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Ista fuerunt verba Saræ ad Abraham. Siquidem viso ludo malitioso Ismaelis cum filio suo Isaac, di-
Gen. XXI, 10. xit marito : Ejice, id est, de domo expel- C le, ancillam hanc Agar, et filium ejus Ismaelem : non enim heres erit Ismael cum Isaac. Hoc ad litteram sic factum est. Per quod spiritualiter figurabatur, quod Synagoga incredula et legalis observantia essent tempore evangelicæ legis ab Ecclesia ejiciendæ seu relinquendæ.

Itaque, fratres, non sumus ancillæ, id est Synagogæ, seu legalis observantiæ, *filii, sed liberæ,* hoc est militantis Ecclesiæ libertatisque christianæ : *qua libertate,* id est per cujus libertatis communicationem seu collationem, *Christus nos liberavit* formaliter, sicut per gratiam salvat : liberavit nos, inquam, ab onere legis, a jugo iniquitatis, a dominio dæmonis. Ideo ipse ait : Si Filius vos liberaverit, vere liberi Joann. VIII, 36.
eritis. Unde, secundum Glossam, hæc libertas est peccatorum remissio, et fidei per dilectionem operantis justificatio. Vel sic : « sumus filii liberæ », id est Ecclesiæ, libertate dilectionis, ut sponte et caritative atque hilariter, non serviliter, formidolose, coacte, Deo et Ecclesiæ obtemperemus : « qua », id est quali, « libertate » in Christi anima exsistente, « Christus nos liberavit » efficienter sua beatissima passione. Christus namque mera caritate, ac spontanea libertate ad caritatem pertinente, pro nobis est passus, juxta illud Isaiæ : Oblatus Is. LIII, 7.
est quia voluit. Propter quod instante passione ad Petrum dixit : An putas quia non Matth. XXVI, 53.
possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ?

SERMO PRIMUS

PER JERUSALEM ALLEGORICE DESIGNARI ECCLESIAM MILITANTEM ; ET QUID VERÆ VIRTUTES OPERENTUR IN ANIMA.

ILLA *quæ sursum est Jerusalem, libera* D *est.* Galat. IV, 26.

Per Jerusalem litteraliter significatur civitas illa terrena metropolis in Judæa : quæ non exstitit libera, sed observantiis legalibus subdita, imo et variis atque gra-
Ezech. XXIII; Threr. I. vissimis subjecta peccatis, sicut in Ezechiele et Jeremia describitur. Cui et Christus in Evangelio loquitur : Jerusalem, Jerusa- Matth. XXIII, 37.
lem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt. Porro per Jerusalem allegorice designatur Ecclesia militans : quæ spirituali libertate ornata est, quia ad Mosaicæ observantiam legis non obligatur, et per Christum a jugo diaboli ac servitute peccati erepta est. Verum-

tamen Ecclesia militans in vita præsenti perfectam libertatem non habet. In primis enim exteriorem ac corporalem servitutem patitur in sæculo isto, siquidem principibus et potestatibus sæcularibus christianus populus obedire tenetur, sicut ait Salvator : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. (*Matth.* xxii, 21.) Apostolus quoque : Omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit. (*Rom.* xiii, 1.) Secundo, Ecclesia militans in præsenti tentationibus innumerabilibus malignorum spirituum est exposita, et electi ac virtuosi tam ab invisibilibus quam a visibilibus hostibus tribulantur, prout scriptum est : Multæ tribulationes justorum; (*Ps.* xxxiii, 20.) et item, Tentatio est vita hominis super terram. (*Job* vii, 1.) Tertio, Ecclesia militans in membris et suppositis seu filiis suis quotidie diversis peccatis subjicitur, ita quod multi vitiis tentationibusque succumbunt, in tantum quod Ecclesia jam undique per omnes gradus et status seu ordines suos lamentabiliter lapsa ac deformata conspicitur. Idcirco libertas Ecclesiæ militantis in vita præsenti non est perfecta, quia tot malis pœnæ ac culpæ subjicitur.

Præterea per Jerusalem tropologice designatur anima contemplativa, in qua pacis est visio, id est cœlestis felicitatis ac pacis divinæ contemplatio : quæ etiam dicitur libera, sicut Ecclesia militans, quamdiu permanet in caritate et gratia. Porro per Jerusalem anagogice designatur triumphans Ecclesia : quæ habitatione, felicitate et gloria « sursum est », atque perfecta pollet gaudetque libertate, quoniam peccare non potest, nec tribulationibus tentationibusve subjecta est, sed Deo creatori liberrime atque promptissime subditur.

Insuper, juxta doctrinam Apostoli, hi qui secundum carnem nati sunt, utpote increduli et perversi, eos qui secundum spiritum nati sunt, hoc est electos et virtuosos, jam multipliciter persequuntur verbis et factis. Si ergo, o Christiane, vis esse de numero electorum, non renuas sustinere persecutiones malorum. Teste

A namque Gregorio, Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet. Impii etenim et perversi sunt flagellum et virga Dei, per quos in vita præsenti corrigit et emundat suos electos. Tota quoque Ecclesia est unum mysticum corpus, in quo homines vitiosi sunt quasi humores mali : unde sicut in corpore naturali sunt humores superflui naturam gravantes et membra vexantes, ita in Ecclesia sunt iniqui qui bonos tribulant et molestant. Sed propter hoc boni nequaquam debent locum suum B ac caput, id est Ecclesiam ac Christum, relinquere, sed in vera caritate et patientia immobiliter perseverare, et contentari ac gratias agere de providentia Dei circa se.

Postremo, juxta apostolicum documentum, simus filii veræ spiritualisque libertatis, ne vitiorum vinculis constringamur, secundum quod in Proverbiis habetur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. (*Prov.* v, 22.) Qui enim in mortali est culpa, ita propria C iniquitate constringitur, quod sub dæmonis jugo atque obsequio detinetur; neque se ipsum ad opera virtuosa extendere valet, quamdiu hujusmodi est.

Ecce quanta mala facit homini mortale peccatum, et quanta bona facit homini virtus infusa. Peccatum namque mortale separat hominem a Deo et a Christo, atque incorporat eum diabolo : sicque facit peccatorem Deo odibilem, turpem ac vilem, spiritualiter mortuum et propriis iniquitatibus compeditum. Virtus autem infusa, D seu caritas vel gratia, contrarios habet effectus. Primo enim peccatum tollit ab anima : per quod liberat eam a morte spirituali. Secundo conjungit et conformat animam Deo. Quum enim Deus sit caritas et sapientia, certum est quod per caritatem et sapientiam anima Deo uniatur et conformetur. Similiter, quum Deus sit sanctitas ac summa perfectio, per sanctitatem ac perfectionem anima ei unitur ac assimilatur. Rursus, quum Deo proprium sit misereri ac parcere, per misericordiam ac

pietatem Deo valde assimilatur anima. Ter- A
tio facit hominem Deo amabilem, secun-
Ps. CXLV, 8. dum illud Psalmi : Dominus diligit justos.
Osee XIV, 5. Unde in Osee ait : Diligam eos spontanee.
Prov. VIII, 31. Imo de talibus ait in Proverbiis : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. In libro
Sap. VII, 28. Sapientiæ quoque legitur : Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat. Quarto virtus facit animam Christi sponsam, quemadmodum ait per Osee :
Osee II, 19, 20. Sponsabo te mihi in justitia et misericordia, et sponsabo te mihi in fide. Potissimum tamen fit desponsatio ista per caritatem : qua si careat anima, diaboli est adultera. Quinto virtus facit hominem futuræ felicitatis heredem, spiritualiter divitem et sublimem. Sexto facit hominem Dei filium adoptivum. Et breviter, virtus est animæ decor, vestimentum, armatura, refectio, salus.

Quum ergo tot mala faciat homini culpa, atque tot bona virtus, cum omni semper diligentia fugiamus universa peccata, et affectu ardenti amplectamur virtutes et occupemur earum operibus, ne infeli- C cissimo subdamur jugo diaboli obsequioque peccati. Ad hoc quippe multa habemus auxilia præparata. Unde legitur quarto
Regum, quod dum rex Syriæ misisset exer- IV Reg. VI,
citum ad obsidendum civitatem in qua 14 et seq.
fuit beatissimus Eliseus propheta, minister Elisei de mane consurgens, et civitatem propter Eliseum capiendam intelligens, cœpit contristari, lamentari et exclamare. Dixitque ei Eliseus : Noli timere; plures enim nobiscum sunt quam cum illis. Quumque minister ille maneret perterritus, Eliseus oravit : Domine Deus, aperi oculos pueri hujus. Et protinus puer seu minister ille Elisei vidit in aere innumerabilem exercitum angelorum ad succurrendum Eliseo paratum. Si ergo angeli sancti tam parati fuerunt subvenire Eliseo contra visibiles hostes, multo utique paratiores sunt auxiliari bonis et piis hominibus contra invisibiles inimicos. Ideo Dei ac angelorum imploremus semper auxilium ; et quod propriis viribus non valemus, illorum subventione poterimus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ, QUOD EST TIBERIADIS, ETC. Joann. VI, 1-14.

SICUT in expositione epistolæ hujus dominicæ tactum est, Ecclesia, in medio isto jejunii, cantico spiritualis lætitiæ D consolatur ac roborat filios suos, ne labore abstinentiæ et afflictione pœnitentiæ fracti deficiant. Hinc evangelium istud de satiatione quinque millium virorum ex quinque panibus duobusque piscibus legitur hodie, quia spirituali jucunditate plenum est, atque ex ipso datur intelligi omnipotentia ac misericordia Christi, et quod ipse qui tot millia ex tam paucis panibus piscibusque refecit, potest utique suos fideles abstinentes ac pœnitentes spiritualiter consolari ac confortare. Ait itaque Joannes evangelista :

Abiit Jesus. Legitur enim in Joanne, Joann. V, 5
quod Jesus in Jerusalem curavit hominem et seq.
qui triginta et octo annis in lecto infirmus jacuerat. Postea a Jerusalem et Judæa Ibid. VI, 1.
recessit, et navigavit *trans mare Galilææ, quod* mare *est Tiberiadis,* id est, mare istud quod dicitur mare Galilææ, quia per Galilæam decurrit, dicitur quoque mare Tiberiadis, quoniam civitas nomine Tiberias, eo quod in honore Tiberii Cæsaris fuit constructa, in littore hujus maris erat ædificata. Denique diversis ex causis Je-

sus a Jerusalem abiit. Primo, ut cederet persecutioni Judæorum, qui contra eum erant commoti eo quod præfato infirmo præcepit in sabbato quo eum sanavit : (Joann. v, 8, 9.) Tolle grabatum tuum, et ambula. Secundo, ut cederet furori Herodis. Ut enim (Matth. xiv, 13.) apud Matthæum legitur, Jesus audita decollatione Joannis Baptistæ, fecit quæ hic refert Evangelista. Tertio, ut discipuli sui post laborem paululum repausarent : quia (Marc. vi, 31.) ut scribitur in Marco, Erant qui ibant et redibant, et nec spatium manducandi habebant. Idcirco Christus tunc dixit discipulis : (Ibidem.) Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.

Et sequebatur eum multitudo magna, videlicet quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis, ut infra habetur, *quia videbant signa,* id est miracula, *quæ faciebat super his qui infirmabantur,* id est hominibus ægris, surdis, cæcis, mutis, paralyticis et leprosis, quos miraculose curavit. Hæc fuit una causa ob quam Salvatorem aliqui sequebantur. Erant quoque (Cf. p. 208 D'.) aliæ multæ causæ, quæ tactæ sunt in expositione evangelii quartæ dominicæ post nativitatem Christi. Et quoniam Dominus corporaliter valde speciosus et eloquentissimus ac optimæ habitudinis fuit, verisimile est quod multi sequebantur eum attracti ac delectati pulchritudine et eloquentia ejus. Insuper, secundum Matthæum, (Matth. xiv, 13.) hæc multitudo de civitatibus secuta est Christum pedestris. Ex quo videtur quod pro magna parte fuerunt egeni. Atque ut Marcus testatur, (Marc. vi, 33.) quum cognovissent quo transisset Jesus, de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt discipulos ejus. In quo patet fervens eorum ad Christum affectio, ac prompta devotio, saltem quorumdam.

Subiit ergo in montem Jesus, ut locus corresponderet locato. Christus namque mons appellatur : primo, propter suæ sanctissimæ excellentiam vitæ; secundo, propter eminentiam potestatis auctoritatisque suæ, quia sacerdos, judex et rex fuit; tertio, propter contemplationis suæ sublimi-

A tatem; quarto, propter caritatis omniumque virtutum in eo celsitudinem. Unde de Christo habetur in Daniele, quod lapis (Dan. ii, 34, 35.) sine manibus abscissus, crevit in montem magnum, et implevit universam superficiem terræ. Christus ergo mons montium ascendit in montem, implens ad litteram illud Isaiæ : (Is. xl, 9.) Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion. Ascendit quippe in montem, qui est locus orationi, contemplationi instructionique aptus, ut et nos similiter faciamus tempore oppor-

B tuno. Ascendit quoque in montem, docens nos suo exemplo carnalia ac terrena despicere, atque cœlestia et divina toto affectu requirere : quatenus, juxta doctrinam Apostoli, quæ sursum sunt quæramus (Coloss. iii, 1, 2.) ac sapiamus, non quæ super terram. *Et ibi sedebat cum discipulis suis.* Per quod mystice designatur, quod in contemplatione ac dilectione superiorum ac divinorum sit quiescendum.

Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum, id est, de propinquo jam

C imminebat. Porro, ut Beda ait, inter decollationem Joannis Baptistæ et Christi passionem, unius anni spatium fluxit. Et sic istud fuit Pascha secundum temporis prædicationis Christi, circa quod decollatus fuit Joannes : in quo Pascha Christus non fuit in Jerusalem juxta legis præceptum, sed adversariis suis cessit. Nam (Matth. xiv, 13.) sicut sæpe servavit legalia, ostendendo se hominem verum factum sub lege; (Galat. iv, 4.) sic interdum prætermisit ea, ostendens se verum Deum et summum legislatorem.

D *Quum sublevasset ergo oculos Jesus,* qui oculis vagus non fuit, sed summe compositus; nec sine ingenti causa circumspexit, sed in omnibus totius maturitatis ac probitatis fuit exemplum; *et vidisset quia multitudo maxima,* id est valde magna, videlicet quinque millia hominum, præter mulieres ac pueros, *venit ad eum, dixit ad Philippum.* Et specialiter Philippum interrogavit, quia primo omnium (Joann. i, 43.) fuit a Christo ad apostolatum vocatus : et ita in signum caritatis et privilegii hujus

allocutus est eum; vel, quia Philippus A
informatione magis indiguit, ut aliqui di-
cunt ; vel, quia prævidit responsionem
Philippi fore convenientiorem ad miracu-
li magnitudinem declarandam. *Unde eme-
mus panes ut manducent hi ?* Noverat
Christus non adesse pecuniam ad emen-
dum tot panes sufficientem, quoniam pau-
per fuit, et parum aut nihil secum detulit
de argento et auro.

Hoc autem dicebat tentans eum, ten-
tatione piæ probationis ordinatæ ad in-
Gen. XXII, 1. structionem, qua tentavit Abraham ; non B
tentatione seductionis ordinatæ ad con-
fusionem, de qua in Canonica Jacobi le-
Jacob. I, 13. gitur : Nemo quum tentatur, dicat quia
a Deo tentatur ; ipse enim neminem ten-
tat. De prima tentatione scriptum est :
Sap. III, 5. Deus tentavit justos, et invenit illos di-
Matth. VI, 13. gnos se. De secunda oramus : Et ne nos
inducas in tentationem. — Sed quum ten-
tare sit experimentum de tentato accipe-
re, quomodo Deus aliquem tentat, qui de
nullo accipit experimentum, quippe quum
ei omnia antequam fiant, innotescant ? Et C
respondendum, quod etiam in Scripturis
dicitur Deus experiri, seu aliqua facere ad
Judic. III, 4. experiendum, juxta illud Judicum : Di-
misit Dominus Chananæos, ut in ipsis ex-
periretur Israelem, utrum custodiret man-
data Domini, an non. Dicitur itaque Deus
sumere experimentum, non ut ei aliquid
innotescat, sed ut tentatus agnoscat se
ipsum, et qualis sit in se ipso experiatur,
seu ut aliis qualis sit elucescat ad ædifi-
Tob. II, 12. cationem eorum : sicut tentavit Job et
Tobiam, ponens eos aliis in exemplum D
obedientiæ ac patientiæ. Sic ergo tentavit
Philippum, ejus ignorantiam demonstran-
do, non solum ad Philippi sed aliorum
quoque discipulorum informationem, qua-
tenus miraculum istud commendaretur
clarius, et Christi potestas evidentius no-
sceretur. Perfectos igitur tentat Deus, ut
eorum perfectio proponatur aliis in imi-
tationis exemplum ; imperfectos vero, ut
eorum imperfectio eis pateat ad propriam
humiliationem, seu aliis ad cautelam, quo-
niam felix quem faciunt aliena damna
peritum. — *Ipse enim sciebat quid esset
facturus,* quia non solum ut Deus per
increatam scientiam, sed etiam ut homo
per infusam notitiam, universa præterita,
præsentia et futura clare intuebatur : id-
circo non sciscitabatur consilium sive au-
xilium postulando.

*Respondit ei Philippus : Ducentorum
denariorum panes non sufficiunt eis, ut
unusquisque modicum quid accipiat,* hoc
est, parvum frustum manducet. Tanquam
diceret : Non habemus pretium ad emen-
dum, nec possumus eos cibare ; idcirco
remitte eos ad loca habitabilia, ut de ne-
cessariis sibi provideant.

*Dicit ei unus ex discipulis ejus, An-
dreas frater Simonis Petri.* Ad laudem
Andreæ id pertinet, quod frater exstitit
principis Apostolorum, quem toti uni- Matth. XVI,
versali Ecclesiæ Christus præfecit, et ple- 18, 19.
num, summum ac generalem vicarium
suum constituit. Unde et Judas in sua Ca-
nonica fratrem vocat se Jacobi, tanquam Judæ 1.
dignioris aut famosioris, non ad jactan-
tiam aut propriam laudem, sed ut a fide-
libus quibus scripsit, diligentius advertere-
tur. *Est puer unus hic :* qui puer vocatur,
non tam propter parvitatem ætatis, quam
propter puritatem ac innocentiam men-
tis : ad quam pueritiam obligamur, Christo
testante, Nisi conversi fueritis, et efficia- Matth.
mini sicut parvuli, non intrabitis in re- XVIII, 3.
gnum cœlorum. Unde hortatur Apostolus :
Nolite pueri effici sensibus, sed malitia I Cor. XIV,
parvuli estote ; sensibus autem perfecti 20.
sitis. Deinceps in Scripturis dicitur ali-
quis puer quatuor modis. Primo, propter
stoliditatem et inconstantiam, ut per Isa-
iam : Puer centum annorum morietur, Is. LXV, 20.
hoc est, senex fatuus disperibit. Secundo,
propter innocentiam et puritatem, sicut in
Psalmo : Laudate, pueri, Dominum. Chri- Ps. CXII, 1.
stus quoque post resurrectionem suam di-
xit Apostolis : Pueri, numquid pulmenta- Joann. XXI,
rium habetis ? Sic et ipsemet Zacharias 5.
propheta testatur : Ecce angelus qui lo- Zach. II,
quebatur in me, egrediebatur, et alius 3, 4.

angelus egrediebatur in occursum ejus, et A dixit, Curre, et loquere ad puerum istum, scilicet Zachariam. Tertio, propter ætatem permodicam, secundum quod Lucas ait : [*Luc.* II, 40, 52.] Puer Jesus proficiebat. Quarto, propter obsequium, quemadmodum quarto Regum [IV *Reg.* IV, 12, 13; V, 20, etc.] Giezi vocatur puer Elisei : imo communiter in scriptura veteris Testamenti ministri pueri appellantur. *Qui habet quinque panes hordeaceos.* Ecce quali cibo uti solebat Christus cum suis discipulis. Reprobata est ergo gulositas atque carnalitas nostra. Hinc ait Chrysostomus : Discamus B nos qui voluptati attendimus, quid comederunt viri illi honorabiles cum magistro suo, videlicet Apostoli ceterique discipuli quidam cum Christo, et confundamur intra nos, videntes Regem cœlorum in tanta penuria exstitisse. *Et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* hoc est, parum aut nihil proderunt multitudini tantæ.

Joannes, qui ultimo scripsit evangelium atque historiam istam, in aliquibus videtur ab Evangelistis aliis discordare. Sed illa solvuntur facillime, quoniam magis C determinate atque particulariter ista describit, quam alii Evangelistæ. Sicque, [*Matth.* XIV, 17; *Marc.* VI, 38; *Luc.* IX, 13.] quod Matthæus et Marcus scribunt a discipulis communiter dictum, Joannes ab uno, puta Andrea, dictum commemorat, juxta communem loquendi modum quo societas dicitur pati aut agere quod pars ejus agit aut sustinet.

Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere, id est ad manducandum ordinate [*Marc.* VI, 39.] sedere. Unde in Marco habetur, quod præcepit discipulis ut facerent eos accumbere D secundum contubernia sua. *Erat autem fœnum multum in loco* ubi ista fiebant : sicque locus mollior fuit ac aptior ad sedendum, atque jucundior ad edendum. [*Ibidem.*] Fuitque viride fœnum, secundum Marcum. Unde per fœnum intelligitur recens herba, seu gramen terræ quale solet circa Pascha exsistere.

[*Ibid.* 40.] *Discubuerunt ergo viri,* per quinquagenos et centenos, ut dicitur in Marco : non dubium quin mulieres quoque ac pueri discubuerunt, sed forsan seorsum; *numero quasi quinque millia.* Ideo interponit Evangelista, Quasi, quia ut verisimile est, fuerunt paulo plures aut pauciores. Verumtamen alii Evangelistæ simpliciter [*Matth.* XIV, 21; *Marc.* VI, 44.] scribunt quod erant quinque millia, non curantes de tantillo excessu sive defectu. Consuetudo namque Scripturæ est non curare minutias numeri aut temporis, ita ut exprimendo notabilem quantitatem in magnitudine aut multitudine, non curat de modico quod forsan superfuit aut defuit. Unde in veteri Testamento leguntur homines tot vel tot annis vixisse, et raro vel nunquam fit mentio nisi de annis, quamvis nequaquam probabile sit quod omnes illi vixerint tot annis præcise, quasi eodem die quo nati fuerunt obierint. Insuper, juxta morem Scripturæ, viri dicuntur, omnes masculini sexus, a viginti [*Num.* I.] annis et supra. De mulieribus demum et parvulis, qui forsan numerum excesserunt virorum, non fit mentio, quia secundum consuetudinem legis antiquæ, soli viri numerabantur. [*Ibidem.*]

Accepit ergo Jesus panes quinque in sanctas ac venerabiles manus suas, organa Divinitatis unitæ; *et quum gratias egisset* secundum quod homo, Deo Patri, vel superbeatissimæ Trinitati, a qua omne bonum ex tempore sibi collatum accepit, *distribuit discumbentibus,* id est, per Apostolos anteponi præcepit millibus illic sedentibus, non jam dumtaxat quinque panes, sed et id quod ipse sua potestate divina, vel creando, vel multiplicando adjecit. Nam omnipotentia Christi fons panum erat, secundum Augustinum. *Similiter et ex piscibus* duobus, jam multiplicatis usque ad quantitatem quasi innumerabilium piscium, distribuit per manum discipulorum, *quantum volebant,* id est optabant discumbentes, videlicet sufficienter, usque ad satietatem ipsorum. Non tamen fuit voluntas aut intentio Christi ut se immoderate replerent; sed tam copiose præbuit alimenta, ut sua potestas clarius monstraretur ad fidei confortationem.

Ut autem impleti sunt, id est, turbis copiose refectis, *dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta,* hoc est, famem et appetitum eorum qui comederunt vicerunt, ita ut ea manducare non poterant, et eis superfluxerunt; *ne pereant,* sed pauperibus remeantibus pro viatico conferantur. Unde Christus docuit hoc exemplo ciborum reliquias diligenter servari, utiliterque expendi. Ideo quoque jussit congregari fragmenta, ut magnitudo miraculi clarius panderetur ad gloriam Dei. Docuit etiam per prædicta, ut fideles ante refectionem alimenta benedicant, et post refectionem gratias agant. Estque vehementer dolendum quod hoc a pluribus tam male servatur, imo penitus non attenditur nec curatur, sed quasi bestiæ ad comedendum accedunt, atque a mensa consurgunt Deo ingrati.

Collegerunt ergo, Apostoli maxime, *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum,* videlicet unusquisque Apostolus cophinum suum : quamvis probabile videatur quod aliqui adjuverunt Apostolos in colligendo ; alias diu occupati fuissent circumeundo ac colligendo. Interea non absque grandi mysterio increata sapientia Patris Christus Dominus sic ordinavit, quod juxta duodenarium numerum Apostolorum, duodecim cophini fragmentorum superfluxerunt. Palam est enim quod per panem designetur salutaris doctrina, ad cujus gustum æterna invitat Sapientia
Prov. IX, 5. dicens : Venite, comedite panem meum. Per fragmenta vero panum, signantur imperfectæ participationes doctrinæ perfectæ : quæ potissimum competit Christo, qui veritate et sapientia plenus fuit. Porro Apostoli participando doctrinam Christi, quasi fragmenta et partes perfectæ doctrinæ a Christo fonte sapientiæ collegerunt. Horumque fragmentorum vasa seu cophini, corda Apostolorum fuerunt, in quibus fragmenta doctrinæ a Christo susceptæ per totum mundum tulerunt, atque hominibus communicaverunt.

Tot igitur cophinos collegerunt, *ex quin-* A *que panibus hordeaceis,* id est ex panibus in quos multiplicati fuerunt quinque panes præfati, qui erant quasi semina omnium panum qui turbis antepositi sunt. Quinque etenim panes non habuerunt immediate fragmenta tot cophinorum. Denique a Marco adjungitur : Et de piscibus. Ex *Marc.* VI, 43.
quo perpenditur quod etiam ex duobus piscibus tanti piscium cibi per Christi omnipotentiam processerunt, quod discipuli congregaverunt inde reliquias, quamvis non sit plana inde narratio.

B Sed quid biberunt hæ turbæ ? Certum videtur quod si non habuerunt aliunde potum, Christus dedit cibariis istis virtutem agendi quod efficit potus, ita quod sitim perpessi non sunt. Opera etenim *Deut.* XXXII, 4.
Christi opificis summi, perfecta fuerunt : quos ergo refecit, perfecte refecit.

Illi ergo homines, quum vidissent, imo et manducando experti fuissent, *quod Jesus fecerat signum, dicebant* : *Quia hic* tanti actor miraculi, *est vere Propheta,* non qualiscumque, sed *qui venturus est,* C id est, venturus esse prænuntiatus est per alios Prophetas, *in mundum* hunc inferiorem, ad salvandum eum, hoc est ad redimendum genus humanum. Sicque confessi sunt Jesum non solum esse prophetam, sed veraciter esse summum illum Prophetam, videlicet regem Messiam, de cujus adventu alii cecinerunt Prophetæ : de quo Moyses dixit, Prophetam suscitabit *Ibid.* XVIII, 15; *Act.* III, 22.
vobis Dominus. Unde, ut supra in expositione evangelii dominicæ secundæ in *Cf.* p. 46 C'.
Adventu ostensum est, et Cyrillus id asserit, D ex quo de Christi adventu generaliter prænuntiaverunt Prophetæ, ita quod apud Judæos communis exstitit rumor de futuro Christi adventu, idcirco per hanc circumlocutionem, Propheta qui venturus est vel venit, intelligitur Christus.

Quæritur, an Christus fuit propheta. Videtur quod non : quia secundum quod homo, erat præ universis electis excellentissimus comprehensor ; comprehensoribus autem seu Beatis in patria, non competit ratio prophetiæ, propter perfectionem co-

gnitionis eorum. Prophetia namque imperfectionem includit notitiæ, secundum Thomam. Et respondendum, quod Christus fuit vere propheta, non in quantum comprehensor, sed in quantum secundum aliquid fuit viator et cum hominibus conversans, prædicens ex revelatione divina eis cum quibus conversabatur, futura contingentia, atque præsentia eis ignota. Propheta enim dicitur quasi procul videns, id est, ea cognoscens atque annuntians his inter quos vitam habet communem, quæ procul sunt ab illorum notitia. Quamvis autem Deus et Beati sciant talia atque denuntient, non tamen prophetæ dicendi sunt, quoniam cum hominibus communem non habent conversationem. Quamvis vero intellectualis cognitio Christi fuit perfecta, nec proprie prophetalis, tamen secundum imaginariam notitiam, habuit convenientiam cum prophetali notitia : in imaginativa enim potentia animæ Christi formari poterant similitudines sensibiles, per quas occulta et futura imaginarie repræsentabantur animæ Christi, ut viatrici, secundum partem suam inferiorem.

De spirituali demum et mystico intellectu evangelii hujus, in sermonibus mox tangetur.

SERMO SECUNDUS

QUARE ET QUALITER SIT SPIRITUALITER GLORIANDUM.

LÆTARE, *Jerusalem, et gaudete gaudio magno, omnes qui lugebatis super eam.* Is. LXVI, 10, juxta LXX.

In his duo tanguntur ac admonentur. Primo, ut Ecclesia militans spiritualiter glorietur, quum dicitur : Lætare, Jerusalem. Per Jerusalem namque (ut habitum est) allegorice designatur Ecclesia militans. Secundo, ut omnes qui ruinis ac deformationibus Ecclesiæ compatiuntur, exsultent pie et intime, propter diversa beneficia Dei Ecclesiæ exhibita aut promissa.

Ecclesia ergo, id est populus christianus, quamvis in hoc sæculo variis tribulationibus affligatur, tentationibus exerceatur, atque pro suis peccatis pœnitere, gemere ac satisfacere habeat, nihilo minus in tot malis, in tot pœnis ac laboribus, respirare debet ac gaudere in Domino. Primo, propter infinitam beatitudinem, opulentiam et excellentiam Domini Dei, regis ac sponsi sui. Quem sicut toto corde super omnia (*Matth.* XXII, 37.) diligere obligatur, non solum ut regem ac sponsum, verum etiam ut Deum creatorem ac patrem, indesinentemque conservatorem ac provisorem, ac omnis boni datorem ; ita de summa, incomparabili et immensa ejus perfectione, felicitate et excellentia cordialissime debet gaudere, et maxime consolari. Videmus namque in mundo hoc, quod boni et fideles subditi, de prosperitate et victoria principum suorum præcipue gloriantur : quemadmodum tertio Regum legitur, quod Salomon rex (III *Reg.* VIII, 65, 66.) constructo et dedicato templo in Jerusalem, cum senioribus atque majoribus populi Israelitici fecit magnam solennitatem per quatuordecim dies ; quibus expletis, populus Israel læto ac alacri corde redierunt in propria, gloriantes super omnibus bonis quæ fecerat Deus servo suo David et filio ejus Salomoni regi, ac populo suo Israel. Considera ergo, o Christiane, quod Dominus Deus, tuus creator et rex tuus, sponsus Ecclesiæ, sit universorum conditor, omnipotens rex qui cœlum et terram gubernat, cujus sapientiæ non est finis, cujus

divitiæ sunt immensæ, cujus beatitudo et A gloria est penitus infinita. In hoc et de hoc intime gaude. Et utique inde gaudet, qui Deum creatorem suum, super omnia et plus quam se ipsum sinceriter diligit.

Secundo, gaudere debet Ecclesia quod ipsa præ ceteris populis est ad Dei cultum assumpta, ad veram fidem vocata, et unigenito æterni Patris Filio desponsata, ceteris gentibus, puta Judæis, Sarracenis, Tartaris, ac aliis multis, in sua infidelitate relictis. Insuper, tempore veteris Testamenti, sanctus Moyses beatificans Israeli- *Deut.* XXXIII, 29. ticum populum, dixit : Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino ? Et ite- *Ibid.* IV, 8. rum : Quæ est alia gens sic inclyta ut habeat universam legem, et præcepta ac *Exod.* XX et seq., XXXIV, 28. cærimonias, scilicet, ut populus Israel a Deo accepit per Moysen ? Quanto magis beatificandus est populus christianus, qui licet eumdem habeat Deum quem habuit tunc Israeliticus populus, tamen vera salus quæ illi populo promittebatur, christiano populo quotidie exhibetur ? Et popu- *Joann.* I, 17. lus ille legem a Deo accepit per hominem purum et Dei ministrum, videlicet Moysen ; populus autem christianus legem accepit a Deo Patre per unigenitum Filium ejus Jesum Christum, Deum ac hominem, Patri æterno æqualem. Ipsa quoque lex Christianorum a Christo collata, multo perfectior ac compendiosior exstat lege Mosaica.

Deinceps legitur, quod Philippus rex Macedonum, nato Alexandro, scripsit Aristoteli, dicens : Natus est mihi filius, et plus regratior diis quia natus est temporibus tuis, quam quod natus est ; nam spero eum a te erudiendum. Quanto magis Christiani plus regratiari debent Deo quod nati sunt tempore evangelicæ legis, quod est tempus Christi ac gratiæ, quam quod nati sunt, eo quod tempore isto erudiantur lege et fide Christi ab ejus vicariis ? Jamque per Christi passionem ac meritum aperta est janua regni cœlorum, et possunt fideles, si Deo pure servierint, ab hac vita absque dilatione evolare in regnum cœleste, a quo patres antiqui tempore legis naturalis ac scriptæ per tam longa differebantur tempora. Hinc beatissimus princeps Apostolorum in prima sua epistola, beatificans et exaltans populum christianum, inquit : Vos genus electum, *I Petr.* II, 9. regale sacerdotium, populus acquisitionis. Olim sanctus propheta et rex David dixit, loquens de Deo : Qui annuntiat verbum *Ps.* CXLVII, 19, 20. suum Jacob, justitias et judicia sua Israel ; non fecit taliter omni nationi. Multo magis jam dicere possumus cum gratiarum B actione et gaudio, quod Deus annuntiat verbum suum populo christiano, justitias suas et judicia sua Ecclesiæ, nec fecit taliter omni nationi. Deinde Baruch notarius Jeremiæ prophetæ, loquens in persona Judæorum, inquit : Beati sumus nos, *Baruch* IV, 4. quoniam quæ Deo sunt placita, manifesta sunt nobis. Multo magis dici hoc potest de populo christiano evangelica lege edocto. Unde in Actibus Apostolorum Paulus testatur : Non subterfugi quominus an- *Act.* XX, 27. nuntiarem vobis omne consilium Dei.

C Tertio, gaudere debet Ecclesia de omni gratia sibi a Deo in hoc mundo collata : quod scilicet Deus omnipotens et æternus dat ei jam gratiam resistendi diabolo, gratiam pœnitendi ac satisfaciendi pro omni peccato, gratiam promerendi regnum cœleste ; et quod tam gratiosissime eam sæpissime visitavit ac visitat mittendo ei viros sanctos, per quorum sapientiam, sanctitatem atque miracula multipliciter illustravit ac roboravit in fide populum christianum ; item, quod Christus nun- D quam in toto relinquit Ecclesiam suam, quantumcumque eam tribulari, tentari ac deformari permittat, sed sicut promisit, *Matth.* XXVIII, 20. usque ad consummationem sæculi gratiose manet cum ea, et per adversitates vitæ præsentis paternaliter ac misericorditer eam castigat, purgat ac salvat.

Quarto, gaudere debet Ecclesia spe felicitatis futuræ, et gratias agere Deo quod pro brevi ac modico obsequio quod ipsa ei potest impendere in præsenti, dignatur ei æternam felicitatem promittere et con-

ferre, quemadmodum Paulus ait apostolus (II Cor. iv, 17.) : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hinc post Cœnam novissimam, passione instante, Christus contristatos consolabatur Apostolos, dicens (Joann. xiv, 2, 3.) : Vado parare vobis locum, ut ubi sum ego et vos sitis; et rursus (Ibid. xvi, 22.) : Vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Præterea videmus quod interdum amatores sæculi hujus per multos dies lætantur in exspectatione alicujus temporalis solatii, ut nuptiarum aut chorearum, hastiludiorum aut conviviorum : quæ quum venerint, celeriter finiuntur. Nonne ergo incomparabiliter plus gaudere deberet quilibet Christianus in exspectatione beatitudinis sempiternæ, quæ indubitanter cito veniet, atque præstabitur his qui tota atque summa diligentia serviunt Deo; et quum venerit, nunquam finietur, nunquam minuetur, nunquam in fastidium convertetur, sed æternaliter et invariabiliter delectabit plene et contentative, prorsusque dulcissime? Hinc sanctus pater Antonius, quum post multos annos quibus in eremo solus soli Deo vacavit, Fratres informare inciperet, ita exorsus est : Hoc sit primum cunctis in communi mandatum, ut nullus in arrepto Dei obsequio ac bono proposito fatigetur, sed quasi quotidie inchoans augeat semper bonum quod cœpit, præsertim quum humanæ vitæ spatia æternitati comparata, parva sint atque brevissima.

A Ita exorsus, paululum siluit; et admirans nimiam Dei largitatem, rursus adjecit, dicens : In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec majora recipit ab emente qui vendit; æterna vero felicitas vili pretio comparatur. Scriptum est enim (Ps. lxxxix, 10.) : Dies vitæ nostræ, septuaginta anni. Dum ergo tot annis Deo servivimus, non utique pari annorum numero cum Christo regnabimus, sed pro modici temporis servitute, cum ipso in gloria sine fine manebimus. Ideo nullus B in Dei obsequio fatigetur.

Itaque propter causas prætactas Ecclesia et quilibet Christianus debet gaudere et Deo grates referre, atque pœnitentiæ opera viriliter exercere, pensando semper illud Apostoli (Rom. viii, 18.) : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Non ergo durum sit nobis jejunare, orare, bonis actibus immorari : imo omnia ista prompte ac delectabiliter peragamus ex Dei amore et pro ejus honore, simulque attendendo quam C multiplex fructus, quam ineffabilis felicitas nobis inde proveniat.

Verumtamen non ita gaudeamus, nec consolemur, quasi securi jam simus, et quasi pericula cuncta evaserimus; sed gaudium nostrum spirituale sancto timore permixtum sit, quia incerti exsistimus an finaliter salvi fiemus, an etiam nunc Deo veraciter placeamus. Idcirco impleamus quotidie quod ait Psalmista (Ps. ii, 11.) : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Ad gloriam Omnipotentis.

SERMO TERTIUS

DE SIGNIFICATIONE QUINQUE PANUM DUORUMQUE PISCIUM.

COMEDITE, *amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.* Cant. v, 1.

In his verbis sponsus cœlestis unigeni- D tus Filius Dei, Dominus noster Jesus, ad tria invitat nos : primo, ad spiritualem refectionem, quum ait, Comedite; secundo,

ad spiritualem potationem, quum dicit, Et A bibite; tertio, ad internam inebriationem, quum subdit, Et inebriamini, carissimi. Quemadmodum enim corpus nostrum debilitaretur atque deficeret, nisi tempore opportuno corporali cibo ac potu sustentaretur, sic anima nostra spiritualiter debilitatur ac moritur, si non spirituali alimonia reficiatur. Itaque, sicut Salvator turbam illam de qua in evangelio hodierno fit sermo, ex quinque panibus duobusque piscibus satiavit, sic animas suorum fidelium quotidie quinque spiritualibus B panibus duobusque piscibus reficit, roborat, impinguat atque inebriat.

Primus panis, est ipsa superbeatissima Deitas, seu contemplatio et dilectio ejus. Summa etenim Trinitas, quæ est una simplicissima Deitas, est omnium Beatorum in patria robur et cibus ac felix refectio; et sicut comprehensores alit per sui ipsius beatificam visionem ac plenam fruitionem, sic reficit viatores per fidei contemplationem, per caritatis affectionem atque futuræ beatitudinis piissimam prælibationem. C
II Cor. III, 18. De hoc pane dicit Apostolus : Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur. Quoties ergo, o Christiane, sentis animam tuam spiritualiter debilitari et refectione indigere interna, Deum cogita, misericordiam ejus attende, immensam bonitatem, perfectionem et gloriam ejus considera, ut
Ps. XXIV, 1. dicas cum Propheta, Ad te, Domine, levavi animam meam; atque in horum contemplatione inflammetur cor tuum amore incomparabiliter boni et superamabilissimi D
Ps. XXXVIII, 4. Dei, quemadmodum scriptum est : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Verumtamen ita in promptu habere elevationem mentis ad Deum per contemplationem et dilectionem sinceram, panis est perfectorum, di-
Hebr. V, 14. cente Apostolo : Perfectorum est solidus cibus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus. Mens quippe nondum purgata, ad contemplationem non exstat disposita. Nihilo minus secundum aliquem gradum debet quilibet in caritate exsistens gratiam contemplationis habere, quoniam omnis talis donum sapientiæ secundum aliquem habet gradum, per quod ad aliqualem Dei contemplationem idoneus invenitur.

Secundus, est panis sacramentalis, utpote corpus Salvatoris : de quo ait Apostolus, Panis quem sumimus, nonne com- I Cor. X, 16.
municatio corporis Domini est? Hic cibus est Christianorum viaticum, id est saluberrimum alimentum quo in anima confortantur ad ambulandum ac pertingendum per viam hujus exsilii ad patriam Beatorum. De quo ipsemet loquitur Christus : Caro mea vere est cibus; et, Hic est Joann. VI, 56.
panis de cœlo descendens. Quemadmodum Ibid. 50.
enim Christus suæ divinitatis beatifica fruitione reficit in cœlo Beatos, ita corporis sacramentali perceptione reficit in terra viatores fideles. Hunc cibum debet quilibet Christianus quotidie ad minus spiritualiter accipere, hoc est, per fidem et sanctæ caritatis desiderium se illi unire, et illum mente amplecti, juxta quod loquitur Augustinus : Crede, et manducasti. Sed qui in mortali est culpa, hoc pane prorsus indignus est. Quem utique panem dignissimum fideles communiter tanto ferventius cupiunt, quanto devotiores sanctioresque fuerint.

Tertius panis, est sacra utriusque Testamenti scriptura : de quo in Ecclesiastico scriptum est, Cibabit illum pane vitæ et Eccli. XV, 3.
intellectus. Hic panis mirabiliter dulcis est, atque in tantum hominem studiosum delectat, ut faciat eum frequenter corporalia alimenta omnesque carnales delicias fastidire ac aspernari. Quamobrem dicit Hieronymus : Ama studia Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Apostolus quoque inquit : Quæcumque scripta sunt, ad Rom. XV, 4.
nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Hinc primo Machabæorum Jonathas loquitur : Nos nullo horum I Mach. XII, 9.
indigemus, habentes solatio sanctos libros qui in manibus nostris sunt. Et ista, proh dolor! causa est quod multi ex clero exte-

riora atque carnalia quærunt solatia, quoniam in Scripturis sanctis se non occupant neque exercent. Unde et Hugo de S. Victore testatur : Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil sic mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil sic hominem juvat ac excitat ad omne opus bonum ac virtuosum laborem, ut studium sacræ Scripturæ. Chrysostomus etiam multum notabiliter ait : In Scripturis ignorans invenit quod addiscat; quid timeat, contumax; laborans, præmia; pusillanimis, mediocris justitiæ cibos : qui etsi animum non impinguant, mori tamen hunc non permittunt. Qui autem magnanimus est, invenit ibi spirituales escas, quæ perducunt eum prope ad angelorum naturam; qui vero vulneratus est a diabolo, invenit ibi cibos medicinales.

Quartus panis, est gratia gratum faciens, cum spiritualibus bonis sibi annexis, quæ sunt tres virtutes theologicæ, septem dona Spiritus Sancti, ac ceteræ virtutes infusæ, et fructus Spiritus : quibus anima spiritualiter impinguatur, armatur, fecundatur, invincibilisque efficitur. Hinc, secundum
Hebr. XIII, 9. Apostolum : Optimum est gratia stabiliri cor. Hic etenim panis gratiæ in anima nostra spiritualem vitam initiat, deiformem similitudinem præstat, atque ad omne opus bonum disponit. Idcirco pro gratiæ incremento Deum jugiter invocemus, quia quo illa magis in mente perficitur, eo ad omnes operationes meritorias efficimur dispositiores.

Quintus panis, est futuræ felicitatis promissio, quæ facit nos agiles ac ferventes et animo infatigabiles in Dei obsequio, scien-
I *Cor.* XV, 58. tes quod labor noster non sit inanis in Do-
Jer. XXXI, 16. mino, sed quod merces erit operi nostro,
sicut promittit Salvator dicendo : Pœniten-
Matth. IV, 17. tiam agite, appropinquabit enim regnum
Ibid. XXV, 46. cœlorum; et rursus, Ibunt justi in vitam
Ibid. XIII, 43. æternam; itemque, Fulgebunt justi sicut sol in regno cœlorum. Omnia namque hæc sunt certissimæ promissiones æternæ beatitudinis, Dei cultoribus præparatæ. Quam

A et Joannes apostolus promittit, in prima sua loquens Canonica : Carissimi, nunc I *Joann.* III, 2.
filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes Deo erimus, quia videbimus eum sicuti est. Quicumque manducat hunc panem, id est, futura atque cœlestia æternaque præmia mente pervigili ac profunda considerat, non succumbit laboribus; non deficit in adversis, non seducitur prosperis, nec quærit sed despicit humanas laudes; non pigrescit imo viam mandato- *Ps.* CXVIII, 32.
B rum non solum perambulat, sed percurrit ac pervolat.

Præterea, iis quinque panibus adduntur a Deo duo pisces. Primus, est gustus internus seu experientia divinæ dulcedinis (de qua ait rex David : Quam magna mul- *Ps.* XXX, 20.
titudo dulcedinis tuæ, Domine!), qua gustata, desipit omnis caro. Ideo ad hanc hortatur Propheta : Gustate (inquiens) et *Ps.* XXXIII, 9.
videte quoniam suavis est Dominus. Hujus autem divinæ suavitatis saporem merentur, qui pro Deo et justitia pati non re-
C nuunt, qui pro suis et proximorum peccatis cordialissime dolent, qui in omni tentatione ac adversitate patientiam servant, et Christo pro se passo compatiuntur. Propter quod ait Psalmista Deo : Se- *Ps.* XCIII, 19.
cundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; atque Apostolus, Sicut abundant passiones Christi in nobis, II *Cor.* I, 5.
ita per Christum abundat consolatio nostra. Hac vero consolatione indignos se faciunt, qui carnales consolationes acce-
D ptant, et qui in vitiis perseverant. Ideo dixit Propheta : Renuit consolari anima *Ps.* LXXVI, 3.
mea; videlicet in exterioribus ac inanibus rebus. In Job quoque dicitur : Numquid *Job* XV, 11.
grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.

Secundus piscis, est absorptio mentis in Deo : qua aliqui devoti et sancti interdum tam ardenter ac intime Deo uniuntur, et per contemplationem sic rapiuntur in ipsum, quod a se ipsis deficiunt et ab omnibus creatis alienantur, atque in Deo

creatore immenso feliciter absorbentur, A obdormiuntque in ipso, ita quod neque se ipsos, nec proprios actus, nec quidquam Ps. lxxii, 26. creatum advertunt, sicut ait Propheta : Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum; et Je- Jer. xx, 9. remias, Factus est (inquit) sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, et defeci, ferre non sustinens.

Ut ergo iis spiritualibus panibus ac piscibus mereamur in hac vita refici et firmari a Spiritu Sancto, ab omni vanitate et iniquitate diligentissime abstineamus, a B jocis, ludis, risibus et cachinnis, et vanis loquacitatibus caveamus, in cordis custodia, compunctione interna et salutari pœnitentia perseveremus.

Legitur in quinto libro Vitaspatrum, quod quidam Frater ivit ad cellam abbatis Arsenii, et adspiciens per fenestram, vidit senem totum quasi ignem. Similiter, quum devotissimus frater Zacharias ivisset ad abbatem suum Silvanum, invenit eum in excessu mentis, et erant manus ejus extensæ in cœlum; et quum eum ita vidisset, clausit ostium et exivit. Rursusque intrans circa horam sextam et nonam, invenit eum eodem modo in Deo raptum. Circa decimam vero horam rediens, invenit eum ad se reversum ac quiescentem, dixitque ei : Quid habuisti hodie, Pater? Qui dixit : Infirmatus sum hodie, fili. Zacharias vero cadens ad pedes ejus, dixit : Non te dimittam nisi mihi indicaveris quid vidisti. Respondit ei senex : Ego in cœlum raptus sum et vidi gloriam Dei, et ibi steti usque modo; et nunc dimissus sum. Ecce quam gratiose visitat Deus suos fidelissimos servos etiam in præsenti.

Ideo sanctorum Patrum sequamur vestigia, contemnendo transitoria atque carnalia, et Deum ac spiritualia dona ipsius totis præcordiis cupientes. Ad gloriam Omnipotentis.

SERMO QUARTUS

DE ALIA EXPOSITIONE PANUM ET PISCIUM.

CIBABIS *nos, Domine, pane lacrimarum, et potum dabis nobis in lacrimis in mensura.* Ps. LXXIX, 6. C

In his verbis homo pœnitens tangit panem et potum pœnitentialem, quibus reficitur anima quæ ante per peccatum fuerat mortua. Denique, præter quinque panes spirituales de quibus in præcedenti sermone facta est mentio, sunt adhuc quinque panes spirituales quibus salubriter alitur anima christiana. Primus, est panis pœnitentialis, id est contritio de peccatis, seu spes indulgentiæ, vel deploratio vitio- D rum : quo utique pane optime enutritur anima quæ peccando fuerat mortua. Ideo Ps. vi, 7. pœnitens ait : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Hujus panis oblivio est animæ arefactio, prout rursus in persona pœnitentis ait Scriptura : Percussus sum ut fœnum, et aruit cor Ps. ci, 5. meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quotidie igitur panem hunc manducemus, peccata nostra detestando, deflendo, atque pro eis satisfaciendo per orationes, jejunia, eleemosynas, atque similia satisfactoria opera. Rogemus etiam Deum ut præstet nobis lacrimas in men- Ps. lxxix, 6. sura, ut quanto peccata nostra fuerunt plura ac graviora, tanto nostra contritio major sit, et lacrimatio copiosior atque amarior; sicque quantum in vitiis delectati sumus, tantum in dolore et operibus pœnitentiæ nos fideliter affligamus, quemadmodum in

Apoc. XVIII, 7. Apocalypsi Dominus loquitur : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Hæc quippe est saluberrima ultio, qua peccator propria peccata in se ipso sponte et ex caritate ac zelo justitiæ, juxta arbitrium confessoris aut secundum judicium rectæ ac providæ rationis ulciscitur, quum dicat
I Cor. XI, 31. Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Tales autem vindictæ propriæ iniquitatis, sunt corporis castigationes et opera satisfactionis, quæ die et nocte fieri possunt, sicut portare cilicium, non uti camisia linea, dormire super asseres vel stramina, et multa similia.

Denique panis lacrimarum est multiplex, secundum quod diversæ sunt species lacrimarum. Prima etenim species fletus, est deploratio propriæ culpæ. Secunda, deploratio culpæ proximorum : sicut Christus deflevit peccata Jerusalem, imo totius mundi ; Daniel quoque et Jeremias deplanxerunt peccata Israelitici populi. Tertia species lacrimarum, est fletus qui oritur ex desiderio futuræ felicitatis. Talis est fletus perfectorum virorum, qui cum Apostolo dicere possunt : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Itemque, Cupio dissolvi et esse cum Christo. Et hoc affectu dixit Propheta : Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus ? Quarta species, est lacrimari ex meditatione et compassione passionis Christi, cujus passio quotidie cordialiter est pensanda, non sine compassione interna. Quinta species, est lacrimari ex compassione tribulationum eorum qui in hac vita diversimode affliguntur, tentantur et contristantur, quemadmodum sanctus Job ait : Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Ideo docet Apostolus, flere cum flentibus. Sexta species, est lacrimari ex quadam gratiosa atque dulcissima complacentia Domini Dei, dum scilicet homo contemplativus Deum sinceriter contemplatur, et ex incomparabili complacentia qua Deus, essentialiter bonus, pulcher ac felix, complacet ei, suaves per oculos lacrimas stillat. Hæ sunt lacrimæ ceteris digniores ac dulciores, ex spiritualis lætitiæ abundantia profluentes. Sic et beatissimus Petrus apostolus, quoties memor fuit dulcissimæ conversationis Christi secum ac cum ceteris Apostolis in hoc mundo, resolvebatur in lacrimas.

(*Luc.* XIX, 41. *Dan.* IX, 3 et seq. ; *Thren.* *Rom.* VII, 24. *Philipp.* I, 23. *Ps.* XLI, 4. *Job* XXX, 25. *Rom.* XII, 15.)

Secundus panis, est desiderium proficiendi in virtutibus. De quo loquitur Christus : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth.* V, 6. Quo enim ardentius cupiunt repleri justitia et virtute, eo etiam in præsenti plus saturantur spiritualibus donis, præsertim quum ipsa proficiendi affectio sit magnus profectus et signum diligentiæ ac fervoris. Pigris namque et tepidis videtur quod aliquid sunt et satis habeant. Sed quoniam in via Dei non proficere est deficere, indesinenter optemus atque conemur proficere in humilitate, patientia, mansuetudine, pietate et caritate, universaque inquinamenta corporis et animæ devitemus.

Tertius panis, est quæcumque operatio virtuosa, seu divinorum observantia præceptorum. De quo pane ait Salvator in Joanne : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opera ejus. *Joann.* IV, 34. Itaque, si volumus animas nostras omni hora reficere, confortare et impinguare, non cessemus operibus bonis insistere ; nec aliquod tempus otiose aut infructuose expendamus, sed virtuose jugiter occupemur.

Quartus panis, est devota oratio : quæ tres habet effectus. Primus est, exaudiri a Deo, et quod petitur impetrare, videlicet dona gratiæ in præsenti. Secundus effectus est, promereri felicitatem æternam. Tertius est, dulcis quædam refectio mentis, quam sentit devote orans, dum orat : qui enim devote attenteque orat, quamdam internam sentit dulcedinem in orando. Atque ad sortiendum ac sentiendum hunc tertium orationis effectum, exigitur actua-

lis attentio in orando : idcirco qui appetit A hunc effectum, recollecto et intento corde exoret, omni evagatione rejecta. Nam et taliter orans magis a Domino exauditur, quemadmodum in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* XXXV, 20. Qui orat Dominum in oblectatione, exaudietur; atque in Psalmo, *Ps.* XXXVI, 4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

Quintus panis, est laudatio Dei, ut scilicet, *Ephes.* V, 20. juxta Apostolum, Deo in omnibus gratias referamus, et eum in se ipso atque in operibus ac judiciis suis collaudemus, *Ps.* XXXIII, 2. sicut ait Propheta : Benedicam Dominum B in omni tempore; semper laus ejus in ore *Ps.* CXLV, 2. meo. Et rursus : Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo quamdiu fuero.

Præterea, iis quinque panibus jungendi sunt duo pisces. Primus, est recta intentio, ut omnia fiant ad gloriam Dei et propter æternam salutem, non pro commodo temporali aut laude humana. Secundus, est delectatio operationi bonæ annexa : quæ tanto fit major, quanto diligentius atque frequentius facit quis opera bona, quia C per frequentationem consuetudinalem ac diligentem aufertur inclinatio ad mala virtuti contraria, et habitus ipse virtutis quasi in naturam convertitur, valdeque delectabiliter operatur. Unde in Proverbiis *Prov.* XXI, 15. scriptum est : Gaudium est justo facere justitiam. Sic et homini misericordi gaudium est facere opera misericordiæ ; et devoto gaudium est orationibus et meditationibus bonis ac Dei laudibus occupari et immorari.

Legitur de quodam magno milite qui in Colonia habitavit, quod videbatur mirabiliter virtuosus, in tantum quod consanguinei et amici ejus, eo defuncto, parum aut nihil oraverunt pro anima ejus, nec suffragia quæ pro defunctis fieri solent, pro ipso fecerunt aut fieri procuraverunt, ut Missas et eleemosynas : putabant enim certissime quod ab ore volasset in regnum cœlorum. Et tamen anima illa per multa centenaria annorum fuit in gravissimis purgatorii pœnis : et hoc ideo, quoniam miles ille, quamvis bonis operibus videbatur incessabiliter occupatus, tamen non egit ea satis pura intentione et solum ad honorem et gloriam Creatoris, sed etiam aliqualiter propter hominum laudes, in quibus plus quam licuit delectabatur, prout omnia ista postea fuerunt revelata. Ex quibus ostenditur quam vanum et fatuum sit propter humanos favores, applausus seu laudes, facere bona. Unde Christus in Evangelio contra vitia hypocritarum ita *Matth.* VI, 2, 5, 16. agentium specialiter loquitur, asserens quod receperunt suam mercedem.

Omnia igitur recto fine ac pura intentione agamus, et mente in Deo jucunda, sicut ait Propheta : Servite Domino in *Ps.* XCIX, 2. lætitia. Et Josue ait : Timete Dominum, et *Josue* XXIV, 14. servite ei corde perfecto atque verissimo.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE MILITANTI ECCLESIA, AC GRATIA ET PRIVILEGIIS EJUS.

Galat. IV, 26. ILLA *quæ sursum est Jerusalem, libera* D *est, quæ est mater nostra.* In hodierna epistola.

Legitur quod Alexandro nato, pater ejus putativus Philippus rex Macedonum Aristoteli scripsit : Natus est mihi filius, et

plus diis regratior quia natus est tuis diebus, quam quia natus est; nam spero eum tuis imbuendum doctrinis. Quanto magis nos Christiani, vero et omnipotenti Deo non tam regratiari debemus quod nati sumus, quam tempore Christi, hoc est tempore gratiæ ac evangelicæ legis, nati sumus, in quo cœlestibus, supernaturalibus ac saluberrimis quotidie edocemur doctrinis, præceptis, consiliis Salvatoris? Et istud ad nos religiosos potissimum pertinet, quos Creator piissimus sibi sequestravit in plebem peculiarem, in portionem electam, in plebem perfectam, cui in Evan-
Luc. XII, 32. gelio protestatur : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis re-
Joann. XVII, 6, 16. gnum. Et denuo loquens ad Patrem : Tui (inquit) erant, et mihi eos dedisti ; de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Verum, quo majora exstant beneficia Dei, eo damnabilior est ingratitudo ac negligentia nostra, si ingrati desidesque fuerimus. Idcirco, quo excellentiora gratiarum charismata nobis collata sunt, eo ferventiores gratioresque Deo et magis timorati esse curemus.

Denique quædam beneficia tangit in epistola ista Apostolus, quæ per Christum Ecclesiæ sunt collata. Primo, quod Ecclesia militans seu novum Testamentum et evangelica lex comparatur liberæ seu dominæ, et significata est per Isaac; Synagoga vero et vetus Testamentum comparatur ancillæ, et significata fuit per Ismaelem. Dicitur autem Ecclesia libera : non quod Deo et ejus vicario obedire non debeat ac servire servitute caritatis spontanea, sed quia a Christo est liberata a servitute peccati, a jugo diaboli, atque ab observantiis veteris Testamenti, quod fuit jugum gravissimum, sed duræ Judæorum cervici ad idololatriam proclivi recte injunctum. De quo in Actibus ait beatissi-
Act. XV, 10, 11. mus Apostolorum princeps : Quid tentatis onus imponere cervicibus discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, hoc est per fidem, spem, caritatem, per meritum Christi et per sacramenta ipsius. Synagoga vero vocata est ancilla, quia timore servili et temporalium pœnarum formidine Deo servivit. Nec vetus Testamentum gratiam continebat aut conferebat, quoniam sacramenta ejus fuerunt imperfecta, gratiam non continentia neque præstantia quemadmodum sacramenta evangelicæ legis, quæ ob hoc gratiam continere dicitur ac præstare. Verumtamen quidam in veteri Testamento Deo servierunt ex caritate. Dicitur quoque vetus Testamentum ancilla, similiter Synagoga, quia præambulum fuit, typus seu figura, dispositio ad evangelicam legem ac militantem Ecclesiam. Fuit etiam Synagoga servituti legalium observantiarum durissime prorsus subjecta.

Ut ergo simus veraciter Ecclesiæ filii, studeamus a vilissimo vitiorum jugo, a passionum nostrarum dominio, ab omni tyrannide propriæ animositatis, ab impetu iræ, impatientiæ et propriæ affectionis esse immunes, ne passionum immoderantia bestialis rationi prævaleat voluntatique dominetur, ne ira super nos equitet, ne concupiscentia trahat, ne impatientia corda nostra exagitet. Sed instar evangelici centurionis dicamus huic passioni, Vade, et *Matth.* VIII, 9.
vadat; et alteri, utpote moderato motui naturali, Veni ut servias rationi, et veniat; et servo nostro, scilicet corpori, Fac hoc, et faciat. Sicque Deus dirigat gressus no- *Ps.* CXVIII, 133.
stros secundum eloquium suum, ut non dominetur nostri omnis injustitia.

Secundo ait Apostolus de Ecclesia, quod ipsa nomine Jerusalem designata « est sursum » : quia per contemplationem ac ferventem amorem, ad Deum levatur, et vitam cœlestem ducit in terris, quemadmodum ait Apostolus, Nostra conversatio in cœlis *Philipp.* III, 20.
est; habet quoque promissa cœlestia, et prædicat ea, dicendo : Quæ sursum sunt *Coloss.* III, 1, 2.
quærite, ubi Christus est in dextera Dei Patris; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Synagoga vero expresse non habuit nisi promissa terrena. Unde sæpis-

Deut. v, 29-33; vi, 2 et seq.; x, 12 et seq.; xii, 28; etc. sime Moyses dixit : Dominum Deum tuum timebis, et hoc vel illud facies, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore super terram quam, Jordane transmisso, Dominus Deus tuus daturus est tibi. Sub illis tamen promissis terrenis subintelliguntur promissa cœlestia, quum certum sit bona terrena non posse esse sufficiens et condignum virtutis præmium.

Itaque, si cupimus veraciter esse filii Jerusalem seu militantis Ecclesiæ, discamus cœlestia contemplari, cœliformiter conversari, angelicam in terris ducere vitam, atque futuram jam beatitudinem inchoare. Quid namque est vita, beatitudo et gloria civium supernorum, nisi summam et incommutabilem veritatem incessanter clare in se ipsa per speciem contemplari; primam, increatam et incircumscriptibilem bonitatem ardentissime indesinenter diligere; Deum in se et intra se complecti, constringere, deosculari, in ipsum rapi ac feliciter absorberi, et deliciosissime obdormire seu conquiescere, ipso æternaliter frui, ejus interminabilem majestatem et incomparabilem excellentiam dulciter admirari, admirando gustare, gustando possidere, sicque securitate gaudere æterna, nec a Dei laudibus unquam cessare? Si ergo assidue conemur nos actualiter Deo conjungere, ejus laudibus omni hora insistere, orationibusque vacare, ad summæ et increatæ pulchritudinis contemplationem nos dare, superpurissimam Deitatem ardenter amare, incomparabilem Creatoris excellentiam sinceriter admirari, et semper boni aliquid operari, corporalia quoque quibus indigemus opera referre ad spiritualia, atque ad Dei gloriam et honorem agere universa, imo et in exterioribus seu corporalibus occupationibus mentem ad Deum frequenter erigere, meditando, orando, psallendo; tunc utique cœlestem agimus vitam, et futuram nunc beatitudinem inchoamus, ita quod sicut cella et cœlum conformitatem habent in nomine,

A sic conversatio cellæ cum vita civium cœli similitudinem habeat re. Ad hæc itaque omnia demus nos; assuescamus nos jugiter occupare in bonis, nullum temporis momentum infructuose pertranseamus; manducando, bibendo, exuendo, induendo, sedendo, stando, surgendo, ambulando, quiescendo, loquatur cor nostrum cum Deo, ita ut in somno quoque a psalmodiis, meditationibus, precibus non usquequaque cessemus. Et sic omnia vana fient nobis molesta; non cum hominibus fabulando,

B ridendo, hinc inde videndo, sed præfatis sanctis actibus insistendo erit consolatio nostra.

Tertio ait Apostolus de Ecclesia, quod ipsa multitudine fidelium personarum superet Synagogam. Ecclesia namque ex omnibus mundi gentibus est collecta, et toto terrarum orbe diffusa, quemadmodum in Daniele prædictum est : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei; atque *Dan.* vii, 14. in Psalmo, Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Synago- *Ps.* xxi, 28.

C ga vero ex uno Israelitico populo constans, in regno Judææ fuit arctata, juxta illud : Notus in Judæa Deus. *Ps.* lxxv, 2.

Quarto dicit, quod electorum Ecclesia a carnalibus et iniquis varias suffert persecutiones. Idcirco qui de numero esse appetit electorum, non renuat æquanimiter pati molestias injustorum, imo etiam fraternas correptiones, paternas correctiones, multiplices et caritativas exercitationes. Qui enim non exercetur, qui non tentatur, qui adversi nil patitur, non cognoscit se ipsum,

D non experitur qualis sit intus, nec discit frangere semetipsum; et dum putat aliquid se esse, statim invenit ac sentit se ira, impatientia ac ceteris passionibus plenum.

Desideremus ergo sic exerceri, et conemur funditus reformari, atque a venialibus quotidie magis magisque abstinere, sed et actibus virtuosis alacrius, stabilius, exuberantius inhærere. Ad laudem et gloriam Dei altissimi.

SERMO SEXTUS

DE CIBIS SPIRITUALIBUS ANIMÆ QUIBUS REFICI QUÆRERE DEBENT RELIGIOSI.

Joann. VI, 10. *FACITE homines discumbere.* In evangelio hodierno.

Deus omnipotens, dives et liberalis, qui aperit manum suam et implet omne animal benedictione, sciens animam hominis non minus indigere spiritualibus alimentis, quam corpus ejus materialibus cibis, dicit ac præcipit angelis sanctis, atque vicariis suis ovium suarum pastoribus : Facite homines vobis commissos discumbere, et spiritualiter eos reficite. Multiplicem quippe cibum ac potum spiritualem ovibus suis providit : et aliquos eis per se ipsum immediate largitur, aliquos vero per suos ministros, angelos ac prælatos. Deus etenim immediate per se ipsum gratiam, fidem, spem, caritatem, septem dona Spiritus Sancti, ceterasque virtutes infusas distribuit plebi suæ, quam et per se ipsum immediate actualiter movet et excitat ad bene agendum ; nihilo minus unus homo per alium hominem et per angelum disponitur ad suscipiendum charismata ista a Deo. Porro alia spiritualia alimenta, videlicet ecclesiastica sacramenta, divina eloquia, correptiones et disciplinas, præstat Dominus ovibus suis per suos vicarios, quibus quotidie loquitur per Scripturas et per allocutionem seu inspirationem internam : Facite homines discumbere. (*Ps.* CXLIV, 16.)

Quemadmodum autem corpus indiget alimento, quo recuperetur deperditum, homo corroboretur, in esse servetur, atque ad debitam perveniat quantitatem ; sic anima spiritualibus alimoniis incessabiliter eget, quibus præteritorum dierum negligentiæ reparentur, et anima contra vitia confortetur, in esse gratiæ teneatur, atque ad profectum suæ vocationi congruentem perducatur. Verumtamen in his animæ et

A corporis refectionibus grandis differentia invenitur. Primo, quoniam corpus cibo celeriter ita repletur, quod plus capere nequit ; et si amplius sumpserit, magis debilitatur, infirmatur ac læditur, et evomit sumptum. Anima vero, quo spiritualibus alimoniis magis reficitur, eo capacior fit earum, ac magis corroboratur. Secundo, quoniam corpus cito ad tantam pervenit quantitatem, quod quantumcumque nutriàtur, non valet plus crescere. Anima vero, durante hac vita indesinenter cre-

B scere potest, spiritualiterque augeri ac perfici. Tertio, quoniam cibus corporeus, quantumlibet delicatus ac dulcis, cito in nauseam vertitur, si immoderatius accipiatur. Spiritualis vero alimonia, quo abundantius sumitur, eo plus delectat, directe loquendo. Quarto, quia corporale alimentum in substantiam accipientis convertitur. Spirituale vero alimentum, potissimum Eucharistiæ sacramentum, manducantem convertit in se ; similiter caritas ac reliquæ virtutes hominem quasi in se

C transformant, ita ut homo virtuosus in caritatis, pietatis ac bonitatis affectum mutari dicatur.

Denique, quidquid animam spiritualiter roborat, reparat, conservat, proficere facit ac perficit, cibus seu potus ejus rite vocatur. Et sicut se habet fames in corpore, sic desiderium in anima. Imo desiderium fames animæ appellatur, Christo loquente : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. In *Matth.* v, 6. quibus verbis, per sitim atque esuriem desiderium mentis exprimitur. Quum igitur

D anima insatiabile et interminabile quodammodo desiderium habeat, quod nullo valet creato bono repleri, neque in vita hac contentari, imo nec summo infinito-

que bono, quod Deus est, satiari, nisi eo A per speciem viso ac fruitive adepto feliciterque possesso; indiget assidue aliqua cibi boni refectione et gustu foveri ac refici, roborari ac conservari, quatenus tandem ad plenam, beatificam, contentativam et satiativam ipsius adeptionem ac possessionem pertingat. Nec in aliis bonis unquam poterit anima satiari, aut desiderium ejus impleri, quia quocumque creato adepto, potest aliquid majus concipere et optare. Ideo Augustinus disseruit : Domine, creasti nos propter te; et inquietum est cor B nostrum, quousque perveniat ad te, et videat atque possideat te. Et Bernardus : Ad *Gen.* I, 27. imaginem (inquit) Dei facta est anima rationalis ; ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest omnino. Capacem Dei quidquid Deo minus est non implebit. Hinc naturali desiderio probatur unusquisque summum appetere bonum, nullam, id est non plenam, nisi eo adepto, requiem habiturus. Et rursus : Quis est qui cupit desiderium suum repleri? *Matth.* V, 6. Incipiat esurire ac sitire justitiam ; studeat saltem aliquantu- C lum gustum justitiæ experiri, ut amplius inflammetur ad eam, et incrementum ipsius quotidie mereatur. Porro justitia nostra est, ut ea quæ Ordinis nostri sunt, strenue observemus, et vocatione hac digne coram *Ephes.* IV, 1. Altissimo ambulemus; sicque minora, imo et minima servemus cum diligentia nobis possibili, sicut majora et maxima, quum dicat Scriptura : Qui timet Deum, nihil *Eccle.* VII, 19. negligit ; itemque, Qui negligit modica, *Eccli.* XIX, 1. paulatim decidit.

Insuper, ut sanctus ait Bernardus, qui D in congregatione seu claustro est constitutus, laudabiliter conversatur, si ordinabiliter, socialiter et humiliter vivat : ordinabiliter sibi, socialiter proximis, humiliter Deo. Sed et dicere possumus, quod in congregatione vivendum sit ordinabiliter, socialiter, humiliter, et devote : ordinabiliter quidem (ut dictum est) sibi, socialiter proximis, humiliter præsidenti, devote Domino Deo. Religiosus ergo ordinabiliter vivat, ut in omni vita sua sollicitus sit observare vias suas, seu bene habere se coram Deo et fratribus, ut caveat sibi ipsi a peccato, et illis a scandalo. Hoc est quod ait Apostolus : Providentes bona non solum coram *Rom.* XII, 17. Deo, sed etiam coram hominibus. Socialiter quoque vivat, ut studeat amare et amari, et pium atque affabilem se exhibere, supportare non solum patienter sed et libenter infirmitates fratrum suorum, tam morum quam corporum. Unde et Seneca ait : Ita in communitate te geras in medio, ut nemo te habeat quasi agrestem, durum ac asperum, neque despiciat ut puerilem et levem. Ex quo elicitur, quod vivens in medio fratrum non debet esse nimis abstractus ac rigidus. Humiliter quoque se habeat suo prælato, ei obediendo ac cordialem reverentiam impendendo; devote Deo, ut ei omne bonum adscribat, nec de prætactis virtutibus inaniter extollatur, sed spiritum vanitatis qui hujusmodi nasci solet, omnino studeat exsufflare, et quantumlibet sentiat eum, consensum prorsus negare.

Postremo, secundum Bernardum, etiam in sustinendo malum oportet triplicem providentiam adhibere, eo quod malum sit triplex. Est enim malum unum quod homo patitur a se ipso, aliud quod a proximo, tertium quod a Deo; et addere possumus quartum, puta, quod patimur a diabolo. Primum malum pœnale quod homo patitur a se ipso, quod tamen est bonum virtutis, est austeritas pœnitentiæ; secundum est vexatio humanæ malitiæ ; tertium, flagellum correctionis divinæ ; quartum, impugnatio tentationis diabolicæ. In malo prætacto quod homo patitur a se ipso, debet Deo voluntarie sacrificare, *Ps.* LIII, 8. id est opera ardua pœnitentiæ sponte ac prompte peragere ac sufferre; in eo quod a proximo patitur, debet patiens esse; in eo quod fert a Deo, debet sine murmure et cum gratiarum actione sustinere; in eo quod a diabolo, debet indefesse resistere.

Ecce si ista egerimus, boni religiosi verissime erimus. Ideo Dominum Jesum Christum affectuosissime invocemus, ut cum turba dignetur nos ita reficere, taliter

educare, potare, et Spiritus Sancti fervore inebriare, quatenus juxta præinducta, vere monastice conversemur, proficiamus ac perficiamur. Ad laudem et gloriam summæ, adorandæ ac supergloriosissimæ Trinitatis. Amen.

SERMO SEPTIMUS

DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE QUINQUE PANUM DUORUMQUE PISCIUM, QUOS BONI RELIGIOSI ASSIDUE IN ANIMÆ REFECTIONEM ACCIPERE DEBENT.

Joann. VI, 11. ACCEPIT *Jesus panes; et quum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* In evangelio hodierno.

Dominus et Salvator noster, secundum quod homo, in ipso incarnationis suæ exordio accepit a tota superbeatissima Trinitate omnium divinorum charismatum affluentiam summam, in tantum quod tota animæ suæ capacitas fuit in illo momento repleta omni gratia ac virtute, omni dono, fructu et beatitudine; et de eis indesinenter gratias egit Deo, et tempore opportuno distribuit ea hominibus, id est, fidelibus suis ea communicavit, et tanquam caput in membra sua influxit, juxta illud Joannis : De plenitudine ejus nos omnes accepimus. (Ibid. I, 16.) Nam et princeps Apostolorum hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (I Petr. IV, 10.) Itaque quinque panes spirituales, per quinque panes materiales quibus pavit turbam, mystice designatos, quos a Deo Trinitate accepit, electis communicavit, distribuitque hominibus; et eos per Apostolorum prædicationem atque miracula ad illorum perduxit panum spiritualium esum et gustum.

Denique, quoniam rationalis animæ desiderium quietare et contentare nil valet, nisi bonitas sui creatoris immensa objectaliter, ejusque beatifica visio fruitiva formaliter (propter quod dixit Propheta : Satiabor quum apparuerit gloria tua; (Ps. XVI, 15.) et, Replebis me lætitia cum vultu tuo); (Ps. XV, 11.) hinc primus delicatissimus ac nobilissimus omnium Beatorum in patria ac devotorum in via panis, est Deitas ipsa, Trinitas superbenedicta et adoranda, quæ sua clara ac gloriosa præsentia suavissime reficit et quietat cives cœlestes, sua quoque ænigmatica ac gratiosa præsentia reficit et confortat viatores terrestres. Hunc panem supersubstantialem, dulcissimum, inconsumptibilem et invariabilem, plenissimo mentis ore Beati cum ineffabili aviditate accipiunt, edunt, gustant indesinenter absque fastidio, cum gaudio pleno, usque ad satietatem seu contentationem plenariam, et ipso æternaliter ac securissime perfruuntur ad libitum. Unde in Evangelio legitur : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. (Luc. XIV, 15.) Et in Joanne ait Salvator Judæis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem verum; (Joann. VI, 32.) panis enim Dei est qui descendit de cœlo, (Ibid. 33.) videlicet Filius Dei Patris. Propter quod subdit ibidem : Ego sum panis vitæ. (Ibid. 48.) Quæ verba de Christo secundum utramque suam exponuntur naturam.

O quam vere immensa est bonitas Dei, dilectio Dei, dignatio Dei ad suos electos ! O quam beata sunt vasa misericordiæ ejus; quam beatissimi sunt qui ipso jam feliciter perfruuntur; quam dulce est frui ac refici pane illo, qui essentialiter et infinibiliter dulcis est, imo qui est dulcedo superessentialis, separata ac penitus infinita ! De qua refectione Christus in Cœna novissima suis promisit Apostolis, et in eorum persona cunctis fidelibus : Ego dispono (Luc. XXII, 29, 30.)

vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno. Ad hanc felicissimam refectionem, ad tam infinitæ dignitatis atque increatæ dulcedinis panem, ad tam præstantissimum et æternum convivium (de quo in Apocalypsi vox divina intonuit : *Apoc.* XIX, 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt) ferventissime adspiremus, celerrime properemus ; ad ipsum indesinenter ac diligentissime nos paremus, os animæ, id est intellectum, prorsus purgando ab omni cogitatione immunda, ab omni errore et ignorantia quæ sit culpa, voluntatem quoque ab omni inordinato affectu : sicque in sanctitate et justitia Domino ministrantes, illius sacratissimæ refectionis jucundissimum mereamur assidue incrementum. Desiderio panis illius, nunc libentissime castigemus corpora nostra jejunio, abstinentia, vigiliis, disciplinis, ac ceteris exercitiis virtuosis.

Denique panis iste etiam in præsenti *Ps.* LXII, 6. devotos reficit viatores; et tanquam adipe et pinguedine quosdam replet, quemadmodum unus illorum dixit, animam suam ad gratiarum actionem super hoc hortans, *Ps.* CII, 5. loquendo ad eam de illo : Qui replet in bonis desiderium tuum. Sed et nonnullos panis iste supercœlestis tanto afficit suæ suavitatis sapore, tanta lætificat suæ dulcedinis participatione, quod omnem corporeum fastidiunt cibum, et post aliquot dies vix afficiuntur ad illum, imo ad mensam quasi ad carcerem pergunt. Tales fuerunt beatissimi viri abbas Pastor et S. Bernardus, mirabilis quoque ac devotissima virgo Catharina de Senis, quæ quotidie rapiebatur mirabiliter valde ad Deum. Talis fuit et S. Isidorus presbyter, qui in mensa frequenter rapiebatur, et manducando lacrimabatur, dicens : Quia erubesco corporalem cibum instar irrationabilium animalium sumens, quum rationalis a Deo creatus sum, qui deberem paradisi frui deliciis. Talis et sublimiter fuit vas electionis eremi, sanctissimus Sisois abbas, cui multoties suus dixit discipulus : Sur- A ge, Abba, et comedamus. Respondit senex : Et non comedimus adhuc, fili ? Qui ait : Non, Pater. Tunc sanctus ille respondit : Si nondum manducavimus, surge, et manducemus.

Imo breviter perstringendo, tales fuerunt communiter sancti anachoretæ. Recitat namque Cassianus ex ore sancti Joannis, qui post eremi habitationem mansit in congregatione cœnobii, et causa urgente retulit de se ipso : Memini me frequenter in hujusmodi raptum excessus, ut B obliviscerer me corporeæ sarcina fragilitatis indutum, mentemque meam omnes exteriores sensus subito reliquisse, atque a cunctis materialibus rebus omnimode exsulasse; et ita divinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, ut sæpe ad vesperum cibum me percepisse nescirem, et die sequenti de hesterna comestione penitus dubitarem. Quam ob causam septem dierum cibus, hoc est septem paria paximaciorum, sequestratim in sporta sabbato reponuntur, ut refectio C prætermissa non lateat. O quam sancti, spirituales ac divinissimi fuerunt viri illi tam præelecti ! Quam certum et supercertissimum veritatis fidei christianæ argumentum sumi potest ex illis ! Quorum Patrum consideratione, merito verecundari et in infinitum nos humiliare debemus, qui adhuc tam carnales, tam pusilli et passionabiles invenimur, et per hoc nomine monachi demonstramur indigni.

Secundus panis quo in isto exsilio spiritualiter a Deo reficimur, est contempla- D tio divinorum, quæ intellectum vehementer refovet, roborat et delectat, sicque abominari ac relinqui facit carnalia ac terrena. De qua ait Apostolus : Nos au- II *Cor.* III, 18. tem revelata facie gloriam Domini speculantes. Hæc contemplatio rapit omnem animam desiderio contemplandi tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia magis erectam, et tanto ad spiritualia magis erectam quanto a carnalibus desideriis affectibusque terrenis plus mortuam. Ideo

recte dixit Chrysostomus : Nemo eorum qui delectantur præsentibus et caducis potest cœlestia ac spiritualia contemplari; qui vero ista contempserit, et velut umbram ac pulverem duxerit, velocius ad illa perveniet.

Tertius panis, est Eucharistiæ sacramentum, quo omni hora spiritualiter refici possumus ac debemus, juxta illud : Crede, et manducasti. Ideo Dei Verbo propter nos incarnato uniamus cor nostrum omni hora, et ipsum spiritualiter amplectamur, accipiamus; et sancto desiderio sacramentum tantum sumamus, cuncta quæ Christus pro nobis assumpsit, fecit ac pertulit, affectuosissime recolentes.

Quartus, panis est lacrimarum, fletus salubris, ex contritione, aut futuræ felicitatis appetitione, seu complacentia Dei, aut dominicæ passionis compassione, aut alia pia causa proveniens. Unde ait Propheta :
Ps. XLI, 4. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac
Ps. LXXIX, 6. nocte; et, Cibabis nos pane lacrimarum.

Quintus, panis est bonæ operationis : de
Joann. IV, 34. quo ait Salvator, Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Quo cibo incessanter animas nostras reficiamus, ut nunquam otio torpeamus, sed fructuose jugiter occupemur.

Porro, per duos pisces qui panibus dulcem præstiterunt saporem, fervor dilectionis et consolatio spiritualis congrue designantur, quia hæc duo omnem pro Deo laborem, omnem actum et occupationem reddunt levem, desiderabilem, alacrem et suavem. Quid namque fervide Deum amanti poterit esse difficile, quum et viri sancti ac fervidi ipsa atrocissima pro fide martyria cum gaudio accesserunt, hilariter pertulerunt? Quemadmodum sacratissimus Andreas apostolus, cruce sibi parata eminus visa, se ipsum præ gaudio vix capere potuit; et beatissima Agatha ad carcerem quasi ad epulas ivit.

De hac vero materia dici possent plura salubria, quia et alii multi sunt panes spirituales, et spiritualia pocula ac condimenta interna ; sed brevitati studere oportet.

His ergo prænominatis panibus ac piscibus spiritualibus reficiamur quotidie, ac intime impinguemur. Carnalia oblectamenta et vana solatia aspernemur; verba illicita, potissimum pungitiva, detractoria, turbativa, et quæ cachinnos, dissolutiones distractionesque provocant, detestemur. Ædificatorii sint nostri sermones, honesti mores, exemplaresque actus, præsertim etiam coram extraneis. Nec impertinentia inquiramus, neque libenter inutilia audiamus : imo si aurem avertere corporalem non possumus, mentem Deo jungamus, secrete orando aut meditando. Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis.

DOMINICA PASSIONIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CHRISTUS ADSISTENS PONTIFEX, ETC. Hebr. IX, 11-15.

CONVENIENTER in dominica ista, quæ dominica Passionis vocatur, ista epistola legitur, quia in ea de Christi passione atque effectibus passionis ejus tractatur. Ait ergo Apostolus :

Christus, id est unigenitus Dei Patris Filius, qui secundum naturam humanam, a Deo Patre, imo tota supergloriosissima Trinitate, unctus est spirituali ac invisibili unctione, videlicet totius gratiæ ac virtutum plenitudine, juxta illud in Psalmo :
Ps. XLIV, 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Unde in Actibus princeps
Act. X, 38. Apostolorum testatur : Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute. Itaque Christus *adsistens* Patri ad interpellandum pro nobis, juxta illud primæ Joannis : Advoca- I *Joann.* II, 1.
tum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Christus namque secundum
Rom. VIII, 34 ; *Hebr.* VII, 25 ; I *Tim.* II, 5. humanam suam naturam, orat pro nobis tanquam Dei et hominum mediator, quemadmodum ad Romanos et ad Hebræos scribit Apostolus. Insuper Christus est « adsistens » Patri tanquam paratus succurrere
Act. VII, 56. nobis. Propter quod Stephanus dixit : Video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Sic ergo Christus adsistens *pontifex,* id est summus sacerdos,
Ps. CIX, 4. secundum illud Psalmi : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchise-
I *Petr.* V, 4. dech. Unde prima Petri vocatur princeps pastorum. Dicitur autem Christus pontifex, non quia legales hostias immolavit ut sacerdotes veteris Testamenti, sed quoniam semetipsum obtulit immaculatum Deo Patri pro mundo. Hinc ait Apostolus :
Christus dilexit nos et tradidit semetipsum *Ephes.* V, 2.
pro nobis, oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. Christus quoque in Cœna novissima sacramentum novæ legis in- *Matth.* XXVI, 26-28; I *Cor.* XI, 23-26.
stituit, primamque Missam celebravit, atque Apostolos ordinavit in sacerdotes. Hinc rursus in prima sua Canonica loquitur beatissimus Petrus : Conversi estis ad pa- I *Petr.* II, 25.
storem et episcopum animarum vestrarum.

Itaque « Christus pontifex », id est suo pontificatu collator, *futurorum bonorum,* id est cœlestium præmiorum; vel, « futurorum bonorum », id est donorum gratiæ, quæ in evangelica lege Christianis collata sunt, et tempore veteris Testamenti, seu etiam prædicationis Apostolorum, futura erant per totum mundum, prout modo impletum est; *per amplius,* id est multo majus atque capacius, *et perfectius tabernaculum,* utpote cœlum, *non manufactum,* id est non hominum manibus fabricatum, *id est non hujus creationis,* id est non humanæ molitionis; vel, « non hujus creationis », id est non exsistens de natura et numero inferiorum creaturarum, quæ corruptibiles sunt, ut elementa et mixta : illud enim incorruptibile est; *neque per sanguinem*
hircorum aut vitulorum, effusum juxta *Lev.* XVI, 14, 15, etc.
ritum Mosaicæ legis : pontifex quippe in veteri lege intravit in Sancta sanctorum, hoc est in partem templi sic dictam, cum prævia effusione sanguinis vitulæ rufæ aut

hirci; *sed per proprium sanguinem,* id
est cum præcedenti effusione proprii sanguinis facta in die Parasceves, *introivit*
Marc. xvi, 19. *semel,* puta in die Ascensionis, *in Sancta,*
hoc est cœleste tabernaculum seu cœlum
empyreum, præfigurata per Sancta sanctorum, *æterna redemptione inventa,* id est
vera beatitudine nobis per Christi passionem procurata atque comperta, quæ in
veteri lege non valuit inveniri.

Deinde probat Apostolus per locum a
majori, quod sanguis Christi fuit sufficiens
redimere genus humanum. *Si* (pro Quia)
enim sanguis hircorum et taurorum, et
Lev. xvi, 16; Num. xix, 9. *cinis vitulæ* combustæ mixtus aqua, *adspersus* cum aqua super immundos, *inquinatos* macula aliqua exterioris hominis, *sanctificat,* id est, purgat ab hujusmodi
macula, *ad emundationem carnis,* hoc est
ad acquirendam corporalem munditiam.
Talia namque non poterant peccata auferre, sed ab exteriori mundabant impuritate seu legali irregularitate, ob quam
quis prohibebatur a templi ingressu. Accipiebatur enim in veteri Testamento omni anno una vacca rufa, in qua nulla fuit
macula, et quæ nunquam portavit jugum,
comburebaturque tota cum pelle et fimo;
deinde cinis ejus miscebatur cum aqua :
sicque fiebat aqua expiationis, qua sacerdos per totum annum adspergebat populum, purgabatque eum ab irregularitatibus
quibusdam legalibus contractis ex contactu alicujus immundi et a divino cultu
Num. xix, 2 et seq. impedientis, ut scribitur in libro Numeri,
ut posset ingredi templum. Figurabat autem aqua illa aquam Baptismi, in qua est
cinis vitulæ combustæ, hoc est virtus passionis dominicæ, a qua Baptismus suam
sortitur virtutem. *Quanto magis sanguis*
Christi, qui per Spiritum Sanctum, id
est Spiritu Sancto inspirante ac cooperante, *semetipsum* secundum naturam humanam, *obtulit* in cruce *immaculatum Deo*
Is. liii, 7, 12. Patri (oblatus est enim quia voluit, et
tradidit in mortem animam suam, ut in
Isaia legitur), *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis,* id est pecca-

A tis, quæ lædunt vitam naturæ, carentque
vita gratiæ, et inferunt mortem culpæ atque æternæ miseriæ, ac privant peccantem vita gloriæ, *ad serviendum Deo viventi,* hoc est, ut a peccatis mundati
serviamus Deo, totius vitæ fontali principio, juxta illud, Visitavit et fecit re- Luc. i, 68, 74, 75.
demptionem plebis suæ, ut sine timore, de
manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram
ipso omnibus diebus nostris ?

Porro, Christus per sanguinis sui pre-
B tiosissimi effusionem liberavit homines
universos sufficienter; sed efficienter et
efficaciter liberat, mundat et salvat electos, quibus virtus ac meritum passionis
Christi applicatur per sacramenta Ecclesiæ, vel saltem per fidem et bonum propositum, si desit facultas suscipiendi ecclesiastica sacramenta. Quæ omnia a passione
Christi suam habent virtutem et gratiam
sanctificativam, dempto Eucharistiæ sacramento, in quo ipsemet Christus vere
substantialiter continetur. Præterea san-
C guis Christi efficaciam habuit emundandi
ac redimendi ex unione cum Verbo æterno, divino et increato supposito, ex quo
habet quamdam infinitatem virtutis et efficaciæ suæ.

Et ideo, id est, quoniam Christus obtulit se pro nobis, idcirco *novi testamenti*
mediator, id est medius dator, *est,* inter
Deum et hominem medians, novamque
legem instituens ac proponens; *ut morte*
intercedente, id est, merito passionis Christi pro nobis interveniente, *in redemptio-*
D *nem earum prævaricationum,* id est ad obtinendum indulgentiam transgressionum,
quæ erant sub priori testamento, id est,
tempore veteris testamenti vigebant, nec
per Moysis legem auferri valebant, *repromissionem accipiant,* id est, cœleste bonum promissum consequantur, *qui vocati*
sunt vocatione æternæ prædestinationis
(de qua ad Romanos asseritur : Quos præ- Rom. viii, 30.
destinavit, hos et vocavit), promissionem,
inquam, *æternæ hereditatis,* hoc est æternam felicitatem, quæ est vera hereditas

electorum. Christi etenim passione ac merito aperta est janua regni cœlestis, et prædestinati salvantur. Postremo duplex exstat vocatio, utpote : æternæ prædestinationis, de qua prætactum est; et præsentis A justificationis seu perductionis ad fidem, de qua ait Salvator, Multi sunt vocati, pauci vero electi. *Matth.* xx, 16; xxii, 14. Quocirca scribit Gregorius : Multi veniunt ad fidem, et pauci consequuntur æternam salutem.

SERMO PRIMUS

DE SEPTEM QUÆ AD PONTIFICEM CHRISTUM SPECIALITER SPECTANT, ET DE SPIRITUALIBUS EFFECTIBUS SANGUINIS EJUS.

S*ANGUIS Christi emundabit conscientiam nostram.* Hebr. IX, 14. B

Juxta doctrinam Scripturæ novi ac veteris Testamenti, Christus vocatur pontifex et sacerdos, quoniam multos habuit actus sacerdotum atque pontificum. Primo enim ad sacerdotem pertinet inter Deum ac populum mediare, et ea quæ Dei sunt populo exhibere, populum quoque Deo reconciliare, sacramenta populo ministrare, et ei gratiam Dei acquirere, preces et vota populi Deo offerre. Hæc omnia excellentissime fecit Christus, qui dicitur mediator (I *Tim.* II, 5.) C Dei et hominum, cum utroque extremo communicans, quoniam et veram habet deitatem et veram humanitatem. Ipse igitur quæ sunt Dei hominibus dedit, eos docendo, gratiarum charismata tribuendo, sacramenta ecclesiastica instituendo ac exhibendo; homines quoque sua passione ac obedientia Deo reconciliavit, (II *Cor.* v, 19.) pro ipsis oravit, eorumque preces et vota obtulit (*Luc.* XXIII, 34.) Deo. Pontifex vero, secundum divinum Dionysium, (De Eccl. hier. c. I, v, etc.) appellatur summus hierarcha, id est summus sacer princeps sacerdotum D sibi subditorum : quod maxime competit Christo.

Secundo, ad pontificem pertinet excommunicatos absolvere. Omnes autem qui in mortali sunt culpa, sunt modo aliquo excommunicati, hoc est extra sanctorum communionem locati, quia non sunt in caritate, per quam homo fit particeps bonorum quæ faciunt virtuosi. Christus ergo excommunicatos absolvit, quoniam peccatores a vinculis vitiorum dissolvit, atque in caritate eos constituit, juxta illud Apocalypsis : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (*Apoc.* I, 5.) Christus quoque quotidie per sacerdotes suos peccatores absolvit : in cujus figuram dixit discipulis, loquens de Lazaro suscitato, Solvite eum, et sinite abire. (*Joann.* XI, 44.)

Tertio, ad pontificem pertinet ecclesias instaurare ac dedicare. Unde quarto Regum habetur, quod Joas rex vocans Joiadam pontificem ac reliquos sacerdotes, dixit ad eos : Quare sarta tecta templi non instaurastis? (IV *Reg.* XII, 7.) Sic spiritualiter Christus fundavit, dedicavit seu sanctificavit universalem Ecclesiam ac particulares Ecclesias, homines convertendo per gratiam suam ad fidem et caritatem, ministerio prædicationis Apostolorum et aliorum sanctorum; frequenter quoque collapsam Ecclesiam reformavit in moribus, atque ad pristinum gratiæ decus reduxit, variisque gratiarum decoravit muneribus, juxta illud Psalmistæ : Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. (*Ps.* XLV, 5.)

Quarto, ad pontificem pertinet clericos ordinare sacerdotesque facere, et ad summum spectat pontificem consecrare episcopos. Hæc omnia fecit Christus, qui in Cœna Apostolos constituit sacerdotes, et eosdem fecit episcopos, secundum quos- (*Matth.* XXVI, 26-28; I *Cor.* XI, 23-26.)

Joann. XX, 22, 23. dam, quum dixit : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vel quum dixit, Euntes in *Marc.* XVI, 15. mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Christus quoque, secundum Apostolum, quosdam posuit Apostolos, alios Evangelistas, alios pastores et *Ephes.* IV, 11. doctores : sicque ordinavit et distinxit clerum Ecclesiæ.

Quinto, ad pontificem pertinet beneficia dare. Sic et Christus varias largitur gratias in præsenti, videlicet diversa dona gratiæ gratum facientis ac gratiæ gratis datæ; in B regno quoque cœlesti dat beneficia gloriæ juxta exigentiam meritorum : propter quod in Joanne dixit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, hoc est diversi gradus *Joann.* XIV, 2. præmiorum juxta differentias meritorum.

Sexto, ad pontifices pertinet virgines velare et consecrare. Sic et Christus animas electorum sibi desponsat et consecrat.

Septimo, pontificum est chrisma conficere. Quod et Christus spiritualiter facit, per internam unctionem instruendo fideles, quemadmodum in prima sua epistola C ait Joannes : Unctio ejus docet vos de omnibus. Christus quoque omnia sacramenta *I Joann.* II, 27. evangelicæ legis fertur instituisse, ergo et chrisma.

Insuper, circa verbum Apostoli asserentis quod « sanguis Christi emundabit conscientiam nostram », considerandum est *Hebr.* IX, 14. quod sanguis Christi fideliter consideratus, multiplicem habet salutarem effectum. Nam primo movet et excitat peccatorem ad pœnitendum de suis malitiis. Dum enim D peccator considerat quod pro suis peccatis sanguis Christi effusus est, abhorret propria crimina; et dolet de eis, considerando quod Deus in tantum odit peccata, quod maluit unigenitum et superdilectissimum Filium suum tam acerbissimam mortem pati, quam peccata hominum inulta relinqui. Deinde, quando peccator considerat quod pro suorum vitiorum deletione Filius Dei tam sollicitus fuit et tanta sustinuit, confunditur in se ipso de ingratitudi-

A ne et negligentia propria : sicque excitatur ad pœnitentiam salutarem.

Secundo, sanguis Christi fideliter consideratus a pœnitentibus, desperationem excludit, et eis confidentiam præbet. Dum enim consideramus quod Christus in tantum dilexit nos, quod sanguinem suum fudit pro nobis, quodque pro nostra salute tantum laboravit, tanta fecit ac pertulit, dubitare non possumus quin vere pœnitentibus paratus sit indulgere et dona gratiæ impertiri. Habitis enim gratis ab amico beneficiis majoribus, confidit homo securius de minoribus.

Tertio, sanguis Christi movet et excitat confidentes ad pugnandum fortiter contra tentamenta dæmonum ac aciem vitiorum. Quemadmodum legitur de uxore quadam cujus maritus occisus fuit, quod ostendit filiis suis camisiam patris cruentatam, ut provocaret et animaret eos contra homicidas; ita peccator jam pœnitens et de venia sperans, considerando sanguinem Christi, et corpus ejus pro se sanguine perfusum fideliter intuens, provocari debet ad resistendum peccatis atque dæmonibus, et armari ac animari ad aggrediendum exercitia virtuosa, quibus superatur diabolus. Viso namque vexillo et principe primo surgente ad pugnam, colligit miles vires suas, et facit quod alias non faceret; similiter Christianus videns Christum sic contra diabolum dimicasse, et corpus ejus sanguine rubricatum, roborare se debet ad spiritualem militiam, ut non cedat peccatis. Ideo princeps Apostolorum inquit : Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. Iterum, sanguis Christi *I Petr.* IV, 1. confortat ad sustinendum patienter labores propter virtutes, et adversitates propter Deum. Propter quod Paulus ait apostolus : Recogitate eum qui talem sustinuit adversus se a peccatoribus contradictionem, *Hebr.* XII, 3. ut non fatigemini animis vestris. Domino enim sustinente adversa et gravia, servi et subditi æquanimius sustinent secum.

Quarto, sanguis Christi movet pugnantes ad contemplationem cœlestium præmio-

rum : quatenus sicut Christus per sanguinis sui effusionem pervenit ad corporis sui glorificationem atque cœlestis regni
Luc. XXIV, 26. ingressum, juxta illud Lucæ, Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam; sic Christianus Christi vestigia sequens, per prœliationem suam contra peccata consideret se mereri ac adipisci regnum cœ-
II Tim. II, 5. lorum : quia ut ait Apostolus, Non coronatur
Rom. VIII, 17; II Tim. II, 12. nisi qui legitime certaverit; et rursus, Si compatimur, et conregnabimus.

Quinto, sanguis Christi introducit contemplantes ad præmium felicitatis æternæ. Est enim pretium humanæ redemptionis et persolutio debiti pro peccatis generis humani, atque per ipsum aperta est janua regni cœlestis. Ideo, sicut debito persoluto restituitur hereditas impignorata, ita per sanguinem Christi redditur electis æterna illa cœlestis hereditas, jux-
Ps. CXXVI, 2, 3. ta illud in Psalmo : Quum dederit dile-
A ctis suis somnum, ecce hereditas Domini.

Consideremus ergo diligentissime omni die Christi passionem, mortem et sanguinem, ut præfatos in nobis causent effectus. Nemo tam duri sit cordis, qui ex consideratione passionis et sanguinis Christi non emolliatur ad pœnitentiam. Legitur quippe, quod quamvis adamas sit lapis durissimus, ita ut ferro scindi ac dividi nequeat, nihilo minus sanguine scinditur agni : multo magis sanguine Christi, qui verus est agnus Dei tollens peccata mun- Joann. I, 29, 36.
B di, scindantur corda nostra ad opera pœnitentiæ ac devotionis. Legitur quoque, quod quamvis leo sit audacissima bestia, tamen viso vulnere catuli sui terretur : nullus ergo sit adeo intimoratus, quin attentis vulneribus Filii Dei propter peccata generis humani, formidet districtionem divini judicii atque enormitatem peccati, seque in cunctis emendet.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DICEBAT JESUS TURBIS JUDÆORUM : QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO ? ETC. Joann. VIII, 46-59.

RECTE in ista dominica præsens evangelium legitur, quia in eo disputatio continetur ex qua Judæi fuerunt vehementer accensi contra Christum, et moti ad ejus occisionem : imo in fine disputationis, eum lapidare, hoc est lapidum projectionibus trucidare, conati sunt. Idcirco in ista Passionis dominica convenienter legit Ecclesia evangelium istud, quia ex hoc die usque ad solennitatem paschalem, omnes Christifideles in dominicæ passionis memoria specialissime occupare et exercere se debent, imo et compassione ac imitatione Christo se conformare, gratesque agere. Itaque, dum Christus quadam vice incredulitatem ac perversitatem Judæorum dure ac multi-
C pliciter increpasset ac reprobasset, inter cetera dixit turbis eorum ac principibus sacerdotum :

Quis ex vobis, o Scribæ, et Pharisæi, ac sacerdotes, ceterique Judæi, *arguet me* veraciter *de peccato* quocumque, magno aut parvo, mortali aut veniali, originali vel personali ? quasi dicat : Nullus vestrum me reprehendere vere potest. Frequenter equidem arguerunt Christum de peccato, dicendo, quod sabbatum violaret, quod in Matth. XII, 24; Joann. V, 18; VIII, 13; IX, 16, etc.
principe dæmoniorum ejiceret dæmones,
D quod de se ipso testimonia ferret mendosa; sed mentita est iniquitas sibi. Christus Ps. XXVI, 12.
enim secundum suam deitatem, essentialiter sanctus et impeccabilis fuit et est, tanquam virtus virtutum et puritas infi-

Sap. VII, 26. nita, candorque lucis æternæ, et speculum A sine macula majestatis paternæ. Porro secundum suam humanitatem, confirmatus fuit in bono ab incarnationis exordio, non solum propter beatificam animæ suæ fruitionem in Deo, sed multo plus propter hypostaticam unionem cum Verbo, propter quam habuit omnium charismatum plenitudinem divinorum, gratiamque tam perfectam, plenam seu magnam, quod major conferri creaturæ non potest, eo quod majoris gratiæ creatura capax non sit. Hinc Christus secundum utramque naturam dici potest Sanctus Sanctorum, quia et sanctitas ejus creata omnium creaturarum sanctitatem simul sumptam excedit. Ideo in Isaia de ipso habetur : Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *Is.* LIII, 9.

Decuit autem Christum ut hominem esse absque omni peccato, non solum propter personalem unionem suæ humanitatis cum Verbo æterno, sed insuper quia salvator, mediator et advocatus totius humani generis exstitit. Nam si et ipse peccato fuisset obnoxius, non fuisset idoneus et aptus omnes Deo reconciliare, et per semetipsum immediate ad Deum accedere, sed eguisset mediatore. Idem quoque condecuit propter privilegium sacerdotii ejus. Fuit enim primus et summus evangelicæ legis sacerdos, cujus hostia atque obsequium non fuissent Deo perfecte accepta et ad satisfactionem idonea, si et ipse subjacuisset peccato. Propter quod ad Hebræos protestatur Apostolus : Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus. *Hebr.* IX, 15; I *Joann.* II, 1, 2. *Hebr.* VII, 26.

Si (pro Quia) *veritatem dico*, evangelicam legem prædicando, meque Christum Dei Filium asserendo, et vestra piacula increpando, *quare vos non creditis mihi?* quasi dicat : In hoc irrationabiliter vos habetis. Quemadmodum enim levitatis est statim credere indifferenter, ita duritiæ est non credere, quando sufficientia signa seu argumenta credulitatis ac veritatis apparent. Quamvis autem doctrina Christi fuerat omnino incomprehensibilis atque insolita, propter quod non nimis faciliter fuerat recipienda; tanta tamen tamque evidentissima apparuerunt argumenta quod ipse esset verus Christus (utpote, testimonium Joannis Baptistæ, vaticinia Prophetarum, miracula Christi discipulorumque ejus, constantia ejus pro veritatis defensione, et zelus justitiæ), quod inexcusabiles erant Judæi de sua perfidia. *Eccli.* XIX, 4. *Joann.* I, 19-34.

Qui est ex Deo per prædestinationem B æternam, per gratiæ reformationem, per divinæ bonitatis imitationem, *verba Dei audit*, non solum auribus corporis, sed etiam mentis, quoniam verba salubria audit libenter, tenet memoriter, efficaciter implet : quemadmodum ait Propheta, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi; et rursus, Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. *Propterea vos non auditis* verba Dei auribus mentis, juxta sensum jam tactum, *quia ex Deo non estis* per prædestinationem C seu gratiæ reformationem. Omnia quidem ex Deo sunt quantum ad esse quod habent, tanquam ex causa efficienti, exemplari atque finali, dicente Apostolo : Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Sed tamen non omnes homines sunt ex Deo per prædestinationem, per spiritualem reformationem, per gratiæ conservationem. Nempe qui per prædestinationem ex Deo est, verbum Dei finaliter audit : quia non perit, sed ante obitum ad Deum convertitur; nec in peccato manet finaliter, D sicut in prima Joannis epistola legitur : Qui natus est ex Deo non peccat, hoc est, in peccato non perseverat usque in finem, quoniam semen Dei manet in eo. *Ps.* CXVIII, 11. *Ibid.* 72. *Rom.* XI, 36. I *Joann.* III, 9.

Præterea advertendum, quod incomprehensibilia et nimis occulta sunt Dei judicia. Nam quidam sunt prædestinati, et tamen longo tempore verbum Dei obedienter audire contemnunt; quidam vero præsciti ac reprobi, verbum Dei ad tempus diligenter obedienterque audiunt : sed illi non perseverant in malo, nec isti in *Rom.* XI, 33.

bono. Nemo igitur se seducat, nec ideo prædestinatum se asserat, quoniam verbum Dei libenter audit : imo, juxta doctrinam Apostoli, (I Cor. x, 12.) Qui stat, videat ne cadat. Nec ideo aliquem judicemus præscitum ac reprobum, quia ad tempus verbum Dei mentem ejus non intrat : nam forsitan pœnitebit, et melior fiet multis qui nunc verbum Dei audiunt reverenter.

Deinceps unusquisque libenter loquitur et loqui audit de re quam diligit. Qui igitur Deum diligit, ac virtutes et veram beatitudinem cordialiter cupit, verba Dei avide audit, affectuose conservat, ac implet. Et in hoc salus nostra consistit, prout ait (Luc. xi, 28.) Salvator : Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Debemus ergo verba Dei cum magna attentione, ac intima affectione, et humili reverentia legere, audire et loqui. Hinc enim in Deuteronomio habetur (Deut. vi, 6-9.) : Erunt verba Domini in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ.

Responderunt igitur Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, id est hæreticus quidam instar Samaritanorum, qui libros Moysis receperunt, non Prophetarum, *et dæmonium habes,* hoc est, diabolo confœderatus es, cujus revelatione ac adjutorio dicis ac facis alta et mira, quæ alii dicere et facere te putant virtute divina? Porro Samaritani fuerunt natione gentiles a rege Assyriorum adducti, sed conversatione semijudæi, quoniam libros Moysis receperunt, seque circumciderunt. Noverant autem isti Judæi quod Jesus esset natione Judæus; sed ex contemptu vocabant eum Samaritanum, id est ex parte legis observatorem, atque ex parte transgressorem. Sicque reputabant eum hæreticum : velut si nunc alicui diceremus : Hussita es tu.

Ait quoque Gregorius, quod Christus A non negavit se esse Samaritanum; sed hoc verum est quantum ad nominis interpretationem, non quoad Judæorum intentionem. Samaritanus quippe interpretatur custos. Christus vero est custos electorum suorum : de quo Psalmista testatur, Custodiens parvulos Dominus (Ps. cxiv, 6.); et Isaias, Custos, quid de nocte? (Is. xxi, 11.)

Dixerunt quoque Christum habere dæmonium, non quod esset obsessus et amens, sed quod haberet fœdus cum aliquo dæmone, imo cum summo diabolo, puta B Beelzebub, secundum quod alibi dixisse leguntur : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (Luc. xi, 15.). Hoc ergo perversi dixerunt, quoniam aliter salvare non poterant qualiter tot mirabilia facere, totque secreta propalare ac futura prædicere, atque tam alta et subtilia posset docere, non instructus ab homine, nisi quod vel a Deo aut a diabolo hæc haberet. Nec credere voluerunt quod ea haberet a Deo, propter nimiam displicentiam et invidiam quas contra eum conceperant : C hinc omnia illa deputabant diabolo, quemadmodum magi et arrepticii ac pythones mira aliqua agunt occultaque pandunt dæmonum ope. Sed in hoc elucescit Judæorum intoleranda perversitas. Nam multa Christi miracula omnem naturalem transcenderant potestatem, cursum ac ordinem; tota quoque doctrina et conversatio Christi repugnabant diabolo. Propter quod subditur :

Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo familiare et cooperans mihi. *Sed honorifico Patrem meum,* id est, verbo et D opere honorem, cultum obedientiamque ei exhibeo, in quantum sum homo : per quod patet sanctitas vitæ meæ, et quod cum dæmonibus non concordo; imo eorum cultum destruo, idololatriam reprobo, vitia damno, hominesque ad Deum converto, ut eum toto corde in omnibus diligant et honorent. *Et vos inhonorastis me,* hoc est, contempsistis, et falsa mihi imposuistis, opera Dei adscribentes diabolo. Et in hoc peccaverunt in Spiritum San-

ctum. Ecce quam mansuete ac patienter Filius Dei respondit, tanta accepta injuria: quia ut princeps Apostolorum testatur, I Petr. II, 23. Quum malediceretur, non maledicebat. Di- I Thess. V, 15. scamus ergo et nos ejus exemplo, non reddere malum pro malo, non vinci a proprio animo, non subito perturbari, non instar brutorum ira aut ceteris passionibus agitari. Hocque faciliter facit qui non quærit propriam laudem gloriamque mundanam, is scilicet qui privatum in se exstinxit amorem, quoniam talis in adversitatibus gaudet. Nempe, ut sanctus ait Hieronymus, qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam. De nulla re igitur gloriemur, nisi qua apud Deum promovemur; neque de aliquo contristemur, nisi quo a Deo avertimur.

Insuper, ne Judæi dicerent Christo, Inaniter te excusas, adjecit : *Ego non quæro gloriam meam,* hoc est vanam ostentationem, gloriam sæcularem, inordinatum sive mundanum honorem, aut aliquam vanitatem, sicut opinabantur Judæi. Unde alibi Joann. V, 41. ait Salvator : Claritatem ab hominibus non accipio. Incomparabiliter ergo minus congruit nobis vilissimis peccatoribus propriam quærere gloriam, velle dominari, præesse, inaniterque extolli. Sed ex corde I Tim. I, 17. dicamus illud Apostoli : Soli Deo honor Ps. CXIII, 1. sec. Hebr. et gloria; et cum Propheta, Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Verumtamen Christus jubet et vult debitum sibi cultum impendi seque adorari secundum quod Deus est, et suis obe- Marc. XVI, 15. diri præceptis. Præcepit quoque se cunctis prædicari, totique mundo insinuari Christum se esse Filium Dei. Verum hæc omnia juste sapienterque voluit. *Est qui quærat et judicet,* hoc est, Deus Pater seu Trinitas requiret a vobis quod non glorificastis me tanquam Filium Dei et Salvatorem mundi vobis missum, atque ob hoc judicabit vos judicio damnationis æternæ. Pater namque requirit et vult Unigenitum suum glorificari ab omnibus : propter Joann. V, 23. quod Filius dixit, Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit il-

A lum. Unde in Daniele legitur, quod Antiquus dierum, id est Pater æternus, dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. Sed quum in Joanne dicat Christus de Patre, Pater non judicat quemquam, quomodo nunc ait de Patre, Est qui quærat et judicet? Respondetur, quod in judicio duo considerantur, puta, discretio boni a malo, et prolatio sententiæ. Quantum ad primum, judicat Pater seu Trinitas tantum per auctoritatem; quantum ad secundum, judicat Christus secundum naturam assumptam. Dan. VII, 13. 14. Joann. V, 22.

B Imo Christus sua humiliatione atque passiva dijudicatione meruit hoc modo judicare, quemadmodum in Joanne testatur : Potestatem dedit ei (scilicet Pater Filio) judicium facere, quia Filius hominis est. Ibid. 27.

Amen, amen, id est vere, vere, *dico vobis.* Ingeminat, Amen, ad certitudinem ampliorem, et propter advertentiam provocandam. *Si quis sermonem meum servaverit* per fidem et caritatem, id est, verbis meis perseveranter atque fideliter obedierit, *mortem non videbit in æter-*

C *num,* id est, nunquam experietur seu sentiet mortem spiritualem, quæ est separatio mentis a Deo sive æterna damnatio : talis enim nec in præsenti privabitur vita gratiæ, nec in futuro vita gloriæ, et nec pœnam sensus nec pœnam damni in inferno habebit. Hinc Sapiens asserit : Justi in Sap. V, 16. perpetuum vivent. At vero videre, in Scripturis ad omnes sensus refertur seu trahitur, et ad sensitivam ac intellectivam notitiam. Unde nunc sumitur pro gustare, seu experiri aut pati : quemadmodum et

D in Psalmo, Non dabis sanctum tuum vide- Ps. XV, 10. re corruptionem; et in Luca, Responsum Luc. II, 26. accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem nisi prius videret Christum. Deinceps, ut habetur iterum apud Lucam, Semen est verbum Dei. Quemad- Ibid. VIII, 11. modum ergo in corporalibus rebus qui semen custodit in terra, pertingit ad fructum; ita qui servat verbum Christi in corde, continuo tendit tandemque pertinget ad fructum seminis hujus, qui est vita æterna. Propter quod in Proverbiis dici-

Prov. VII, 2, 3. tur : Serva mandata et legem tanquam pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam.

Dixerunt ergo ei Judæi carnales et excæcati, præinducta verba de morte naturali ac corporali intelligentes : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes,* hoc est, tam insensate et tam manifeste mendaciter loqueris, quod qui paulo ante opinabamur te dæmonium habere, nunc certi sumus de hoc. Et hoc probant. Nam *Abraham*
Gen. XXV, 7, 8. *mortuus est* morte corporali, quum esset
Ibid. 9. centum septuaginta quinque annorum; sepelieruntque eum Isaac et Ismael filii ejus, ut in Genesi habetur; *et Prophetæ* mortui sunt. Quasi dicant : Tam sanctus patriarcha beatissimique Prophetæ, qui sermones
Matth. XIII, 55. Dei servaverunt, defuncti sunt. *Et tu* filius fabri ac pauperis feminæ, *dicis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Tanquam dicant : Intolerabilis est præsumptio tua, quia sic loqueris ac si verba tua essent efficaciæ amplioris quam verba Dei, et tanquam tibi obedientes beatiores essent Abraham ac Prophetis ceterisque Dei ministris, qui non obstante observatione verborum Dei, defuncti sunt.

Numquid tu major, id est sanctior, *es*
* qui mortuus est *patre nostro Abraham** (qui amicus Dei vocatus est, sicut per Isaiam loquitur Deus,
Is. XLI, 8. Semen Abraham amici mei)? quasi dicant, Nequaquam. Loquuntur ergo de spirituali magnitudine, quæ in sapientia virtutibusque consistit : propter quod in spiritualibus idem est esse majorem et meliorem. *Et Prophetæ mortui sunt,* qui tamen verba Dei servaverunt. *Quem te ipsum facis?* hoc est, qualem et quantum te reputas? quasi dicant : Nimis te elevas.

Respondit Jesus, excusando se de gloria vana : *Si ego glorifico,* id est, gloriosum et magnum dico, *me ipsum* inordinate, non secundum ordinem sapientiæ Dei, et quasi id quod sum et habeo, a Deo Patre non habeam, *gloria mea,* hoc est dignitas quam mihi adscribo, *nihil est,* id est nullius reputationis, nec realiter mihi inexsistens, sed usurpata et ficta. Porro Christus dicendo, Ego et Pater unum sumus, Joann. X, 30.
et, Ego sum lux mundi, atque similia, Ibid. VIII, 12.
glorificavit aliquo modo se ipsum; sed non inordinate et false, prout ei imposuerunt Judæi. Idcirco respondet ad intentionem ipsorum.

Est Pater meus cœlestis *qui glorificat,* id est, gloriosum ostendit, *me,* dicendo, Hic est Filius meus dilectus, et per opera Matth. III, 17; XVII, 5.
miraculosa ac Prophetarum eloquia. Unde alibi loquitur Christus : Opera quæ dedit Joann. V, 36; X, 25.
mihi Pater, testimonium perhibent de me. Insuper Pater glorificavit, hoc est, gloriosum et beatum fecit Christum, secundum naturam assumptam, conferendo animæ ejus beatificam fruitionem. Increatam quoque beatitudinem et gloriam habet Filius a Patre per generationem æternam. Christus quoque glorificavit Patrem, id est, gloriam et excellentiam Patris manifestavit hominibus, majestatemque Patris honoravit, ut homo, in omnibus : propter quod in Joanne loquitur Patri, Ego te cla- Ibid. XVII, 4, 6.
rificavi super terram, manifestavi nomen tuum hominibus. Nos quoque juxta modulum nostrum Deum in omnibus glorificare debemus, quoniam ipse primo Regum fatetur : Quicumque glorificaverit me, glori- I Reg. II, 30.
ficabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Quem, hoc est de quo Patre meo, *vos dicitis quia Deus noster est* per creationem et gubernationem, et item per cultum, fidem ac dilectionem nostram ad ipsum. Quamvis enim Judæi superbeatissimæ Trinitatis mysterium ignorantes, non dixerunt Deum Patrem esse Deum ipsorum, loquendo de Patre secundum quod Pater est per generationem æternam; tamen id quod est Pater, videlicet Deum absolute acceptum, dixerunt esse Deum suum. *Et non cognovistis eum :* quoniam Patrem non cognoverunt secundum relativam proprietatem et propriam patris rationem, nec Deum absolute dictum cognoverunt fide per dilectionem operante, seu cognitione formata, sed informi. Non enim obedie-

bant ejus præceptis. Ideo factis eum negabant, sicut ad Titum de impiis scribit Apo-
Tit. I, 16. stolus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Unde Joannes in prima sua Cano-
I Joann. II, 3. nica : In hoc (inquit) scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus observamus. Quod intelligendum est de cognitione formata, hoc est per dilectionem et bonam conversationem ornata. De cognitione ve-
Rom. I, 21. ro informi ad Romanos habetur : Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Ego autem novi eum, secundum utramque naturam meam. Christus enim secundum quod Deus, Patrem plenarie comprehendit, videlicet tam perfecte sicut Pater se ipsum ; et ut homo, cognovit Patrem per beatificam visionem ac speciem. Unde
Joann. X, 15. ipse in Joanne contestatur : Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. Imo Christus ut homo, indesinenter vidit Deum Trinitatem per speciem, non in vigilia tantum, sed item in somno : quia per somnum aliasque occupationes corporales, et actiones ac passiones, non impediebatur anima ejus ab interiori et clara cognitione dilectioneque Dei, sed jugiter erat in actu. *Et sermonem ejus servo* memoriter ac obedienter, secundum quod homo. Non enim negligentia et oblivio locum habebant in Christo. *Et si dixero quia non scio eum,* hoc est, quod Patrem non cognosco : quod impossibile est me dicere, sicut impossibile est me mentiri atque peccare (conditionalis autem nil ponit) ; *ero similis vobis, mendax,* qui multa falsa imponitis mihi ; *sed scio eum* scientia increata, secundum quod Deus, scientia quoque indita et infusa, secundum quod homo, *et sermonem ejus servo* memoria et effectu.

Et quoniam paulo ante dixerunt Judæi, Numquid tu major es patre nostro Abraham ? nunc Christus respondet ad hoc : *Abraham pater vester,* secundum carnis propagationem, non secundum fidei ac virtutum imitationem, *exsultavit ut videret,* hoc est, spiritualiter gavisus est de hoc quod visurus erat, *diem meum,* id est

A tempus adventus mei et incarnationis, atque redemptionis qua per passionem meam redimam mundum. Facta etenim sibi promissione divina quod Christum in spiritu cerneret, prout futura in visione noscuntur, ejusque mysteria nosceret, cordialiter exsultavit et gratias egit. *Vidit,* id est, per spiritum prophetiæ ac fidem illuminatam cognovit diem meum præfatum, vel me tunc futurum, *et gavisus est.* Cognovit equidem Filium Dei in fine sæculorum incarnandum, quum Deus locutus
B est ei, In semine tuo benedicentur omnes Gen. XXII, 18.
gentes, ut legitur in Genesi. Nec dubium quin Abraham aliique Prophetæ multa per revelationem divinam noverunt de Christo, de ejus adventu atque mysteriis, quæ non sunt descripta. Verumtamen, an Abraham noverat determinate tempus Christi, ut Da-
niel, qui distinxit ac numeravit hebdoma- Dan. IX, 24-27.
das usque ad Christi passionem, certum non habeo. Potest quoque intelligi de die æternitatis Christi : quæ aliud non est nisi æternitas ipsa, seu Deus æternus. Hujus
C enim diei beatificam visionem in claritate patriæ Beatorum, promisit Deus Abrahæ :
Ego (inquiens) protector tuus sum et mer- Gen. XV, 1.
ces tua magna nimis. Hanc diem vidit Abraham in via per fidem, tendebat ad eam per spem, exsultavit in ejus præstolatione per caritatem. Unde ad Hebræos
legitur : Exspectabat Abraham fundamenta Hebr. XI, 10.
habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.

Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abra-
D *ham vidisti?* Christus dixit quod Abraham vidit diem suum ; et ipsi sic repetunt : Et Abraham vidisti? quoniam qua ratione verificaretur unum, verificaretur et reliquum. Quasi dicant : Si Abraham vidisti, ergo contemporanei exstitistis, atque vos mutuo conspexistis : quod falsum ostenditur, quum nondum sis quinquaginta annorum. Potius autem dixerunt, Abraham vidisti ? quam, Abraham vidit te ? quasi magnum esset Domino Jesu vidisse Abraham patriarcham, non econverso, reputan-

tes Abraham ipso Jesu multo majorem. — A Quæritur, cur nominaverunt annos quinquaginta, quum Jesus multo junior esset. Aliqui dicunt, quod ex casu, quia eis sic occurrebat. Alii dicunt, quod propter reverentiam jubilæi, qui fuit quinquagesimus annus. Quasi dicant : Nondum attigisti unum jubilæum, et Abraham vidisti, qui pene per duo millia annorum quievit cum patribus suis? Quidam dicunt, quod Christus, propter jejunia et labores ac nimiam maturitatem, videbatur multo senior quam fuit. Unde ait in Psalmo : Genua B mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum. Ego arbitror quod ideo tantum excrementum expresserunt annorum, ut insinuarent quam plane ac facile possent falsificare verbum Christi. Quasi dicant : Quamvis haberes multo plures annos quam habes, nihilo minus falsum esset quod dixisti Abraham te vidisse.

Lev. xxv, 10, 11.

Ps cviii, 24.

Erraverunt autem isti obtenebrati Judæi : primo, quoniam verbum Christi de corporali visione intellexerunt; secundo, C quoniam solum in Christo humanam nativitatem pensabant, putantes quod nequaquam sua matre fuerit prior. Cujus falsitatem Christus ostendit subdendo. *Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis.* Mitis humilisque magister semper cum patientia et tranquillitate respondit, non commotus pravorum injuriis. Nam hoc ad prædicatorem atque doctorem verbi Dei præcipue pertinet, quum Salomon dicat : Doctrina viri per patientiam noscitur; et, Non contristabit justum quidquid ei acciderit. Pro- D pterea teste Gregorio : Tanto convincitur homo minus doctus, quanto et minus patiens; nec potest prædicando veraciter bona impendere, si nescit vivendo æquanimiter aliena mala tolerare. *Antequam Abraham fieret,* id est, crearetur quantum ad animam, vel generaretur quantum ad totum compositum, *ego sum,* id est, secundum divinitatis meæ naturam æternaliter invariabiliterque subsisto. Porro dicendo, « ego sum », æternitatem suam demonstrat, quæ nec præteritum habet neque futurum, sed incommutabilem tantum præsentiam, et omne tempus ambit, includit, excedit. Ipse etenim est qui olim dixit ad Moysen : Ego sum qui sum. Et ipse est Sapientia quæ in Ecclesiastico testatur : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.

Prov. xix, 11. Ibid. xii, 21.

Exod. iii, 14. Eccli. xxiv, 5.

Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum, obruendo et occidendo eum projectionibus lapidum tanquam blasphemum : quia blasphemos lex lapidari præcepit. *Jesus autem abscondit se,* non post parietem aut columnam; sed, « abscondit se », id est, divina virtute invisibilem se fecit Judæis, non discipulis suis, quia secuti sunt eum. Potest autem absconsio ista dupliciter accipi. Primo, quod percussit eos cæcitate quæ dicitur acrisia, qua aliquid ante oculos positum non videtur, quum tamen alia videantur, vel si videtur, non tamen determinate cognoscitur, aut si videtur ab uno, non tamen ab alio : qua percussi fuerunt Sodomitæ, ut in Genesi legitur, et Syri ad instantiam Elisei, ut scribitur quarto Regum. Secundo, quod Jesus divina virtute fecit ne color corporis sui immutaret oculos Judæorum istorum, quum tamen aliorum oculos immutaret. Imo hoc potuit Christus virtute animæ suæ, quæ habuit perfectum dominium supra proprium corpus. Nam et in potestate animarum glorificatarum est proprium corpus facere invisibile uni, atque visibile alteri, juxta modum prætactum. Corpora quippe animarum Deo fruentium sunt in plenissima obeditione earum. *Et exivit de templo* Jerusalem. Exivit autem transeundo per medium illorum, sicut transivit per medium civium urbis Nazareth, quando eum præcipitare volebant, ut apud Lucam habetur. Nondum enim venit hora quam passioni suæ præfixit. Per quod etiam dedit exemplum fidelibus, quod se possint aliquando persecutoribus occultare, quando videlicet ex hoc fides aliorum, præsertim subditorum, non periclitatur, nec pusillorum scandalum oritur, neque justitiæ derogatur.

Lev. xxiv, 16.

Gen. xix, 11. IV Reg. vi, 18.

Luc. iv, 30.

Joann. vii, 30.

SERMO SECUNDUS

DE DUODECIM STULTITIIS EORUM QUI PECCANT.

QUI *faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Tob. XII, 10. Ista sunt verba angeli Raphaelis. Et per « peccatum » potest intelligi culpa in proximum ; per « iniquitatem », culpa in Deum. Quamvis omne peccatum sit contra Deum, in quantum est contra Dei præceptum, tamen quædam peccata dicuntur appropriate in proximum, in quantum immediate sunt contra caritatem fraternam, et proximo inferunt læsionem, ut furtum, adulterium, homicidium, atque similia; et quædam peccata appropriate dicuntur in Deum, quia immediate sunt contra Dei honorem et cultum sive amorem, sicut perfidia, blasphemia, et universa quæ sunt contra tria præcepta prima Decalogi, quæ ordinant hominem circa Deum. Quoniam itaque in præsentis dominicæ evangelio agitur de peccato, de quo Judæi Christum arguebant mendaciter, et ipse eos veraciter ; nunc expedit dicere quam stulte se habent, et quam fatue agunt, quicumque mortaliter peccant, sive mala agendo, sive bona omittendo.

Prima ergo eorum stultitia est, quod sibi ipsis incomparabiliter magis inferunt damnum, quam si omnia sua bona exteriora et temporalia, tam mobilia quam immobilia, totaliter dissiparent et annihilarent. Per mortale namque peccatum, omnia interiora et spiritualia animæ bona, ut virtutes, et dona Spiritus Sancti, ac opera meritoria universa, perduntur : quæ bona sunt exterioribus bonis incomparabiliter meliora. Ideo Salomon ait in Ecclesiaste :
Eccle. IX, 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. D
Sicque qui mortaliter peccat, animam propriam spiritualiter nudat, deornat, depauperat atque debilitat, quia virtutes et opera bona sunt animarum vestes, ornamenta, opes, robur ac armatura. A

Secunda eorum stultitia est, quod interiores suos oculos, scilicet rationem et intellectum, excæcant, ita quod ea quæ Dei sunt ac suæ salutis, non clare neque salubriter intuentur. Ideo dicit Apostolus ad Romanos : Obscuratum est insipiens cor Rom. I, 21.
eorum. Et Sapiens : Excæcavit (inquit) eos Sap. II, 21.
malitia eorum. Gratia namque et dona Spiritus Sancti sunt spiritualia lumina, quibus
B animæ illustrantur ad considerandum salubriter spiritualia ac divina. Quoniam ergo per mortale peccatum lumina ista auferuntur ab anima, ideo excæcatur per illud.

Tertia stultitia est, quod a summo suo amatore se abstrahunt, et crudelissimo inimico se ipsos illaqueant. Recedunt enim a Christo, et illaqueant se ipsos diabolo, qui nihil aliud sitit nisi damnationem eorum æternam : sicque incomparabiliter stultius agunt quam si cum latronibus pergerent in desertum. Sic quoque sanctam
C et optimam libertatem qua in Deo liberi erant per caritatem, abjiciunt, et pessimæ atque vilissimæ servituti se subdunt, hoc est jugo et captivitati diaboli ac servituti peccati. Hinc in libro Job scribitur de iniquo : Immisit in rete pedem suum. In Job XVIII, 8.
Proverbiis quoque inducitur : Iniquitates Prov. V, 22.
suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. In secunda quoque Petri habetur : Iniqui sunt servi II Petr. II, 19.
corruptionis; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Idcirco qui tenta-
D tionibus vitiisque succumbunt, servi sunt vitiorum ac dæmonum. Propter quod ait Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a II Tim. II, 26.

quo tenentur captivi ad ipsius voluntatem.

Quarta stultitia est, quod tanquam in-
sensati in se ipsos manus injiciunt, quoni-
am peccando animas suas spiritualiter oc-
Sap. xvi, 14. cidunt, juxta illud Sapientiæ : Homo per
malitiam occidit animam suam. Nam sicut
corporis vita est anima, ita vita animæ est
Deus et gratia ejus. Qui autem mortaliter
peccat, separat se a Deo et perdit gratiam
ejus. Ideo per Osee prophetam Dominus
Osee xiii, 9. loquitur peccatori : Perditio tua ex te. Et
Cf. in Sap. i, 15, 16. Sapiens asserit : Injustitia, mortis est ac-
quisitio; impii autem manibus et verbis
arcessierunt illam. Hinc quoties quis mor-
taliter peccat, toties animæ suæ letale vul-
nus infligit.

Quinta stultitia est, quod se ipsos maxi-
me odiunt, quia quod maxime eis nocet, id
quærunt, optant et agunt. Peccata namque
quæ impii amant, videlicet, fornicari, fu-
rari, mentiri, etc., animam perimunt, et
ei æternam pœnam procurant. Ideo ait
Ps. x, 6. Propheta : Qui diligit iniquitatem, odit
animam suam. In libro Proverbiorum quo-
Prov. i, 22. que habetur : Usquequo stulti ea quæ sibi
nociva sunt cupient?

Sexta stultitia est, quod se ipsos Deo
odibiles faciunt, juxta illud Proverbio-
Ibid. xi, 20. rum : Abominabile Deo cor pravum. Et
Ps. v, 7. Psalmista loquitur Deo : Odisti omnes qui
operantur iniquitatem. Sapiens quoque
Sap. xiv, 9. ait : Odio sunt Deo impius et impietas
ejus. Quemadmodum enim similitudo est
causa amoris, sic dissimilitudo causa est
odii. Peccata autem sunt dissimilitudines
et aversiones a Deo, turpitudines anima-
rum et fœtores earum, quibus coram Deo
sordescunt ac fœtent, abominabiles odibi-
lesque redduntur. Hinc per Jeremiam Deus
Jer. ii, 36. loquitur animæ peccatrici : Quam vilis fa-
cta es nimis, iterans vias tuas!

Septima stultitia est, quod se ipsos a Deo
pretiosissime emptos, maxime parvi pen-
dunt, atque diabolo vilissime vendunt :
quia ut princeps Apostolorum testatur,
I Petr. i, 18, 19. Non corruptibilibus auro vel argento em-
pti sumus, sed pretioso sanguine agni im-
maculati Christi. Porro qui peccant, pro
A brevi ac vili delectatione se dæmonibus
vendunt.

Octava stultitia est, quod pessimi consi-
liarii consiliis acquiescunt, et optimi, fi-
delissimi ac sapientissimi consiliarii con-
silia spernunt. Habet enim homo quilibet
angelum bonum ac malum, quasi consili-
arios duos : et diabolus ad omne malum
instigat; angelus, ad omne bonum. Impii
autem dæmonum suggestioni consentiunt,
et angelorum sanctorum inspirationes de-
spiciunt : et ita multo stultiores sunt ho-
B mine ambulante in campo inter bonum
ductorem pessimumque latronem, et de-
spiciente directionem boni ductoris, atque
sequente ducatum maligni latronis ad in-
terfectionem ducentis.

Nona stultitia est, quod animas suas cœ-
lesti regi Filio Dei nuptas et consecratas,
dæmonibus prostituunt polluendas. Omnis
etenim rationalis anima, est vel Christi
sponsa, vel diaboli adultera. Si namque
in caritate et gratia est, sponsa est Filii
Dei; si vero in mortali est culpa, diaboli
C exstat adultera. Tales quoque templum
Spiritus Sancti violant et in dæmonis fa-
num mutant. Teste quippe Apostolo, cor- I Cor. vi, 19.
pora hominum bonorum sunt templum
Spiritus Sancti, in eis per gratiam habi-
tantis : quem mortaliter peccando expel-
lunt, atque pro eo habitatorem introdu-
cunt diabolum, cujus vasa et habitacula
sunt iniqui.

Decima stultitia est, quod insipientissi-
me eligunt. Peccatum enim est mentis a
Deo aversio. Ideo peccantes mortaliter, po-
D tius eligunt inhærere bonis sensibilibus,
vilissimis et caducis, quam Deo, summo
et incommutabili bono, ac spiritualibus et
cœlestibus atque perpetuis bonis. Deum
ergo relinquunt, et vias perditionis hilari-
ter apprehendunt : idcirco male succedit
eis. Unde apud Jeremiam Dominus ait :
Duo mala fecit populus meus : me dereli- Jer. ii, 13.
querunt fontem aquæ vivæ, et foderunt
sibi cisternas dissipatas quæ continere non
valent aquas. Et rursus apud eumdem di-
citur peccatori : Vide quia malum et ama- Ibid. 19.

rum est te reliquisse Dominum Deum A tuum, et non esse timorem ejus apud te.

Undecima stultitia est, quod contra Deum pugnam assumunt, cui resistere nequeunt, et qui eos omni momento damnare æternaliter potest. Sicque summe ingrati sunt Deo, qui eos in tot vitiis sustinet, nec a diabolo occidi atque ad æternam trahi pœnam permittit : imo in vita eos conservat, et necessaria vitæ diversaque beneficia eis tam ingratissimis omni die largitur. Idcir-
Job xv, 26. co apud Job scriptum est : Cucurrit impius adversus Deum erecto collo. Sed et B
Thren III, 22. in Threnis legitur : Misericordiæ Dei quod non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.

Duodecima stultitia est, quod æterna felicitate se privant, et ultra hoc æternam damnationem sibi mercantur : imo quotidie plus et plus a Deo ac vera beatitudine se elongant, atque inferno propinquant. Sicque scienter et sponte ad infernale suspendium pergunt. Unde in Ecclesiaste di-
Eccle. VI, 8. citur : Quid amplius habet sapiens stulto, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Nempe C hoc vere discernit inter sapientes et stultos, hoc est inter virtuosos et vitiosos, quod sapientes vadunt ad vitam beatam et æternalem, stulti ad mortem perpetuam pœnamque gehennalem, ad quam quotidie faciunt unam magnam dietam.

Possent demum et aliæ multæ assignari stultitiæ eorum qui peccant : quia diabolo serviunt, a quo tanto majorem recipient pœnam, quanto plus ejus faciunt voluntatem ; et eum exhilarant qui eorum æternam quærit miseriam. D

Quum ergo tam fatue et perverse agant peccantes, quasi ab incendio, quasi a gravi præcipitio, quasi a maris erumpente tumore, fugiamus ab omni iniquitate, et Domini nostri Jesu Christi humilitatem, patientiam, mititatem ac caritatem sectemur; omnia in Dei timore ac diligentia faciamus. Potissimum autem hoc sacratissimo tempore dominicæ passionis, ab omnibus vanitatibus ac pravis voluptatibus abstinere debent veraciter christiani, et Christo Domino suo propter eos passo se conformare, mature ac timorate incedere, verba illicita præcavere, meditationibus sanctis ac orationibus fervidis occupari, Christique passionem plus solito recordari ac imitari, patientiam in omni adversitate servando, se ipsos pœnitentialiter castigando, et omnia desideria prava frangendo.

In sexto libro Vitaspatrum narratur, quod erat quidam episcopus qui in persecutione sibi a gentilibus facta, quum multa sustinuisset supplicia, tandem in pœnis defecit, et cessit ac idolis sacrificavit. Qui postmodum propriam iniquitatem considerans, vehementer pœnituit ; atque in eremum proficiscens, ibi quadraginta novem annis in maxima pœnitentia ac abstinentia vixit. Et ultimo anno vitæ suæ, consolationem accepit a Deo, quod scilicet peccatum suum sibi esset dimissum. Quumque alius quidam eremita venisset ad locum illum, et invenisset episcopum illum ibidem, audisset quoque ab eo qualiter illuc devenit, tunc episcopus ille repente surrexit, et recedens ad aliqualem distantiam, stetit diu in oratione. Qua completa, rediit ad eremitam illum : qui intuens faciem illius sancti episcopi, trepidavit, nam factus fuit quasi ignis. Dixitque episcopus eremitæ : Noli timere, quoniam Dominus ideo misit te huc ut corpus meum sepelias. Quo dicto, statim extendit manus et pedes, atque feliciter obiit. Eremita vero dissuens tunicam suam, dimidiam sibi retinuit, et in alia medietate sanctum illius episcopi corpusculum sepelivit. Ad gloriam Dei.

SERMO TERTIUS

DE TRIPLICI MORTE QUÆ HOMINIBUS PROVENIT EX PECCATO, ET DE TRIPLICI VITA QUÆ PROVENIT EIS A CHRISTO.

INVIDIA *diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Sap. II, 24.

Quoniam in evangelio hodierno tangitur de multiplici morte, cui opponitur multiplex vita, considerandum de quotuplici morte et vita loquatur sacra Scriptura. Communiter itaque in Scripturis fit mentio de triplici morte, videlicet : de morte corporali, quæ est mors naturæ, et de morte culpæ, atque de morte damnationis æternæ. Mors corporalis omnibus hominibus est communis, sicut ait Propheta : Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? Mors culpæ cunctis quoque hominibus communis est, præter Christum et Virginem gloriosam, quum dicat Apostolus : Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Jacobus quoque : In multis (inquit) offendimus omnes. Porro mors æternalis miseriæ omnibus reprobis est communis.

Ps. LXXXVIII, 49. *Rom.* III, 23. *Jacob.* III, 2.

Denique unaquæque mors ista ex peccato procedit : quod de prima morte, videlicet naturali et corporali, declaratione plus indiget. Illa equidem mors ex originali peccato procedit, estque pœna illius peccati. Nam Deus ita instituit primos parentes, quod potuerunt non mori, et quod non morerentur, si divinum non transgrederentur præceptum. Unde et per originalem eis concreatam justitiam habuerunt, quod quamdiu mens eorum mansit Deo obediens et subjecta, tamdiu corpus eorum animabus ipsis mansit subjectum, et sensualitas rationi; nec poterat aliqua passio corruptiva esse in eis, quamdiu non peccaverunt. Statim vero quum Dei præceptum transgressi fuerunt, cœpit sensualitas rationi esse rebellis, et caro corruptioni, morti, variisque miseriis ac pœnalitatibus est subjecta; et sicut in posteros suos transfuderunt originale peccatum, ita et pœnas ex eo secutas. Hinc Sapiens asserit : Deus mortem non fecit; rursusque, Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Diabolus enim sua tentatione primos parentes ad divini transgressionem præcepti trahendo, mortem corporalem in humanum genus perduxit. De prætactis quoque pœnalitatibus ex originali peccato secutis scriptum est in Ecclesiastico : Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ. Itaque, dum mors ista dicitur naturalis, intelligendum est de natura humana secundum statum suæ infectionis, non secundum statum suæ integritatis ac innocentiæ.

Sap. I, 13. *Ibid.* II, 24. *Eccli.* XL, 1.

In primis ergo mors ista corporalis est metuenda : primo, quoniam in se ipsa est valde amara et afflictiva : idcirco ejus intuitu vana solatia sunt frenanda. — Secundo, quia incerta est hora ejus : ideo debet semper esse suspecta. Propter quod apud Marcum loquitur Christus : Vigilate (nescitis enim quando veniat Dominus : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, quum repente venerit, inveniat vos dormientes. Unde et Augustinus : Nescis (inquit) qua hora veniat : ideo semper vigila, ut quia nescis quando veniat, paratum te inveniat quum venerit; ideo enim nescis quando veniet, ut semper paratus sis. Hinc dicit beatissimus Gregorius : Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque mortis nostræ esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur; et tanto

Marc. XIII, 35, 36.

quisque ferventior sit in bona operatione, quanto incertus est de vocatione, ut dum incerti sumus quando moriamur, parati ad mortem venire conemur. — Tertio metuenda est mors, quia in ea homines gravius periculosiusque tentantur, et specialiter nititur diabolus hominem tunc ad desperationem inducere. Tunc quoque debilior est homo ad resistendum, nisi a Deo juvetur, quoniam magnitudo infirmitatis acerbitasque doloris rationem debilitant, et considerationem impediunt. Ideo dicit Gregorius : Antiquus hostis tempore mortis crudelius effrenatur ; et quos viventes blanditiis decipit, morientes sævius rapit. — Quarto metuenda est mors, propter periculum ei annexum. Nam qualis quis moritur, talis permanet in æternum, ita quod post mortem non est pœnitentiæ locus, sed in tali affectione manet æternaliter anima, in quali recedit a corpore : si enim recedit inde in aversione a Deo, inconvertibiliter manet aversa. Hinc loquitur Augustinus : Bene unusquisque de die novissimo formidare debet, quoniam unumquemque in quo invenerit suus novissimus dies quum de hoc sæculo egreditur, talis in die novissimo judicatur. Hoc est quod asserit Damascenus : Quod dæmonibus est ruina, hoc hominibus est mors. Nam sicut dæmones æternaliter manent in ea mentis dispositione in qua fuerunt dum corruerunt, ita homines in ea permanent in æternum mentis dispositione in qua a corpore migrant. Quod etiam Salomon breviter tangit in Ecclesiaste, dicens : Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. *Eccle* XI, 3.

Secundo loquitur Scriptura de morte culpæ : quæ mors non est aliud quam peccatum mortale, quo anima spiritualiter moritur, quia per illud caritatem et gratiam Dei amittit et separatur ab eo, atque unitur diabolo. Propter quod Salomon loquitur : Longe est Dominus ab impiis. De hac morte ait Salvator : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ista mors incom- *Prov.* XV, 29. *Matth.* VIII, 22.

A parabiliter pejor ac formidabilior est morte prima : idcirco debet homo potius velle corporaliter mori et omne tormentum pati, quam peccare. Et quamvis peccatum veniale non sit mors animæ, disponit tamen ad eam, quia ad mortale peccatum disponit, nisi diligenter vitetur : idcirco qui non est diligens ad vitandum venialia peccata, cito corruit in mortale.

Tertio loquitur sacra Scriptura de morte infernalis miseriæ seu damnationis æternæ, juxta illud Apocalypsis : Incredulis, *Apoc.* XXI, 8.
B et exsecratis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure : quod est mors secunda. Est quippe mors secunda respectu mortis culpæ, sed tertia respectu mortis naturæ. De hac tertia morte dicit S. Bernardus in Meditationibus suis : Quis, putas, tunc mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, quum separabuntur impii a consortio justorum et a visione Dei, ac traditi in potestate dæmonum ruent cum eis in ignem æternum? Ibique erunt sine fine in amarissimo lu-
C ctu ac desolatissimo gemitu, nunquam lucem visuri, nunquam remedium adepturi; ubi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet; sic ibi tormenta aguntur, ut semper renoventur.

Deinceps, ab hac triplici morte liberavit nos Christus sua benedicta ac amarissima passione, ita ut virtute et merito passionis Christi eruantur electi a morte hac triplici. A morte enim culpæ liberantur quo-
D tidie per sacramenta Ecclesiæ, quæ a Christi passione efficaciam sortiuntur. Atque per hoc quod Christus satisfecit pro peccato originali, liberantur a damnatione æterna quantum ad pœnam damni, ad quam omnes obnoxii sunt qui nascuntur in peccato originali; per hoc vero quod Christus etiam satisfecit pro omni peccato actuali ac personali, eruuntur per ejus passionem a damnatione æterna quantum ad pœnam sensus ac damni. Per hoc quoque quod Christus sua saluberrima pas-

sione perfectam hominibus immortalitatem promeruit, liberabuntur electi, in die judicii, a morte omnique passione et corruptibilitate corporali, quoniam tunc acquirent corpora impassibilia et glorificata.

Præterea, præfatæ triplici morti opponitur triplex vita, videlicet : vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ. Vitam naturæ omnes homines habent a Christo, in quantum ipse est verus Deus universorum creator; vitam gratiæ habent ab eo fideles, in quantum ipse est redemptor ac justificator; vitam gloriæ obtinent ab eo in cœlesti palatio, secundum quod ipse est judex, præmiator et glorificator. Porro vita naturæ, est esse, sentire et intelligere : quod per creationem accipit homo. Vita gratiæ, est caritas, seu actio virtuosa, vel gratum faciens gratia. Vita gloriæ, est beatitudo æterna. Itaque, ut mortem infernalis ac æternalis pœnæ atque miseriæ mereamur ac valeamus evadere, abstineamus cum omni diligentia a morte culpæ, hoc est *Tob.* IV, 14. a mortali peccato, ab omni superbia, quæ est omnium vitiorum initium et regina, *I Tim.* VI, 10. ab omni avaritia, quæ est radix malorum *Ephes.* V, 5. et servitus idolorum, ab omni incontinentia, quæ est brutalis immunditia, ab omni quoque invidia, acedia, ceterisque peccatis; et pro quotidianis ac venialibus culpis satisfaciamus quotidie per eleemosynas, orationes, gemitus et compunctiones; et ne in mortale peccatum cadamus, a venialibus pro posse abstineamus.

Postremo, ad vitandum peccata multum prodest meditatio mortis assidua. Asserit equidem Augustinus : Nihil sic revocat a peccato quantum frequens mortis meditatio. Hieronymus quoque ait : Memento mortis tuæ, et non peccabis; nam qui se quotidie recordatur moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. Iterum ait : Platonis sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis assiduam. Debemus ergo et nos animo præmeditari quid aliquando sumus futuri, et quod, velimus nolimus, abesse longe non potest. Legitur in Vitaspatrum, quod dum Theophilus Alexandrinus archiepiscopus moriturus fuerat, dixit : Beatus es, abba Arseni, quia hanc horam semper præ oculis habuisti. Denique, quum sanctus vir abbas Pastor audisset abbatem Arsenium de hoc sæculo migrasse ad Deum, flevit dicens : Beatus es, abba Arseni, quia flevisti te ipsum in vita hac. Qui enim in hac vita non deplorant se ipsos, in alia vita miserabiliter se deflebunt. Et nos ergo cum sanctis Patribus mortem nostram quotidie habeamus præ oculis, præsentia et terrena parvi pendamus, atque ad bona cœlestia ac æterna toto affectu tendamus.

SERMO QUARTUS

QUOD FACILE SUBDITI PRÆLATOS SUOS DE PECCATIS JUDICARE IN CORDE NON DEBEANT.

JESUS *autem abscondit se, et exivit de templo.* Joann. VIII, 59.

Rom. XV, 4. Sicut ait Apostolus : Omnia quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Maxime autem quæcumque Christus dixit, fecit ac pertulit, ad omnium Christianorum informationem trahenda sunt. Itaque, per hoc quod Christus, dum perversos Judæos juste ac multipliciter increpasset, atque ab eis pro gratiarum actione convitia recepisset, dixit ad eos, Quis ex vobis arguet me de peccato? designatur quid boni prælati a malis subditis suis multoties patiantur, dum illos increpant et reformare conantur. Tales etenim intimorati inobedientesque subditi frequen- *Joann.* VIII, 46.

ter superioribus suis renituntur, indignantur et obloquuntur, varia eis imponendo peccata, quemadmodum Christo imposu-
Amos v,10. erunt Judæi. Propter quod Amos ait : Odio habuerunt corripientem, et perfecte loquentem abominati sunt. Talibus ergo subditis dicere potest bonus prælatus virtuosusque prædicator : Quis ex vobis arguet me de peccato? Non quod talis prælatus seu prædicator dicere velit se ab omni peccato immunem, sed quod talium magnorum reus non sit vitiorum, qualia sibi perversi false imponunt : a quibus excu- B sare se potest et debet, ne aliqui scandalizentur in ipso, et ut bonæ sit famæ exemplarisque aliis ad gloriam Creatoris. Quum vero prælatus prædicatorque bonus taliter se vere excusat, et innocentiam suam demonstrat, indurati spiritu malignitatis commoti, sæpe acriora respondent et eum gravius criminantur, instar Judæorum, qui caritative correpti, et rationabiliter a Christo instructi, dixerunt eidem :
Joann. viii, 48. Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? Talibus C
Prov. xxix, 1. convenit quod in Proverbiis habetur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus.

Insuper, per hoc quod isti rebelles Judæi ad tantam tandem venerunt insaniam atque proterviam, quod acceperunt lapides ut in Christum eos projicerent, designatur quod indurati et ingrati subditi ac iniqui aliquando in tantum inflammentur contra superiores suos et viros justos a quibus juste reprehenduntur ac corriguntur, quod eos corporaliter persequuntur, D ac lædere quærunt aut lædunt per se ipsos vel alios. Tales autem subditi et perversi sunt penitus excæcati, quoniam non attendunt quod sua peccata sunt animarum suarum letalia vulnera et causa æternæ perditionis eorum, et quod caritativa ac justa correptio sit saluberrimum vitiorum ac vulnerum suorum medicamentum. Propter quod correptoribus cordialissime gratiæ sunt referendæ. Et qui de correptione sua indignantur, phreniticis et insanis sunt

A similes, qui violentas injiciunt manus his a quibus ex caritate et pietate ligantur. Hinc ergo unusquisque fidelis caritativas correptiones et justas ac debitas correctiones gratanter ac patientissime debet suscipere : quod sapientiæ est indicium. Propter quod Salomon loquitur : Argue *Prov.* ix, 8, 9.
sapientem, et diliget te; doce justum, et festinabit accipere. Rursusque : Plus pro- *Ibid.* xvii, 10.
ficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

Præterea, per hoc quod dum Judæi Christum lapidare tentabant, ipse abscondit se, datur intelligi quod interdum persecutoribus est cedendum, ac discedendum, sicut et alibi ait Salvator : Quum perse- *Matth.* x, 23.
cuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Quod fieri debet quando ex hoc alii, potissimum subditi et commissi, non scandalizantur, nec periclitantur in fide et moribus, nec derogatur justitiæ aut bono communi.

Deinceps, sicut Apostolus docet, spiritualiter templum est congregatio Christifidelium, quælibetque persona fidelis. Ait quippe Apostolus : Templum Dei sanctum *I Cor.* iii, 17.
est, quod estis vos; itemque, Membra ve- *Ibid.* vi, 19.
stra templum sunt Spiritus Sancti. Multo plus corda fidelium, in quibus per fidem et caritatem habitat Christus, templum sunt Dei. Unde et Christus testatur : Si *Joann.* xiv, 23.
quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Quemadmodum Christus ergo exivit *Ibid.* viii, 59.
de templo materiali, dum eum Judæi lapidare volebant; sic spiritualiter egreditur de cordibus credentium (in quibus per caritatem et gratiam habitavit, dicente Joanne apostolo : Qui manet in caritate, in *I Joann.* iv, 16.
Deo manet, et Deus in eo), dum pravis exemplis aut perversis cogitationibus ceterisve peccatis Christum offendunt, et contra ipsum se muniunt, quando peccata sua excusant, palliant ac defendunt, seu Christum in suis membris, puta fidelibus, persequuntur. Christo autem sic exeunte, intrat diabolus et manet in cordibus per-

versorum, qui per impietatis consensum
confœderati sunt secum. In quorum per-
Is. xxviii, 15. sona Isaias dixit : Percussimus fœdus cum
morte, et cum inferno fecimus pactum.
Vitemus ergo Christi offensam, ne propter
peccata nostra deserat mentem nostram,
et fiat ipsa habitaculum spirituum im-
mundorum.

Postremo Christus interdum secreta et
pia dispensatione a suis se abscondit ele-
ctis, dum eis solitam spiritualis consola-
tionis abundantiam atque dulcedinem sub-
trahit, seu sensibilem devotionem, internam
alacritatem promptitudinisque fervorem
negat seu aufert, ut ipsi ex hoc profun-
dius humilientur, Deum instantius quæ-
rant, propriam infirmitatem magis at-
tendant, neque in spiritualem eleventur
superbiam, nec alios aspernentur : quum
II *Cor.* xii, 7. et Paulo apostolo datus sit stimulus carnis
angelus Satanæ, ne ex revelationum ma-
gnitudine extolleretur. Quum ergo se Chri-
stus ita abscondit, patientia est habenda, et
carnales consolationes spernendæ sunt, at-
que instanter insistendum est precibus pro
consolatione et unctione Spiritus Sancti
in omnibus. Nec unquam a fidei ac spei
firmitate ruere debet homo, sed immobi-
liter sperare in Deo, quemadmodum san-
Job xiii, 15. ctus Job dixit : Etiamsi occiderit me, in
ipso sperabo.

Itaque exemplo Christi, discamus inju-
riantibus et persequentibus non contentio-
se, sed pie et æquanimiter respondere, aut
prudenter silere ac cedere, sicut ait Pro-
Ps. xxxviii, 2, 3. pheta : Posui ori meo custodiam, dum con-
sisteret peccator adversum me; obmutui,
et humiliatus sum, et silui a bonis.

Narravit sanctissimus abbas Macarius,
dicens : Sedente me quodam tempore in
eremo Scythi, venerunt ad me duo ado-
lescentes peregrini, quorum unus cœpit
habere barbam, alius nondum. Qui dixe-
runt : Hic volumus habitare, et Deo in hac
eremo ministrare. Quos quum vidissem
delicatos et in deliciis enutritos, respon-
di : Non potestis hic habitare et loci hujus
rigorem sufferre. Dixitque ille major : Et
A si non possumus hic habitare, pergemus
alio. Et dixi in corde meo : Cur eos con-
tristo, et scandalizantur ? Labor hujus loci
docebit eos quod dico, et faciet eos rece-
dere. Tunc dixi eis : Venite, facite vobis
cellulam. Quumque ostendissem eis qua-
liter facerent cellam, et quid in ea ope-
rarentur, videlicet plectam de palmis et
sportas, dixi ad eos : Date sportas custo-
dibus ecclesiæ, et ipsi afferent vobis pa-
nes. Ego autem putabam quod fugerent
propter vitæ rigorem atque labores. Sicque
B recessi ab eis. Ipsi vero patienter fecerunt
quæcumque locutus sum eis, et non ve-
nerunt ad me per tres annos. Sustinui
autem et ego, luctando cum animo meo,
dicens : Putas, quæ est vita istorum, quia
infra tantum tempus non venerunt me
interrogare de cogitationibus suis, quum
alii de longinquis locis veniant ad me, et
non isti, qui prope me habitant ? Nam ne-
que ad alium transierunt, sed solum ad
ecclesiam cum silentio accipere Sacra-
mentum.

C Igitur ego oravi Deum, jejunans unam
hebdomadam, in qua non nisi semel co-
medi, ut demonstraret mihi vitam ipso-
rum. Qua lapsa, ivi ad eos. Quumque
pulsassem, aperuerunt mihi ac salutave-
runt me tacentes; et facta oratione, sedi.
Innuebatque ille major juniori ut egrede-
retur; ipse vero sedit facere plectam, nihil
loquens. Et circa horam nonam fecit si-
gnum percutiendo, et venit junior ille, et
fecit modicum pulmenti; apposuit quoque
mensam innuente illo majore, et posuit
D super eam tres paximaces, et stetit ta-
cens. Ego autem dixi : Surgite, manduce-
mus. Factoque vespere, dixerunt ad me :
Vadis hinc ? Respondi : Non, sed hic dor-
miam. Posuerunt autem mihi mattam ad
partem, et sibi in alio angulo; et posu-
erunt se ad dormiendum super mattam
ante me. Quumque se inclinassent, oravi
Deum ut mihi ostenderet conversationem
eorum. Et subito apertum est tectum cel-
læ, et facta est lux in cella quasi dies
esset; sed ipsi non viderunt lumen illud.

Quum vero me dormire putarent, tetigit ille major minorem in latere; et surrexerunt atque cinxerunt se, extendentesque manus in cœlum, cum silentio stabant. Ego vidi eos, sed ipsi me non videbant. Videbam itaque dæmones quasi muscas venientes super illum juniorem; et quidam venerunt ut sederent super os ejus, alii super oculos. Vidi etiam angelum Dei, habentem igneum gladium, circumvallantem eum et expellentem ab eo dæmones. Illi vero majori non poterant appropinquare, nec eum audebant accedere. Porro circa mane reclinaverunt se; et ego feci me tanquam evigilatum, et ipsi fecerunt similiter. Tunc dixit ille major hunc tan- A tum sermonem : Vis dicamus duodecim psalmos? Dixi : Etiam. Et psallebant duodecim psalmos et senos versus, unumque alleluia. Illi autem majori per unumquemque versum exibat flamma ignis de ore ipsius, et ascendit in cœlum; similiter, dum junior os aperiebat, tanquam funiculus igneus egrediebatur de ore ejus, et pertingebat in cœlum. Exiens vero ab eis, dixi : Orate pro me. Ipsi vero satisfecerunt mihi tacentes. Et cognovi quod ille major perfectus esset; illum vero junio- B rem impugnavit adhuc inimicus. Atque post paucos dies dormivit ille major in Domino, et tertio die minor. Et coronati sunt æternaliter in regno cœlorum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUOMODO PERFECTISSIMA CHRISTI AD NOS DILECTIO, MAXIME EX ACERBISSIMA IPSIUS PASSIONE APPARUIT.

Hebr. ix, 14. CHRISTUS, *qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* In hodierna epistola.

Is. xi, 2. De Christo vaticinans Isaias : Requiescet (inquit) super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, etc. Et rur- *Ibid.* lxi, 1. sus per Isaiam loquitur Christus : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; ad annuntiandum mansuetis misit me. Ex quibus ostenditur, quod Christus in quantum homo, a Spiritu Sancto in omnibus motus sit, cujus donis anima ejus fuit plenissima. Porro septem dona Spiritus Sancti faciunt hominem prompte mobilem ac dirigibilem ab ipso Spiritu Sancto. Sic itaque Christus « per Spiritum Sanctum », hoc est ex motione, instigatione ac directione C Spiritus Sancti, « obtulit semetipsum », quo- *Ephes.* v, 2. ad naturam suam humanam, « Deo » Patri « immaculatum », id est oblationem et hostiam sanctam pro mundi peccatis, in odorem suavitatis. Hinc et princeps Apostolorum in sua prima scribit Canonica : Christus semel passus est pro peccatis *I Petr.* iii, nostris, justus pro injustis, ut nos offerret 18. Deo, id est, Deo Patri præsentaret reconciliatos merito suæ dignissimæ passionis. Quamvis itaque omni tempore, potissimum tamen hoc tempore Passionis, vide- D licet in sancta ista quindena, quæ incipit hodie et durat usque ad Pascha, totam passionem Domini nostri Jesu Christi cordialiter recordari ac intime intueri, compassive pensare et irremovibiliter cordibus nostris debemus inscribere : quemadmodum legitur de S. Francisco, quod pas-

sionem Christi recogitando, tam præcordialem concepit et habuit compassionem, quod præ vehementi dolore frequenter erupit in altum clamorem, in lugubrem vocem, in grandem ejulatum atque uberrimum fletum. Certe cordialis, frequens et compassiva dominicæ consideratio passionis, facit hominem carnales odire delicias, cuncta adversa æquanimiter perpeti, contumeliis injuriisque lætari; facit hominem Deo gratum, vitiis resistentem, Christi sequentem vestigia, et jugiter circa exercitia intentum salubria.

Præterea quæri potest, quomodo sanguis Christi emundet « conscientiam nostram ab operibus mortuis ». Respondetur, quod a Christi passione omnia evangelicæ legis sacramenta suam sortiuntur efficaciam et virtutem. Ipsa quoque sacramenta, secundum Hugonem, sunt velut medicinalia vasa, cœlestis medici remediorum conservativa et collativa, per quæ virtus ac meritum passionis Christi applicatur fidelibus. Primo igitur in Baptismo, deinde in Pœnitentiæ sacramento, sanguis Christi, hoc est meritum effusionis ipsius, emundat animas nostras ab operibus vitiosis in quibus eramus, ut corde purgato serviamus Deo excelso, secundum illud Apocalypsis : [*Apoc.* I, 5.] Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Sed circa hoc iterum quæri potest : quum Christi occisio fuerit incomparabile et supergravissimum crimen, cujus demerito infelicissima gens Judæorum usque in præsens a Deo relinquitur, quomodo Christus sua passione ac morte dicitur Deum Patrem placasse ac genus redemisse humanum? Respondetur, quod passio seu mors Christi crudelissima ac impiissima fuit ex parte Judæorum, et ministrorum qui ei supplicia intulerunt; piissima vero et Patri placentissima atque plenissime reconciliativa ipsius ex parte Christi, in quantum ex summa obedientia, ardentissima caritate ac præcordialissima eam acceptavit ac pertulit pietate. In hoc ergo apparuit perfectissima Christi ad nos di-

A lectio, quod « semetipsum » pro nobis « obtulit Deo » Patri, quod item acerbissimum ac ignominiosissimum genus mortis pro nobis pati elegit atque dignatus est.

Insuper, ut Christo magis grati esse conemur, et ejus amore validius inflammemur, sic quilibet nostrum Christi passionem attendat, quasi pro ipso solo passus sit Dominus, dicente Chrysostomo : Hic est affectus servi fidelis, ut quod pro omnium salute pertulit Dominus, quasi pro se solo illum arbitretur perpessum. Nec in hoc B fallitur, quoniam tanta est ad homines caritas Christi, quod utique pro homine quantumlibet vili mallet mori, quam permitteret illum perire, quantum in se est. Talis fuit sanctus Apostolus : In fide (inquiens) vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. [*Galat.* II, 20.]

Porro, ut Christo propter nos passo amplius conformari, regratiari et uniri conemur, multa sunt circa ejus passionem diligentissime intuenda, quæ hujus non queunt sermonis brevitate perstringi, vi- C delicet : quis, qualis et quantus est qui passus est ; pro quibus et qualibus passus est ; quæ, quanta et qualia passus est ; quare, qualiter, quo fructu, quo fine perpessus est. De quibus omnibus in sequentibus dicetur, Deo præstante, sermonibus.

Insuper passio Christi liber est, schola ac magisterium universarum virtutum. Ipsa unigeniti Filii Dei saluberrima passio objectum est contemplationis altissimæ, in quo omnipotentis Dei sapientiam, misericordiam, justitiam, potestatem, clarius ac D profundius possumus contemplari, quam in totius machina mundi, prout infra clarius exprimetur. Itaque inter Christi brachia pro nobis in cruce expansa nos projiciamus, ut ab ipso misericordissime amplexemur; cor ejus propter nos perforatum ingrediamur, ut ejus amore totaliter inflammemur, et cunctis ibi hostibus atque periculis abscondamur ac protegamur ; caput ejus dignissimum propter nos inclinatum accedamus, ut vultum ejus, caritate prædominante ac compellente, cum

humilitate profundissima osculemur. Ait equidem valde affectuose beatissimus Augustinus : Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate; hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus fuit pro vobis fixus in cruce. Certe qui Christi passionem quotidie efficaciter recolit, libenter pro ejus B amore suffert penuriam, perfert injuriam, voluptates contemnit, corpus suum affligit, A Filio Dei compatitur, ut ei conglorificetur. *Rom.* VIII, 17.

Abjiciamus ergo et semper vitemus, o fratres carissimi, quidquid offensivum est Christi : verba vana, colloquia frivola, mores sæculares, actus levitatesque pueriles, derisiones et scandala, incustodiam sensuum distractionesque cordium, omnem elationis, animositatis, præsumptionis ac jactantiæ motum, omnem iracundiæ ac impatientiæ impetum, murmurationes, querelas, ac ceteras passiones. In cibo, potu ac somno, necessitatem et utilitatem, non voluptatem aut superfluitatem, quæramus. In omni humilitate, pietate, justitia, diligentia ac fervore indefesse proficere enitamur.

SERMO SEXTUS

QUOD INNOCENS A CULPA FALSO SIBI OBJECTA, EXEMPLO CHRISTI, LICITE EXCUSARE SE POSSIT ET DEBEAT.

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi ? Joann. VIII, 46.

Ex evangelio hodierno multipliciter ac saluberrime informamur. In primis ergo per hoc quod Salvator se a peccatis sibi ab impiissimis sacerdotibus, Scribis et Pharisæis mendose impositis excusavit atque immunem ostendit, docemur quod homo etiam nonnunquam excusare se potest humiliter a culpis quæ sibi non vere objiciuntur, præsertim a criminalibus sive mortalibus, ne alii scandalizentur in ipso, et ne veritas ipsa patiatur jacturam, atque D ne pravis hominibus detur facultas gravandi et opprimendi justos aut innocentes : ex quo pusilli interdum a bono retrahuntur incepto. Hæc autem excusatio humiliter, non superbo furiosoque animo, fieri debet, quatenus ipse excusans propriæ conscius fragilitatis, mente recognoscat se peccatorem et ad vitia pronum, peccatum quoque quod sibi imponitur potuisse et adhuc posse incidere, nisi Creatoris eum C præservasset ac præservaret benignitas.

Porro de quotidianis et minoribus culpis non oportet ut se multum excuset religiosus, quamvis sibi conscius non sit de objectis : quamvis humiliter et modeste dicere possit se non recordari quod hoc aut illud commiserit sive omiserit. Si vero certus est se ab eo quod sibi imponitur esse innoxium, affirmare non debet se in illo esse obnoxium, ne mentiendo fiat peccator. Propter quod loquitur Augustinus : Qui se dicit fecisse quod non fecit, etsi ante peccator non fuit, tamen efficitur mentiendo. Si autem de culpa sibi imposita exstet ambiguus, quamvis dicere possit se inde dubium esse, tamen ad correptionem et correctionem exhibere se debet paratum, ac si sciret se esse culpabilem. Hoc namque est tutius, et in dubiis tutior eligenda est via. Imo, sicut in sua perhibet Summa Guillelmus Antisiodorensis, religiosi tenentur non solum ad viam meliorem, sed etiam ad securiorem.

Quum ergo hæc ita se habeant, consideremus quam longe a religiosa distent conversatione, qui etiam a peccatis de quibus sibi sunt conscii, vel saltem ambigui, simpliciter seu assertive, aut quavis callida circumlocutione aut palliatione, se excusare non erubescunt neque verentur. Quod utique valde enorme est, præsertim si in capitulo fiat coram superiore aut coram visitatoribus, ubi et quando Frater specialiter obligatur culpam suam evidenter fateri, correctionem suscipere, et se ad emendationem exponere, et omnem patientiam exhibere. Sed quidam ita frontosi et intimorati consistunt, quod cum præsidente audent rixari et se contentiose defendere, non attendentes quod teste B. Cypriano doctore ac martyre, una duodecim abusionum sit lis in capitulo. Unde in capitulis religiosorum, antequam culpæ recognoscuntur seu proclamantur, fit lectio in martyrologio, quatenus Fratres, martyrum sanctorum exemplo, ad patientiam animentur, etiam si absque sua culpa redarguantur aut proclamentur : quod sæpe agitur ad exercitandum sive probandum, et ut in talibus se patienter habendo, gratiæ mereantur augmentum ac gloriæ, potissimum quum martyres beatissimi tam durissima sint perpessi adversa absque culpa pro vera justitia.

Deinceps S. Thomas in secunda secundæ affirmat, quod fur sive maleficus veritatem coram judice negando, peccet mortaliter, quia eam fateri tenetur. Si ergo fur mortaliter peccat culpam suam negando, pro qua occidendum se novit et coram omnibus maxime confundendum, quum tamen mortis formidine neget eamdem, propter quod magna ex parte excusabilis esse videtur, quia incitamentum tam forte habet ad negationem hujusmodi ; quam horribiliter ergo peccat religiosus culpam suam in capitulo negans, pro qua tam modicam passurus est pœnam et confusionem comparatione supplicii mortis ? Unde excusatio talis, secundum doctores, est comes, signum et effectus superbiæ, imo et excæcationis, intimoratique cordis, divini rigorem judicii non pensantis.

Excusatio quoque a peccatis non vere impositis præcipue licita est prælatis, qui præ ceteris exemplares esse debent atque laudabilis famæ : idcirco si mendaciter denigrentur, excusare se habent, ne ex hoc in suorum cordibus subditorum vilescant, et eorum doctrina, præsidentia ac correptio minus curentur. Hinc in epistolis suis Paulus apostolus se ipsum quandoque non solum excusat, sed et sublimiter suas tangit virtutes.

Interea advertat omnis religiosus quod in Regula sua beatus scribit Hieronymus : Contumax, præsumptuosa et superba persona quæ dedignatur esse subjecta, suisque litibus ac jurgiis scandalum præbet quieti conventus, atque inobedientiæ præbet exemplum, arduis ac crebris jejuniis castigetur. Si jejunia non castigant, superbia verberibus disciplinisque gravibus edometur, ut discat quod nisi prælato, imo Christo in prælato obediat, partem cum Christo habere non poterit, etiam quamvis mandata imposita videantur extranea nec consona rationi. Quod si nec sic emendatio subsequatur, talis inobediens cum angelis apostatis expellatur.

Præterea, Fratribus qui dociles et dirigibiles ac corrigibiles non exsistunt, sed duri et immansivi, dicat cum Christo qui præest : Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi ? Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea (ut reor) non auditis, quia forsitan ex Deo non estis : quod tamen non assero, quia pœnitere potestis; et hortor ac deprecor ut vere pœniteatis. Sed quemadmodum Scribæ et Pharisæi ex rationabili Christi informatione deteriores fiebant, et ei pro sanctis doctrinis reddebant convitia atque blasphemias; sic quidam perversi, quanto rationabilius instruuntur, quo verius corripiuntur, eo plus indignantur, irascuntur, atque aliquando usque ad convitiandum ac obloquendum labuntur. Et multi sunt qui dum mediocriter increpantur, statim mutantur in vultu, et instar

Joann. VIII, 46, 47.

scorpionum pungunt corripientem, eum A rursus ac gravius arguendo. Isti sunt similes insensatis hominibus qui corporalia vulnera sua non patiuntur sibi monstrari neque curari, sed ea abscondunt ac putrefieri sinunt : per quod mortem inferunt sibi. Dum ergo corriperis, non redarguas nec arguas corripientem, quamvis culpabilis sit, ne ex impatientia hoc facere videaris, sed alias tempore opportuno, nisi forte benevolentia corripientis prius accepta, vel ex speciali confidentia. Certum est autem, quod in libris sapientialibus B sacræ Scripturæ, ad refrenationem linguæ et ad patientem susceptionem correptionis ac disciplinæ præcipue admonemur. Hinc
Prov. XXIX, 1. etenim Salomon loquitur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repen-
Ibid. XII, 1. tinus superveniet interitus. Et denuo : Qui
Ibid. XIII, 18. odit increpationes, insipiens est. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Simus igitur in correptionibus et correctionibus tractabiles, grati, patientes, benevoli, etiam si non vere corripiamur, C quum non ignoremus quam innumerabiles, multi et magni sint nostri defectus qui alios latent, propter quorum remissionem, æquanimiter ferre debemus increpationes et castigationes pro culpis de quibus conscii nobis non sumus.

Postremo, ex evangelio isto docemur quam ineffabilis exstitit humilitas, patientia, longanimitas Dei et hominis Jesu Christi, qui tot blasphemias, irrisiones, contumelias a pravissimis toleravit Judæis, toties ad ipsum et de ipso dicentibus : Insanit, *Joann.* X, 20.
dæmonium habet; In principe dæmonio- *Matth.* IX,
rum ejicit dæmones; Nunc cognovimus 34.
quia dæmonium habes; et multa similia. *Joann.* VIII, 52.
Ecce ista ab eis sustinuit quos uno verbo soloque nutu potuit annihilare, plagare, occidere, condemnare. Imo consideremus quot mala, quot crimina, quot exhorrenda et nequaquam exprimenda facinora fiant omni hora in tota terra in summi Dei præsentia, in Judicis omnipotentis conspectu, qui totum posset mundum delere et transgressores omni momento damnare. Et tamen tot, tanta ac talia mala sustinet Deus; tam patientissime et benigne transgressores suos conservat in esse, nec a dæmonibus eos jugulari et in tartarum trahi permittit, sed nutrit et admonet eos ut convertantur, semper paratus omnia indulgere et bona pro malis rependere. Si ergo tam incomprehensibilis est patientia, bonitas, misericordia, longanimitas Dei, ubi nos cum impatientia, malitia, duritia, vindicatione et præcipitatione nostra manebimus, qui vix unum verbum injuriosum, vix unum nutum aut signum irrisorium, vix justum flagellum perpeti volumus?

Erubescamus ergo, doleamus et deploremus nos ipsos; et Domini nostri Jesu humilitatem, patientiam, caritatem, longanimitatem, misericordiam, bonitatem assidue recolamus, fideliter imitemur, firmiter conservemus, atque in eis quotidie concrescamus.

SERMO SEPTIMUS

QUOD PASSIO CHRISTI SIT CONTEMPLATIONUM ALTISSIMARUM DOCTRINALISSIMUM PRÆCLARISSIMUMQUE EXEMPLAR.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in D *deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joann. III, 14, 15. Hæc sunt verba Christi de se ipso.

I Cor. i, 18. Quemadmodum ait Apostolus, Verbum A
crucis, pereuntibus, utpote infidelibus,
stultitia est, id est, stultum videtur; his
autem qui salvi fiunt, videlicet vere fi-
delibus, virtus Dei est, id est virtuosus
effectus ac vera doctrina. Quemadmodum
Ibid. 20. enim Deus stultam fecit sapientiam hujus
mundi, sic mundus fatuam reputat sa-
pientiam Dei, evangelicam scilicet Christi
Rom. iii, 4. doctrinam. Sed ut ait Apostolus, Est Deus
verax, omnis vero homo mendax; et ite-
Ibid. ii, 2. rum, Scimus (inquit) quia judicium Dei
est secundum veritatem. Magis ergo con- B
sentiendum est Deo mundanam sapien-
tiam reprobanti, quam econverso. Si ergo
I Cor. ii, 12. aliquis sit spiritum non hujus mundi ha-
bens, sed spiritum qui ex Deo est, quo
veritatem fidei christianæ agnoscat, hic
talis in passione Filii Dei Patris Deum
verum altissime poterit contemplari. Nos
ergo qui ex utriusque Testamenti scriptu-
ris, et ex innumerabilibus soli omnipo-
tenti Deo possibilibus miraculis, aliisque
diversis Dei secretis ac mirandis effecti-
bus, ac fidei argumentis, de fidei veritate C
certissimi sumus, Christi passionem in-
tueamur, non solum in se et secundum
se, ut fuit passio sive afflictio quædam,
sed ut fuit passio unigeniti Filii Dei, qui
Unigenitus in unitate personæ est verus
Deus et verus homo. Nec solum conside-
remus hanc passionem ut fuit passio Filii
Dei, sed et causam, modum ac finem con-
templemur ipsius : causam, quia propter
tollenda mundi peccata, et ut genus hu-
manum Deo Patri reconciliaret, passus est
Christus; modum, quia taliter passus est, D
utpote tam acerbissime, ignominiosissime,
generalissime ; finem, quia pro æterna
beatitudine hominibus obtinenda.

Itaque in Dei Filio crucifixo primo contemplemur infinitam sapientiam adorandæ et supergloriosissimæ Trinitatis, quæ tale remedium contra originale peccatum et contra cuncta vitia adinvenit, et per talem modum subvenit hominibus : quæ per temporalem, generalissimam ac amarissimam Christi passionem et mortem, redemit omne genus humanum a morte æterna, a tormentis innumerabilibus et ab acerbissimis tormentis inferni : atque per Christi derisionem, contemptum, ignominias, redemit homines a dæmonum irrisionibus, contumeliis et aspernationibus ; sed et merito ac virtute obedientiæ, caritatis, patientiæ, humilitatis passionisque Christi, providit ac contulit hominibus charismata gratiarum in vita præsenti, datura eisdem dona gloriæ in regno cœlesti.

Præterea, si quæratur quomodo iste modus redimendi genus humanum decuit immensam sapientiam Dei, quum indecens videatur innocentem et sanctum pro transgressoribus pati ac crucifigi; dicendum, quod passio Christi, in quantum ex ardentissima caritate, plenissima obedientia miserationeque maxima a Christo sponte acceptata est, et ad Dei Patris honorem hominumque salutem relata, incomparabilis fuit meriti apud Deum. Nam Dei Filius, Deo Patri in cunctis obediendo, sanctissime conversando, impios increpando, evangelicam legem docendo, incurrit intensissimum odium Judæorum, in tan-
tum quod fuit eis gravis ad intuendum; et Sap. ii, 15.
ex illo odio consecutum est quod eum comprehenderunt, punierunt et occiderunt. Quod totum Christus patientissime sustinendo, maxime placuit Patri, et tam gratum ei obtulit sacrificium, quod propter meritum ejus indulsit cunctis hominibus quibus meritum illud fuerit applicatum, daturus eisdem æternam salutem, nisi ipsimet posuerint obicem. Idoneitas autem satisfaciendi pro toto genere humano, et immensitas meriti, fuit Christo homini ex sua divina natura : humanitas namque Salvatoris ratione suæ hypostaticæ unionis cum Verbo æterno, est dignitatis quodammodo infinitæ. In hoc itaque infinita sapientia Dei relucet, quod per obedientiam Christi, primi parentis inobedientiam ac totius mundi transgressionem et culpam sibi reconciliari sic procu-
ravit, quod sicut per unius prævaricationem Rom. v, 19.
inducta fuit communis damnatio, ita per

unius obeditionem facta est generalis sal- A
II *Cor.* v, 19. vatio. Propter quod ait Apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;
I *Cor.* xv, 22. et rursus, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;
Rom. v, 19. itemque, Sicut per unius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam, justi constituuntur multi.

Secundo, in passione Christi contemplemur inæstimabilem dilectionem Dei Patris ad nos, de qua in prima sua Canonica ait
I *Joann.* iv, 9. Joannes apostolus : In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per ipsum. Unde in Joannis evan-
Joann. iii, 16. gelio fertur : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Itaque non solum Pater Filium suum misit ac dedit pro nobis, sed simul cum illo alia multa et magna ac præclarissima nobis largitus est bona, a tantis malis eripuit, ad tantam beatitudinem perducere nos decrevit, tanta quoque per eum nobis quotidie tribuit.
Rom. viii, 32. Hinc quum dixisset Apostolus, Pro omnibus nobis tradidit illum ; mox addidit : Quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit ? O quanta est dilectio Dei ad homines, quibus et pro quorum ereptione ac salvatione Unigenitum suum verum Deum, bonum immensum, donavit ! Si ex magnitudine doni perpenditur magnitudo amoris, quid de Dei ad nos amore digne fari poterimus ? De hoc Dei Patris dono
Is. ix, 6. loquitur Isaias : Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Imo hunc Filium suum dat nobis Deus Pater quotidie in sacramento Eucharistiæ. Sicque in passione Christi etiam Dei liberalitatem contemplari possumus ac debemus.

Tertio, in Christi passione contemplari debemus infinitam pietatem seu misericordiam Dei Patris, qui tam mirabiliter atque plenissime misertus est nostri, et opem impendit ; imo hominibus adhuc inimicis, impiis et perversis exsistentibus est ita misertus, juxta illud ad Romanos :
Quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. In quo etiam maxima Dei ad nos relucet dilectio. *Rom.* v, 10.
Propter quod ait Joannes apostolus : In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Et Paulus inquit : Commendat caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ideo caritas Dei ad homines est maxime liberalis atque gra- I *Joann.* iv, 10. *Rom.* v, 8, 9.
B tuita ; et miseratio Dei ad eos fuit miseratio mera et pura, et maxime gratiosa, quia ex parte hominum nulla præcesserant merita.

Quarto, in Christi passione contemplemur immensam, districtam ac metuendissimam Dei Patris justitiam, qui in tan- *Ps.* xliv, 8.
tum odit iniquitatem, tam dire ulciscitur eam, et tam nullum peccatum relinquit *Job* xxiv, 12.
inultum, quod unigenitum ac superdulcissimum Filium suum ex suo corde æternaliter genitum, quem non minus diligit
C quam se ipsum, in quo sibi bene et optime, imo infinite complacuit, maluit incarnari, in mundo sic conversari, tanta perferre, tam crudelissime crucifigi et mori, quam peccata inulta relinquere. Sed ut *Matth.* iii, 17 ; xvii, 5.
fatetur Apostolus, Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Atque ut in Isaia legitur : Ipse posuit in Christo iniquitatem omnium nostrum, et propter scelus populi sui percussit eum. Qui vulneratus est propter iniquitates nostras. Ecce quam magna et *Rom.* viii, 32. *Is.* liii, 6, 8, 5.
D metuenda justitia Dei. De quo ait Propheta : Justus Dominus et justitias dilexit ; æquitatem vidit vultus ejus. *Ps.* x, 8.

Quinto, in Christi passione contemplemur omnipotentiam Dei, qui per tantam Christi humiliationem, subjectionem, conculcationem et mortem, superavit et ejecit diabolum.

Quum ergo tanta sit profunditas sapientiæ fidei christianæ, invocemus assidue viscera misericordiæ Dei nostri, ut in his quæ fidei sunt dignetur nos copiose illu-

minare, quatenus mysterium consilii summæ Trinitatis super redemptione generis humani valeamus sinceriter contemplari, et contemplando regratiari, accendi, ac strenue operari, ut altitudini fidei correspondeat conversationis nostræ perfectio. Insuper, quoniam Deus tam vehementer dilexit et prædilexit nos, studeamus eum ardenter diligere, rogemusque eum ut suo amore sanctissimo dignetur nos valide inflammare, et quotidie magis ac magis accendere. Et quoniam tanta est misericordia ac liberalitas Dei in nobis, non cessemus Deo grates referre, in ipso confidere, et ei pro posse rependere vicem : ut sicut Deus Pater tam munificentissimus exstitit nobis, et Christus tam affectuosissime et liberalissime se dedit pro nobis ; ita et nos cum omni affectione et alacritate ac gratitudine nos ipsos Domino rependamus, sacrificemus, ac suo obsequio mancipemus, nil nostri, nil propriæ voluntatis, nil virium nostrarum relinquentes nobismetipsis, sed Deo totum ac totaliter offerentes in fervida caritate, in plena obedientia, in continuo cultu. Iterum, quum tam districta ac expavescenda sit Dei justitia, et tam inæstimabiliter odit iniquitatem, ut pro uno mortali peccato æternam infligat damnationem, formidemus coram oculis Dei peccare, et coram Altissimo timorate atque sollicite incessanter ambulemus, et quasi a facie colubri, imo sicut a facie diaboli et sicut a pœnis inferni, fugiamus peccatum.

Mich. VI, 8. *Eccli.* XXI, 2.

Itaque, juxta præhabita, ex Christi passione et suæ humanitatis ac crucifixionis contemplatione, ad suæ divinitatis totiusque Trinitatis contemplationem nos erigamus. Ex qua contemplatione devotissimi efficiamur : præsertim quia sublimior est illa devotio quæ ex contemplatione divinitatis, quam quæ ex speculatione humanitatis passionisque Christi consurgit ; et ipsa humanitatis ac passionis Christi speculatio ad divinitatis contemplationem disponit atque perducit. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

DOMINICA PALMARUM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

HOC SENTITE IN VOBIS QUOD ET IN CHRISTO JESU, ETC. Philipp. II, 5-11.

EPISTOLA ista merito in ista dominica legitur, quia in ea de Christi humiliatione et obeditione usque ad mortem crucis narratur. (Philipp. II, 8.) Ait enim Apostolus : *Hoc sentite in vobis*, id est, in cordibus vestris versetur, idque sentiat anima vestra in se, *quod et in Christo Jesu* fuit, id est, quod Christus ut homo intra se sensit et approbavit : quatenus sicut Christus intra se humillimus ac patientissimus fuit, et non quæ sua erant, sed quæ aliorum quæsivit; (I Cor. X, 24; XIII, 5.) ita et vos cordialiter patientes ac humiles sitis, non simulatorie sicut hypocritæ, et aliorum commoda requiratis. *Qui* Christus *quum in forma Dei esset*, hoc est, in divinitatis natura æternaliter esset subsistens, veram videlicet habens deitatem, et unius cum Patre exsistens essentiæ (deitas namque omnino immultiplicabilis exstat : unde in Joanne ipse ait, Ego et Pater unum sumus), (Joann. X, 30.) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, id est, asserendo et sentiendo se esse vere Deo Patri æqualem in natura, omnipotentia et perfectione, non usurpavit neque adscripsit sibi ipsi quod suum non erat, quia vere sic fuit sicut asseruit. Ideo non commisit rapinam vocando se verum Deum Patri æqualem (quoniam nihil a se alienum sibi attribuit), quemadmodum Lucifer dicens, Similis ero Altissimo, rapinam facere conabatur. (Is. XIV, 14.) Christo igitur, non rapina, sed natura est Deo Patri coæqualem consubstantialemque esse. Propter quod ipse loquitur : Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; (Joann. XVI, 15.) et iterum, Pater quod dedit mihi, majus omnibus est, (Ibid. X, 29.) utpote divina essentia, quam totam Pater transfudit per generationem activam in Filium.

Sed semetipsum exinanivit, id est, valde se humiliavit, *formam servi accipiens*, id est, naturam humanam atque servilem in unitate personæ assumens, ita quod natura assumpta, est Verbo immediate unita atque in ipso suppositata, sicut caro conjungitur animæ; *in similitudinem hominum factus*, hoc est ceteris hominibus assimilatus, assumendo indetrahibiles defectus, ut passibilitatem, non vitia. Fuit enim mortalis atque passibilis. Ideo ad Hebræos ait Apostolus : Debuit per omnia fratribus assimilari. (Hebr. II, 17.) *Et habitu*, id est conversationis suæ habitudine, *inventus* est, id est vere innotuit, *ut homo*, quia veraciter homo fuit. Sicque « ut » dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. Fecit namque pertulitque humana, quoniam manducavit, bibit, dormivit, lassatus est sicut et ceteri. Propterea scriptum est in propheta Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; (Baruch III, 38.) et in Isaia quoque, Butyrum et mel comedet. (Is. VII, 15.) Vel sic : « Habitu », hoc est in natura humana per modum habitus seu vestimenti assumpta, « inventus » est « ut homo », non apparenter, sed realiter. Natura quippe

humana in Christo se habet ad Verbum æternum sicut vestis ad hominem. Nam sicut vestis induitur atque exuitur sine variatione substantialis esse hominis vestiti, ita quod homo est homo substantialiter, sive induatur, sive exuatur; sic Verbum naturam assumpsit humanam absque omni mutatione suæ divinitatis, et sine humanitate posset subsistere.

Humiliavit semetipsum, sicut jam tactum est, et in tota conversatione sua in sæculo isto semper humillimus fuit. Propter quod dixit : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. (*Matth.* xi, 29.) *Factus obediens* secundum naturam humanam Patri, *usque ad mortem,* non qualemcumque, sed ignominiosissimam atque turpissimam, sicut subjungitur : *mortem autem crucis.* Mors enim crucifixorum gravissima est, quia in locis valde sensibilibus ac nervosis transfiguntur, et diu vivunt in ligno. Christus quoque violentissime distentus fuit in cruce.

Propter quod, hoc est merito passionis et obedientiæ hujus, *et Deus* Pater seu Trinitas, *exaltavit illum* in resurrectione, dando ei corpus glorificatum, et in ascensione, constituendo eum ad dexteram suam. Per prædicationem quoque et miracula Apostolorum et aliorum Sanctorum exaltavit illum in cordibus hominum ad fidem conversorum, quibus Christi majestatem et gloriam notificavit : et quoad hoc etiam secundum divinitatem suam exaltatus est Christus, quantum ad manifestationem hominibus factam. Hinc in Actibus dixit Petrus quum natum claudum curasset : Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum. (*Act.* iii, 13.) Pro qua etiam exaltatione Christus legitur exorasse : Pater, clarifica Filium tuum. (*Joann.* xvii, 1.) Omnia autem quæ ad glorificationem corporis Christi sensitivæque partis ejus, et accidentale præmium ejus pertinent, ipse sua humiliatione, passione et obedientia meruit, quamvis ex aliis causis sibi hæc deberentur, videlicet : quia a primo suæ incarnationis instanti, comprehensor et felix fuit in anima quoad partem ejus superiorem, quæ beatitudo redundasset in corpus, et impassibile illud fecisset, nisi divina dispensatione dilatum fuisset, ut asserit Augustinus in epistola ad Dioscorum; et item, quoniam ejus humanitas Verbo fuit unita hypostatica unione, ratione cujus sibi debebatur exaltatio super omnem creaturam, secundum Damascenum.

Et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut scilicet Christus homo vocetur Deus. Per gratiam etenim unionis, datum est Christo homini esse et dici verum Deum : quod est infinitæ dignitatis vocabulum et omni nomine creato sublimius. Quod utique nomen datum est homini Christo ab incarnationis exordio : sed post resurrectionem dicitur datum, quantum ad manifestationem, quemadmodum et alibi loquitur Christus, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : (*Matth.* xxviii, 18.) quæ certe potestas data est ei realiter in incarnatione. *Ut in nomine Jesu,* utpote ad reverentiam ejus, *omne genu flectatur,* (*Is.* xlv, 24.) hoc est, omnis potestas inclinetur ac pareat, *cœlestium, terrestrium et infernorum,* hoc est, angelorum, hominum, dæmonum. Omnis equidem creatura Christo homini est subjecta, et summi angelici spiritus ei obediunt. *Et omnis lingua* corporalis spiritualisque hominum, spiritualis quoque lingua angelorum ac dæmonum, *confiteatur* sponte, sive coacte (nam Jacobo protestante apostolo, Dæmones credunt et contremiscunt), (*Jacob.* ii, 19.) *quia Dominus Jesus Christus in gloria,* hoc est beatitudine, *est Dei Patris.* Nam Christus secundum quod Deus, ejusdem est gloriæ, id est felicitatis et essentiæ, cum Deo Patre. Porro secundum humanitatem suam « est in gloria Patris », hoc est in potioribus bonis ejus et in perfecta fruitione ipsius, secundum illud Marci : Dominus Jesus assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. (*Marc.* xvi, 19.) Quamvis autem in hac vita non omnis hominum lingua Christi beatitudinem confiteatur, tamen in die judicii, velit nolit, hoc ipsum fatebitur. Nunc quoque « omnis lingua » id

confitetur, id est quidam de omni genere A hominum et linguarum, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Juxta quem sensum in Daniele legimus : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. *Dan.* VII, 14.

SERMO PRIMUS

QUOD NEMO VERE EST CHRISTIANUS, NISI CHRISTI SIT AMATOR, CULTOR ET SECTATOR.

Qui dicit se in Christo manere, debet, B *sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* I Joann. II, 6.

Quemadmodum doctores sanctissimi Cyprianus et Augustinus affirmant, ille frustra, imo ad graviorem suam damnationem a Christo christianus vocatur, qui Christi virtutes, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam, caritatem, non imitatur. Ille namque veraciter atque salubriter dicitur christianus, qui Christi est cultor, amator, sectator; et qui talis est, Christo obedit, temporalibus atque car- C nalibus æterna ac cœlestia præfert. Ideo beatissimus ait Joannes : Qui se dicit in Christo manere, id est christianum vere exsistere et Christo per fidem caritatemque adhærere, ambulare, id est conversari, debet quemadmodum Christus, ita quod nil agat Christi præceptis contrarium. Quicumque ergo superbus est, quicumque invidus, quicumque avarus aut libidinosus, quicumque acediosus seu iræ et impatientiæ subditus, potius diabolicus est dicendus, quam christianus. Est namque D diaboli membrum et servus, non Christi; et diabolo consentit ac servit, ac Christo rebellis est et ingratus. Potissimum vero spectat ad quemlibet Christianum esse veraciter caritativum ac misericordem. Ideo Christiani debent propter Deum et in Deo tam inimicos quam amicos vere spiritualiterque diligere, et omnibus benefacere, actibus quoque misericordiæ corporalibus ac spiritualibus valde insistere. Propterea monet Apostolus et instruit universos fideles, dicens, Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu fuit : quatenus sicut Christus semper mente tranquillus ac patientissimus fuit, et omni pietate, caritate atque virtute repletus; sic Christiani juxta exigentiam suæ vocationis, et juxta mensuram sui status ac gradus, in istis virtutibus Christum Dominum, suum caput atque magistrum, imitari conentur. *Philipp.* II, 5.

Denique, sicut fatuus esset et derisione magna condignus, qui se fabrum diceret aut textorem, et tamen artem fabrilem ac textilem non haberet; sic deridendus ac stolidus est, qui se christianum fatetur, et vitam Christi non sequitur. Hinc ipse in Cœna novissima dixit Apostolis, et sub eorum persona universis credentibus : Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Unde S. Hieronymus recitat de se ipso, quod quum adhuc juvenis esset, atque in libris gentilium philosophorum ac rhetorum, magis quam in sacræ Scripturæ codicibus, delectaretur, in visione nocturna raptus est ad judicium Dei et Christo præsentatus. Interrogatus quoque a Christo cujus conditionis esset, confidenter respondit christianum se esse. Cui locutus est Christus, Non christianus es, sed ciceronianus : videlicet quia in libris Ciceronis seu Tullii immoderanter delectabatur. Propter quod Christus præcepit eum acriter flagellari. *Joann.* XIII, 15.

Præterea, juxta doctrinam Apostoli in epistola hodierna, debemus pro modulo virium nostrarum, Christum specialiter sequi in humilitate, quamvis Christi humili-

tatem nullus possit perfecte sequi. Semper A ergo Christi humilitatem pensemus ; et tunc pro nihilo nostram humilitatem reputabimus, quantumcumque nos humiliaverimus. Primo igitur consideremus pro posse, quantum et qualiter se Christus humiliavit in sua benedicta incarnatione : quoniam naturam humanam a suæ divinitatis excellentia in infinitum distantem, sibi immediate conjunxit, neque humanæ carnis vilitatem suæ supermundissimæ ac superdignissimæ deitati unire contempsit ; pauperem quoque matrem elegit, atque in B parvis urbibus concipi voluit ac nasci.

Secundo consideremus qualiter Christus se humiliavit in tota sua conversatione in sæculo isto. Nam quamvis a suæ incarnationis exordio plenus fuerit, etiam secundum naturam assumptam, sapientia et virtute omnique gratia Spiritus Sancti, tamen usque ad annum vitæ suæ tricesimum mansit absconditus, nec publice prædicavit, nec sapientiam suam passim monstravit, nec famam nec laudem humanam
Luc. III, 23. festinavit acquirere. Deinde triginta factus C annorum, inter vulgares et peccatores, quasi unus illorum, ad servi et præcursoris sui Joannis venit baptismum, et quasi
Joann. I, 29 et seq. fuisset peccator, baptizari dignatus est ;
Matth. IV, 1-9. deinde a diabolo tentari ac duci non sprevit. Quumque publice prædicare inciperet, paucos congregavit discipulos rudes et simplices, pauperes atque ignobiles. Inter quos usque ad horam passionis cum ineffabili dignatione et humilitate est con-
Luc. XXII, 27. versatus, quemadmodum dixit : Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. D Unde in signum suæ profundissimæ humi-
Joann. XIII, 4 et seq. litatis, in Cœna ultima pedes lavit Apostolorum, genua sua flectens ante illos ipse
Apoc. XIX, 16. Rex regum et Dominus universorum.

Tertio consideremus qualiter Christus se humiliavit in sua salutifera passione. In qua utique se prorsus inenarrabiliter humiliavit, quia quasi sceleratissimum transgressorem se capi, ligari, irrideri, accusari, flagellari, occidi permisit. Stetit ante Pilatum vultu in terram inclinato, cum admirando silentio, cum corde humillimo ; permisit se veste alba illudi, nudari, columnæ alligari, flagellis lacerari, spinis coronari et conspui ; sed et propriam crucem tulit ad mortem, et inter latrones suspendi dignatus est, sicque pro nihilo reputari. Imo ut leprosus et a Deo *Is.* LIII, 4. percussus vilipendi non horruit, ut efficacissimum daret nobis exemplum despiciendi omnes vanitates et laudes humanas, temporales honores, dignitates et promotiones. Unde quum Judæi voluissent eum *Joann.* VI, 15. rapere ac facere regem, fugit in montem ; sed quando voluerunt eum capere ad crucifigendum, obviam ivit eis. *Ibid.* XVIII, 4.

Postremo, sicut in ista epistola docet Apostolus, Christi obedientiam sequi debemus : nam ipse factus est Patri æterno obediens usque ad acerbissimam ac igno- *Philipp.* II, 8. miniosissimam crucis mortem. Idcirco et nos Deo ac ejus vicariis, nostris prælatis, præceptis Ecclesiæ, semper in omnibus obtemperare debemus libenter et prompte, ex caritate et æquitate, cum recta intentione, ut cum Christo dicamus Patri æterno : Non mea voluntas, sed tua fiat. Inobediens *Luc.* XXII, 42. equidem et superbus propriam voluntatem voluntati præfert divinæ : sicque Deum indicibiliter inhonorat, seque jugo peccati ac dæmonis subjicit. Ideo, sicut Deo servire, est regnare, id est diabolo ac vitiis propriæque voluntati dominari, et optima libertate potiri ; ita Deo non obedire, est vilissime subdi ac deservire, hoc est, vitiis, concupiscentiis, passionibus superari ac subjici, dæmonibus obsequi, in eorum captivitatem redigi, ac funibus vitiorum constringi. Itaque, si post vitam istam brevissimam volumus a Deo æternaliter exaltari, honorari et felices constitui, non recusemus modo propter Deum nos maxime humiliare atque in omnibus obedire.

Legitur in quinto libro Vitaspatrum, quod in quodam monasterio fuerunt duo fratres carnales, quorum unus fuit magnæ abstinentiæ, alius magnæ obedientiæ, ita quod abbati in omnibus promptissime

obedivit, ideoque magnæ exstitit reputationis. Ex hoc frater ejus invidiam quamdam contra eum concepit, et intra se dixit: Ego probo istum si veram obedientiam habeat. Petita ergo ab abbate licentia, duxit secum fratrem suum per viam quamdam. Quumque venissent ad flumen in quo fuit multitudo crocodilorum, dixit fratri suo obedienti : Descende in flumen, et transi. Qui statim intravit flumen; et venientes crocodili, lingebant pedes ipsius, eum in nullo lædentes. Quo viso, dixit frater ejus : Exi de flumine. Et quum iter agerent, invenerunt corpus hominis mortuum jacens in terra. Dixitque frater abstinens : Si haberemus aliquid vetustum, jactaremus super corpus istud. Respondit frater obediens : Magis oremus, forsan resurget. Quumque instanter orarent, surrexit mortuus ille. Quo facto, gloriabatur frater abstinens, dicens : Propter abstinentiam meam surrexit mortuus iste. Omnia autem hæc revelavit Deus abbati eorum. Quum ergo redissent, dixit abbas fratri abstinenti : Quare ita fecisti fratri tuo? Ecce tamen propter obedientiam ejus surrexit mortuus ille.

B Ex hoc exemplo probatur, quam virtuosum Deoque placitum sit superioribus obedire. Ideo Christi obedientiam imitemur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM APPROPINQUASSET JESUS JEROSOLYMIS, ETC. Matth. XXI, 1-9.

CUR evangelium istud hodierno die legatur, omnibus constat : hoc etenim die res gesta est quæ in evangelio isto describitur. Porro passionem suam Christus discipulis suis frequenter prædixit. Specialiter tamen apertissime prænuntiavit eam Apostolis, quando ultima vice ascendit Jerosolymam a remotis, quemadmodum in Matthæo legitur : Ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, etc. (*Matth.* XX, 17, 18.) Deinde Christus per civitatem Jericho veniens, intravit Bethaniam, juxta illud Joannis : Ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus; fecerunt autem ei cœnam ibi, etc. (*Joann.* XII, 1, 2.) Istud fuit sabbato ante Ramos palmarum. Et tunc die sequenti contigit quod jam scribit evangelista Matthæus.

Quum appropinquasset Jesus Jerosolymis, in die Palmarum a Bethania exiens, *et* C *venisset Bethphage*, id est ad villam quamdam sacerdotum sic dictam, *ad montem Oliveti*, qui mons vocatus est mons Oliveti seu Olivarum, quia in eo multæ creverunt olivæ : juxta cujus pedem sive radicem, ex parte propinquiori versus Jerusalem, sita fuit, ut legitur, villa ista, uno a Jerusalem milliario distans; Bethania vero fuit in alio latere posita. Pertinebatque villa ista ad sacerdotes : qui quum per dies sibi deputatos ministrassent in templo, divertebant ad villam istam ad recreandum sive D manendum; et animalia eorum pascebantur in villa ista. Atque, ut ait Hieronymus, villa hæc vocabatur Domus maxillarum. Cujus rationem Origenes assignat, dicendo : Bethphage domus maxillarum interpretatur, quia maxilla fuit pars propria sacerdotum in lege antiqua.

Tunc Jesus *misit duos discipulos*. Dicunt aliqui, quod secundum Chrysostomum, discipuli isti fuerunt Petrus et Philippus. Verumtamen hoc Chrysostomus non affirmat, sed in commentario cujusdam

legisse se refert. Origenes quippe hoc scri- A
psit, ut legitur. Et ratio ejus fuit, quia
per asinam et pullum ejus designati sunt
duo populi, puta Judæi atque gentiles :
Act. I-III. Petrus autem primo prædicavit Judæis, et
Ibid. VIII, 5 et seq. Philippus gentilibus, scilicet Samaritanis,
ut scribitur in Actibus Apostolorum. Sed
ratio ista non videtur robusta, quia fundatur super mystica significatione, ex qua
non valet argumentum assumptum ad
probationem eorum quæ ad litteram pertinent, ut asserit Augustinus. Denique iste
Philippus non fuit unus Apostolorum, sed B
septem diaconorum, secundum Hierony-
Ibid. VI, 5. mum : quod tam ex Actibus Apostolorum
quam aliunde facile potest probari. Hi
vero duo discipuli creduntur fuisse Apostoli : quod etiam ex Evangelio satis conjici
potest. Misit autem Christus duos discipulos, propter socialis vitæ commendationem,
et propter mutuam eorum consolationem,
et item ad designandum quod per duplicem
vitam, videlicet activam et contemplativam, seu per scientiam veritatis et operationem virtutis, ad Deum pertingitur. C

Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est. Communiter per « castellum »
intelligitur urbs ipsa Jerusalem, vel propter fortitudinem murorum quibus circumdata fuit et instar castelli munita, vel
despective, propter discordiam atque invidiam habitantium in ea, et quia alienigenis, puta Romanis, fuit subjecta. Videtur
tamen per « castellum » posse intelligi aliqua domus lapidea eminens, muris propinqua : in qua vel juxta quam fuerat asina. Et
quod ait, « quod contra vos est », exponi D
potest dupliciter. Primo, « quod contra vos
est », id est ex opposito vestri, secundum
Ps. LXXVI, 3. situm loci. Sicque ait Psalmista : In die
tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum. Et in Marco
Marc. IV, 35. ait Salvator discipulis : Transeamus contra. Secundo, « quod contra vos est », id est,
vobis contrariatur, quoniam me magistrum
ac Dominum vestrum occidere nititur. Et
tunc per « castellum » intelliguntur incolæ
ejus, sumendo continens pro contento. *Et
statim invenietis asinam alligatam* præsepio aut alteri rei, ne vaga inveniri ad
nutum non posset, *et pullum* ejus *cum ea.*
Hæc asina, ut communiter fertur, deputata
fuit ad communem pauperum usum, atque
ad idem nutriebatur pullus ipsius. *Solvite*
asinam, *et adducite mihi,* id est ad usum
meum, asinam simul cum pullo suo. Porro
apud Lucam legitur Christus dixisse discipulis : Invenietis pullum asinæ alligatum. *Luc.* XIX, 30.
Cui Marcus concordat. Asina ergo et pul- *Marc.* XI, 2.
lus ligati fuerunt. Et ut in Marco scriptum
est, pullus ligatus fuit ante januam in *Ibid.* 4.
bivio.

Et si quis vobis aliquid dixerit, interrogando cur ista animalia solvatis (unde
et Marcus scribit, quod quidam de illic
stantibus dixerunt discipulis : Quid facitis *Ibid.* 5.
solventes pullum ? quia videlicet usque ad
illud tempus nullus usus fuerat pullo ad
sedendum), *dicite quia Dominus* rex Messias, creator et princeps universorum, *his
opus habet,* id est, asina pulloque indiget,
non necessitate absoluta aut coacta, sed
conditionata atque spontanea, utpote propter mysticas rationes quæ infra tangentur,
et ad verificandum vaticinium Zachariæ *Zach.* IX, 9.
prophetæ; non propter sui corporis infirmitatem aut fatigationem, quoniam nocte
præcedente in Bethania requievit, et die
isto permodicum, utpote vix per unum
milliare, transivit. *Et confestim dimittet
eos* solvi a vobis, et mihi adduci; vel, ipse
« Dominus », scilicet Christus, « confestim
dimittet eos », id est, pullum asinamque
remittet ad dominum suum seu pristinum locum, mox quum Jerosolymam fuerit ingressus.

Quæritur, quid isti domini seu custodes
pulli ac asinæ (qui secundum Lucam et *Luc.* XIX, 33 ; *Marc.* XI, 5.
Marcum dixerunt discipulis, cur solverent
pullum) intellexerunt per Dominum, quando discipuli responderunt : Dominus operam ejus desiderat. Ad quod respondendum opinor, quod Apostoli Christi, ex
habitu, seu aliis signis, dignoscebantur esse discipuli Jesu. De quo etiam magnus
tunc fuit rumor, quod ipse esset Christus

rex Israel : idcirco custodes cognoscentes quod isti essent discipuli Jesu, per Dominum intellexerunt Jesum, et forsan perceperunt eum esse in via versus Jerusalem. Chrysostomus vero respondet, quod omnipotentia Christi sic movit corda custodum istorum, quod nomine Domini audito, contradicere non audebant. Sed cur humilitatis magister Jesus se ipsum nomine tam sublimi expressit, quod Deo est proprium (*Is.* XLII, 8.) (sicut per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; de quo item scriptum est (*Amos* V, 8.) : Faciens Arcturum et Orionem, Dominus nomen ejus)? Dicendum, quod Christus hoc die voluit majestatem suam verbis et factis tam suis quam aliorum, multipliciter declarare, ut electi et boni veritatem agnoscerent, infideles vero ac reprobi inexcusabiles redderentur.

Hoc autem totum, quod scilicet Christus discipulos misit, et bruta ista sibi adduci præcepit, *factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam* Zachariam (*Zach.* IX, 9.), *dicentem : Dicite filiæ Sion,* hoc est plebi Jerusalem : quæ plebs dicitur filia, propter paternum affectum Dei ad eam, secundum id quod a Deo accepit. Unde in libro Sapientiæ (*Sap.* XI, 25.) dicitur Deo : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Hinc in Prophetis nomine filiæ, congregatio populi sæpissime designatur. Porro Sion fuit mons in quo stabant templum Dei atque palatium regis : propterea nomine Sion, civitas tota significatur, tanquam a parte principali. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus,* id est mitis et humilis, non cum apparatu terribili ac pomposo aut animo bellicoso, non in aureo curru sedens aut pretiosa purpura fulgens, neque super fervidum equum, discordiæ litisque amatorem, ascendens, sed *sedens* successive *super asinam,* tranquillitatis et pacis amicam, deinde *et* super *pullum filium subjugalis,* id est asinæ, assuetæ portare jugum atque sessores ; super pullum vero usque ad illam horam nemo sedit, secundum Lucam et Marcum (*Luc.* XIX, 30; *Marc.* XI, 2.), sed Christus super eum primitus sedit.

A Horum ratio infra tangetur. Ex hujus prophetiæ impletione debuissent merito Scribæ ac Pharisæi Christum novisse. Ex qua etiam prophetia apertissime comprobatur, quod primum Christi adventum prædixerunt Prophetæ in paupertate et humilitate, non in temporali regno ac opulentia, prout Judæi increduli opinantur ac præstolantur. Propter quod Christus in passione dixit Pilato : Regnum meum non est de hoc mundo (*Joann.* XVIII, 36.). Denique præinducta Zachariæ prophetia in translatione Hieronymi, qua

B utitur modo Ecclesia, plenius continetur, his verbis : Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem (*Zach.* IX, 9.) : ecce rex tuus venit tibi justus et salvator ; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, ut Jesus mollius honestiusque sederet, *et eum desuper sedere fecerunt* successive, ut tactum est. Verum-

C tamen quidam dicunt, quod Christus super animal utrumque non sedit, ita quod secundum eos, historia vel impossibilitatem, vel turpitudinem continet : impossibilitatem, quoniam in tam brevi itineris spatio, super utrumque animal sedere nequivit ; turpitudinem, quoniam indecens videretur quod asinæ insedisset. Nihilo minus, propter manifestam auctoritatem Scripturæ canonicæ utriusque Testamenti, potius reor dicendum quod super utrumque animal sederit successive. Hoc nam-

D que Zacharias propheta et Matthæus evangelista aperte affirmant ; hoc quoque sentit Remigius, et Nicolaus de Gorra. Poterat namque infra unius spatium milliaris utrique animali sedere, præsertim ob mysticam rationem statim tangendam. Nec apparet cur asinam sibi fecisset adduci, nisi ut ea uteretur ; nec aliter, ut videtur, commisisset discipulis ut dicerent quia Dominus his opus habet. Ad litteram demum verisimile est, quod pullus adhuc multum juvenis fuit, nec fortis, quia hucusque

nullus insedit eidem. Ideo Christus non A diu mansit super pullum : quo tamen utique utebatur, quoniam alii tres Evangelistæ de solo pullo, quem Joannes vocat asellum, faciunt mentionem. (Joann. xii, 14.) Præterea turpe non fuit illo in tempore uti asina ad vehendum, quum et Balaam, qui fuit vir magnus in sæculo, super asinam venisse ad regem Balac in libro Numerorum legatur. (Num. xxii, 21 et seq.) His concordat quod ait Chrysostomus : Mihi videtur quod non propter mysterium tantum super asinam sedit, sed et mensuram nobis sapientiæ præstans, demonstrat B quod non super equos ferri necesse est, sed sufficit asino uti, et eo quod necessitas exigit, esse contentum.

Præterea spiritualiter seu mystice per præfatum castellum, designatur totus hic mundus, id est genus humanum, parvus virtute magnusque pravitate, atque per modum castelli contra Deum muris impietatis et rebellionis, obstinatione et duritia cordis munitus. In quem Christus misit discipulos, dicens : Ite in mundum universum, et prædicate Evangelium omni C creaturæ. (Marc. xvi, 15.) In quo mundo invenerunt Apostoli asinam alligatam, id est Synagogam seu populum Judæorum, et pullum, id est gentiles. Eratque uterque populus funibus vitiorum ligatus. Quoniam tamen populus Judæorum onera legis super se tulit, præcepta Mosaicæ legis servando, designatur per asinam subjugalem. Gentiles vero lascivi, vagi, indomiti, sine fide, lege ac servitute Dei viventes, significantur per pullum nemini subjugatum. Voluit ergo Salvator utrumque animal sibi adduci, D quia præcepit Apostolis ut utrumque converterent populum, eis dicens in Actibus : Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. (Act. i, 8.) Sedit quoque super utrumque animal, quoniam multos Judæorum innumerabilesque gentilium sibi subjecit per fidem et cultum divinum. Primo tamen insedit, ut creditur, asinæ, quoniam ipsemet primo venit et discipulos primo misit ad convertendos Judæos. Nam ante passionem præcepit discipulis : In viam gentium ne abieritis. (Matth. x, 5.) De se ipso etiam dixit : Non sum missus nisi ad oves domus Israel quæ perierunt. (Ibid. xv, 24.) Hinc in Actibus Paulus ait Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. (Act. xiii, 46.) Quumque discipuli adduxissent asinam et pullum ad Jesum, eum desuper sedere fecerunt, quoniam quum convertissent electos Judæos et gentes innumeras, subjecerunt eos imperio Christi, ut ejus præceptis parerent. Quod autem vestimenta sua posuerunt super pullum et asinam, hoc designat quod in cordibus eorum quos converterunt, posuerunt indumenta virtutum, variosque ornatus salutarium doctrinarum, gratiam sibi collatam aliis communicantes, quemadmodum sacratissimus Apostolorum princeps hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam communicantes. (I Petr. iv, 10.)

Insuper præinductis de Christo consonat quod in Genesi Jacob patriarcha loquitur Judæ filio suo de Christo : Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. (Gen. xlix, 11.) Quod enim hoc ad litteram de Christo dicatur, constat ex eo quod ibi immediate præmisit : Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est ; et ipse erit exspectatio gentium. (Ibid. 10.)

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via per quam venerat Christus ; *alii autem cædebant ramos de arboribus* olivarum, *et sternebant in via.* Omnia ista fecerunt in signum lætitiæ, atque ad reverentiam Salvatoris ; item, ut ait Hieronymus, ne animal cui Christus insedebat, offendat in lapidem, ne calcet spinam, ne labatur in foveam. *Turbæ autem quæ præcedebant* Jesum, *et quæ sequebantur* eum, *clamabant, dicentes : Hosanna,* id est, obsecro, salva, *o fili David,* secundum naturam assumptam. Hosanna, est dictio composita ex integro et corrupto, videlicet ab HOSI, quod est salva, et ANNA, quod est interjectio obsecrantis. Nam sicut apud Latinos a dolente dicitur heu, sic apud Hebræos ab obsecrante dicitur ANNA. Porro si textus habeat, Hosanna

filio David, sensus est : Dicimus et clamamus filio David, Hosanna, id est, salvifica. *Benedictus* est, id est sanctus et laude dignus, sive laudatus sit, *qui venit in nomine Domini,* hoc est virtute Patris æterni et secundum voluntatem ipsius, ad gloriam ejus. Unde apud Joannem ait Salvator: (*Joann.* v, 43.) Ego veni in nomine Patris mei. *Hosanna,* id est, salvos nos fac, *in altissimis,* dando nobis veram felicitatem in cœlis. Canticum istud, secundum Hieronymum, sumptum est ex psalmo centesimo septimodecimo, qui de Christi adventu conscriptus est, quo habetur : (*Ps.* CXVII, 25, 26.) O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Postremo hoc canticum voce consona resonabant, ex instructione utique et motione Spiritus Sancti.

Lucas quoque hæc plenius recitat, dicens : (*Luc.* XIX, 37, 38.) Quum appropinquaret Jesus ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis. Et istæ fuerunt turbæ venientes cum Christo. De his vero quæ ei obviam processerunt, apud Joannem scriptum est : (*Joann.* XII, 12, 13.) Turba quæ convenit in Jerusalem ad diem festum, quum audisset quod Jesus veniret, exierunt obviam ei cum ramis palmarum.

SERMO SECUNDUS

QUALITER PASSIO CHRISTI SIT A CHRISTIANIS MULTIPLICITER CONSIDERANDA.

Si compatimur, et conregnabimus. Rom. VIII, 17; II Tim. II, 12.

Passionem Christi considerare debet Christianus pluribus modis. Primo, ad imitandum, quoniam ut ipsemet Christus loquitur, (*Joann.* XIII, 16; *Matth.* X, 24.) Non est servus major domino suo, neque discipulus major suo magistro. Si ergo oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, (*Luc.* XXIV, 26.) quanto magis Christi ministros atque discipulos per adversitatum et tribulationum æquanimem sustinentiam regnum cœleste oportet intrare? Ideo dixit Apostolus : (*Act.* XIV, 21.) Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Denique summa et perfectissima vita Christiani est imitatio Christi. Sit ergo regula nostræ vitæ passio Salvatoris, atque humilitas, patientia, constantia et caritas, quas maxime in sua passione monstravit. Tanto igitur amplius consolemur, quanto plus Christo propter nos passo conformamur; tantoque amplius contristemur, quanto plus a suæ passionis imitatione elongamur. Consideremus ergo quotidie intime et profunde, quæ, quanta et qualia Christus pro nobis sustinuit, ut ejus passioni nos conformemur. Sicque quantum in nobis est, optemus ab hominibus conculcari, sperni, persequi, derideri et tribulari; paupertatem, famem et sitim, exemplo Christi, æquanimiter patiamur; superfluitatem, vanitatem et omnem voluptatem immundam cordialiter detestemur ac fugiamus : ut sic vere pœnitentialem et cruciformem vitam ducamus, et taliter Christo compatiamur in vita præsenti, ut conregnemus eidem æternaliter in futuro. Hinc nempe beatissimus Apostolorum princeps effatur : (I *Petr.* II, 21.) Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

Secundo considerare debet Christianus Christi passionem ad admirandum. Consideremus ergo quis, qualis et quantus sit qui pro nobis tanta sustinuit. Ipse enim est Deus et homo, Rex regum et Dominus (*Apoc.* XIX, 16; *Act.* X, 36.)

universorum : qui secundum suam invariabilem deitatem est penitus infinitæ dignitatis, excellentiæ et gloriæ; qui etiam secundum suam humanitatem divinitati unitam et omni virtute, dono ac gratia adimpletam, toto mundo est præstantior. Nonne ergo mirandum est vehementissime quod talis ac tantus pro tam vilissimis peccatoribus tam ignominiosissimam atque gravissimam mortem perpeti voluit, et a sceleratissimis peccatoribus ita tractari, taliter captivari, ligari, conspui, derideri, percuti, accusari, flagellari, spinis coronari, inter latrones suspendi, distendi, occidi? Si filius regis terreni pro liberatione servorum suorum, etiam ingratorum, se ipsum sponte in mortem exponeret et occidi permitteret, nonne omnes plurimum mirarentur, et tantam filii regis caritatem, pietatem, patientiam commendarent? Incomparabiliter magis miranda, collaudanda ac veneranda est caritas, misericordia, patientia Filii Regis æterni, videlicet Domini nostri Jesu Christi, qui propter ineffabilem caritatem qua dilexit nos, et ex inæstimabili misericordia qua condoluit nobis, a regalibus summi cœli sedibus in vallem hanc lacrimarum descendit, nostram naturam assumpsit, atque in ea pro nostra ereptione a morte æterna ac pro nostra felicitate superna, in omni paupertate, humilitate, caritate, patientia vixit in sæculo isto, tandem mortem prorsus acerbissimam pro nobis sustinuit. (*Ephes.* II, 4.)

Tantam ergo ipsius caritatem, pietatem, patientiam vehementer miremur, cordialiter diligamus, jugiter veneremur, juxta illud Isaiæ : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. (*Is.* LXIII, 7.) Sed tunc Christi virtutes ac passionem digne ac meritorie honoramus, si pro ejus amore et suæ imitationis affectione honores laudesque hominum aspernamur, atque adversa quæque patienter sufferimus, præsertim quum dicat Propheta : Dissipavit Deus ossa eorum qui hominibus placent; (*Ps.* LII, 6.) confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Unde ait Salvator discipulis : Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. (*Joann.* XV, 19.) Itaque, si de numero electorum esse optamus, non ægre feramus, neque miremur, nec contristemur, si ab hominibus improbis irridemur, despicimur, injuriasque perferimus : imo hæc cum gaudio toleremus, sperantes ex hoc quod ad sortem filiorum Dei pertineamus.

Tertio considerare debet Christianus Christi passionem ad exsultationem, quia de Christi passione gloriari debemus, sicut ait Apostolus : Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. (Cf. *Galat.* VI, 14.) Debemus equidem de Christi passione gaudere, non in quantum fuit injusta læsio Christi et maxima pœna ejus; sed in quantum per eam redempti sumus a morte æterna, a servitute peccati, a jugo diaboli, et Deo Patri reconciliati, Spiritu Sancto repleti, ad beatitudinem æternam reparati; atque in quantum per eam diabolus victus est, et ruina angelica restaurata. Ideo dixit Apostolus : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. (*Ibidem.*) Hinc ait quidam devotus : Scio quia dulce vobis est, In principio erat Verbum (*Joann.* I, 1.); dulcius, Verbum caro factum est (*Ibid.* 14.); dulcissimum, Verbum incarnatum in cruce suspensum.

Quarto considerare debet Christianus Christi passionem ad suam informationem, considerando cum quanta mansuetudine, patientia, caritate, constantia, humilitate Christus sustinuit universa quæ passus est, quum tamen uno imperio potuisset omnes adversarios suos temporaliter occidisse æternaliterque damnasse. Sed coram Pilato et Herode tanquam innocentissimus atque mitissimus agnus conticuit, quum accusaretur mendaciter. Propter quod de ipso Isaias prædixit : Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus (*Is.* LIII, 7.)

coram tondente se obmutescet. Quibus per omnia consonat quod gloriosus Apostolorum princeps in prima sua Canonica in Christo perhibet adimpletum, dicendo : I *Petr.* II, 23, 24. Christus quum malediceretur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Hæc itaque considerando, in omni eventu, in omni prosperitate et adversitate, in omni actu et cogitatu, semper humilitatem, patientiam, caritatem discamus et observemus : potissimum quoniam Christus in cruce tam crudelissime pendens, totius injuriæ suæ immemor, pro suis crucifixoribus tam caritative ac misericordissime exoravit; imo et eos ut potuit excusavit, dicendo : *Luc.* XXIII, 34. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quo exemplo tenemur *Matth.* V, 44. et inimicos diligere et pro calumniantibus deprecari. Et breviter, in Christi passione invenit homo omnium virtutum optima documenta, totius moralitatis saluberrima instituta, et omnium quæ ad perfectionem ac salutem pertinent copiam salutarem.

Quinto considerare debet Christianus Christi passionem ad contemplandum. Etenim Deus incarnatus in cruce suspensus, altissimum est totius contemplationis objectum. Ibi enim contemplamur bonitatem et misericordiam Dei, qui ita voluit hominibus subvenire; justitiam ejus, quod maluit Deus Pater unicum Filium suum sic pati, quam peccata inulta relinqui; sapientiam ejus, quod talem modum liberationis invenit.

Sexto considerare debet Christianus A Christi passionem ad inflammandum, ut scilicet sapienter pensando quanta et qualia Christus pro nobis perpessus est, et quanta utilitas nobis ex ejus passione provenit, accendamur totaliter ejus amore. Nam si quis nos ab unius membri abscisione aut temporali morte eriperet pretio auri sive argenti, multum merito diligeremus eumdem. Nonne ergo incomparabiliter plus Christum amare debemus, qui proprio sanguine suo ab æterno nos liberavit interitu, et ad veram reduxit salutem?

B Hæc igitur meditando, divino inflammemur amore, atque in Christo mente conquiescamus, et in ejus nos vulneribus abscondamus, et in ipsum totaliter resolvamur, transformemur ac demoremur. Et contra injuriantes non solum non indignemur, sed etiam eis caritative ac dulciter afficiamur. Sicut in Vitaspatrum legitur de quodam Fratre, quod dum aliquis fecit sibi injuriam in verbis vel in factis, currebat post illum cum gaudio, ut majorem sibi irrogaret injuriam. Dixitque : C Isti sunt qui ad ingressum regni cœlestis nobis præparant viam. Et quanto plus sibi aliquis forefecit, tanto plus regratiabatur ei et orabat pro illo. Et certissime ita est, si intelligere possemus, vel magis vellemus. Nempe qui injuriantur nobis, occasionem nobis offerunt maximi meriti, dummodo æquanimiter toleremus. Et quum simus fragiles valde et proni ad mala, idcirco qui laudant nos, occasionem nobis exhibent magnæ ruinæ, videlicet gloriæ vanæ, quæ est vulpecula pessima, bonorum operum *Cant.* II, 15. D demoliens vineam, evacuans præmium.

SERMO TERTIUS

QUOD HOMINUM LAUDIBUS DELECTARI NEMO DEBEAT AUT TEMPORALES HONORES QUÆRERE.

IN *die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.* Eccli. XI, 27.

Dominus noster Jesus Christus, virtus et sapientia Dei Patris, attingens a fine us- *Sap.* VIII, 1. que ad finem fortiter, et disponens uni-

versa suaviter, quum frequenter ante suam A passionem, venerationem Judæorum quorumdam fugisset, et dum voluissent eum *Joann.* VI, 15. facere regem, clam discessisset, hodierno tamen die, quum passionem suam sciret instare, maximam venerationem regiumque honorem sibi voluit exhiberi :

Primo, ut vanitatem mundani honoris ac laudis humanæ brevitatem incertitudinemque *Job* XX, 5. monstraret, juxta illud Job : Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ instar puncti. Qui enim hoc die Christum verbis et factis maxime honoraverunt, cla- B mando, *Joann.* XII, 13. Hosanna, fili David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, ac ramos arborum in via sternendo, et cum ramis palmarum ei obviando; eadem hebdomada, scilicet sexta feria, exclamabant : *Ibid.* XIX, 15. Tolle, tolle, crucifige eum; et rursus, Sanguis *Matth.* XXVII, 25. ejus super nos et super filios nostros. Non ergo hominum laudibus delectemur, neque temporales quæramus honores, quia de his qui talia appetunt, quamvis bona aliqua agere videantur, Christus frequenter *Ibid.* VI, 2, 5, 16. in Evangelio protestatur quod recepe- C runt mercedem suam. Hinc in omnibus soli Deo optemus placere, atque ab eo cœlesti coronari honore.

Secundo, Christus voluit die hoc taliter honorari, ad ostendendum quod de morte hominum sanctorum non est immoderanter dolendum, sed illis potius congaudendum : *Ps.* CXV, 15. quia ut ait Psalmista, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Mors namque illorum est janua ad beatitudinem æternalem ac plenam. Idcirco sancti viri mortem frequenter appetisse D leguntur, *Philipp.* I, 23. ut quum ait Apostolus : Cupio dissolvi et esse cum Christo; et Psalmista : *Ps.* XLI, 3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Legitur in vita Christinæ mirabilis, quod dum quadam die staret in foro civitatis Lossensis, et valde gauderet atque rideret, interrogata est ab adstantibus cur tantum gauderet. Respondit : quia hodie Jerusalem a Sarracenis est capta, et plurimi Christiani occisi sunt ibi. Hoc quippe Deo revelante cognovit in spiritu. Quumque diceretur ei, De hoc magis contristandum ac flendum est; ipsa dixit : Non gaudeo de captione civitatis, nec de Christianorum interitu, sed de eorum martyrio, quia pro fide occisi sunt, et quoniam regnum ingrediuntur cœleste.

Tertio, voluit sibi Christus istum impendi honorem, ad innuendum quod cum gaudio ad sustinendum adversa sit accedendum, atque a temporalibus bonis et prosperitatibus fugiendum, vel cum timore ad ipsa eundum : quemadmodum Christus hoc die cum grandi solennitate ad locum suæ passionis progressus est; quæsitus *Joann.* VI, 15. vero ut fieret rex, fugit. — Quarto, ut prophetiam Zachariæ de se prænuntiatam *Zach.* IX, 9. impleret, seque veraciter esse regem Messiam ostenderet.

Insuper, sicut Christus dum appropinquavit Jerusalem, ascendit super asinam ejusque pullum; ita et nos si cœlesti Jerusalem seu triumphanti Ecclesiæ ac felicitati æternæ volumus vere appropinquare, accedendo illuc, ascendamus super asinam, hoc est, proprium corpus imperio rationis atque profectui animæ subjiciamus, carnem cum vitiis et concupiscentiis *Galat.* V, 24. crucifigamus, sicut ait Apostolus : Castigo *I Cor.* IX, 27. corpus meum et in servitutem redigo. Hoc facit qui carnalia vitia vitat, qui caste et sobrie vivit; qui in somno et universis quæ spectant ad corporis necessitatem, moderamen observat, nec voluptatem, sed corporis necessitatem et animæ utilitatem in illis intendit, quærit et admittit.

Præterea, sicut turba illa processit obviam Christo cum ramis palmarum, ita et nos spiritualiter debemus ei occurrere cum virtuosis operibus recentis ac fervidæ devotionis, cum affectibus sanctæ dilectionis, cum meditationibus optimis. Ramos quoque olivarum sternere debemus in via, hoc est, opera misericordiæ undique exercere, et pauperibus hinc inde pergentibus liberaliter subvenire, juxta illud Ecclesiastæ : *Eccle.* XI, 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, et post multa tempora

invenies illum. Quum enim in via virtutum non progredi sit regredi, debemus quotidie in caritate et devotione proficere, atque in actibus bonis plus solito abundare, et nequaquam tepescere. Propter quod secunda ad Timotheum ait Apostolus : Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te. Si ergo taliter occurremus Christo, ipse libenter et gratiose intrabit cor nostrum, et per gratiæ incrementa habitabit in nobis.

II *Tim.* I, 6.

Deinceps per olivas designantur homines vitæ activæ, operibus misericordiæ deditі ; per palmas, quæ æstate ac hieme virent, homines contemplativi, inter prospera et adversa constantes ac læti in Domino.

Itaque ab olivis ramos quibus Christum honoremus, amputare debemus, hoc est, bona exempla ab hominibus vitæ activæ, misericordiæ actibus occupatis, accipere, ut illorum exemplo, ita agamus proximis sicut nobis rationabiliter fieri volumus, aut vellemus si in illorum necessitate et statu essemus. Sicque opera misericordiæ, tam spiritualia quam corporalia, pro posse caritative atque hilariter exerceamus. Hilarem enim datorem diligit Deus.

II *Cor.* IX, 7.

At vero ramos palmarum abscindimus et Christo obviam bajulamus, dum ab hominibus contemplativis exempla virtutum suscipimus, illorum exemplo ad interna exercitia nos donantes, devotis meditationibus, fervidis orationibus, amorosis affectibus, sinceris contemplationibus insistendo, instar Mariæ Magdalene coram Domino Jesu sedendo, et quid ipse in nobis loquatur per divinum instinctum, per angelicam inspirationem, per Scripturarum lectionem aut meditationem, affectuosissime audiendo. Hoc utique modo electi et virtuosi se mutuo per bonam famam exemplaremque vitam juvant, confortant et excitant, dicente Gregorio : Volantia animalia frequenter se feriunt alis suis, quia bonorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim tua me percutit, quando exemplo tuæ virtutis me ad meliora accendis; et ala mea proximum ferio, si ei opus bonum quod imitetur, ostendo.

Luc. X, 39. *Ps.* LXXXIV, 9.

Quemadmodum enim is qui in conspectu populi male agit, quantum in ipso est, tot occidit a quot attenditur; ita qui coram aliis exemplariter conversatur, quantum in ipso est eos spiritualiter vivificat aut perficit a quibus conspicitur, fitque particeps omnium bonorum quæ ex sua imitatione geruntur. Propterea dicit Cæsarius : Quantis exemplum veræ humilitatis et perfectæ caritatis aut aliarum virtutum ostenderis, cum tantis et pro tantis æterna præmia possidebis. Hinc ait reverendissimus atque gloriosissimus Eusebius Emisenus : Benedicta Deo illa anima cujus humilitas proximi confundit superbiam, cujus patientia proximi exstinguit iram, cujus obedientia pigritiam alterius tacite atque secrete increpat, cujus fervor inertiam alieni torporis exsuscitat. Curemus igitur exemplares esse hominibus cunctis ad Dei honorem et illorum salutem, omni vanitate exclusa, quum in Matthæo dicat Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc fit dum misericordia apparet in effectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione, caritas Dei et proximi in conversatione totali.

Matth. V, 16.

Præterea, quoniam Christus die isto cum solennissima processione in Jerusalem est deductus, idcirco Ecclesia hodie ad Dei gloriam, processionem facit solennem : in qua cum præfatis spiritualibus ac internis ornatibus incedere debent Christifideles. In qua etiam versiculi isti, Gloria, laus et honor, etc., clausis solent januis decantari. Cujus ratio litteralis est, quod primo fuerunt decantati a clauso. Theodulfus namque Aurelianensis episcopus, apud Ludovicum imperatorem fuit ab æmulis mendaciter accusatus : propter quod ab ipso imperatore in custodia Andegavis est po-

situs. Qui in Ramis palmarum versus hos A a se editos, præsente imperatore in processione, clausus in carcere, aperta tamen fenestra, cantavit : qui in tantum complacuerunt imperatori, quod episcopum illum mox a carcere liberavit.

SERMO QUARTUS

DE CHRISTI PASSIONE, QUOD ACERBISSIMA FUERIT AC GENERALISSIMA.

O *VOS omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.* Thren. I. 12.

Quum duplex sit dolor, videlicet, corporalis sive exterior, qui causatur ex corporali nocivo sive læsivo, et dolor spiritualis sive interior, qui generatur ex apprehensione alicujus nocivi ; uterque hic dolor fuit vere in Christo. Imo uterque dolor fuit in eo tempore suæ passionis maximus inter dolores vitæ præsentis : et hoc propter quatuor contigit.

Primo, propter causas doloris. Doloris C namque sensibilis causa fuit in eo læsio corporalis. Quæ acerbitatem habuit, primo, ex genere passionis, quoniam mors confixorum in cruce est acerbissima : nam configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, puta in manibus et pedibus. Pondus quoque corporis pendentis continue auget dolorem : diu enim durat hujusmodi dolor, quia non statim moriuntur, ut hi qui gladio feriuntur. Deinde triplex est gradus seu species pœnæ. Nam quædam pœna est singulariter D ignominiosa, ut suspensio in patibulo, quæ fuit pœna latronum. Quædam quoque est pœna multum dolorosa, sicut excoriatio, quam passus est S. Bartholomæus apostolus, et adustio, quam passus est S. Laurentius. Tertia est pœna quæ habet utrumque, ut crucifixio Christi, quia fuit ignominiosa tanquam pœna latronum, et dolorosa ob causas prætactas. — Secundo, læsio corporalis habet acerbitatem præcipuam propter generalitatem passionis. Passus B est etenim Christus omnem passionem, seu pœnam humanam ab extrinseco illatam, non quantum ad species, sed quoad genus pœnarum hujusmodi. Quod considerari potest tripliciter. Primo, ex parte hominum. Nam passus est aliquid a gentilibus et Judæis, a viris, et feminis, puta ancillis Petrum accusantibus, item a principibus et ab eorum ministris, ac popularibus, juxta illud in Psalmo : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. *Ps.* II, 1, 2. Passus est etiam aliquid a familiaribus et notis, ut a Juda proditore, et Petro negante, atque Apostolis fugientibus. Secundo patet idem ex his in quibus homo potest aliquid pati. Nam passus est Christus in amicis eum deserentibus, puta discipulis fugientibus ; et in fama passus est blasphemias, in honore et gloria irrisiones et contumelias, in rebus, quia spoliatus est vestibus ; in anima passus est tristitiam, tædium et timorem. Tertio potest hoc considerari quantum ad corporis membra : quia in capite passus est coronam spinarum pungentium, in manibus et pedibus fixionem et perforationem clavorum, in facie sputa et alapas, in toto corpore flagella. Passus etiam fuit secundum omnes sensus corporeos, utpote : secundum tactum, flagellatus et clavis confixus ; secundum gustum, aceto et felle potatus ; secundum olfactum, in loco fœtido corporum mortuorum cruci affixus ;

secundum auditum, vocibus blasphemantium ac irridentium lacessitus; secundum visum, videns Matrem suam carissimam et dilectum discipulum et alias sanctas feminas ac quosdam amicos ineffabiliter ejulantes.

Præterea causa interioris doloris in Christo, fuit tota iniquitas totius generis humani, pro qua satisfaciebat; secundo, specialiter casus Judæorum et aliorum in sua morte peccantium, atque præcipue discipulorum suorum, qui scandalum passi fuerunt in sua passione; tertio, vitæ corporalis amissio, quæ naturaliter exstat horribilis, et maxime Christo fuit horrenda, quoniam vita sua corporalis nobilissima fuit propter unionem suæ humanitatis cum Verbo æterno. Unde Philosophus tertio Ethicorum affirmat, quod virtuosus tanto plus diligit vitam suam, quanto scit eam esse meliorem: et tamen exponit eam morti propter bonum virtutis. Similiter Christus vitam suam maxime dilectam exposuit morti propter bonum caritatis et communis salutis, secundum illud Jeremiæ: Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum meorum. (Jer. xii. 7.)

Secundo, magnitudo seu acerbitas pœnæ consideratur et causatur ex perceptibilitate et teneritudine patientis. Christus autem fuit optime complexionatus. Nam corpus ejus fuit miraculose operatione Spiritus Sancti formatum: quæ vero per miraculum fiunt, sunt aliis potiora, ut dicit Chrysostomus de vino in quod Christus aquam convertit in nuptiis. Fuit quoque corpus Christi ex purissimis sanguinibus gloriosæ Virginis sumptum, secundum Damascenum: idcirco in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima quoque Christi secundum vires suas interiores efficacissime atque clarissime apprehendit omnes causas tristitiæ.

Tertio, magnitudo sive acerbitas doloris Christi consideratur ex puritate doloris. In aliis quippe patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor interior atque exterior, ex consideratione aliqua rationis, per quamdam derivationem seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores: quod in Christo patiente non fuit, quoniam unicuique virium permisit agere et pati quod ei est proprium, ut loquitur Damascenus.

Quarto, consideratur magnitudo doloris Christi ex hoc quod passio ejus fuit sponte assumpta propter liberationem hominum a peccato et tormento æterno, et propter adeptionem perpetuæ salutis eorum. Ideo tantam doloris quantitatem assumpsit, quod fuit proportionata magnitudini fructus inde sequentis.

Ex his igitur omnibus causis simul sumptis manifeste apparet, quod dolor Christi maximus fuit, absolute loquendo, quamvis aliquorum martyrum dolor quantum ad aliquid poterat esse major. Quum ergo tanta pro nostra salute passus sit Filius Dei, verusque Deus et omnium rex supremus, grati pro posse esse conemur, et omnem adversitatem ac persecutionem æquanimiter toleremus. Pro modica offensa in verbis aut factis nullatenus perturbemur. Discamus libenter perpeti parva, ut paulatim majora tranquille sustineamus. Passionem Christi cordibus nostris indelebiliter inscribamus, ut semper ante oculos mentis nostræ versetur ac revolvatur. Et tanto feliciores nos reputemus, quanto pro Christo et ob ejus amorem ac imitationem duriora ac frequentiora adversa perpessi fuerimus.

Postremo, quantum Christus ex amissione suæ corporalis vitæ dolere potuerit, constat ex quodam exemplo quod in libro de Civitate Dei recitat Augustinus. Nam ait, quod in quadam nave fuerunt quamplures, inter quos fuit quidam magnus philosophus, et alius quidam lascivus vagusque juvenis. Ortaque tempestate prægrandi, multum timuit ille philosophus; sed juvenis ille parum vel nihil expavit. Ideo tempestate sedata, juvenis ille insultavit philosopho quod taliter formidavit. Respondit philosophus: Quid mirum

si ego tam bonam virtuosamque vitam A perdere timui, tu vero tam vitiosam vitam amittere non horruisti?

Insuper, sicut de se ipso scribit ille devotus auctor libri qui vocatur Horologium æternæ sapientiæ, ipse longo tempore multum contristabatur quod cogitando de Christi passione, non sensit tantam compassionem et devotionem sicut optavit. Idcirco post Matutinas in ecclesia mansit ad tempus, et in meditatione dominicæ passionis se etiam corporaliter exercebat, portando quoddam grave, quasi loco crucis, ad loca diversa ecclesiæ, in memoriam Christi; et instanter oravit ut daretur sibi a Deo digna compassio atque devotio in meditatione dominicæ passionis. Cujus orationem Deus copiosissime exaudivit.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE HUMILITATE ET OBEDIENTIA.

Philipp. II, 8. CHRISTUS *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* In hodierna epistola.

In præsenti epistola laudatur Salvator de duabus virtutibus, utpote humilitate et obedientia: et utraque perfectissima, imo incomparabiliter plena fuit in Christo. Et quamvis humilitas Deo secundum suam naturam divinam non competat, tamen Unigenitus Dei assumendo naturam humanam, se ipsum ineffabiliter exinanivit, inclinavit, humiliavit, quantum ad similitudinem operis, seque dignantissime habuit. C Immensa namque fuit illa dignatio, illa inclinatio, qua Dei Filius Deo Patri vere æqualis, formam induit servi, et suæ deitati fragilem univit naturam in unitate suppositi. Deinceps, quod ipse Dominus Jesus Christus, qui etiam secundum suam humanitatem toto dignior exstitit universo, rex regum, omnis creaturæ prælatus, in assumpta natura in omnibus elegit quæ erant humillima, abjectissima, molestissima, ineffabilis fuit humilitatis. Nasci etenim elegit ac voluit ex paupere puella, in D urbe permodica, in vili stabulo, tempore hiemali nocturno. Quod demum dignatus B est instar peccatorum circumcidi et baptizari, in maxima paupertate in hoc sæculo conversari, ab impiis toties subsannari, irrideri, blasphemari, maledici, et tandem tam turpissima ac acerbissima morte occidi, totum hoc extremæ et incomparabilis erat humilitatis. Quam Christus sciens hominibus esse summe necessariam, et fundamentum virtutum, atque superbiæ (quæ omnium origo est vitiorum) directe contrariam, verbo et facto specialissime docuit, commendavit, præcepit: Discite (inquiens) a me quia mitis sum *Matth.* XI, 29. et humilis corde; itemque, Qui major est *Ibid.* XXIII, 11. vestrum, sit vester minister; et, Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, *Ibid.* XVIII, 3. non intrabitis in regnum cœlorum. Unde et ipse Salvator, omnium dominus sapientissimus, potentissimus, nobilissimus, elegit paucos discipulos rudes, idiotas, simplicianos, pauperes, impotentes, incultos, inter quos humillime et obsequiosissime vixit, secundum quod ait: Ego in medio *Luc.* XXII, 27. vestrum sum sicut qui ministrat; et denuo apud Matthæum, Filius hominis non *Matth.* XX, 28. venit ministrari, sed ministrare.

Quid dicis ad hæc, o homo superbe,

propter quem Deus factus est humilis ? A O quam turpissimum atque vilissimum coram Deo monstrum est superbus et ambitiosus religiosus, quum ad religiosos specialissime spectet omnis humilitas, plena subjectio, omnium mundanorum contemptus, nihil honoris aut gloriæ in hoc mundo appetere, sed subjectione et abjectione gaudere, carnem affligere, mentem in totius humiliationis abyssum demergere, et in Christi humilitate se ipsos sine termino profundare ! Hinc loquitur Augustinus : O medicinam omnibus consulentem, om- B nia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, depravata omnia corrigentem ! Quæ superbia sanari potest, si consideratione humilitatis Filii Dei non sanatur ? Quæ avaritia potest curari, si paupertate Filii Dei non curatur ? Quæ ira, quæ impatientia potest sanari, si mansuetudine ac patientia Christi non sanatur ? Ambrosius quoque aptissime loquitur : Quisquis cupit divinitatis adipisci fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem C suum prævenire in cœlis regnando, prius illum præveniat obsequendo, sicut ait Apo-
Rom. XII, 10. stolus, Honore invicem prævenientes ; vincat eum officiis, ut possit vincere sanctitate.

Eccli. XIX, 23. Simus itaque humiles in veritate. Est enim qui se nequiter humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Simus humiles in proprio corde, in verbis, factis ac moribus ; et quod ipsi de nobis sentimus et loquimur, ab aliis de nobis sentiri ac dici non respuamus. Nulla injuriatione, despe- D ctione, subsannatione moveamur ad iram, tristitiam, impatientiam, aut aliquam vultus turbationem : imo, ob hoc quod Deum creatorem offendimus, ab omni creatura, quantum in nobis est, contemni, conculcari, affligi, nunc cupiamus. Consideremus limpidissime atque sæpissime universa peccata et vitia nostra, quotidianas negligentias, culpas, distractiones, fœda ac vilia corporis nostri, defectuositates in naturalibus, in gratuitis ac fortuitis, omnem indigentiam, infirmitatem, imperfectionem et pronitatem nostram ad malum : et tunc humiliabimus nos usque in infinitum.

Præterea in epistola ista, exemplo Christi ad plenam instruimur obedientiam, ad quam ex voto adstringimur, cui nihil præferre permittimur, per quam nos ipsos relinquimus et Deo sacrificamus, Christo præcipue assimilamur ac complacemus. Ad quam omnes Patres sanctissimi qui Ordines instituerunt, seriosissime cohortantur. Cujus tanta est vis, ut Deum faciat obedientibus obedire. Hinc sancti Patres etiam ad indiscretam obedientiam Fratres admonuerunt ; et talem obedientiam Deus altissimus per multa approbavit miracula, ut patet in S. Mauro, qui super aquas cucurrit, ac aliis multis. Unde in Regula S. Basilii quæritur : Usque ad quem modum oportet obedire eum qui ut placeat Deo, vult implere Regulam ? Ad hoc respondet magnus Basilius : Apostolus hoc ostendit, proponens nobis obedientiam Do-
mini : Qui factus est (inquit) obediens *Philipp.* II,
usque ad mortem, mortem autem crucis. 8.
Et iterum ait Basilius : Qui non obedit in his quæ sibi injunguntur, præsumptor est et sibi placens, ac infidelis, non timens
sententiam Christi dicentis : Estote parati, *Luc.* XII, 40.
quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Si enim quotidie exspectet quis Dominum, sollicitus est et formidolosus quomodo præsentem diem non transeat otiosus.

Præterea ad quæstionem qua quæritur, an liceat alicui excusare opus quod ei injungitur, et aliud quærere, a S. Basilio respondetur : Quum definitum sit mensuram obedientiæ usque ad mortem esse, qui devitat quod ei injungitur, et aliud opus quærit, primo omnium inobedientiæ reus est, et manifeste ostenditur quia nondum abnegavit se ipsum. Deinde multorum malorum causa efficitur, tam sibi quam ceteris : quoniam aditum contradictionis pluribus aperit, et se ipsum ad contradicendum insuescit. Suspicionem quo-

que dat Fratribus, quod passione aliqua, ad opus quod elegit, vel ad eos cum quibus necesse est illud fieri, adstringatur. Si autem rationem habet excusandi opus quod sibi injungitur, exponat hanc præsidenti et relinquat ejus judicio. Porro qui contradicit, inobediens et velut ceteros ad simile concitans malum judicetur; in quo sciat se obnoxium sententiæ illi quæ dicit : Contradictiones suscitat omnis malus; Dominus autem angelum immisericordem immittet ei. Quumque Apostolus dicat, Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus, alienus sit a Fratrum unitate qui obediendo murmurat, et opus ejus abjiciatur. Manifestum enim est quod talis infidelitate ægrotat, nec certam futuræ mercedis gerit fiduciam. Hæc Basilius.

Philipp. II, 14.

Insuper S. Hieronymus ait in Regula sua : Nondum Deo vivit, nondum religionis ac Christi semitas attigit, qui non efficitur tam simplex et purus ut quidquid sibi mandatum fuerit a præsidente, angelico putet ore transmissum. Vere obediens, et qui pro Christo omni caret voluntatis arbitrio, nihil novit difficile, nihil injustum. Religiosus in ipso religionis ingressu omnem volendi ac nolendi libertatem Christo dimisit, nisi quæ ipse per suos vicarios sibi injungit.

Præterea de hac obedientia sancta, multa scribit B. Benedictus in Regula sua, quæ supra partim sunt allegata. Primus (inquit) humilitatis gradus, est obedientia sine mora, quæ tunc acceptabilis erit, si quod jubetur, non trepide, non tarde aut tepide, aut cum murmuratione seu responsione nolentis efficiatur. Iterum dicit in Regula : Si cui Fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram videtur pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas patienter ac opportune suggerat præsidenti, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suam suggestionem, præsidens in sua jussione permanserit, sciat junior ita sibi expedire, et ex caritate, confidens de adjutorio Dei, obediat.

Sanctus quoque Bernardus inquit : Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum colligit intus, ut mandatum peragat imperantis. Et rursus testatur : Nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrima pœnitentis, extra obedientiam possunt esse, aut Deo placere.

Sit ergo in nobis bona ac prompta voluntas obediendi in omnibus : quia ut ait Eusebius, vires quæ inobedientibus denegantur, obedientibus conferuntur. Sed et ante mandatum sit semper in nobis cor paratum; nec pronus sit quis superiorem suum judicare, aut ejus præceptum discutere, nisi forte evidenter esset contrarium Dei præceptis. Porro indiscreta obedientia videtur heroicis viris potissimum exhibenda; et illorum est eam exigere, eo quod a Spiritu Sancto moveantur ac dirigantur in omnibus. Hoc etiam advertamus, quod patres sancti Basilius et Benedictus, in Regulis suis hortantur ac volunt ut Fratres non solum præsidenti, sed sibi invicem quoque obediant salvo præsidentis præcepto. Quum ergo hæc ita se habeant, quid damnationis imminet his qui superioribus suis in his quæ sunt observantiæ regularis, in licitis et honestis, atque in his quæ spectant ad cathedram, aut non, aut invite indignanter obediunt? Nonne sacrilegi sunt, suo voto satisfacere non curantes ?

Idcirco Christi amore et exemplo, apprehendamus et exsequamur in omnibus veram humilitatem, sanctam obedientiam, quum non sit servus major domino suo. *Joann.* XIII, 16.
Itaque Dominum Deum nostrum in his ceterisque virtutibus fideliter, perseveranter ac strenue imitemur, arborem simul cum fructu, hoc est voluntatem cum omni opere bono, ei devotissime offerentes.

SERMO SEXTUS

CONTRA VITIUM PROPRIETATIS.

EXSULTA *satis, filia Sion : ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam.* Zach. IX, 9, et in evangelio hodierno.

In veteri Testamento temporalium abundantia promittebatur; novi vero Testamenti collator paupertatem in se ipso primitus consecravit, eamque publice docuit et beatificavit, ut nos doceret omnia transitoria, carnalia et caduca atque præsentia parvi pendere, transgredi, relinquere, ac spiritualia bona totis præcordiis quærere, futuræ vitæ beatitudinem ardentissime desiderare, spiritualibus exercitiis occupari, et vitam cœlestem in terris ordiri. Hinc
Luc. VI, 20. dixit : Beati pauperes, quia vestrum est
Ibid. XIV, 33. regnum Dei; et, Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Se quoque in efficacissi-
Ibid. IX, 58. mum proponens exemplum : Volucres (inquit) cœli habent nidos, et vulpes terræ foveas; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Insuper die hoc sacratissimo, Christus rex Israel urbem sanctam Jerusalem ingressurus, non regio diademate se ornavit, non purpuram induit, non albo aut regali sonipede usus est, sed vili, miti ac simplici bruto, videlicet asina, vectus est, ut regnum suum ostenderet esse non de hoc mundo, non terrenum aut sæculare, sed cœleste ac æternale, paupertatem appretians, docens ac servans. Merito itaque sancti Patres instituerunt ut die isto, in capitulis religiosorum excommunicentur proprietarii, qui ex voto obligantur ad paupertatem, quibus non licet habere peculium, nec habere aliquid proprium, juxta illud communis proverbii : Monachus habens obolum, non valet obolum. Unde quemadmodum Simoni mago, sic monacho proprietario est dicendum : Pecunia Act. VIII, 20.
tua, hoc est peculium tuum, res tua propria, sit tecum in perditionem. Monachus quippe debet mortuus esse mundo et soli semper vacare Deo, ab omni terrena sollicitudine expers consistere, sibi ipsi de necessariis corpori non providere, et libera mente Deo servire, prout de hoc supra diffusius dictum recordor.

Præterea, ut sciamus quam districte ac diligentissime vitium proprietatis cunctis sit fugiendum religiosis, audiamus verba Sanctorum. Ait quippe in Regula sua gloriosus Hieronymus : Ædificat fatuus ille in sabulo, qui in apostolica vita et religionis proposito divitias appetit temporales. Hic attendite diligenter, hic omne periculum est, hic interitus, hic mors æterna. Qui jam omnibus renuntiaverunt concurrentes ad imitandum pauperem Christum, promiserunt nihil terrenum, nihil temporale habere, neque appetere quæ dimiserunt. Hinc Christus mandavit Apostolis non portare sacculum, neque peram; ut Luc. X, 4.
ex hoc intelligant sectatores vitæ eorum quod nihil proprium in monasterio licet habere : certe non tunicam, nisi quæ ex necessitate portatur, non caligam, nec aliud quodcumque minimum. Iterum obtestor (inquit) vos omnes ut aurum, argentum, pecunia, nulla ratione cor vestrum seducat, retinendo apud se quantumcumque minimum temporale, ultra ea quæ ex necessitate portantur, nec hoc nisi ex superioris licentia. Nudus Jesus nudos quærit sectatores. Quod si ipsum sequi temporale aliquid appetendo volueris, oneratus gravedine nudum sequi non poteris. Hinc dicuntur beati pauperes spiritu, ut sciatur quod Matth. V, 3.

non sufficit cuncta temporalia in mundo A relinquendo ad cœnobium accedere, si mens miserrima appetit quæ reliquit. Ideo nullus omnino aliquid tangere vel retinere aliqualiter audeat, censum aut obolum, seu aliud quodcumque minimum, quanquam a sorore aut matre mittatur. Sic sponsum Jesum adstringite mentibus puris a terrenorum contagione, quoniam secum in habitatione nihil permittit esse terrenum.

Deinceps B. Augustinus in epistola ad Sammianum inquit : Rem peculiarem omnino fuge. Vide quanti et quales de hoc B pestifero morbo peculiaritatis perierunt. De peculiaritatis namque radice oriuntur hæc vitia : superbia, inobedientia, avaritia, vana gloria, voracitas, mendacium, loquacitas atque luxuria. Illum modum habendi peculium voco morbum pestiferum et illecebrosum : quem te oportet relinquere, si non vis beatitudinem sempiternam amittere. De hoc quoque in Regula Augustini aliqua notabilia continentur, in tantum ut etiam vestes in aliquo loco communi sub uno custode jubeantur haberi, C ne aliqua vestis potius videatur esse unius quam alterius. Sed et Basilius ait in Regula sua : Si quis inter Fratres aliquid suum esse dicit, absque dubio alienum se facit ab electis Dei et caritate Christi.

Postremo, de ista materia multa in Regula S. Benedicti habentur, quo legitur : Præcipue hoc vitium proprietatis radicitus de monasterio amputetur, ne aliquis præsumat aliquid dare vel accipere sine jussione abbatis, neque habere aliquid proprium, nullam omnino rem, neque co- D dicem, neque tabulam, neque graphium, sed nihil omnino (quippe nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria *Act.* IV, 32. potestate); sed omnia omnibus sint communia. Iterum ait in Regula : Nullatenus liceat monacho neque a parentibus, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, vel eulogias, vel quælibet munuscula dare vel accipere sine jussione præsidentis. Multa similia scribit beatissimus Pater hic monachorum.

Ecce quam apertissime, districtissime ac abundantissime sancti Patres concorditer prohibuerunt peculium sive proprium quid habere. Nam præter vitia ab Augustino tacta, ex peculio oriuntur contentio, rebellio, curiositas, sollicitudo superflua, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, partialitas, crapula : quæ omnia statui monastico vehementissime contrariantur. Longe ergo et in infinitum longe a nobis sit hoc vitium detestandum ; et quidquid ad ipsum disponit aut appropinquat vitemus, videlicet, sine licentia dare vel recipere, epistolas mittere, aut missas aperire ac legere. Quod in Regula Augustini tam enorme censetur, ut dicatur ibidem : Quicumque in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras vel aliquod munus acceperit, si hoc ultro seu sponte confitetur, parcatur ei, et oretur pro eo ; si autem deprehenditur et convincitur, gravius secundum arbitrium præpositi emendetur.

Nec solum relinquamus res ipsas, sed et inordinatas cupiditates earum, et affectiones immoderatas ad concessa pro usu nostro. Unde et in primo Collationum volumine abbas Daniel ait : Jam illud ridiculum qualiter exprimatur, quod nonnullos post primæ renuntiationis ardorem tanto cernimus studio seu tam vitioso affectu in his quæ in Ordine nequeunt haberi, esse devictos (quamvis illa sint parva ac vilia), ut horum cura omnium pristinarum facultatum superent passionem, hoc est, immoderantius ad ista afficiantur post religionis professionem, quam afficiebantur ad multa et magna in sæculo? Quibus profecto non proderit multum majores opes ac substantiam dimisisse ac contempsisse, quia affectus earum ob quos exstirpandos illæ majores opes sunt contemnendæ, in res parvas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis et avaritiæ quod erga pretiosa exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse sed commutasse se probant pristinam

passionem. Nimia namque diligentia devincti circa curam sportellæ, saccelli, codicis, mattæ, securis, aliarumque rerum, quamvis vilissimarum, eadem qua antea libidine detinentur. Quæ et tanta æmulatione custodiunt, ut propter ea adversum Fratres commoveri et (quod turpius est) litigare non erubescant. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis pristinæ laborantes, hæc eadem quæ usus corporis vel necessitas monachum possidere compellit, secundum communem mensuram ac numerum non sunt habere contenti ; in hoc quoque cordis sui avaritiam ostendentes, quod talia propensius seu copiosius student habere quam ceteri, vel excedentes diligentiæ modum, peculiarius ea attentiusque custodiunt, et ab aliorum contrectatione præservant, quæ universis Fratribus debent esse communia : quasi differentia tantummodo metallorum, et non ipsa passio cupiditatis habeatur culpabilis ; et quum pro rebus magnis irasci non liceat, pro vilioribus id liceat ; et non idcirco pretiosiores abjecerimus materias, ut facilius disceremus viliora contemnere. Quid enim differt, utrum perturbationem cupiditatis quis erga opes amplas, an erga viliores exerceat, nisi quod in hoc reprehensibilior judicandus est, quod qui maA ximas spreverit, jam minimis obligetur ? Idcirco perfectionem cordis ista non obtinet abrenuntiatio, quia quum censum habeat pauperis, non abjicit divitis voluntatem. Hæc S. Daniel abbas.

Sit itaque tota affectio nostra ad Deum relata, in Deo fixa ac simplificata, aliud nil optantes nisi in Deo et propter Deum, in quantum videlicet nobis necessarium est sive accommodum ad vivendum in Dei obsequio, sive ad complacendum adhærendumque ei. Minus etenim diligit Deum, B qui aliquid præter ipsum diligit, quod in ipso non diligit. Unde secundum Chrysostomum : Pro quanta parte cor tuum fuerit ad aliquam rem non secundum Deum, pro tanta minus est ad Deum.

Itaque Christum, magistrum, patrem ac dominum nostrum, incessanter intueamur, quemadmodum ipse rex universorum, cujus opulentiæ et excellentiæ nullus est finis, propter nos ita pauperrimus, humillimus, obedientissimus dignatus est fieri, ut nos suo informaret exemplo ; et C nos ejus sectemur vestigia. Delectabile ergo nobis sit et valde jucundum, ei compauperari, cohumiliari, coobedire, et in omni pro posse conformari virtute. Ad laudem et gloriam superpræstantissimæ Trinitatis.

SERMO SEPTIMUS

QUOMODO SUPERIORIBUS ET PRÆLATIS LICEAT DEBITUM A SUBDITIS HONOREM ACCIPERE.

BENEDICTUS *qui venit rex in nomine Domini ; pax in cælo, et gloria in excelsis.* Luc. XIX, 38.

Joann. VIII, 50. *Ibid.* V, 41. *Ibid.* VI, 15. *Zach.* IX, 9.

Christus, qui in Evangelio ait, Ego non quæro gloriam meam ; et rursus, Claritatem ab hominibus non accipio ; qui et quæsitus ut fieret rex, fugit : hoc die voluit ab hominibus honorari rexque vocari, ut Zachariæ vaticinium de se prænuntiaD tum impleret, atque ex illa impletione Judæi adverterent eum esse regem Messiam, seu Christum in lege promissum ; et item, ad insinuandum quod superioribus ac prælatis licet aliquando, ex zelo justitiæ, debitum a subditis honorem accipere, imo exigere, et subjectos hortari ad hoc, præsertim ne subjecti hoc negligendo, graviter peccent et Deum in suo contemnant

vicario. Ipse etenim suis vicariis est lo- A
Luc. x, 16. cutus : Qui vos spernit, me spernit.

Sed huic videtur contrarium quod in Regula habetur S. Basilii. Interrogatus equidem Sanctus ille, si oportet honorem quærere, respondit : Reddere honorem edocti sumus ; requirere autem honorem, prohi-
Joann. v, 44. betur a Domino dicente, Quomodo potestis credere, gloriam quærentes ab invicem, et gloriam quæ est a Deo, non quærentes ? Itaque requirere ab hominibus gloriam vel honorem, indicium est infidelitatis, et alienos nos esse a pietate Dei, maxime B
Galat. i, 10. quum Apostolus dicat : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Si ergo hi qui oblatam sibi ab hominibus gloriam accipiunt, ita condemnantur, hi qui nec oblatam quidem sibi requirunt, quali judicio digni sunt ? Hæc Basilius. Et respondendum, quod superiores possunt gloriam et honorem quærere a subjectis dupliciter : primo, in quantum sunt homines et certa seu determinata supposita ; secundo, in quantum sunt Dei vicarii. Primo modo non licet : quia hoc ex privato na- C
sceretur amore, et quæreretur honor et gloria per respectum ad se ipsum, ita quod quærens sisteret in se. Secundo modo licet : quia hoc ex zelo justitiæ et spirituali amore procedit ; nec quærens sistit in se, sed totum quod exigit et quod ei impenditur, refert ad Deum. Hinc, secundum Augustinum et Benedictum, spiritualis pater non solum debet velle amari, sed etiam formidari, quamvis principaliter debet velle diligi. Et is qui præest, non debet subditis esse nimis familiaris, ne parvi pen- D
datur ab eis, quia nimia familiaritas parit contemptum.

Itaque præsidentes honorem sibi impendi volentes, videant ex qua radice hoc velint. Quod si scire voluerint, pensent an de inhonoratione Dei, in iis quæ sunt directe et immediate contra Dei honorem, sinceriter contristentur ; et de hoc corripiant corrigantque commissos, ut cum bea-
III *Reg.* xix, 10, 14. tissimo dicere queant Elia : Zelo zelatus sum pro Domino exercituum ; et cum Psal-
mista, Zelus domus tuæ comedit me. Sed, *Ps.* lxviii, 10.
proh dolor ! multi sunt qui si ab inferioribus inhonorentur, protinus indignantur, irascuntur et vindicant ; de hoc vero quod subditi in divino obsequio negligenter se habent, parum curare videntur, vixque advertunt, nec digne corripiunt. Si eis non inclinetur, ægre suscipiunt ; si vero coram altari et Sacramento parum aut nil inclinetur, non ponderant. Isti sunt ho- II *Tim.* iii, 2 ; *Philipp.* ii, 21.
mines se ipsos amantes, et quæ sua sunt, non quæ Christi, quærentes. Porro viri sanctissimi frequenter de sua inhonoratione parum aut nihil curasse leguntur, sed Dei injuriam ferre non potuerunt. Nam sanctissimus ille Martinus, eum a quo indecentius tractabatur, patientissime tulit, et sibi in episcopatu succedere procuravit. Sed, heu ! jam pauci sunt tales, et impletur quod ait Chrysostomus : Si episcopus debitum honorem non acceperit a presbytero, aut presbyter a diacono, vel diaconus a lectore, irascitur et turbatur ; si autem viderit episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum circa obsequium ecclesiæ negligentem, non irascitur ei, nec curat : quia omnes de suo honore solliciti sunt, de Dei autem honore nullus.

Præterea quæri potest, quum honor debeatur non solum prælaticæ potestati, sed etiam sapientiæ ac virtuti, an sicut prælatus, sic et virtuosus et sapiens quærere possit honorem ab aliis, præsertim imperfectioribus et minus peritis. Respondetur, quod homo scire potest se esse prælatum, non autem se esse virtuosum, nisi ex revelatione divina ; nec scit quales sint alii coram Deo. Et vere virtuosus vere est humilis : idcirco apparet quod virtuosus, in quantum hujusmodi, non quærat ab hominibus honorari. Sapientia autem est multiplex. Et illi sapientiæ quæ est unum et primum inter septem dona Spiritus Sancti, præcipue honor debetur ; nec certior quisquam est se sapientiam illam habere, quam in caritate se esse, quum caritas et sapientia illa inseparabiliter sint connexæ. Est autem et sapientia acquisita. Quam

qui excellentius habent, nisi vere sint virtuosi et humiles, solent ad impatientiam esse proclives, nisi honor eis a minus doctis exhibeatur : imo tales gloriam et honorem quærunt inordinate. Propter quod (*Eccle.* i, 18.) Salomon dixit : In multa sapientia multa (I *Cor.* viii, 1.) est indignatio; atque Apostolus, Scientia inflat. Itaque, quum teste Basilio, gloriam et honorem ab hominibus quærere, signum est infidelitatis, et alienum esse a Deo ; caveamus hoc vitium, si infideles et alieni a Deo esse veremur, cum Paulo ex (I *Tim.* i, 17.) corde dicentes : Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria.

Propterea, quod Christo in die hac sic honorato inviderunt Scribæ et Pharisæi, (*Joann.* xii, 19.) dicentes, Videtis quia nihil proficimus ? ecce totus mundus abiit post eum ; pontifices quoque, qui in ejus laudibus indi- (*Matth.* xxi, 16.) gnantes, dixerunt, Audis quid isti dicunt ? designat quod in honoribus et potestatibus constituti, multas habent persecutiones, tribulationes, inquietudines, et invidentes. Cupiamus ergo subesse et obedire, præsertim quum ex divini consideratione rigorosi judicii ab omni ambitione caven- (*Sap.* vi, 6.) dum sit. Siquidem in his qui præsunt gravissimum fiet judicium. Idcirco optime dixit Chrysostomus : Quis est qui cupit prælationem, nisi qui non timet judicium Dei ? Unde, secundum Hieronymum, magis felices sunt et securi, qui subsunt. Nihilo minus, teste eodem, superba mens hominum periculorum improvida, semper majorum dignitatum cupit ascensum, quum tamen firmissime (inquit) dicere audeam, experientiis non paucis edoctus, quia raro per gradus dignitatum ascendit homo, quin multo gravius descendat. Imo, ut ait Hugo de S. Victore, quidam honores quasi fugiunt, ut honores acquirant ; fingunt se velle subesse, ut possint præesse. Sæpe namque gloria, ut acquiratur, contemnitur ; et mundus, ut obtineatur, relinquitur. O quanta est miseria cordis humani, et quomodo amor privatus excæcat ac decipit hominem ! Unde non immerito simulatores et callidi provocant iram Dei. (*Job* xxxvi, 13.) Qui autem ambulant simpliciter, ambulant confidenter. (*Prov.* x, 9.)

Insuper Christus in tanta sui honoratione civitatem Jerusalem deplorando propter futuras ejus calamitates, edocuit ut in die honoris sui homo non extollatur, (*Eccli.* xi, 4, 27.) nec immemor sit malorum, nec viscera pietatis suspendat : imo tunc magis pro salute sui ac aliorum sollicitetur, atque occultum Dei expavescat judicium, quum electi in hoc mundo non soleant prosperari, sed aspernari, affligi ac dejici. Itaque nec laudibus, nec adulationibus, nec favoribus, rumoribus aut quibuscumque honoribus obtenebretur, alliciatur, fallatur ac stolide delectetur mens nostra, ut relinquat justitiam, et suas ærumnas, negligentias, defectuositates et transgressiones clare ac intime considerare obliviscatur : imo in talibus se magis humiliet, timens ne forte coram Deo laudibus atque honoribus sit indigna, aut tandem damnabilis inveniatur, et tanto gravius confundatur quanto nunc amplius reputatur. Idcirco Augustinus disseruit : Remotis obstaculis insanæ opinionis, scelera et peccata nuda pensentur, acute inspiciantur, falsa tegmina, vanæque laudes et gloriæ auferantur ; et tunc apparebunt miseriæ peccatorum. Hinc in Proverbiis Salomon loquitur : Quomodo probatur in conflatorio argen- (*Prov.* xxvii, 21.) tum, et in fornace aurum ; sic probatur homo ore laudantis : videlicet, quoniam qui veraciter justus et sapiens est, laudibus non cæcatur nec flectitur.

Roboretur ergo cor nostrum in Domino, et omnis affectio, intentio, actio nostra semper figatur ac perseveret in ipso, qui est benedictus in sæcula.

DOMINICA PASCHÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

EXPURGATE VETUS FERMENTUM, UT SITIS NOVA CONSPERSIO, ETC. I Cor. v, 7, 8.

RECTE epistola ista hodierno legitur die, quia in ea compendiose docetur qualiter agnum paschalem, qui Christus est, edere debeamus, et quod ipsemet Christus factus sit pascha nostrum seu agnus noster paschalis. Ait ergo beatus Apostolus:

Expurgate vetus fermentum, id est antiquam et solitam pravitatem, quæ et peccantem mente corrumpit, et alios inficit. Unde ante hæc verba Apostolus imme-
I Cor. v, 6. diate præmisit : Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? quia frequenter peccatum vel error unius toti nocet communitati et plurimos inficit, sicut una morbida ovis, totum gregem, et una scintilla integram domum incendit. Propter quod ait Hieronymus : Dum sacerdotes uni parcunt, universæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est ista bonitas, ista misericordia, uni parcere et omnes in discrimen adducere ? Polluitur enim ex uno peccatore populus, sicut ex una ove morbida grex universus inficitur. Interea advertendum, quod Apostolus prima ad Corinthios, ubi hæc scribit ad litteram, re-
Ibid. i, 2. prehendit Corinthios quod quemdam magnum peccatorem ac detestabilem fornicatorem, qui uxorem patris sui defuncti accepit in conjugem, inter se toleraverunt nec debite corripuerunt ac correxerunt separando eum a se per excommunicationem. Talis enim peccator sustinendus non fuit, quoniam suo exemplo pluribus nocuit. Ideo dixit Apostolus verba jam introducta. Unde per « vetus fermentum » quidam intelligunt illum inveteratum transgressorem, cujus fornicatio fuit incestus sub pœna mortis prohibitus, juxta illud Levitici : Qui dormierit cum noverca sua, *Lev.* xx, 11.
morte moriatur.

Itaque, Expurgate vetus fermentum, *ut sitis nova conspersio,* hoc est munda congregatio, donis gratiæ actibusque virtutum interius renovati (sicut alibi hortatur Apostolus, Renovamini spiritu mentis ve- *Ephes.* iv, 23.
stræ), *sicut estis azymi,* id est a peccati fermento seu corruptione alieni effecti in fonte Baptismi. Porro azyma dicitur ab α, quod est sine, et ζύμη Græce, quod est fermentum Latine, quasi sine fermento. Conspersio quoque et azyma idem sunt, puta farina per aquam conglutinata absque fermento. Deinceps in fermento duo considerantur, videlicet : sapor virtualis, quo panem efficit saporosum ; sicque per fermentum evangelica designatur doctrina apud Matthæum, quo habetur : Simile est *Matth.* xiii, 33.
regnum cœlorum fermento quod acceptum abscondit mulier in farinæ tribus satis, donec fermentatum est totum. Secundo consideratur in fermento corruptio adipis ; sicque significat culpam, quæ alios inficiendo corrumpit : et ita nunc sumitur.

Deinceps subdit Apostolus causam suæ exhortationis. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus,* hoc est, agnus paschalis pro nostra salute in cruce oblatus

est Christus : qui per Jeremiam loquitur, A
Jer. xi, 19. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. De quo Joannes ait Baptista :
Joann. i, 29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ipse namque, ut in præfatione cantatur, verus est agnus qui abstulit peccata mundi; et dicitur verus agnus, quia per agnum qui offerebatur in lege Moysis fuit præfiguratus. Christus quoque est « pascha nostrum », id est transitus noster, præbendo nobis exemplum transeundi de hac peregrinatione ad patriam, quemadmodum in
Ibid. xiv, 6. Joanne contestatur : Ego sum via, veritas B et vita. Hujus Agni figura, ut tactum est, fuit agnus ille legalis de quo in Exodo multa scribuntur. Unde quod ibi habetur,
Exod. xii, 46. Os ejus non confringetis, a Joanne alle-
Joann. xix, 36. gatur de Christo hoc modo : Os non comminuetis ex eo. Et sicut per effusionem sanguinis agni illius liberabantur filii Israel ab angelo devastante et plaga Ægypti, ita per sanguinis Christi effusionem liberamur a potestate diaboli et ruina peccati. Insuper, sicut carnes agni illius manducabantur cum azymis panibus, sic fi- C deles vivere et corpus Christi comedere debent sine fermento peccati. Ideo subditur :

Itaque epulemur, id est, Christi sacramento alamur, et ei incorporemur, atque in Deo spiritualiter deliciemur, juxta illud Psalmi : Justi epulentur, et exsultent in *Ps.* lxvii, 4. conspectu Dei ; *non in fermento veteri,* id est antiquis ac solitis iniquitatibus, a quibus abstinere oportet, *neque in fermento malitiæ,* id est peccato ex deliberatione animi procedente, ut dum quis peccat ex intentione et habitu vitioso (juxta illud : Dixit injustus ut delinquat in semetipso), *Ps.* xxxv, 2. *et nequitiæ,* id est non in fraudulentia aliisque peccatis in proximum : propter quod prima Petri inducitur, Deponentes I *Petr.* ii, 1. omnem malitiam et dolum et simulationes et invidias ; *sed in azymis sinceritatis,* id est actibus internæ puritatis, ut conscientia sit immunis ab omni mortali peccato, *et veritatis,* id est justitiæ, quantum ad proximos ; vel, « veritatis », id est rectæ fidei, et actibus contemplationis, ut intellectus sit vere illuminatus integerque in fide : quia non aliter Deo placetur, neque salubriter communicatur.

SERMO PRIMUS

QUOMODO SACRAMENTUM ALTARIS CREDENDUM SIT ET SUSCIPIENDUM.

P*ASCHA nostrum immolatus est Christus.* I Cor. v, 7.

In his verbis docemur quam incomparabiliter amandus nobis sit Christus. Primo, quoniam datus est nobis in viaticum nostræ peregrinationis : unde dicitur « pascha nostrum ». Confortat enim nos Christus qui in Sacramento accipitur, ad pertranseundum viam hujus exsilii, atque ad pertingendum ad patriam regni cœlestis : idcirco viaticum dicitur, id est viatorum refectio. Secundo, summe amandus nobis est Christus, quoniam datus est nobis in pretium nostræ redemptionis : propter D quod subditur, « immolatus est ». Et in Apocalypsi habetur : Christus dilexit nos *Apoc.* i, 5. et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Unde et Isaias asserit : Dominus po- *Is.* liii, 6. suit in eo iniquitatem omnium nostrum. Tertio, quoniam datus est nobis in præmium nostræ salutis. Unde sui ipsius claram visionem promittit nobis pro finali præmio, dicens : Qui diligit me, diligetur *Joann.* xiv, 21. a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum, id est, divinitatis meæ claram visionem ei præstabo. Prin-

ceps quoque Apostolorum in prima sua A scribit Canonica (I Petr. I, 8, 9.) : In Christum non videntes creditis; videntes autem exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Quoniam ergo Christus immolatus est pascha nostrum, id est agnus paschalis, pro nobis, hortatur Apostolus ut hunc Agnum spiritualiter manducemus, et in Sacramento sumamus in conscientiæ puritate, omni vitiorum fermento secluso.

Denique sacra Scriptura loquitur de fermento multiplici, a quo docet cavendum. B Primo, a fermento peccati : sicut hoc loco, Non in fermento veteri. Quod tamen quidam specialiter exponunt de peccato originali, quod totam massam humanæ propagationis corrumpere perhibetur, juxta illud Ecclesiastici (Eccli. VIII, 6) : Memento quoniam omnes in corruptione sumus. Secundo loquitur Scriptura de fermento erroris, quod est falsa doctrina. Hinc in Matthæo legitur (Matth. XVI, 6, 11, 12.), quod Christus non dixit esse cavendum a fermento panum, sed a doctrina C Pharisæorum. Hoc fermentum corrumpit fidei integritatem. Propter quod monet Apostolus (Ephes. IV, 14) : Non circumferamur omni vento doctrinæ. Et in Ecclesiastico inducitur (Eccli. V, 11, 12.) : Non ventiles te in omnem ventum; esto firmus in via Domini et in veritate sensus tui. Ideo quidquid doctrinæ sacræ Scripturæ aut determinationi Ecclesiæ contrariatur, tanquam fermentum mortiferum est cavendum. Tertium fermentum, est legis antiquæ observantia quantum ad cærimonialia, quæ, evangelica lege divulgata, D facta fuit illicita, juxta illud ad Galatas (Galat. V, 4.) : Qui in lege justificamini, a gratia excidistis. Iterum dicit Apostolus (I Cor. V, 6.) : Modicum fermentum totam massam corrumpit. Hoc fermentum evangelicam traditionem corrumpit. Quartum fermentum, est infelix hypocrisis, quæ rectam intentionem corrumpit. Hinc in Luca dicitur (Luc. XII, 1.) : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Prava quoque intentio vocatur fermentum corrumpens rectitudinem actionis, quia intentio imponit speciem operationi.

Omni itaque hoc fermento excluso, epulemur corpus et sanguinem Salvatoris in azymis, id est operibus sinceritatis et veritatis. Ad quod multa sunt necessaria, quæ præfigurata fuerunt in esu agni paschalis. (Exod. XII, 8 et seq.)

Primo namque debet præcedere humilitas pœnitentiæ, seu amara contritio de peccato : de quo cordialiter dolere oportet, et tanto plus, quo illud gravius fuit. Hoc præfiguratum est in lactucis agrestibus, quæ valde amaræ sunt, cum quibus Deus præcepit filiis Israel edere agnum paschalem.

Secundo præcedere debet spiritualis ad Christum dilectio, et fervor intimæ devotionis : quia hoc sacramentum sumi non debet nisi ab his qui spiritualiter vivunt. Spiritualis autem vita est vera et infusa dilectio Dei, ex qua fluit devotio, quæ est promptitudo voluntatis ad ea quæ Dei sunt : nam quanto plus quispiam diligit Deum, tanto promptiorem habet affectum ad exsequendum ea quæ Deo sunt placita. Hoc præfiguratum fuit in eo quod Deus præcepit agnum paschalem assari, juxta illud in Exodo (Ibid. 9.) : Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Spiritualis autem ignis est fervor amoris, de quo ait Salvator (Luc. XII, 49.) : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?

Tertio debet præcedere puritas conscientiæ, sicut jam habitum est. Et præfiguratum fuit per hoc quod Deus præcepit comedi agnum paschalem cum azymis panibus. Diligenter ergo discute et expurga conscientiam tuam antequam communicare præsumas. Hinc ait Chrysostomus : Quemadmodum corporalis cibus quum ventrem invenerit malis humoribus occupatum, amplius lædit et nocet, nec ullum præstat auxilium; ita et iste spiritualis cibus si aliquem invenit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. Imo tales sunt socii Judæ proditoris, de quo in Joanne legi-

Joann. xiii, 27. tur : Post buccellam introivit in eum Satanas. Nam et ante in eum intravit; sed quia corpus Christi indigne accepit, magis possedit eum diabolus. Propterea dicit Remigius : Væ tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus eum.

Insuper in accedente ad sacram communionem debet esse integritas fidei, non præsumptuosa aut curiosa perscrutatio mirabilium Dei. Hoc præfiguratum est per hoc quod Deus præcepit de agno paschali nihil relinqui. Hinc ait Bernardus : Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutiendum; venerandum, non dijudicandum. Debet quoque in communicante esse memoria dominicæ passionis : in cujus figuram jusserat Deus postes domorum tingi sanguine agni. Postremo post communionem debet in eo esse primo gratiarum actio; secundo bonorum operum continuatio, atque ad cœlestem patriam virtuosa profectio : hinc Deus præcepit filiis Israel manducare agnum paschalem cum festinatione, id est celeri præceptorum adimpletione, et pedibus calceatis.

Legitur de sanctissimo Paulo Simplice, quod quadam die quum Fratres erant communicaturi, stetit juxta ingressum ecclesiæ, ut videret qualiter dispositi essent Fratres ad communicandum. Habuit namque specialem gratiam illam a Deo, quod ex facierum intuitu intellexit dispositionem cordium. Viditque Fratres jucundo ac splendido vultu ingredientes ecclesiam : per quod cognovit quod virtuosi erant et ad communicandum bene dispositi. Sed inter ceteros vidit duos Fratres turpissima et quasi combusta facie cum sordibus vestibus introeuntes. Quo viso, amarissime flevit, et pro illis oravit. Mansitque extra stans usque ad finem divini Officii, ut videret qualiter Fratres essent in egressu dispositi. Quumque egrederentur, vidit omnes ut ante bene dispositos, et etiam duos præfatos. Quo viso, admirabatur. Vocavitque illos seorsum, et interrogavit eos cum quali conscientia introissent, et quid eis in Missæ officio contigisset. Tunc revelaverunt ei quod cum mala conscientia intraverunt ecclesiam, et quod diu fuissent in peccatis occultis; sed in Missa, audiendo verbum sacræ Scripturæ valde compuncti fuerunt, et cordialissime pœnituerunt de suis peccatis, atque cum lacrimis multis veniam petierunt a Domino, promittentes emendationem in omnibus : et ita ad sacram communionem processerunt. Quibus auditis, Paulus Simplex valde miratus est infinitam bonitatem et misericordiam Dei, et gloriatus est valde, immensas gratias referens Deo.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MARIA MAGDALENE ET MARIA JACOBI, ETC. Marc. xvi, 1-7.

QUAMVIS multa dixit ac egit Salvator quæ nullus Evangelistarum descripsit, aliqua tamen facta atque mysteria ejus singuli descripserunt, præcipue passionem et resurrectionem ipsius. Itaque resurrectionem Christi hodie factam Marcus describit, dicendo :

Maria Magdalene, quæ fuit ardentissima et fidelissima amatrix ac discipula Christi, *et Maria Jacobi* mater, videlicet uxor Zebedæi et mater Jacobi Majoris et Joannis apostolorum, *et Salome*, id est Maria filia Salome, mater Jacobi Minoris et fratrum ejus. Et istæ duæ Mariæ fuerunt sorores Virginis gloriosæ. Porro Lucas de his mulieribus loquens, annumerat eis Jo- Luc. xxiv, 10.

annam, quæ fuit uxor Chusæ procuratoris Herodis. Videturque Lucas innuere quod adhuc plures erant cum eis, quæ scilicet Jesum a Galilæa fuerunt secutæ. *Emerunt aromata :* quæ non poterant emere die sabbati perdurante, quia solennissimus fuit apud Judæos, sed vespere facto, in quo solennitatis magnitudo finiebatur; *ut venientes ungerent Jesum,* id est corpus ejus, ponendo totum pro parte. Unde elicitur, quod feminæ istæ de Christi resurrectione desperaverunt, nec verborum ejus quibus sæpe prædixit se tertia die resurrecturum, recordabantur, in tantum contristatæ fuerunt de ejus crucifixione. Hinc ait Hieronymus, quod magnitudinem ac dignitatem divinitatis Christi non sapuerunt, sed venerunt ungere, juxta Judæorum consuetudinem, corpus Christi, ut odoriferum permaneret. Aromata namque virtutem habent desiccativam, humiditatem corporis absorbentia, sicque corpus incorruptum conservant. Jacobus quoque de Voragine ait : Emerunt aromata, id est unguenta aromatica. Consuetudo enim erat Judæorum ungere corpora mortuorum, ut præservarentur a fœtore, ab incineratione et vermium corrosione. Sed in hoc erraverunt hæ feminæ, quia quum corpus Christi divinitate esset imbalsamatum (quia divinitati Verbi mansit unitum), quamvis per mille annos jacuisset in terra, non potuisset putrefieri, nec incinerari, nec ex eo vermes generari, secundum illud Psalmi : Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Ps.* xv, 10.

Et valde mane una sabbatorum, id est uno dierum illius paschalis hebdomadæ, cujus omnes dies dicebantur sabbata, quia festivi. Itaque, « una sabbatorum », id est prima die post principale sabbatum, scilicet die quæ nunc dominica dicitur, *veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Apud Joannem legitur, quod Maria, scilicet Magdalene, venit ad monumentum, quum adhuc tenebræ essent. *Joann.* xx, 1. Et respondendum, quod fuit aurora, ita quod aliquid lucis et aliquid tenebrarum apparuit : quia sol cœpit lucem diffundere, ita quod cœlum ab orientali parte cœpit albescere.

Et dicebant ad invicem, quando adhuc fuerunt in via, antequam ad sepulcrum pertingebant : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti,* id est a loco ubi superpositus fuit lapis corpori Christi? *Et respicientes* per januam domunculæ seu speluncæ in qua fuit sepulcrum, *viderunt revolutum lapidem :* quia ut legitur in Matthæo, angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, id est, a monumento removit, non ut Christo via exeundi pateret, sed ut Christum resurrexisse et sepulcrum vacuum permansisse ostenderet. *Matth.* xxviii, 2. Christus vero ante lapidis revolutionem de clauso exivit sepulcro, quemadmodum prodiit e clauso Virginis utero. *Erat quippe magnus valde :* ideo mulieres merito inter se conquirebant, quis eis tantum deponeret lapidem, quasi dicerent : Nos eum deponere non valemus.

Et introeuntes in monumentum, id est in domunculam in qua fuit sepulcrum in petra excisum, *viderunt juvenem,* id est angelum in forma juvenili humana, *sedentem in dextris,* id est in dextera parte sepulcri. Et recte angeli in specie juvenili apparent, quoniam inde sunt et vitam illam annuntiant, ubi nullus senescit, sed sempiterna juventus consistit. In juventute quoque major est hominis pulchritudo ac fortitudo : ideo species juventutis angelis potius competit. Merito quoque angelus sedit a dextris, qui prospera venerat nuntiare, et consolationem æternam cunctis fidelibus exhibere. Per dexteram enim prosperitas designatur, quemadmodum per sinistram adversitas. *Coopertum stola candida,* id est alba ac fulgida veste indutum. Scriptum est enim apud Matthæum : Erat autem adspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus candida sicut nix. *Ibid.* 3. Apparuit ergo in splendida veste, angelica potestate formata, sicut et corpus in quo apparuit, eadem fuit formatum virtute : primo, ad designandum angelicæ puritatis splendorem ac sanctitatem; secundo, quoniam

nuntius fuit veræ lucis, quæ Christus est, A et civis supernæ claritatis; tertio, ut vestis suæ candore feminas sanctas mulceret. Adspectus quoque ipsius fuit ut fulgur, id est, igneum vultum quasi scintillantem atque terribilem habuit ad terrendum infideles custodes, et item, quoniam ignis magnam convenientiam habet cum substantiis separatis seu angelis, qui ut divinus Dionysius protestatur, per proprietates ignis præcipue notificantur. Denique Joannes scribit, quod quum Maria Magdalene se inclinasset, et in monumentum prospexisset, vidit duos angelos, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu : non quod tunc ibi adhuc jacuerit corpus Jesu, sed quia angeli sederunt, unus in superiori, alter in inferiori parte sepulcri. Similiter per Lucam scriptum est, quod quum mulieres animo consternatæ essent, duo viri steterunt juxta eas in veste fulgenti, id est duo angeli in forma virorum. Propterea asserit Augustinus, quod ibi apparuerunt tres angeli, duo videlicet in loco sepulcri, seu intra sepulcrum, et unus extra sepulcrum, sed intra domunculam in qua sepulcrum fuerat.

De Cœlest. hier. c. xv.

Joann. xx, 11, 12.

Luc. xxiv. 4.

Et obstupuerunt, id est, vehementer miratæ ac territæ sunt propter fulgureum angeli vultum valde terribilem. Naturale quippe est fragilitati humanæ ex tali insolita supernaturali ac terrifica apparitione pavere, mirari, obstupescere. In Matthæo quoque legitur, quod præ timore angeli exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

Matth. xxviii. 4.

Qui dicit illis : Nolite expavescere. Hoc angelis sanctis est proprium, quod quamvis primo sua visione terrifica perterreant homines, protinus tamen consolentur ac roborent eos, dummodo digni sint. *Jesum,* id est Salvatorem, *quæritis,* hoc est corpus ipsius, putantes Jesum adhuc mortuum esse, *Nazarenum,* qui Nazareth fuit conceptus ac demoratus, *crucifixum. Surrexit* a morte, *non est hic* secundum humanitatem, qui secundum suam divinitatem implet cœlum ac terram. *Ecce locus ubi posuerunt eum,* id est corpus ipsius, Joseph ab Arimathea et Nicodemus, quatenus locum vacuum esse cernentes, sitis certæ de ipsius resurrectione. *Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro.* Specialiter nominavit Petrum, vel quia inter discipulos fuit principalis, vel potius ut daretur ei fiducia veniæ atque audacia veniendi inter Apostolos, quia singulariter cecidit, suum magistrum ac Dominum ter negando. Unde ait Gregorius : Si Petrum angelus B nominatim non exprimeret, qui magistrum negavit, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Qua in re divinæ pietatis dispensatio est pensanda, quod omnipotens Deus, eum quem universali Ecclesiæ prætulit, sic peccare permisit, ut scilicet ex proprio lapsu humanam fragilitatem perpenderet, aliisque condolere ac parcere disceret. *Quia præcedet vos in Galilæam,* id est, ante vos Galilæam intrabit, ex qua eum estis secuti. *Ibi eum videbitis* C oculo corporali in forma humana, in monte Thabor, *sicut dixit vobis.* Nam ante passionem hoc eis prædixit. Sed quomodo ait angelus mulieribus istis, Ibi eum videbitis, quasi et ipsæ ibi Christum fuissent visuræ, quæ tamen non videntur interfuisse ibidem ? Ad quod reor dicendum, quod angelus loquitur juxta consuetudinem illam qua tota societas dicitur facere aut pati quod pars ejus, præsertim pars principalis, facit aut patitur.

Postremo, de hora qua Christus resur- D rexit, sentit Gregorius, quod media nocte surrexit, quemadmodum Samson, qui fuit figura Christi, media nocte surrexit, et Gazæ portas asportavit. Augustinus vero testatur, quod in aurora Christus surrexit, juxta illud Marci : Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene. Et hoc videtur textui amplius consonare. Qui tamen vellet sequi Gregorium, diceret quod in prætacta auctoritate dictio ista, Mane, non determinat participium Surgens, sed verbum Apparuit, ut sit sen-

Judic. xvi, 3.

Marc. xvi, 9.

sus : Surgens Jesus, apparuit mane, prima A sabbati, Mariæ Magdalene. Deinceps de hac materia Thomas in tertia parte Summæ suæ sic scribit : Tempus quo Christus in sepulcro mansit, effectum mortis ejus repræsentat. Per mortem autem Christi liberati sumus a duplici morte, videlicet animæ et corporis : et hoc designatur per duas noctes quibus Christus in sepulcro permansit. Mors vero Christi, quia non fuit ex peccato ejus proveniens, sed ex caritate sponte suscepta, non habet rationem noctis, sed diei : ideo designatur per diem integrum quo Christus jacuit in sepulcro. Sicque conveniens fuit quod duabus noctibus et uno integro die exsisteret in sepulcro. Hinc quarto de Trinitate asserit Augustinus, quod Christus surrexit diluculo. Surrexit enim circa diluculum, illucescente jam die, ad designandum quod per suam resurrectionem ad lucem gloriæ nos reduxit.

SERMO SECUNDUS

QUALITER DEBEAMUS CUM CHRISTO SPIRITUALITER RESURGERE.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Coloss. III, 1, 2.

Secundum doctrinam sacræ Scripturæ, duplex est resurrectio, scilicet : corporalis, qua corpus resuscitatur ad vitam naturalem, per hoc quod animæ reunitur; sicque Christus surrexit, et omnes in die
I *Cor.* XV, 51. judicii resurgemus, dicente Apostolo : Ecce mysterium vobis dico, Omnes quidem
Job XIX, 25. resurgemus, etc. Et sanctus Job ait : Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Alia est resurrectio spiritualis, qua homo per contritionem et gratiam resurgit a morte animæ, quod est peccatum mortale. Unde ait
Ephes. V, 14. Apostolus : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. Quemadmodum autem in die novissimo conformabimur Christo resurgenti secundum corpus, ita nunc debemus conformari eidem secundum animam, resurgendo a vitiis, juxta illud ad Romanos :
Rom. VI, 4. Sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Hinc itaque dixit Apostolus :
Coloss. III, 1, 2. « Si consurrexistis cum Christo », id est, si vere a morte animæ seu vitiis surrexistis, B sicut Christus vere surrexit a morte corporis, « quæ sursum sunt quærite », id est, bona cœlestia et æterna, quæ oculus non I *Cor.* II, 9.
vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, summe atque finaliter quærite, desiderate, adipisci satagite, utpote, felicitatem æternam, animæ et corporis glorificationem, cœlestem patriam, omnium Beatorum gloriosam societatem. « Quæ sursum sunt sapite », hoc est, divina cum gustu interno attendite et cum cordiali complacentia considerate, « non quæ super C terram »; imo carnalia et terrena despicite, ad spiritualia ordinate, et in eis non nisi necessaria vitæ præsentis amate, secundum illud Apostoli : Habentes victum et I *Tim.* VI, 8.
quibus tegamur, his contenti simus.

Præterea in verbis præallegatis docet Apostolus, qualiter probabiliter agnoscere valeamus nos consurrexisse cum Christo et esse in caritate et gratia. Hujus etenim consurrectionis signum verissimum est, quærere et sapere ea quæ Dei sunt, cœlestia summe appetere, Deum in omnibus D principaliter affectare, spiritualia et æterna magis quam corporalia et transitoria cupere, quærere, adipisci studere. Istud quippe ad quemlibet pertinet Christia-

num. Si ergo carnalia et caduca magis quam spiritualia et superna quæris et appetis; si plus laboras aut gliscis in exterioribus locupletari aut delectari, quam in donis gratiæ ac virtutum actibusque devotis intus ditari, atque in anima decorari, nutriri, roborari ac consolari : scias nondum te surrexisse cum Christo, sed subjacere peccato, et in statu damnationis infeliciter esse.

O quanta est cæcitas et insania amatorum sæculi hujus ! qui quum de temporalibus rebus competentiam, aut etiam abundantiam et opulentiam habeant, spiritualiumque bonorum expertes sint, ita quod parum aut nihil de virtutibus habent, nihilo minus omni cum diligentia nituntur sibi de exterioribus et temporalibus amplius providere, colligere, possidere : quasi anima non sit præstantior corpore, et quasi beatitudo hominis in carnalibus rebus consistat, et tanquam vita futura non sit diuturnior quam hæc præsens, quum tamen illa vere perpetua sit, ista autem brevissima, et comparatione vitæ futuræ vix momentanea. Abjiciat ergo a se omnis vere christifidelis tantam fatuitatem, et impleat illud Psalmistæ :
Ps. LXI, 11. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Hinc iterum ait Propheta filiis hujus mun-
Ps. IV, 3. di, non Dei : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Nempe quid aliud est, temporalibus ac sensibilibus magis quam Deo et rebus spiritualibus ac supernis inhærere, quam vanitas? Et quid est mundana hæc fallax prosperitas, nisi mendacium, respectu veræ felicitatis, juxta
Jer. XVI, 19. illud in Jeremia, Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit?

Insuper præinductis consonat quod ait
Ephes. III, 17. Bernardus : Accepimus ab Apostolo habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Propterea tamdiu habitat Christus in
Jacob. II, 17. nobis, quamdiu fides in nobis vivit. Fides autem sine operibus mortua est in se ipsa. Nam sicut corporis vitam ex motu suo co-
A gnoscimus, ita et fidei vitam in bonis operibus. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum et fervore conversationis spiritualiter hilarem, non dubites fidem in eo vivere, atque per hoc Christum in eo per gratiam habitare.

Interea prorsus dolendum est, et deploranda est Christianorum, imo potius mundanorum hominum, vitiosa abusio : quia pro eo quod transacto quadragesimali jejunio et beatissimo altaris Sacramento suscepto, deberent deinceps amplius custodi-
B ti, grati ac timorati consistere, atque cum Christo resurgere abstinendo ab omni vanitate ac pravitate, nunc plus solito vani, dissoluti, carnales efficiuntur, Christum e cordibus suis expellunt, beneficiis ejus ingrati sunt, et pro eo principem tenebrarum diabolum habitatorem cordium suorum accipiunt. Hinc sanctus et devotissimus ait Bernardus : Amatores sæculi, inimici crucis Christi, qui inaniter vocantur christiani, toto tempore quadragesimali ad dies inhiant Resurrectionis, ad tempus pa-
C schalis solennitatis adspirant, heu ! ut liberius indulgeant voluptati, ut vanitatibus impietatibusque abundantius vacent. Hinc ipsius plangimus solennitatis injuriam, quam dissimulare non possumus. Proh dolor ! peccandi tempus, terminus recidivandi facta est resurrectio Salvatoris. Ex hoc equidem comessationes ebrietatesque redeunt, cubilia et impudicitiæ repetuntur, et laxantur concupiscentiis frena, tanquam ad hæc resurrexerit Christus, et non magis propter justificationem nostram. Sic
D honoratis, o miseri, Christum quem suscepistis. Venturo parastis hospitium, confitentes peccata vestra cum gemitu, castigantes corpora vestra, eleemosynas impendentes; et ecce susceptum proditis inimicis, imo exire compellitis, priores admittendo nequitias : neque enim cohabitatio esse po- *II Cor. VI, 14.*
test luci cum tenebris, Christo cum superbia, cum avaritia, cum fraterno odio, cum ambitione, cum luxuria. Quid minus devotionis præsenti debetur Christo et suscepto, quam venturo et suscipiendo? Quid

minus reverentiæ tempus exigit Resurre- A ctionis, quam Passionis? Sed vos neutram veraciter honoratis. Nam si commoreremini, et conresurgeretis. Nunc autem ex sola consuetudine temporis et simulatione quadam humiliatio illa processit.

Præterea, sicut idem dicit Bernardus, hi tales non veraciter celebrant Pascha, quoniam *pascha,* transitus, non reditus, interpretatur. Hi autem non transeunt de vitiis ad virtutes, de imperfectione ad perfectionem, de via ad patriam; sed ad priora re-
Matth. XII, 45. vertuntur peccata, et fiunt eis posteriora B pejora prioribus. Contingitque illis quod
Luc. XI, 24, 26. in Evangelio ait Salvator : Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non invenit; tunc vadit et assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant in homine illo recidivante. Nam vulnera repetita gravius nocent, difficiliusque curantur. Luximus his Quadragesimæ diebus, compunctioni et orationi, gravitati et abstinentiæ dediti, ceterorum negligentias temporum redimere atque diluere cu- C pientes. Si ergo negligentias et vitia planximus, quid causæ est ut nunc recidamus in ea? Invenimur nunc curiosi ut ante, verbosi, pigri et negligentes ut ante, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, gulosi, immundi, ceterisque impliciti vitiis de quibus jam paulo ante confessi sumus. Non est hæc transmigratio; non ita videbitur Christus : nam qui respicit retro, indignus est *Luc.* IX, 62.
regno Dei. Simus ergo de cetero in omnibus coram Altissimo custoditi, grati, timorati et fructuosi; in cibis et potibus, in somno et verbis, ac ceteris moderamen servantes.

In dialogo Severi et Galli discipulorum S. Martini, narrat Postumianus se in partibus transmarinis venisse in eremum, ubi viso parvo tugurio perrexit cum discipulis suis ad illud. Invenitque ibi virum senem molam manu vertentem, atque pellicea veste indutum : cui etiam dixit se et suos socios esse christianos. Quo audito, ille præ gaudio flens, provolvit se ante genua illorum, et sæpe exosculans eos, invitavit ad orationem. Deinde fecit eos discumbere, ponens dimidium hordeaceum panem. Et ipsi fuerunt quatuor, ille quintus. Apposuit quoque fasciculum herbæ. Quumque septem diebus cum sene illo manerent, tandem cognoverunt eum esse presbyterum, et perrexerunt cum eo ad ecclesiam, quæ fuit vilibus tecta virgultis, parva et bassa. Quum autem inquirerent mores plebis illius, id cognoverunt, quod non emebant neque vendebant aliquid inter se; quid sit fraus et furtum penitus ignorabant; aurum et argentum nec habuerunt, nec habere optabant. Nec presbyter ille quidquam pecuniæ voluit ab eis accipere. Ecce quam sancta fuit vita illorum, quam sobria, justa ac innocens. Horum ergo virtutes sectemur.

SERMO TERTIUS

DE SEPTUPLICI RESURRECTIONE QUA CHRISTIANI CHRISTO CONFORMARI DEBENT.

S*ICUT in Adam omnes moriuntur, ita* D *et in Christo omnes vivificabuntur.* I Cor. XV, 22.

Secundum catholicæ fidei veritatem, quemadmodum propter primi parentis demeritum, transgressionem seu primam inobedientiam, universum genus humanum, secundum communem cursum, damnationi fuit obnoxium, originali justitia privatum et necessitati moriendi adjudicatum (juxta illud ad Romanos : Per unum hominem *Rom.* V, 12.
peccatum in hunc mundum intravit, et

Rom. v, 19. per peccatum mors; et rursus, Sicut per A unius hominis inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam, justi constituuntur multi); ita per Christi obedientiam et passionem, redemptum est genus humanum, ut ex præinductis Apostoli verbis ostenditur. Christus quippe sua obedientia, caritate et passione, quantum est ex parte ipsius, promeruit cunctis hominibus liberationem ab omni peccato, gratiam in præsenti et gloriam in futuro, plenamque immortalitatem animæ et corporis, quam in resurre- B ctione consequentur finali. Quoniam itaque virtute et merito obedientiæ passionisque Christi, vivificamur in vita hac per infusionem charismatum gratiæ ac virtutum, debemus in hac sacra solennitate paschali, cum Domino, magistro ac capite nostro Jesu Christo spiritualiter surgere, vitia relinquendo, in virtutibus proficiendo, cœlestia contemplando, Deum in omnibus et super omnia diligendo, et omne tempus vitæ nostræ fructuose occupando.

Deinceps cum Christo debemus resur- C gere : primo veraciter, non simulatorie ut *Job* xxxvi, 13. faciunt simulatores et callidi, qui provocant contra se iram Dei. Unde et Christus *Matth.* vi, 16. ait : Quum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Imo Deus, qui veritas est, singulariter odit hypocrisim, et contra eam *Ibid.* xxiii. Christus in Evangelio specialiter, frequenter ac terribiliter loquitur. Et procul dubio vanissimi stultissimique probantur, qui opera ex suo genere bona faciunt pro laude humana, pro commodo temporali transitorioque honore, quoniam æternæ beati- D tudinis mercede se privant pro tam vana ac frivola laude, pro commodo tam cadu- *Job* xx, 5. co. Hinc in libro Job scriptum est : Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ instar puncti. Et rursus in libro Job *Ibid.* xxvii, 9. legitur : Numquid Deus exaudiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia? Omnia ergo faciamus simplici corde ad gloriam Dei, pro beatitudine æterna.

Secundo debemus cum Christo resurgere velociter, et non tarde sicut qui suam conversionem procrastinant emendationemque differunt. Sic tempus suum non solum infructuose, sed vitiose expendunt; et interim diabolo serviunt, et in æternæ damnationis statu atque periculo sunt. Et quanto diutius differunt, tanto plus radicantur, habituantur ac usitantur in vitiis : sicque difficilius fit eis resurgere. Ait namque Isidorus : Istis fomitibus tanquam quibusdam gradibus convalescit in homine omne peccatum : cogitatio prava parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicque his homo vinculis implicatus, quadam vitiorum catena tenetur adstrictus. Ut ergo vitemus hæc mala, velociter convertamur, præsertim quia nec diem scimus *Matth.* xxv, 13. nec horam. Idcirco in Ecclesiastico habetur : Non tardes converti ad Dominum, et *Eccli.* v, 8, 9. ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius. Salomon quoque ait : Quodcumque potest facere manus tua, in- *Eccle.* ix, 10. stanter operare.

Tertio debemus cum Christo resurgere integraliter, non partim aut imperfecte ut hi qui quædam peccata deflent ac deserunt, et in aliis manent. Siquidem multi dum provectioris fiunt ætatis, luxurias pristinas detestantur ac lugent : et tamen quo seniores fiunt, eo plus avaritiæ student. Deus quoque non dimittit unum mortale peccatum sine aliis universis quæ insunt : ideo nemo vere ac salubriter pœnitet de uno, nisi de omnibus suis mortalibus pœniteat culpis. Sunt etiam quidam qui partim Deo et partim mundo volunt placere : isti non sunt vere ac stabiliter justi, nec integre convertuntur ad Dominum. Sed de eis in Osee scriptum est : Divisum est cor eorum, nunc interibunt *Osee* x, 2. Quocirca fatetur Propheta : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; et rursus, *Ps.* ix, 2. In toto corde meo exquisivi te. Hinc *Ps.* cxviii, 10. loquitur Isaias : Si quæritis, quærite; hoc *Is.* xxi, 12. est, si vere quæritis Deum, integraliter quærite eum.

Quarto debemus cum Christo resurgere

perseveranter, non breviter sicut qui reci-
divant. Quorum compunctio brevis est; et
facili occasione vincuntur, similes Balaam,
qui visis mansionibus Israeliticæ plebis
compunctus est, dicens illud Numerorum:
Num. xxiii, 10. Moriatur anima mea morte justorum, et
fiant novissima mea horum similia. Ta-
lium peccata reiterata, sunt propter ingra-
titudinem prioris indulgentiæ graviora.
Propter quod in secunda sua Canonica
gloriosissimus princeps Apostolorum testa-
II Petr. ii, 21. 22. tur : Melius erat illis non cognoscere viam
justitiæ, quam post agnitionem retrorsum
reverti. Contigit enim eis illud veri pro-
verbii : Canis reversus ad vomitum; et,
Sus lota in volutabro luti. Nonne ergo in-
grati, viles ac miseri, imo miserrimi atque
vilissimi sunt, qui statim post festivitatem
paschalem, tam intimorate ac irrefrenate
ad pristina revertuntur peccata, vel etiam
ad plura ac graviora, quasi jam ante con-
fessi non essent, nec communicassent ?
Tales sunt similes Judæ proditori, qui
Christo relicto, ad ejus inimicos Scribas
ac Pharisæos accessit et concordavit cum
eis. Sic isti Christum cui per confessionem
reconciliati fuerunt, et quem tanquam ami-
cum in Sacramento sumpserunt, peccando
relinquunt, per ingratitudinem spernunt,
per inobedientiam dehonorant, juxta il-
Osee iv, 10. lud Osee, Dereliquerunt Dominum in non
custodiendo ; et insuper inimicis Christi,
dæmonibus et peccatis, hominibusque ini-
quis, consentiunt. Hi ergo advertant quod
Hebr. x, 28, 29. ait ad Hebræos Apostolus : Irritam quis fa-
ciens legem Moysis, sine ulla miseratione
duobus aut tribus testibus moritur; quanto
magis putatis deteriora mereri supplicia,
qui Filium Dei conculcaverit, et sangui-
nem testamenti pollutum duxerit, et spi-
ritui gratiæ contumeliam fecerit ?

Quinto debemus ad Christum converti,
spiritualiterque cum ipso resurgere, fi-
ducialiter, non nimis pusillanimiter vel
diffidenter, ut hi qui in divinæ misera-
tionis consideratione non respirant, nec in
adjutorio Altissimi habitant, sed in pro-
priæ infirmitatis, imperfectionis ac culpæ
A intuitu contabescunt, tristantur et arent,
non attendentes infinitam bonitatem, cari-
tatem et misericordiam Dei circa homines
bonæ voluntatis, qui ei servire ac compla-
cere affectant. Propter quod ait Psalmista:
Sperent in te qui noverunt nomen tuum, Ps. ix, 11.
quoniam non dereliquisti quærentes te,
Domine.

Sexto et ultimo debemus cum Christo
resurgere ferventer et sponte, non pigre
et coacte, aut ex servili tantum timore. Nil
equidem meritorium est vitæ æternæ Deo-
B que placitum, nisi ex caritate procedat;
neque coacta Altissimo placent obsequia.
Sed et servus piger damnatur a Christo,
qui in Apocalypsi loquitur : Scio opera Apoc. iii,
tua, quia nec frigidus es neque calidus. 15, 16.
Utinam frigidus esses aut calidus : sed
quia tepidus es, incipiam te evomere de
ore meo. Hinc ait Ambrosius : Nemo cum
desidia quærit Christum; et, Nescit tarda
molimina Spiritus Sancti gratia. Imo, ut
sanctus loquitur Jeremias, Maledictus qui Jer. xlviii,
facit opus Dei negligenter : quod utique 10.
C facit piger. Et si maledictus est qui opus
Dei efficit negligenter, quam maledictus
est qui nec facit illud ? Et quam maledi-
ctissimus exstat qui opera diaboli jugiter
facit, transiens de uno peccato in aliud, et
innumerabiliter peccans cogitando, appe-
tendo, fabulando, cachinnando, et ceteris
vitiis insistendo ? Itaque post sacros dies
dominicæ passionis ac resurrectionis, ca-
veamus a recidivo, a gula et incontinentia,
a choreis, superbiis, spectaculis, aliisque
peccatis; atque in vera Dei ac proximi
D caritate, in filiali timore, in sancta hu-
militate et jugi cordis custodia perma-
neamus, ambulemus, ac Domino obse-
quamur.

Refert abbas Cassianus fuisse in quodam
cœnobio duos sanctos et senes Patres: quo-
rum unus infra quadraginta annos nun-
quam fuit motus ad iram, sed in omni
eventu tranquillus mansit in Deo; alius
infra quadraginta annos nunquam man-
ducavit in die. Quid ergo miseri nos dice-
mus, qui quotidie toties et tam immode-

rate irascimur? Unde et quidam sanctorum A Patrum dixit, quod sicut fumus hospitem expellit de domo, sic ira Spiritum Sanctum e corde. Iterum dixit : Iracundus, etiam si mortuos suscitet, Deo non placet. Vitanda est igitur ira, quæ prævenit ac impedit rationem, præsertim quum sit unum de septem peccatis mortalibus. Quod si consuetudo peccatorum quæ in se venialia sunt, mortalis est, ut Sancti affirmant, quanto magis consuetudo faciliter irascendi mortali non caret culpa?

SERMO QUARTUS

DE RESURRECTIONE CHRISTI, ET APPARITIONIBUS EJUS, AC ARGUMENTIS SUÆ RESURRECTIONIS.

SURREXIT *Dominus vere*. Luc. XXIV, 34. B Non decuit corpus Christi diu in terra jacere, sed cito resuscitari ejusque animæ reuniri, et sic Christum resurgere. Nam
Luc. XXIV, 46, 47. ipsemet Christus ait Apostolis : Oportebat Christum pati, et resurgere die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.

Fuit ergo necessarium Christum resurgere, propter quinque. Primo, ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet illos exaltare qui se propter Deum
Job XXII, 29. humiliant, juxta illud Job : Qui humiliatus C fuerit, erit in gloria. Propter quod dixit
Luc. I, 52. Virgo Christifera : Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Quoniam itaque Christus ex caritate et humilitate, ad gloriam Dei se humiliavit usque ad ignominiosissimam crucis mortem, oportuit ut exaltaretur a Deo usque ad perfectam et gloriosissimam resurrectionem. — Secundo hoc fuit necessarium propter fidei nostræ instructionem ac confirmationem, quia per Christi resurrectionem confirmata est fides nostra de eo et de divinitate ipsius. D
II Cor. XIII, 4. Hinc ad Corinthios scribit Apostolus, Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei : quia videlicet per divinam potentiam est resuscitatus. Et iterum dicit
I Cor. XV, 14. Apostolus : Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Nam si Christus non resurrexisset, nec alicui apparuisset, quis credidisset in eum?

Tertio fuit id necessarium ad sublevationem spei nostræ. Quod enim præcessit in capite, futurum speratur in membris. Idcirco dum Christum resurrexisse audimus, speramus et nos tandem feliciter resurrecturos. Propter quod prima ad Corinthios scribit Apostolus : Si Christus *I Cor.* XV, 12.
prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod resurrectio mortuorum non erit? Unde, quum sanctus Job dixisset, Scio quod Redemptor *Job* XIX, 25.
meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, etc., adjecit : Reposita *Ibid.* 27.
est hæc spes mea in sinu meo. — Quarto, ad informationem moralis vitæ fidelium, ut scilicet cum ipso spiritualiter curent resurgere, et in novitate virtutum procedere, juxta verbum Apostoli exhortantis : Quo- *Rom.* VI, 4.
modo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. — Quinto, ad complementum nostræ salutis. Nam sicut Christus sustinuit mala moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, quemadmodum ad Romanos habetur : Tra- *Ibid.* IV, 25.
ditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Passio etenim Christi operata est nostram salutem, appropriate loquendo, quantum ad remotionem malorum ; resurrectio autem, quantum ad inchoationem et exemplar bonorum.

Præterea convenientissimum fuit Christum tertia die resurgere, quia ut tactum

est, necessarium fuit Christum resurgere propter nostræ fidei instructionem. Fides autem nostra est tam de divinitate Christi quam de humanitate ipsius. Ut ergo confirmaretur in nobis fides de Christi divinitate, oportebat ut cito resurgeret, nec usque ad finem mundi ejus resurrectio differretur. Porro ad hoc quod confirmaretur in nobis fides de ejus vera humanitate, oportuit esse notabilem sufficientemque moram inter mortem ipsius et resurrectionem. Ad veritatem autem mortis probandam, suffecit quod usque ad tertiam diem ejus resurrectio differebatur, quoniam non contingit quin infra tantum tempus, in homine qui mortuus videtur quum vivat, appareant aliqua signa vitæ. Insuper, per hoc quod die tertia resurrexit, perfectio commendatur ternarii, qui est numerus cujuslibet rei, utpote habens principium, medium et finem, ut ait Philosophus primo Cœli et mundi. Ostenditur item per hoc mysterialiter, quod Christus una sua morte, quæ fuit lux propter ipsius innocentiam, duas nostras mortes destruxit, videlicet corporis et animæ, quæ propter peccatum ex quo consequuntur, sunt tenebrosæ : idcirco una integra die duabusque noctibus mansit in morte. Per hoc denuo designatur quod per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat. Primum namque fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incipit quoque in Christi resurrectione tertius status sanctorum. Nam primus fuit sub figuris legis; secundus est sub fidei veritate; tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus resurgendo inchoavit.

Præterea, Christus post suam resurrectionem, discipulis suis ante ascensionem suam decies legitur apparuisse. Primo, Mariæ Magdalene, juxta illud Marci : Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene. Qualiter autem et quando hoc factum sit, in Joanne legitur. Secundo apparuit mulieribus redeuntibus a sepulcro, juxta illud Matthæi : Ecce Jesus occurrebat illis, dicens, Avete; tunc accesserunt, et tenuerunt pedes ejus. Tertio apparuit Petro, quamvis ignorentur locus et hora determinata; sed dies certus agnoscitur, quia in die Paschæ. Creditur vero quod tunc ei apparuit, dum cum Joanne rediit a sepulcro de mane, Petro tunc paululum divertente a Joanne. Quarto apparuit duobus discipulis euntibus in Emmaus, ut apud Lucam legitur. Quinto, decem Apostolis et duobus illis discipulis in conclavi, prout Joannes et Lucas describunt. Istæ apparitiones factæ sunt in die Paschæ.

Marc. XVI, 9. — *Joann.* XX. — *Matth.* XXVIII, 9. — I *Cor.* XV, 5. — *Luc.* XXIV. — *Ibidem; Joann.* XX.

Et præter has, etiam Christus eodem die apparuit suæ piissimæ genitrici Mariæ : quæ sicut plus ceteris Christo filio suo condoluit tempore passionis, ita præ ceteris et plus ceteris de Filii sui resurrectione et apparitione fuerat consolanda, tum propter dignitatem ipsius. Iterum, sicut in evangelio legitur Nicodemi, Christus eodem die apparuit Joseph ab Arimathea. Judæi namque ceperunt et clauserunt eum, eo quod Christum sepelisset; sed Christus in die Paschæ ei apparuit, oculos ejus tersit, osculum dedit, verbis consolatus est eum, et in civitate sua Arimathea restituit eum. Amplius, die isto apparuit quoque Jacobo Minori apostolo, qui in die passionis Christi legitur jurasse nihil gustare quousque Christus a mortuis surrexisset. Hinc in die resurrectionis Christus sibi apparuit, dicens : Ponite mensam. Deinde accipiens panem, dedit Jacobo, dicens : Surge, mi frater, et comede, quia Filius hominis resurrexit a mortuis. Omnes hæ apparitiones factæ sunt in die Paschæ; sed quinque primæ solum habentur ex Evangelio. De apparitione vero Jacobo facta scribit Apostolus in prima epistola ad Corinthios.

I *Cor.* XV, 7.

Deinceps, post diem illum paschalem, adhuc quinquies apparuit discipulis, sicut ex Evangelio comprobatur : primo, in octava Paschæ, Thoma præsente, ut evangelista Joannes ait; secundo, septem discipulis ad mare Tiberiadis; tertio, undecim Apostolis in Galilæa, in monte Thabor, ut fertur

Joann. XX, 26. — *Ibid.* XXI. — *Matth.* XXVIII, 16, 17.

in Matthæo; quarto, eisdem in die ascen- A
Marc. xvi, 14. sionis, quando recumbebant, ut scriptum est apud Marcum; quinto, eodem die ap-
Luc. xxiv; Act. I. paruit omnibus discipulis simul in monte Oliveti hora suæ ascensionis, ut apud Lucam et in Actibus Apostolorum legitur. Sed et Paulus apostolus ad Corinthios scri-
I Cor. xv, 6. bit, quod apparuit plus quam quingentis fratribus simul. Quibus autem in locis Christus fuerit intermedio tempore usque ad ascensionem, incertum est; sed probabilius creditur quod in paradiso terrestri, ubi etiam creditur constituisse animas B quas eduxit de limbo inferni, usque ad diem ascensionis.

Act. I, 3. Postremo, ut in Actibus recitat Lucas, Christus post suam resurrectionem discipulis suis per dies quadraginta apparens, per multa argumenta se vere resurrexisse probavit, scilicet: testimonio angelorum, qui hoc nuntiaverunt mulieribus sanctis, et per eas Apostolis; secundo, per allegatio-
Luc. xxiv, 27. nes Scripturarum, ut in Luca patet; tertio, per varias apparitiones prætactas; quarto, quia comedit et bibit; quinto, quia cica- C trices vulnerum in eodem corpore suo monstravit; sexto, quia palpandum se præbuit, tanquam verum et solidum corpus habens; septimo, quoniam coram discipulis suis ascendit in cœlum, et tunc rursus duo angeli veræ ipsius resurrectioni attestabantur.

Quoniam ergo tam firma et certa est fides nostra, correspondeat conversatio nostra fidei nostræ, ita ut totis præcordiis universa præsentia et caduca parvi pendamus, Deum affectuosissime semper quæ- D ramus, in donis atque virtutibus confortari ac crescere perseveranter ac digne conemur.

Inter sanctissimos Patres eremitas, sicut octavo libro Vitaspatrum habetur, fuit et abbas Pambo, qui in sanctitate et virtutibus habuit magnam famam, et aurum atque argentum tanquam stercus et lutum contempsit. Quum enim S. Melania senatrix venisset de Roma, volens perfecte converti, et intrasset eremum, tandem venit ad abbatem Pambo, et obtulit ei trecentas libras argenti, deprecans eum ut de rebus suis acciperet ad erogandum pauperibus. Ipse vero sedebat et texebat sportellas, et nec S. Melaniam neque pecuniam illam adspexit, sed dispensatori suo commisit ut pecuniam illam daret Fratribus qui habitabant in Lybia et insulis, quia plus indigebant. Quumque B. Melania staret exspectans laudari a Sancto illo de tantæ datione pecuniæ, et ille nihil loqueretur ad eam, ipsa dixit: Ut scias, domine, quantum est, trecenta pondo sunt. Tunc ille respondit: Cui hæc obtulisti, filia, pensare et ponderare opus non habet; sed ipse novit quantitatem hujus pecuniæ. Si enim mihi hæc dedisses, bene mihi diceres quantum est. Si autem Deo hæc obtulisti, ille qui minuta pauperis viduæ non despexit, nec tuam oblationem tradet oblivioni.

Quum autem idem sanctissimus abbas Pambo coram sanctis Patribus et Fratribus esset spiritum traditurus, inter cetera dixit: Ex quo veni in eremum istam, de labore manuum mearum vixi, nec recordor me aliquando panem gratis comedisse, nec protuli verbum de quo pœniteam; et ita vado quasi nunc incipiens Deo servire. Hujus ergo sanctissimi viri exemplo, discamus verba vana et vitiosa vitare, et mente ac lingua custoditi persistere.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE UTRIUSQUE AGNI, LEGALIS VIDELICET ET EVANGELICI, MANDUCATIONE.

I Cor. v, 8. EPULEMUR *in azymis sinceritatis et veritatis.* In hodierna epistola.

Unigenitus Dei, qui nostram naturam assumpsit, id quod de nostro et a nobis accepit, totum nobis rependit et in nostram convertit salutem. Ipse namque ardentissimus est amator, liberalissimus dator, benignissimus miserator, qui se ipsum contulit nobis in nostræ redemptionis pretium, in nostræ peregrinationis viaticum, in nostræ vitæ præmium. Idcirco in ho-
Ibid. 7. dierna epistola ait Apostolus : Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, id est, agnus paschalis pro nobis in cruce oblatus est Dominus Jesus. Qui de se pro-
Jer. xi, 19. testatur : Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. De quo et sacra-
Joann. i, 29. tissimus ait Joannes Baptista : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ipse enim verus est Agnus per agnum paschalem in lege præfiguratus, cujus oblatione ab æterna sumus morte redempti, et vitæ gratiæ ac gloriæ filii facti, quemadmodum per agnum illum legalem liberati sunt filii Israel a vastatione Ægypti morteque temporali. Hinc hortatur Apostolus ut « epulemur » et manducemus hunc verum Agnum pro nobis oblatum, non tamen cum materialibus vel fermento carentibus panibus, sed « in azymis sinceritatis et veritatis », id est actibus internæ puritatis ac æquitatis, mentem bene reficientibus : quia hunc panem sacramentalem, cœlestem, supersubstantialem et verum, non legalem et typicum, nullus accipere dignus est nisi per caritatem ac gratiam virtuosaque opera A spiritualiter vivens, quemadmodum cibum corporis naturalem accipere nequit nisi qui vitam naturæ sortitur.

Subinde, ut sciamus qualiter Agnum hunc evangelicum sumere nos oportet, pensemus quid de legalis agni esu dicat Scriptura. Itaque, prout in Exodo fertur, Exod. xii, 8.
agnum legalem Deus manducari præcepit cum lactucis agrestibus. Quæ quum sint valde amaræ, contritionem cordis de peccatis designant. Non ergo ad mensam Dei, ad sacrum altare, ad consecrandum, tra- B ctandum, immolandum, edendum Agnum verum præsumamus accedere, nisi de nostris culpis vere contriti. Signum autem contritionis est diligens evitatio culpæ prioris, quum in Regula dicat Basilius : Omnis qui semel deliquit, et iterum in idem peccatum incurrit, indicare de se videtur hoc primum, quod a peccato priori non fuit vere purgatus, ex quo velut ex radice pessima eadem quæ ante perpetravit pullularunt, quemadmodum si ex arbore præcisa rursus nascantur virgulta, constat quod C radix mansit in terra. Quum ergo quotidie in easdem culpas et negligentias corruamus, nonne indicium est quod de prioribus non dolemus ? De quibus si vere et ex corde confiteremur ac pœniteremus, eas utique magna ex parte vitare et emendare conspiceremur. Heu ! quid dicam, quia post confessionem, post celebrationem, mox ad pristinas levitates, loquacitates, risus, negligentias, incustodiam cordis sensuumque redimus ? Ubi est timor Dei, ubi veræ contritionis indicia, ubi dignissimi

Sacramenti fructus, gratia et effectus ? Sic A imus de die in diem, et forte macilentiores et aridiores de opulentissima, pinguissima, delicatissima Christi mensa recedimus, quam ad eam accessimus, quia irreverenter, incustodite, intimorate, ingrate habemus nos. Cur non terrent nos I Cor. xi, 27-29. Apostoli verba dicentis : Probet se ipsum homo ; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, reusque erit corporis et sanguinis Salvatoris (quia pars ejus erit cum Juda traditore, non cum Petro fervido amatore)?

Exod. xii, 8 et seq. Secundo Deus præcepit carnes agni paschalis assari. Quo præfigurabatur quod sumptionem Agni veri in Sacramento præcedere debet vera, spiritualis et fervens dilectio : quæ otiosa esse non valet, sed teste Gregorio, magna alacriter operatur ; et Dei super omnia prædilecti omnem cum diligentia vitat offensam, ejusque assiduam parit in mente memoriam, atque ad præcordialem gratiarum actionem excitat et deducit. Etenim quanto plus quispiam diligit Deum, tanto ardentiorem habet affectum exsequendi quæ ei sunt placita, et vitandi illicita. Nos autem religiosos, si vere proficiemus, oportet tam diligenter venialia abhorrere et vitare peccata, quam vehementer boni sæculares detestantur et cavent peccata mortalia.

Tertio Deus jussit agnum legalem cum azymis panibus manducari, ad innuendum quod in edente verum et evangelicum Agnum debet consistere puritas conscientiæ, puritas cordis, incorruptio a peccatis, ut sanum sit cordis palatum, et mundum os intellectus. Hinc dicit Chrysostomus : Sicut cibus corporalis quum corpus invenerit malis humoribus occupatum, amplius lædit ac nocet, nec ullum præstat auxilium ; sic et spiritualis hic cibus si aliquem invenit malitia inquinatum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. Tales sunt socii proditoris Joann. xiii, 27. in quem post buccellam Satanas est ingressus.

Quarto Deus agnum legalem edi præcepit festinanter, ad designandum quod in celebrante aut communicante esse non debet pigritia, sed præceptorum ac salutarium actuum exsecutio velox. Siquidem, nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, et nemo cum desidia quærit Christum, secundum Ambrosium. Sit ergo in nobis prompta et fervens agilitas inchoandi quæ bona sunt ; et statim signo audito, ad Matutinas, ad Primas, et tempore opportuno ad Nonas surgamus. Quemadmodum equidem hilarem datorem, ita et II Cor. ix, 7. B celerem debiti solutorem atque velocem boni executorem diligit Deus, quum et Salomon dicat : Vidisti hominem velocem Prov. xxii, 29. in opere suo ? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

Quinto Deus præcepit edentes agnum legalem esse calceatos, ad exprimendum quod celebrans sive communicans debet Sanctorum exemplis esse munitus et in suis affectibus roboratus, ne pigrorum exemplis torpescat, sed ferventium sequatur vestigia.

C Sexto præcepit ut essent renes accincti, quoniam corpus Christi accipiens continens esse debet, desideriaque carnalia spiritualium affectionum ardore exstinguere, Christo dicente : Sint lumbi vestri Luc. xii, 35. præcincti.

Septimo, ut nihil remaneret de carnibus agni legalis ; sed quod remansit, jussit igni comburi, ad significandum quod fideles, ea quæ in Sacramento comprehendere nequeunt, omnipotentis Dei judicio committere debent, ne mirabilium divino- D rum sint præsumptuosi aut curiosi perscrutatores. Propter quod ait Bernardus : Sacramentum hoc fideliter est sumendum, non discutiendum ; venerandum, non dijudicandum.

Octavo præcepit ut sanguine agni postes tingerentur domorum, ad figurandum quod in celebrante et communicante esse debet dominicæ passionis cordialis ac frequens memoria.

Nono, ut baculos haberent in manibus, ad designandum quod Christum in Sacra-

mento accipiens, attestationi Ecclesiæ et A Sanctorum debet inniti, ac spirituali consolatione et gratia sustentari, Christoque jugiter inhærere ac gratus consistere.

Itaque sic agamus. Nec his sanctis diebus, ad pristinas levitates et culpas quis redeat; sed juxta Apostolum, si consur- *Coloss.* III, 1, 2. reximus cum Christo, quæ sursum sunt quæramus et sapiamus, ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus; et viles consolatiunculas contemnamus, ut in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam consolemur. Ad laudem Omnipotentis. *Rom.* VI, 4.

SERMO SEXTUS

DE SPIRITUALI LÆTITIA IN HAC SOLENNITATE HABENDA.

HÆC *est dies quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea.* Ps. CXVII, 24.

Quatuor ponuntur coæquæva, id est simul creata, videlicet: angelus, cœlum, tempus, materia. Quum ergo omne tempus omnemque diem fecerit Deus, cur diem hunc resurrectionis dominicæ fecisse specialiter perhibetur, nisi quia in ea specialia valde et maxima bona, magnifica opera et præclarissima mirabilia est molitus, beneficia quoque ingentia hominibus est largitus? Hodie namque Unigenitus Dei verus Deus resurrexit, imo se ipsum suscitavit a mortuis, spoliavit infernum, et sanctos inde eduxit, atque, ut creditur, in paradiso terrestri constituit, quousque cum eis ascendit in cœlum. Hodie quoque electis suis frequenter apparuit, et consolatus est eos, spemque beatæ resurrectionis nobis donavit. Merito itaque a beato Psalmista in tanta solennitate lætari et exsultare monemur, ut interna lætitia spiritualis præ exuberantia et abundantia sua foris erumpat, et per signa certa monstretur exterius, spirituali gaudio redundante in corpus, ut sic mente et corpore gaudeamus in Domino, et cum Propheta dicamus: *Ps.* LXXXIII, 3. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.

Insuper, juxta Philosophum, unumquodque tanto plus tale est, quanto suo contrario minus permixtum est: sicut res tanto B est albior, quanto a commixtione nigredinis immunior. Quemadmodum autem amor carnalis et spiritualis dilectio opponuntur, nec se mutuo compatiuntur, sed unius minoratio, alterius exstat augmentum, et unius mera evulsio, alterius est vera perfectio; ita ut qui nihil habet de carnali, privato inordinatoque amore, in dilectione spirituali censetur perfectus, et quanto plus a sensuali amore se purgat, tanto in spirituali amplius proficit: sic carnale et spirituale gaudium contrariari C dicuntur; et quanto a carnali gaudio plus se abstrahit homo, tanto ad spirituale gaudium redditur aptior. Si ergo in die hoc sacratissimo volumus spirituali jucunditate repleri, exsultari et lætari in Domino, spiritualibus ac divinis consolationibus desuper refoveri, cœlestibus et internis delectationibus recreari; carnalia gaudia, vana solatia, inordinata oblectamenta detestari ac fugere nos oportet. Et diebus his, quibus talium major datur occasio, quibus et in divino Officio minor est labor, quan- D do et bis in die reficitur, diutius frequentiusque dormitur, sæpius convenitur, et aura arridet serenior: his (inquam) necessaria nobis est major cordis custodia, refrenatior lingua, mensque in omnibus amplius timorata, et fortior contra vitia atque pericula animæ armatura.

Itaque die isto et deinceps, sobrietati ac

moderantiæ studeamus; et tanto minus nos repleamus in prandio, quanto certius constat quod cœna restet. In qua item tanto plus sobrii simus, quanto superflua cibi ac potus in cœna susceptio, tam animæ devotioni quam corporis sanitati vehementius obest, præsertim in religiosis mane dormitum euntibus. In quibus ex superfluitate hujusmodi generantur pravi humores, nimia exscreatio, magnæ gravedines, diversæ infirmitates : quæ mala sunt corporis; somnolentia quoque, torpor, pigritia, dormitio longa, animæ hebetudo, inertia, et insipiditas mentis, sed et somnia gravia, atque illusio et inquinatio illa nocturna, stimulatio corporis : quæ omnia sunt mala animæ tempus infructuose aut minus utiliter expendentis et plurima bona negligentis.

Denique, iis diebus, in recentibus et mollioribus ac lautioribus alimentis nequaquam carnaliter delectemur, nec ex talium apprehensione, exspectatione vel usu oblectetur aut consoletur anima nostra; sed in omnibus illis solum quæramus necessitatem et sustentationem naturæ, et ordinatam refocillationem ipsius. In collocutionibus vero cum nostris confratribus sive extraneis continuus nobis insit timor Judicis summi, et aurem cœli omnia audientem, ac mentem Altissimi cuncta inspicientem ac judicantem, cogitemus esse præsentem ac nobis indesinenter intentam : sicque ipsius formidantes offensam et cupientes ejus honorem, non nisi utilia, salubria, ædificatoria proferamus, inquiramus, aut libenter etiam audiamus, scientes quod sicut vas non opertum impletur pulveribus, sic mens os habens apertum et ad loquendum inconsideratum, repletur peccatis. Nec potest proficere qui linguam non curat reprimere. In multiloquio namque peccatum non deest; et, Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Præterea inordinata locutio non solum in se ipsa peccatum est, sed et diversarum est productiva culparum. Et qui incaute, jocose leviterque loquendo, ad risus, cachinnos, dissolutiones distractionesque provocat alios, illorum fit particeps vitiorum. Talis quoque per talia hominibus quærens placere, advertat illud Psalmistæ : Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos; et quod ait Apostolus : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Quid iis horribilius dici potest? Et tamen vix ista attendimus. Volumus nos mutuo lætificare, recreare, invicemque placere, et contristamus spiritum sanctum Dei, lædimus nos ipsos ac alios, atque cœlesti Judici displicemus.

(Prov. x, 19. — Ibid. xxv, 28. — Ps. lii, 6. — Galat. i, 10.)

Insuper in somno non carnalem repausationem, sed necessariam virium recuperationem ad Dei honorem quæramus; et in sanctis meditationibus obdormiamus, evigilantesque cor statim ad Creatorem levemus, orando aut meditando. Nec vanis cogitationibus moram in anima concedamus, quum per Prophetam Deus tam terribiliter comminetur : Væ qui cogitatis inutile. Et Sapiens ait : Spiritus Sanctus auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. In Proverbiis quoque : Ego (inquit) Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Magna hominis est ista calamitas, potissimum religiosi, quod non amplius delectatur loqui et occupari cum Deo, orando, psallendo, meditando, contemplando, studendo, quam cum hominibus. Verumtamen certis horulis, humanæ fragilitati honestam ac moderatam recreationem esse negandam non assero; sed per integram horam, aut amplius, inutilibus confabulationibus occupari et immorari, omnino culpabile est et vituperabile, valde distractivum, infrigidativum læsivumque animæ. Quod qui non sentit, ad internam exercitationem, spiritualem saporem, caritatis fervorem nondum devenit.

(Mich. ii, 1. — Sap. i, 5. — Prov. viii, 12.)

Præterea, nunc breviter est tangendum, quare in die ista et tempore sacro hoc exsultare debeamus et jucundari. Primo

ergo hoc nobis incumbit ex dilectione qua Christum, caput, creatorem salvatoremque nostrum, super omnia ferventer amare debemus. Nam sicut ex caritate ei propter nos passo compati oportet, sic ei tam gloriose ac victoriose resurgenti cordialiter congratulari habemus. Estque infinita ratio gloriandi, dum rite attendimus quam feliciter ac nobilissime hodie resurrexit, qui paulo ante tam pœnalissime, contemptibilissime, miserandissime in cruce pependit. Et quanto intensius Christum amamus, tanto exuberantius de ejus resurrectione tam digna jucundissimaque gaudeamus. Secundo exsultare et lætari debemus de præcordiali illa consolatione benignissimæ Virginis Christi Genitricis, et ceterorum fidelium, quibus hoc die Salvator apparuit, et apparendo mirabilem et ingentem consolationem impressit, potissimum præstantissimæ suæ Matri, quæ sicut præ ceteris incomparabiliter condoluit patienti, sic et vehementissime congratulata est resuscitato et sibi primitus hilarissime apparenti. Quanto acutius contemplamur quam desolati atque mœstissimi erant beati Apostoli et feminæ sanctæ, præsertim affectuosissima illa Maria Magdalene, de Domini Jesu ignominiosissima occisione, tanto copiosius de prætacta eorum consolatione lætamur. Tertio hodie exsultare et lætari debemus de spoliatione inferni et sanctorum eductione ex illo, ac consolatione ipsorum. Quarto, de bonis nobis per Christi resurrectionem collatis, per quam fides firmatur, spesque augetur, conversandi forma ostenditur.

Non itaque conformemur huic sæculo *Rom.* XII, 2.
nequam, id est mundanis hominibus, qui nunc ad pristina vitia revertuntur, Christi beneficia obliviscuntur, sicque quotidie gravioribus involvuntur sceleribus. Quibus intime compatiamur, et pro ipsis affectuosissime deprecemur; atque in tanta humilitate, devotione, profectu, custodia et fervore de cetero conversemur, ut et pro illis exaudiri efficiamur in misericordia Dei idonei.

SERMO SEPTIMUS

QUOMODO CHRISTUM PROPTER NOS CRUCIFIXUM DEBEAMUS IN CORDE SPIRITUALITER SEPELIRE, UNGERE, ET SINDONE MUNDA INVOLVERE.

Marc. XVI, 1. MULIERES *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* In evangelio hodierno.

Hæ feminæ sanctæ, quæ Christum ardentius diligebant, eum ante ceteros quæsierunt, et ungere optaverunt. Et quoniam sacratissima Maria Magdalene ipsum præ cunctis æstuantissime adamavit, atque de ejus crucifixione vehementius tristabatur, eum ante alios meruit invenire ac intue-
Ibid. 9. ri : siquidem Marco testante, Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene. Ita et nos quo Christo cordialius fuerimus condolentes, et quo per patientiam et sanctos labores ac corporis castigationes ejus passioni magis nos conformaverimus, eo ipse Dominus Jesus nobis citius ac clarius in vita hac spiritualiter apparebit, ad suam contemplationem nos gratiosius elevando. Qui itaque Christi deitatem appetit contemplari, suæ humanitatis passionem non desinat inspicere et sectari : quam intuendo ac imitando, ejusque intuitu et amore vana ac vilia fugiendo, illuminationem supernam et consolationem internam merebitur atque percipiet copiosam.

Denique Dominum Jesum propter nos

crucifixum debemus in nobis, in cordis nostri medio sepelire, et ibi ipsum quotidie ungere lacrimis compassionis, pœnitentiæ quoque lamentis, quod ejus passioni fuimus tam ingrati; et sindone munda involvere, id est conscientiæ puritate amplecti. Totumque Christum pretiosissimis ungere debemus unguentis : id est, sanctæ
II Cor. II, 15, 14. famæ odore respergere, ut simus bonus odor ipsius in omni loco, et ipse in suis glorificetur ministris ; devotionis quoque suavitate eum perfundere, ut in cunctis bonis quæ agimus ad honorem ipsius, spirituali jucunditate ac devota alacritate ipsum demulceamus. Specialiter vero nos sacerdotes, qui Christum in Sacramento quotidie sumimus, eum mundissimo cordis habitaculo suscipere, reponere et servare debemus, ut sic, juxta Isaiæ oracu-
Is. XI, 10. lum, spirituale ejus sepulcrum in nobis exsistens sit gloriosum. Nam quamvis Salvator ignominiosissimam mortem pati elegit, venerabilem tamen habere voluit sepulturam, quia per mortem suam plenissime et superplenissime satisfecit pro nobis.
Joann. XIX, 38-42. Sepeliri autem voluit a devotissimis viris in monumento recenti, quod fuit excisum in petra et constitutum in horto. Ideo cum ingenti reverentia atque munditia eum in nobis sepeliamus in monumento exciso in petra, hoc est in humilitatis ac circumspectionis profundo, exciso in petra, utpote in firmo ac stabili intellectu et devoto affectu. Anima vero nostra sit hortus, hoc est locus deliciosus, floribus sanctarum cogitationum, piarum affectionum, rectarum intentionum ornatus, fructibus virtuosorum exercitiorum repletus, graminibus virentium reformationum, habitibus scientiarum, virtutum, donorum splendide decoratus. O quam libenter tunc requie-
Prov. VIII, 31. scet in nobis Unigenitus Dei ! Nonne deliciæ ejus sunt esse cum talibus et in talibus filiorum hominum ? Sic itaque Christum in se ipso ungamus.

Insuper eum ungamus in mysticis membris suis, in ipsis fidelibus, præsertim in pusillis et lapsis ac spiritualiter mortuis.

A Quos etsi per gratiam suscitare a culpæ interitu non valemus, eos tamen pro posse unusquisque devotus, maxime is qui præest, ad suscitationem et curationem internam disponere aptareque debet. Et de hoc S. Bernardus convenientissime loquitur in sermone, intelligendo per tres Marias, mentem, linguam et manum. Quarum quælibet tria debet habere aromata ad ungendum et curandum vulnera peccatorum. Primo itaque mens nostra habere debet piæ compassionis affectum; secun-
B do, rectitudinis seu justitiæ zelum; tertio, discretionis spiritum ac virtutem. Unde quum aliquem videmus peccantem, aut peccasse cognoscimus, statim eidem caritative ac pie condolere debemus : sic tamen, ut et propriam fragilitatem pensemus, nec alteri nos inaniter præferamus. Verum quia nonnulli sunt impudentes et duri, qui compassione non emendantur, sed admonentis ac præsidentis compassione et patientia abutuntur; ideo contra tales necessarius est justitiæ zelus, ut sicut
C peccanti, ita et justitiæ, quam videmus impudenter despici, condoleamus, et peccantis correctionem optemus. Sed ne calamum conteramus quassatum, necessaria exstat discretio, qua sciamus qualiter compassio et justitia debeant contemperari, ita ut misericordia superexaltet judicium, et priorem sibi vindicet locum compassio. Jacob. II, 13.

Porro tria aromata linguæ, secundum Bernardum, sunt modestia in increpando, copia exhortandi, efficacia persuadendi.
D Primo ergo necessaria est linguæ moderata correptio, quæ est optimum bonum quod habent pauci. Nam multi, quamvis sincera intentione, tamen leviter dicunt quod graviter et moleste auditur. Volat irrevocabile verbum ; et quod sanare debuerat, quia mordacius forte profertur, magis exasperat atque exulcerat audientem, ita ut declinet in verba malitiæ, excusando se ipsum et corripienti indignans. Idcirco consideranda est qualitas atque capacitas Fratris culpabilis. Et ipse

qui corripit, non ex vehementia passionis, sed fervore dilectionis eloqui debet, quanquam interdum ex ira per zelum et rigore justitiæ correptio procedere debeat. Hinc abbas Macarius dixit : Ut alium possis curare, non debes propriæ passioni satisfacere, id est ex ira per vitium aut ex impatientia loqui. Hinc asserit Augustinus : Quidquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis. Ambrosius quoque : Plus (inquit) proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta. Et secundum eumdem, homines pii, docilles, verecundi, corrigibiles, non sunt dure et iterato redarguendi. Nam ait : Quid necesse est bis pungere non recalcitrantem, et per se satis erubescentem confundere amplius, cui ratio sua est magistra, propria conscientia virga, atque ingenita verecundia lex disciplinæ ? Duri autem et immansueti sunt acrius arguendi, dicente Bernardo : Qui blando verbo castigatus non emendatur, acrius necesse est ut corrigatur. Et cum dolore sunt abscindenda quæ leviter curari non possunt. Et qui correptus secrete, corrigi negligit, est publice arguendus. Et palam sunt increpandi qui palam peccant, ut dum aperta objurgatione sanantur, ii qui eos imitari poterant, terreantur.

Hinc in Regula sua sanctus loquitur Benedictus : In doctrina sua præsidens apostolicam servet formam, qua dicitur, Argue, obsecra, increpa, ita ut misceat terroribus blandimenta, nunc durum magistri, nunc pium patris demonstrans affectum : quia indisciplinatos et inquietos debet durius increpare, obedientes autem, mansuetos et patientes, ut proficiant obsecrare. Negligentes vero et contemnentes ut increpet et corripiat admonemus. Neque delinquentium peccata dissimulet; sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, quantum prævalet, amputet, memor periculi Heli sacerdotis. Et honestiores ac intelligibiles animos prima vel secunda admonitione corripiat; improbos autem et duros corde, superbos aut inobedientes, verbo aut corporis castigatione in ipso peccati initio coerceat, sciens scriptum : Stultus verbis non corrigitur; et iterum, Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus de morte. Hæc Benedictus. Verumtamen quidam Sanctorum interdum ex alia consideratione Fratres mansuetos ac patientes durius increpaverunt, infirmos vero aut duros remissius, quatenus illi per patientiam suam mererentur coronam, isti autem a majori præservarentur ruina.

(II Tim. IV, 2. — Prov. XXIII, 13, 14.)

Secundo necessaria est linguæ copia exhortandi, id est facultas et abundantia Scripturarum seu verborum salubrium, quibus alios exhortetur. Tertio, efficacia persuadendi, ut scilicet ponderose rationabiliterque loquendo, alios ad acquiescendum inducat. Ad quod requiritur ut ipse persuasor personaliter agat quæ docet : nam cujus vita despicitur, prædicatio vilipenditur.

Hinc manui quoque necessaria sunt sua aromata, ut sit homo in vita laudabilis, moribus exemplaris, sobrius, justus et pius, ne ei dicatur : Qui alium doces, te ipsum non doces; et illud in Job : Ecce docuisti plurimos; nunc autem venit super te plaga, et defecisti : ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum ?

(Rom. II, 21. — Job IV, 3, 5, 6.)

Emamus ergo omnia aromata ista a Deo orationibus, lacrimis, jejuniis, disciplinis, præsertim resignatione propriæ voluntatis. Nec aliquem ex passione et vehementia corripere aut corrigere præsumamus, quum dicat Isidorus : Qui delinquentem odioso aut superbo animo corripit, non emendat, sed percutit. Quidquid indignans aut protervus protulerit animus, objurgantis est furor, non dilectio corrigentis. Itaque omnes actus nostros caritas imperet, discretio moderetur, ratio ad debitum dirigat finem. Et taliter conversari conemur, ut simus idonei corripere proximos : imo tam caritative irreprehensibiliterque vivamus, ut videant ex caritate, non ex prava radice, nos loqui. Ad laudem et gloriam Dei excelsi.

DOMINICA IN OCTAVA PASCHÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

OMNE QUOD NATUM EST EX DEO, VINCIT MUNDUM, ETC. I Joann. V, 4-12.

Ex prima Canonica S. Joannis apostoli sumpta est ista epistola. Ait ergo B. Joannes : *Omne quod natum est ex Deo,* per fidem caritate formatam, et per divinorum observantiam mandatorum, *vincit mundum,* id est vanitates et impietates mundanas, et tam prospera quam adversa sæculi hujus, ita quod nec prosperis superbe erigitur, neque adversis a virtutum tenore dejicitur; sed inter utraque permanet constans, et persecutiones tentationesque superans. Unde Beda hic ait : Omnes qui vera devotione mancipantur Dei præceptis, et adversa mundi hujus et blandimenta pari mente contemnunt, ipsam quoque mortem velut ingressum patriæ cœlestis amantes.

Sed his objici potest. Si enim omnes qui ex Deo per fidem caritate formatam nati sunt et Deo vere deserviunt, vincunt mundum, ergo nullus in caritate exsistens potest eam amittere, quia si eam amittit, superatur a mundo. Denique multi a Deo nati modo præfato, vincuntur a mundo, a diabolo, a peccato, juxta quod Dominus
Apoc. II, 4, 5. ait in Apocalypsi : Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age. Idcirco monet Apostolus :
I Cor. X, 12. Qui stat, videat ne cadat. Si autem quis dicat, quod S. Joannes hic loquitur de his qui nati sunt ex Deo non solum per fidei et caritatis infusionem, sed etiam per prædestinationem æternam, adhuc stat argu- A mentum : quoniam aliqui tales ad tempus recidivant, et iterum pœnitent, sicut et David rex tam præelectus a Deo. Ad hæc posset forsan quis dicere, quod nati ex Deo, in quantum hujusmodi vincunt mundum, quia quamdiu manent in esse gratiæ ac virtutis quod per spiritualem regenerationem a Deo sumpserunt, vincunt mundum. Juxta quem sensum idem ait Joannes : Omnis qui natus est ex Deo, non I Joann. III, 9.
peccat. Circa quod loquitur Augustinus : In quantum ex Deo natus est, non peccat. B Potest etiam responderi, quod omne ex Deo natum ac prædestinatum vincit mundum finaliter, quoniam licet ad tempus vincatur a mundo et erret, quia tamen prædestinatus est, finaliter non peribit, sed in fide et caritate, quibus vincitur mundus, diem claudet extremum; ceteri ex Deo nati et non prædestinati vincunt mundum ad tempus.

Insuper, ne quis propriis viribus, et non potius adjutorio Dei, arbitretur se vincere mundum, subjungitur : *Et hæc est victoria,* C id est virtus victorialis, *quæ vincit,* id est, vincere facit, *mundum, fides nostra :* non fides informis et nuda, sed fides formata per caritatem et operans per eamdem. Nam fides sine operibus mortua est Jacob. II, 17.
in se ipsa, quemadmodum corpus sine anima. Hinc ad Hebræos dicitur : Sancti Hebr. XI, 33.
per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam. Atque ad Ephesios hortatur Apostolus : In omnibus sumentes scutum fi- Ephes. VI, 16.

dei, in quo possitis omnia tela nequissimi A
ignea exstinguere. Princeps quoque Apo-
I Petr. v, 8. stolorum quum dixisset, Diabolus tanquam
leo rugiens circuit, quærens quem devo-
Ibid. 9. ret, mox adjecit : Cui resistite fortes in
fide. Nempe per fidem invocamus auxi-
Joann. xvi, 33. lium Christi, qui etiam protestatur : In
mundo pressuram habebitis; sed confidi-
te, ego vici mundum. Hinc subditur :

Quis est autem qui vincit mundum
cum erroribus, vitiis et concupiscentiis
I Joann. ii, 16. ejus (siquidem omne quod est in mundo,
id est in mundanis et vanis hominibus, B
concupiscentia carnis est, et concupiscen-
tia oculorum, et superbia vitæ), *nisi qui
credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Fi-
lius utique naturalis, Patri coæternus, con-
substantialis, coæqualis, ejusdem numero
cum Patre exsistens naturæ, sed alius in
persona : quia in Jesu Christo sunt duæ
naturæ, puta deitas vera humanitasque
perfecta; sed una persona, quia humani-
tas ejus ad increatum personaleque esse
Verbi æterni assumpta est, et in eodem
suppositata. Verumtamen his objici po- C
test, quod multi vitiosi ac reprobi credunt
istud, qui mundo per vitia sunt subjecti.
Verum responsio plana est, quia de fide
formata Apostolus nunc effatur. De illis
Tit. i, 16. vero Paulus testatur : Confitentur se nosse
Deum, factis autem negant. Ideo dicit Ber-
nardus : Putasne, Filium Dei reputat Je-
sum, qui ipsius nec terretur comminatio-
nibus, nec attrahitur promissionibus, nec
præceptis obtemperat, nec consiliis acqui-
escit? Nonne is, etiam si fateatur se nosse
Deum, factis tamen negat? Itaque qui D
credit quod Jesus est Filius Dei, vincit
mundum. Vincit quoque se ipsum : nam
intellectum suum redigit in captivitatem,
credendo quæ rationem transcendunt; et
sapientibus mundi, qui fidem christianam
reprobare conati sunt, prævalet, illorum
argumentationi vanæ non cedens, sed con-
tradicens.

*Hic est qui venit per aquam et sangui-
nem, Jesus Christus.* Venit enim per aquam
regenerationis sive Baptismatis, et per san-
guinem redemptionis : id est ad salvan-
dum genus humanum ita processit, quod
per aquam Baptismatis et sanguinem pro-
prii corporis, salutem et gratiam dedit
hominibus. *Non in aqua solum* venit, sic-
ut Joannes Baptista, cujus baptismus cor-
pora lavit, animas non purgavit, quia pec-
cata non abstulit, nec gratiam contulit, sed
dispositorius fuit ad Christi Baptisma; *sed
in aqua* baptismali nos regenerante : nam
tactu suæ mundissimæ carnis vim rege-
nerativam præstitit aquis ; *et sanguine*
proprio nos redimente, secundum illud
Apocalypsis : Dilexit nos, et lavit nos a Apoc. i, 5.
peccatis nostris in sanguine suo. Unde ait
ad Hebræos Apostolus : Sine sanguinis ef- Hebr. ix, 22.
fusione non fit remissio peccatorum. De-
nique virtute et merito passionis et san-
guinis Christi, aqua Baptismi et cetera
sacramenta operantur, sanctificant, et gra-
tiam largiuntur; unde de latere Christi in
cruce perforato exisse dicuntur. Venit quo-
que Christus in aqua, quoniam propter
nos a Præcursore baptizari dignatus est,
sed et de latere ejus tempore mortis ex-
ivit sanguis et aqua.

Et Spiritus est qui testificatur, id est,
Spiritus Sanctus testimonium perhibet,
quoniam Christus est veritas : quia se-
cundum suam deitatem est essentialiter
verus et veritas, sicut et Pater. Imo tres
Personæ sunt una veritas, sicut una es-
sentia : idcirco certissime credendum his
quæ catholica prædicat fides. Istud autem
Spiritus Sanctus testatus est, quando Chri-
sto baptizato, descendit ac mansit super
eum, ut Evangelistæ describunt. In die quo-
que sacratissimo Pentecostes, Spiritus San-
ctus super discipulos in igne seu igneis lin-
guis descendens, testimonium dedit Christo
clarissimum, et per Apostolorum prædicati-
onem atque miracula testabatur quod Chri-
stus esset verus Unigenitus Dei super om-
nes cœlos feliciter elevatus. Propter quod
Christus passione instante prædixit : Quum Joann. xv, 26.
venerit Paracletus, quem ego mittam vobis
a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre pro-
cedit, ille testimonium perhibebit de me.

Nec mirum quod Spiritus Sanctus ita testatur de Christo in terra, *quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo,* hoc est in triumphanti Ecclesia : *Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.* Ipsæ superbenedictæ tres Personæ testimonium perhibent de se universis Beatis : hoc quippe testantur, quoniam se ipsas eis ostendunt per beatificam visionem. *Et hi tres unum sunt* in essentia, utpote, unus Deus, unus creator, unus omnium rex et princeps. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra,* hoc est in militanti Ecclesia, de vera Christi humanitate : *spiritus,* id est anima rationalis, quam Christus moriendo emisit, quum dixit, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, *aqua et sanguis,* quæ fluxerunt de latere Christi, et protestantur quod veram habuit humanitatem, non carnem phantasticam. Hæc tria testimonium perhibent materialiter, sicut et inanimata dicuntur Deum laudare, quamvis anima Christi testimonium perhibeat efficienter. *Et hi tres unum sunt,* non substantialiter, quemadmodum tres Personæ : sed potius subjective, quia in uno supposito convenerunt; vel completive, quoniam in ejusdem veritatis assertionem concurrunt, et eumdem habent effectum, perhibendo testimonium veritati; seu in sacramentis Ecclesiæ. Circa hunc locum scribit Albertus Magnus : Integritas fidei christianæ in quatuor principaliter videtur consistere : primo, in Personarum trinitate; secundo, in essentiæ unitate; tertio, in humanitatis Christi veritate ; quarto, in personæ Christi identitate. Hæc quatuor tanguntur in verbis præhabitis : primum, quum dicitur, Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus; secundum, quum subditur. Et hi tres unum sunt; tertium, quum sequitur, Tres sunt qui testimonium dant in terra; quartum, dum jungitur, Hi tres unum sunt.

Luc. XXIII, 46.

Si testimonium hominum accipimus. Hoc dupliciter potest intelligi. Primo in generali, « Si (pro Quia) testimonium hominum accipimus », quoniam in rebus et causis humanis statur testimonio hominum, juxta illud, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum ; *testimonium Dei majus est,* id est certius atque præstantius, quoniam Deus in infinitum est dignior, nec fallere potest nec falli, ut homines, quorum testimonio sæpenumero fraus mendaciumque miscentur : propter quod scriptum est, Testis iniquus non erit impunitus. Secundo, « Si testimonium hominum accipimus », videlicet testimonium Prophetarum de Christo, quorum utique testimonium certum et infallibile est, quia non sensu humano, sed Spiritus Sancti instinctu locuti sunt (juxta illud Petri : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines); « testimonium Dei majus est », propter excellentiam testis : nam propter quod unumquodque tale, et illud magis. *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est* testimonio hominum, *quia testificatus est de Filio suo,* id est, Jesum esse suum Filium verum ac naturalem testatus est Deus Pater, tam in Christi baptismo quam transfiguratione ipsius, dicendo : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Unde et beatissimus princeps Apostolorum in exordio suæ secundæ ait Canonicæ : Non doctas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam. Accepit enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

Deut. XIX, 15.

Prov. XIX, 5.

II *Petr.* I, 21.

Matth. III, 17; XVII, 5.

II *Petr.* I, 16, 17.

Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei Patris *in se,* hoc est effectum et fructum testificationis paternæ, quoniam acquiescit testimonio ejus, et inter adoptivos Dei filios computatur, dummodo credat fide per caritatem operante atque formata. Quocirca loquitur Beda : Quod si Dei testimonium habere merueris, si Deum testem tuæ fidei aut conscientiæ intemeratæ possederis, quid te hominum diffa-

Rom. VIII, 31. mia, quid persecutio lædit? Si enim Deus A pro nobis, quis contra nos? *Qui vero non credit in Filium,* id est, qui non credit quod Jesus sit Filius Dei, *mendacem facit eum,* scilicet Patrem, id est, quantum in se est, sua incredulitate ita se habet quasi Patrem æternum reputet esse mendacem; *quoniam non credit in testimonio quod testificatus est Deus* Pater *de Filio suo* dicens : Hic est Filius meus dilectus, etc. Frustra ergo hæretici et pagani atque Judæi Deum honorare præsumunt, quoniam Joann. V, 23. Filium Dei contemnunt. Qui enim non ho- B norificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.

Et hoc est testimonium, quod nos Apostoli perhibemus de Deo; vel, « hoc est testimonium », id est fructus et finis testimonii Dei Patris de Filio suo : *quoniam vitam æternam dedit nobis Deus* Pater per Filium suum. Jam enim dedit eam nobis in spe et in merito, deditque gratiam et virtutem pertingendi ad eam. *Et hæc vita æterna,* videlicet beatitudo plena, *in Filio ejus est,* id est in clara visione deitatis Filii Dei, imo totius supergloriosissimæ Trinitatis. Unde Christus amatori et obeditori suo promisit : Manifestabo ei me Joann. XIV, 21. ipsum. Et iterum loquitur Patri : Hæc est Ibid. XVII, 3. vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Rursus, hæc vita est in Filio Dei, quia per passionem et meritum Christi recuperata et procurata est nobis. *Qui habet Filium* per fidem et caritatem, *habet vitam* gratiæ in re, et vitam gloriæ in spe; vel, « habet vitam », id est ipsum Christum, qui est verus Deus et vita æterna. *Qui non habet Filium* per fidem et caritatem, *non habet vitam* præfatam, quamvis naturalem habeat vitam. Juxta quem sensum ait Salvator apud Joannem : Nisi manducaveritis carnem Fi- Ibid. VI, 54. lii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

SERMO PRIMUS

QUALITER VINCENDUS ET CONTEMNENDUS SIT MUNDUS ISTE.

AMICITIA *hujus mundi inimica est* C *Deo.* Jacob. IV, 4.

Quemadmodum loquitur Augustinus, duo amores duas constituunt civitates : quoniam amor Dei, seu spiritualis et infusa dilectio, efficit civitatem Dei, id est ecclesiam electorum; sed amor mundi, seu amor sui, utpote improbus amor ad se reflexus, quo quis diligit se in se, non in Deo, civitatem constituit Babylonis, ecclesiam malignantium, congregationem iniquorum, quæ est corpus ac regnum diaboli, a quo possidetur et regitur. Itaque, sicut D albedo contrariatur nigredini, calor frigori, sanitas infirmitati; sic spiritualis dilectio, quæ caritas appellatur, contrariatur privato et inordinato amori carnali ac sæculari. Hinc Jacobus : Amicitia (inquit) Jacob. IV, 4. hujus mundi, id est amor quo quis diligit mundum et ea quæ mundi sunt, qui amor in mundanis viget hominibus : hæc (inquam) amicitia, inimica est Deo, quoniam facit homines Deo inobedientes, contrarios, displicentes. Ex quo concludit apostolus Jacobus : Quicumque ergo voluerit Ibidem. amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Cui concordat quod in prima sua epistola scribit Joannes : Nolite dili- I Joann. II, 15. gere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; nam si diligit quis mundum, non est caritas Patris in eo.

Sed circa hoc oritur quæstio utilis. Quum enim omnis creatura Dei sit bona, I Tim. IV, 4. ideoque amanda, quum et Deus diligat

cuncta quæ fecit, videtur quod mundus non sit odiendus, vincendus aut contemnendus, sed diligendus. Præterea, quid intelligitur nomine mundi, quum mundus dicitur contemnendus? Aut enim intelligitur machina mundi, vel homines habitantes in mundo. Sed machina mundi non est despicienda, nec homines, præsertim quum et inimicos jubeamur diligere, nec aliquid debeamus contemnere nisi nos ipsos, quum Isaias testetur : Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? Malachias quoque propheta ait : Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. — Ad hæc respondendum est, quod mundus in Scripturis variis modis accipitur : quod nunc causa brevitatis dimitto. Verum, quum mundus jubetur contemni nec diligi, mundus accipitur pro vanis et vitiosis hominibus, carnalia, transitoria ac terrena inordinate amantibus; atque pro his rebus quas hujusmodi homines contra Dei præceptum quærunt et cupiunt, amplectuntur et tenent, ut sunt : temporaliter prosperari, carnaliter deliciari, in hoc sæculo exaltari, ditari, laudari. Omnia itaque ista et temporalia ac sensibilia universa spernenda et odienda sunt, non quoad id quod essentialiter sunt, sed in quantum in Dei via, in divino obsequio, in processu ad patriam cœlestem nobis obsistunt, et spiritualem profectum impediunt. Imo hoc modo parentes et ceteri quantumlibet proximi, juxta Christi doctrinam, sunt odiendi, quemadmodum ipse effatur : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, etc., non potest meus esse discipulus. Verumtamen naturam debemus diligere et personas amare, in quantum ad Dei imaginem sunt creatæ, beatitudinisque capaces, et Christi sanguine liberatæ. Insuper, dum jubetur mundus contemni, per mundum possunt intelligi vanitates et instabilitates universaque vitia sæculi hujus. Unde quum S. Joannes dixisset, Nolite diligere mundum, etc., quasi exponens quid sit diligere mundum, adjecit : Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

Is. XXXIII, 1. — *Malach.* II, 16. — *Luc.* XIV, 26. — I *Joann.* II, 15. — *Ibid.* 16.

Secunda quæstio oritur circa prædicta : An contemptus mundi sit de necessitate salutis. Videtur quod sic ex verbis Joannis ac Jacobi introductis, quia qui diligit mundum, caret amore divino, imo et Dei inimicus efficitur. Sed si hoc ita est, videtur quod omnes sæculares et conjugati, quos oportet tractare et procurare ea quæ mundi sunt (dicente Apostolo : Qui uxorem habet, sollicitus est quæ sunt mundi), sint in statu damnationis. — Et respondendum, quod duplex est gradus odiendi contemnendique mundum, loquendo in generali, et quantum sufficit pro præsenti. Primus gradus est, ut mundus et ea quæ mundi sunt contemnantur ac odio habeantur in quantum directe a Deo impediunt et avertunt : hoc est, nec supra Deum amentur, nec contra Dei præcepta eis quis conformetur vel acquiescat, nec bona terrena cœlestibus præferantur. Hoc modo contemptus seu odium mundi est de necessitate salutis. Sicque intelligendæ sunt præinductæ auctoritates Apostolorum. Et quoniam istud in mundo implere est difficile, idcirco difficile est salvari in mundo. Propter quod dixit Salvator : Arcta est via quæ ducit ad vitam. Secundus gradus contemnendi odiendique mundum est, ut omnia jam præfata spernantur ac relinquantur, non solum in quantum directe, sed insuper secundum quod occasionaliter a Deo impediunt, et in quantum spiritualem profectum retardant, atque a perfectione hominem retrahunt. Sicque mundum contemnere, est evangelica consilia adimplere, et per voluntariam paupertatem, castitatem ac obedientiam, omnibus mundi pompis, cupiditatibus, carnalitatibus renuntiare, quatenus mens soli Deo pure ac libere, ferventer ac integre vacet.

Jacob. IV, 4. — I *Cor.* VII, 33. — *Matth.* VII, 14.

Propterea, quod in exordio hodiernæ epistolæ ait S. Joannes, Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; intelligendum est quantum ad primum gradum contemnendi odiendique mundum. Non enim omnes per fidem et caritatem ex Deo renati

I *Joann.* V, 4.

relinquunt aut superant mundum secundo modo, sed ad minus in tantum vincunt mundum, quod contra Dei præceptum nil agunt ex mundi amore; nec ita allicit eos mundus seu quælibet creatura, ut desiderio ejus transgrediantur divinum præceptum aut Ecclesiæ jussionem. Itaque mundum vincere, est nec per prospera, nec per adversa a Deo averti, ut scilicet homo malit mori quam Dei amorem relinquere seu ejus præceptum infringere. Propter quod loquitur Christus : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. (*Matth.* x, 28.) Sic martyres sancti mundum vicerunt, dum tyrannis et persecutoribus non cesserunt. Hinc asserit Augustinus : Duplicem aciem (id est impugnationem) producit mundus adversus servos ac milites Christi. Nam comminatur adversa, ut terreat, et timore ad peccandum eos inducat; item blanditur et prospera pollicetur, seu delectabilia objicit ac proponit, ut fallat seu attrahat, et per delectationem seducat : aliquid quippe decoris, delectabilitatis ac amabilitatis est in rebus creatis, sensibilibus ac mundanis, per quod imprudentium corda attrahunt et seducunt. Propter quod Sapiens ait, Creaturæ factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam ac laqueum pedibus insipientium : (*Sap.* xiv, 11.) non utique directe, quia ut Salomon profitetur, omnia opera sua fecit Deus ut timeatur; (*Eccle.* iii, 14.) sed occasionaliter, in quantum reprobi et perversi, creaturarum pulchritudine, utilitate et deliciositate inaniter affectati, ibi subsistunt finaliterque quiescunt, nec talia ad gloriam ordinant Creatoris, qui solus est omnium nostrum finis. Debemus igitur vincere mundum, quia amore atque intuitu Dei, qui in infinitum est cunctis creatis amabilior, pulchrior, dulcior, debemus creata contemnere, Deo postponere, ad Dei honorem ac gloriam ordinare, nec contra Dei præceptum quidquam agere aut amare.

Insuper, juxta doctrinam S. Joannis, sic vincere mundum, est opus fidei per cari- (*I Joann.* v, 4.)

A tatem formatæ ac confortatæ, quoniam talis fides facit nos divinum judicium et futuram gloriam atque æternam reproborum damnationem profunde ac sæpe considerare. Ex qua consideratione accenditur homo ad contemnendum præsentia et ad appetendum bona cœlestia, et ne Deum offendat, neque infernalia incurrat supplicia. Unde qui per fidem talem rite perpendit quod Jesus est suus salvator ac judex, faciliter vincit mundum. Postremo, sicut in bello corporali indiget homo qua-

B druplici armatura, videlicet, gladio ad percutiendum alios, scuto ad protegendum se ipsum, forti societate qua adjuvetur, et justa causa pro qua prælietur; ita in bello spirituali contra diabolum et peccata, indiget caritate pro gladio, fide pro scuto, auxilio Dei pro societate juvante, confessione Christi pro causa justa. Ex his innotescit, quod magna sit fidei virtus, quia per eam vincitur mundus. Imo tanta est potestas ipsius, ut dicat Salvator : Omnia possibilia sunt credenti. (*Marc.* ix, 22.) Ipsa est virtutum

C omnium fundamentum, sine qua impossibile est Deo placere. (*Hebr.* xi, 6.) Ipsa expellit dæmonia : quum etenim Apostoli Christo dixissent de dæmone valde duro, Quare nos non potuimus ejicere eum? (*Matth.* xvii, 18.) respondit, Propter incredulitatem vestram. (*Ibid.* 19.) Ipsa quoque facit miracula, quum asserat Christus : Habete fidem Dei; amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. (*Marc.* xi, 22, 23.) Unde et Apostolus :

D Si habuero (inquit) omnem fidem, ita ut montes transferam. (*I Cor.* xiii, 2.) Habeamus ergo fidem certissimam, quoniam fides christiana infallibili ac supercertissimo innitur fundamento, increatæ videlicet veritati. Propter quod ad Galatas scripsit Apostolus : Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. (*Galat.* i, 8.)

Quantum autem fides fortissima Christianorum, potissime perfectorum, valeat impetrare a Deo, hinc demonstratur, quod

dum Alexander rex magnus venisset ad montes Caspios, et decem tribus Israel ultra montes illos captæ, egrediendi licentiam ab eo petissent, ipse cognita causa captivitatis, videlicet quia aureos vitulos, Deo vero relicto, adoraverunt, respondit quod arctius eos includeret. Quumque angustas vias eorum obstruere vellet collibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, rogavit Deum Israel ut opus illud compleret; et accesserunt ad se invicem prærupta montium, et factus est locus ille immeabilis. Atqui (ut Josephus loquitur) quid facturus est Deus pro fide- A libus suis, si pro infidelibus tantum fecit?

Multum itaque placet Deo integra fides. Imo, ut loquitur Augustinus, nullæ majores divitiæ, nulli thesauri vel honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam fides catholica : quæ peccatores salvat, cæcos illuminat, ægros curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjugales casto pudore conservat, atque electos in æterna hereditate cum angelis collocat. B Quod et nobis præstare dignetur super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM SERO ESSET DIE ILLA, UNA SABBATORUM, ETC. Joann. XX, 19-31.

HODIERNO in evangelio describitur duplex Christi apparitio : quarum una C facta est in die paschali, alia in sequenti dominica, scilicet hodierna. Ait ergo Joannes evangelista :

Quum sero esset, hoc est hora vespertina et circa noctem, *die illa* Paschæ, *una sabbatorum,* quoniam dies illa fuit una dierum illius hebdomadæ celebris apud Judæos, cujus omnes dies sabbata dicebantur, quia festivi fuerunt : nam septem diebus duravit apud Judæos paschalis solennitas ; *et fores,* hoc est januæ, *essent clausæ, ubi erant discipuli,* id est Apostoli, et etiam D (*Luc.* XXIV, 33.) alii quidam secundum Lucam, *congregati propter metum Judæorum :* in quo patet discipulorum infirmitas, quia timebant eos (*Matth.* X, 28.) qui corpus potuerunt occidere. Erant autem congregati in domo ubi cum Christo novissimam fecerant Cœnam. Porro aliqui dicunt, quod Apostoli erant dispersi in die ex formidine Judæorum, sed de sero conveniebant ad unum locum. Evangelista vero nunc dicit, quod erant congregati ob metum Judæorum. Apud Lucam quoque habetur, quod mulieres regressæ a monumento, nuntiaverunt quæ ab angelis audierunt illis undecim (*Luc.* XXIV, 22, 23.) : quod fuit clara die, et tunc simul fuerunt. Ex quibus probatur, quod discipuli etiam in die sederunt collecti, januis clausis timore Judæorum : imo minus audebant exire ac apparere diebus quam noctibus, quamvis sæpe exibant in die seu mane.

Venit Jesus ostio domus clauso manente, videlicet per penetrationem dimensionum. Corpora namque glorificata omnia penetrant per dotem subtilitatis, secundum quosdam : non tamen sine grandi ac speciali miraculo, prout Thomas super quartum Sententiarum efficaciter probat. Hujusmodi etenim corpora permanent solida, et partem extra partem habentia; sicque manet in eis causa ob quam naturaliter impossibile est duo corpora esse simul : quod in penetratione contingit. Quemadmodum itaque Jesus exivit Virginis uterum, ea integra permanente, ita intravit et exiit domum hanc non apertam, sua divina omnipotente virtute. *Et stetit*

in medio discipulorum. Ipse etenim est A mediator et reconciliator ac doctor noster, ideo competebat ei esse in medio. Magister quippe virtutum, medium semper elegit, quia in medio virtus consistit. Quomodo autem factum sit quod nunc refert Joannes, Lucas plenius edocet (*Luc.* XXIV, 31 et seq.): quia dum Jesus cognitus fuisset a duobus discipulis euntibus in Emmaus in fractione panis, et disparuisset, illi duo eadem hora in Jerusalem redierunt, inveneruntque undecim Apostolos congregatos, et eos qui cum illis erant, retuleruntque illis qualiter Jesus B apparuisset eis in via, et qualiter eum noverunt : quibus ista narrantibus, venit Jesus, et stetit in medio discipulorum.

Et dixit eis : Pax vobis. Quod docuit Christus, hoc fecit. Unde, quemadmodum ante passionem præcepit discipulis (*Ibid.* X, 5), In quamcumque domum (inquiens) intraveritis, primum dicite, Pax huic domui; sic ipse post resurrectionem ad electissimos suos intrans discipulos dixit, Pax vobis. Discipuli quoque, quia multipliciter fuerunt turbati, contristati ac territi, pace C pectoris præcipue indigebant: idcirco Christus pacem eis in primis denuntiavit. Quod etiam ideo fecit, quoniam pax est quoddam præcipuum bonum, omni Christiano maxime appetendum : per quam homines fiunt filii Dei, juxta illud Matthæi (*Matth.* V, 9): Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Christus demum præsertim nunc loquitur de pace pectoris, quæ est tranquillitas mentis in Deo, hoc est quies a vitiorum tumultu, a strepitu passionum, ab inquietudine turbationum interiorum. De qua D pace ait Apostolus (*Coloss.* III, 15), Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris : hoc est, corda vestra in Deo faciat gloriari. Quid enim dulcius pace interna? Porro pacem temporis, id est quietem ab exterioribus tribulationibus ac persecutionibus, Christus non optavit discipulis suis ad tempus, quia in medio luporum eos erat missurus, et eis prædixit (*Joann.* XVI, 33): In mundo pressuram habebitis; et rursus (*Ibid.* XV, 20), Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Sed hoc voluit Christus, ut in omni turbatione ac persecutione extrinseca conservarent pacem internam, juxta illud in Matthæo (*Matth.* V, 12): Gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Hinc ad Hebræos hortatur Apostolus (*Hebr.* XII, 14): Pacem sequimini et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus, forsan et pedes : imo et pedes, ut infra ex verbis Lucæ evangelistæ patebit. Nec puto quod post resurrectionem apparuerit discipulis pedibus calceatis, qui ante passionem incessit pedibus nudis. In his equidem membris quinque sacratissimorum vulnerum reverendæ manserant cicatrices, in testimonium identitatis corporis passi, resuscitati, et glorificati, itemque in signum victoriæ Salvatoris. Ostendit ergo discipulis manus perfossas, et latus lancea perforatum, ut scirent quod ipse esset qui paulo ante pendebat in ligno, atque quod corpus idem numero resumpsisset. — Multa hoc loco omittit Joannes, quæ recitat Lucas; sicut et ea quæ Lucas omisit, supplevit Joannes. Itaque Luca testante, Christus dixit discipulis (*Luc.* XXIV, 39): Videte manus meas et pedes; palpate et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Multaque alia in apparitione hac esse dicta et facta idem recitat.

Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino dominorum, qui in vestimento et femore suo scriptum habet (*Apoc.* XIX, 16): Rex regum et Dominus dominantium. Qui dominatur in virtute sua in æternum (*Ps.* LXV, 7). Et per Isaiam testatur (*Is.* XLII, 8): Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo. Gaudium nempe est diffusio animi in conceptione boni, et oritur ex unione potentiæ cum objecto convenienti. Quoniam ergo discipuli viderunt Jesum, summum et convenientissimum bonum, quem maxime diligebant, de cujus passione intime doluerunt, cujus beatitudini cordialiter congratulabantur; ideo viso eo, ultra quam æstimari possit aut exprimi lætabantur. Nihilo minus, ut Lucas recitat, gaudio eo-

rum fuit ad tempus hæsitatio quædam ad- A
Luc. XXIV, 41. mixta, secundum illud : Adhuc illis non credentibus, scilicet perfecte, et mirantibus præ gaudio, dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur? Gavisi sunt autem et propter Jesum, et propter se ipsos : quoniam et magistro ac Domino suo intime congaudebant; et de suo sunt exhilarati profectu, videntes se non esse deceptos sequendo Jesum, propter quem sua omnia reliquerunt et multa perpessi fuerunt ac patiebantur.

Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Siqui- B
Ibid. 37. dem viso Domino Jesu, conturbati fuerunt atque conterriti, juxta Lucam evangelistam : ideo repetit, Pax vobis. Quæ etiam repetitio, confirmationis indicium est, dilectionisque signum, et admonitio discipulorum ut pacem jugiter appetant, atque præcipue quærant. Vel, ideo bis ait, Pax vobis, quia optavit eis pacem gratiæ in præsenti, et pacem gloriæ in futuro. Deinceps post passionem Christi manserunt discipuli in magno mœrore, propter mortem magistri; in magno timore, propter perversitatem Ju- C daici populi; in magno errore, quia desperaverunt ad tempus de resurrectione Domini sui. Hinc post resurrectionem eis apparens, mœstos lætificavit, sicut jam
Ibid. 36. patuit; timidos confortavit, dicendo, Ego sum, nolite timere; erroneos docuit, se-
Ibid. 45. cundum illud Lucæ, Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos :* hoc est, quemadmodum Pater misit me ex vera caritate et pietate, ad prædicandum Ju- D dæis, a quibus varias persecutiones, et tandem amarissimam mortem perpessus sum, quorum tamen quosdam convertam; sic ego nunc mittam vos ad prædicandum evangelicam legem Judæis et gentibus, ex caritate et pietate quam habeo ad vos, et ad illos, a quibus multas persecutiones feretis, eorumque aliquos convertetis.

Hæc quum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum. Postquam Salvator dixit discipulis suis, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, infudit eis Spiritum Sanctum, quoniam prædicationis officium quod eis commisit, sine speciali gratia Spiritus Sancti digne impleri nequibat. Oportet namque ut prædicator verbi cœlestis, in se ipso abundet caritatis fervore, et sapientia divinorum, quatenus ignita proferat verba, motiva ac penetrativa, sitque sententiosus, discretus ac instructivus in suis sermonibus, et faciat prior quod docet, ne destruat opere quod adstruit verbo. Deinde, per corporalem illam insufflationem ac inspirationem, Christus evidenter signavit immaterialem atque æternam processionem Spiritus Sancti a se, ita quod a Patre Filioque procedit tanquam ex uno fonte et ex consubstantiali principio, quemadmodum creaturæ procedunt a tribus supergloriosis Personis sicut ex uno causali principio, fonte et creatore, prout plenius probat Anselmus in libro de Processione Spiritus Sancti. Insuper, Christus dicendo, « Accipite Spiritum Sanctum », insinuavit se per auctoritatem dare Spiritum Sanctum : quod nequaquam sic esset, nisi Spiritus Sanctus ab ipso procederet. Sed nonne Apostoli ante hanc horam habuerunt Spiritum Sanctum? Si non, ergo in mortali fuerunt peccato; si sic, cur nunc insufflavit, dicendo, Accipite Spiritum Sanctum? Et respondendum, quod utique habuerunt, sed non tam copiose, et ad tot ac tantos effectus, sicut ex hora ista, quia et nunc data est omnibus eis potestas ligandi atque solvendi, sicut mox introducetur.

Præterea, Augustinus grandem facit hic quæstionem, cujus solutionem se ignorare fatetur. Quærit ergo, cur Christus bis dedit Spiritum Sanctum, semel in terra ante ascensionem, prout nunc describit Joannes, et semel de cœlo post ascensionem, in die videlicet Pentecostes. Tangitque Augustinus quamdam solutionem sub dubio, puta quod ideo, quoniam duo sunt præcepta caritatis. Quam rationem Gregorius et Beda hujus rei causam affirmant, videlicet, quod in terra dedit Spiritum Sanctum, ut diligatur proximus, deinde de cœlo, ut di-

A ligatur Deus. Sed quia per eamdem gratiam utrumque præceptum impletur, nec unum sine alio valet impleri, imo unus est habitus caritatis qua Deus proximusque diligitur; ideo potest alia ratio assignari. Ut enim divinus Dionysius docet, (De Eccles. hier. c. v.) natura non procedit a distanti in distans, nisi per medium. Quem processum auctor naturæ Deus sublimis et benedictus, frequenter observat, quoniam teste Apostolo, (*Rom.* XIII, 1.) Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Unde et admonet : (I *Cor.* XIV, 40.) Omnia decenter et secundum ordinem fiant in vobis. B Hinc Christus sapientia Patris, disponens universa suaviter, suos discipulos paulatim ad sublimiora ac perfectiora deducens, primo dedit eis Spiritum Sanctum in terra per insufflationem, non in tanta plenitudine nec in signo tam præclaro ac evidenti ut postea, quatenus per istam, ad exuberantissimam illam Spiritus Sancti susceptionem in die Pentecostes factam, disponerentur.

Quorum remiseritis peccata, eos legitime absolvendo, atque divinæ virtuti ac pietati, quæ sola dimittit peccata ut causa C principalis, vi clavium instrumentaliter cooperando, *remittuntur eis* a Deo, saltem quoad culpam et reatum, seu obligationem ad pœnam æternam, loquendo de peccatis mortalibus, non tamen semper aut totaliter quoad pœnam. Verumtamen, per orationem confessoris virtutemque clavium, et per pudorem, humiliationem, fervorem ac contritionem confitentis, aliquid pœnæ dimittitur, et tanto plus, quanto majores exstiterint : imo in tantum possent intendi sive augeri, quod tota pœna dimitteretur. D *Et quorum* peccata *retinueritis,* id est, non dimiseritis, sed retinenda judicaveritis, non absolvendo, eo quod quantum pensare potestis, non vere pœniteant, sed indignos se præbeant ad indulgentiam obtinendam, *retenta sunt,* hoc est, Deus ea imputabit hominibus talibus. Oportet itaque ut judicium Ecclesiæ conformetur divino judicio, rectum servando processum, et debitum clavium usum. Propter quod ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ, theologus Dionysius ait : Sacerdotes hierarchicis sibi collatis virtutibus uti oportet prout Deitas moverit eos. Agens enim instrumentale non sortitur efficaciam, nisi prout movetur a principali agente. Idcirco fatetur Apostolus ad Corinthios : (II *Cor.* XIII, 10.) Secundum potestatem quæ data est mihi in ædificationem, et non in destructionem.

Itaque Christus nunc ait et confert universis Apostolis, quod ante passionem Petro singulariter dixit : (*Matth.* XVI, 19.) Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Ideo autem hoc Petro, tanquam principaliori inter Apostolos et capiti ac prælato universalis Ecclesiæ, dictum est primo ac principaliter, ut quum sit ordo in Ecclesia, hæc potestas credatur principaliter residere in summo Pontifice, S. Petri successore, in quo solo est ecclesiasticæ potestatis vertex ac plenitudo vere, realiter, subjective atque formaliter, atque ab ipso derivari in archiepiscopos et episcopos, et ab iis tanquam a mediis, in simplices sacerdotes. Verumtamen, quamvis sacerdos in sua ordinatione ligandi ac solvendi recipiat potestatem, quum secundum doctores communiter, idem realiter sint character sacerdotalis, et prædicta potestas, quæ etiam clavis vocatur; non tamen habet hujus potestatis exsecutionem, nisi sibi subjiciatur materia, utpote homines super quos sibi jurisdictio detur a superiore, qui sicut dat eam inferiori, sic potest eam ei auferre in parte vel in toto, causa rationabili occurrente. Hinc dicunt doctores, quod ad hoc quod unus alium possit in confessione sacramentali absolvere, requiritur in confessore duplex potestas, videlicet potestas ordinis et potestas jurisdictionis.

Præterea Christus, dicendo Apostolis, « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis », etc., manifeste ostendit se esse verum Deum, qui solus potest tantam conferre potestatem hominibus, quæ nec angelis data est. Decuit autem ut postquam Deus omnipotens naturam assumpsit humanam,

homines ab eo divinam acciperent potestatem, et supernaturalem quamdam deificationem : quod maxime datum est sacerdotibus, per hoc quod dispensatores effecti sunt sacramentorum evangelicæ legis, in quibus gratia continetur ac datur. Omnibus quoque fidelibus datur deificatio quædam supernaturalis, per diversa dona et gratias Spiritus Sancti, secundum illud in
II Petr. I, 4. secunda Petri epistola : Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. — Postremo, de hac materia, et quid sit clavis Ecclesiæ, et an sit una vel duæ, qualiter quoque sacerdos novæ legis dicatur peccata dimittere, an scilicet aliquid cooperando, vel dumtaxat ostendendo, atque de verbis Hieronymi circa hoc, plurima scripsi super Matthæum et in aliis diversis opusculis, sine quibus hæc plene intelligi nequeunt.

Dedit itaque Christus Apostolis eorumque successoribus divinam et admirabilem potestatem, qua alios possunt solvere et ligare, a regno cœlesti excludere, et in illud inducere. Sed videant ministri Ecclesiæ ut tanta potestate digne utantur, exsistendo in gratia, culpasque confitentium sapienter pensando ac discernendo, et privatum amorem ac odium, ceterasque inordinatas affectiones penitus repellendo : quoniam si indignos scienter absolvant, vel dignos ligent, dicetur de eis illud Eze-
Ezech. XIII, 19. chielis : Interfecerunt animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt.

Thomas autem unus ex duodecim Apostolis, qui tamen non fuerunt nisi undecim, quando quod nunc describitur contigit; sed ante Christi passionem fuerunt duodecim, item et post eam, loco Judæ substituto Mathia; *qui dicitur Didymus :* quod interpretatum est dubius, quia de Christi resurrectione præ ceteris fuit incredulus; *non erat cum eis, quando venit Jesus.* Huic videtur contrarium, quod apud
Luc. XXIV, 33. Lucam leguntur discipuli regressi a castello Emmaus, invenisse congregatos undecim, quorum unus exstitit Thomas. Respondet Augustinus, quod Thomas adfuit redeuntibus illis duobus : quibus loquentibus, Thomas propter aliquam causam exivit, et interim apparuit Christus. Potest etiam dici, quod iste sit sensus verborum Lucæ : Invenerunt congregatos undecim, id est Apostolos, qui undecim tunc fuerunt, quamvis non fuerunt omnes collecti. Est quoque consuetudo Scripturæ, ut aliquid attribuatur communitati, quia majori aut principaliori ejus competit parti.

Quæritur, quum Thomas defuerit dum Jesus venit, et insufflando Spiritum Sanctum dedit, ac dixit, Quorum remiseritis peccata, etc., an et ipse Spiritum Sanctum bis accepit, et quando potestatem solvendi atque ligandi sortitus est. Dici potest quod post dies octo apparente Domino Jesu Christo, Thomas recuperavit quod in die Paschæ propter suam absentiam non suscepit. — Insuper, teste Gregorio, divina dispensatione id contigit quod tunc defuit Thomas, ob nostram videlicet informationem, quatenus Thoma dubitante propter suam absentiam, Christus appareret frequentius, suamque resurrectionem probaret lucidius.

Dixerunt ergo ei in domum regresso *alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum,* id est in partes pedum ac manuum clavis confixas, *et mittam manum meam in latus ejus,* tangendo lateris aperturam, *non credam* verbis vestris. Tam durus ad fidem et grossus fuerat Thomas, quod nec tot tantisque testibus credidit; nec videre satis putavit, sed voluit corpus etiam manu palpare. Non enim consideravit omnipotentiam Dei, nec recordabatur verborum Christi quibus se resurrecturum tertia die prænuntiavit frequenter, sed quam impossibile esset naturaliter hominem taliter passum resurgere.

Et post dies octo, id est octava die inclusive, *iterum erant discipuli ejus intus,*

in domo præfata, ex formidine Judæorum, ut ante, *et Thomas cum eis.* Puto quod Thomas post præscriptam apparitionem magis quam ante manserit cum Apostolis, timens ne rursus se absente appareret discipulis Christus. *Venit,* hoc est, domum intravit, *Jesus januis clausis.* Propterea dixit Manichæus, quod corpus Christi erat phantasticum et non verum, non attendens omnipotentiam Dei, qui potest unum corpus per aliud, ambobus permanentibus integris, ducere. *Et stetit in medio* discipulorum. Non tamen indiguit corpus ejus tangere terram, seu sustentamento terræ aut solidi alicujus, propter dotem suæ agilitatis et etiam subtilitatis. *Et dixit : Pax*
Cf. p 548 B. *vobis.* Ista jam semel exposita sunt. *Deinde dicit Thomæ,* ostendens se verba ejus cognoscere : *Infer digitum tuum huc,* in locum clavorum, et palpa fixuras manuum mearum ac pedum, *et vide manus meas* clavis perforatas, *et affer manum tuam, et mitte,* hoc est, pone eam, *in latus meum,* tangendo aperturam vulneris ejus ; *et noli esse incredulus, sed fidelis,* quia dixisti te non crediturum, nisi videris et tetigeris ista.

Ecce quanta fecit Christus pro conversione unius discipuli, et pro reductione unius ovis errantis; quam pie, caritative et affabiliter se ipsum exhibuit Thomæ discredenti : nam et si Thomas plura ac certiora resurrectionis argumenta petisset, non denegasset ipsi ea Salvator. Hinc ait Chrysostomus : Vide Dominatoris clementiam, qualiter pro una anima ostendit se ipsum, vulnera, id est vulnerum cicatrices, habentem, seu vulnera habuisse, et accedit atque apparet, ut salvet unum.

Ex quibus itidem constat, quod quamvis deposuit passionem, non tamen compassionem, hoc est compassionis effectum. Et quum honores quatuor mala inducere soleant : primo oblivionem, quemadmo-
Gen. xl, 23. dum in Genesi legitur, quod pincerna Pharaonis, succedentibus sibi prosperis, oblitus est interpretis sui Joseph : sicque aliqui exaltati obliviscuntur paupe-

A rum suorum sociorum, propinquorum et amicorum, imo et benefactorum; secundo elationem, ut patet in Saule, qui ante promotionem suam ad regnum humilis fuit, postea valde superbus; tertio morum mutationem, sicut vulgariter dicitur, Honores mutant mores : nam qui prius habuerunt mores mansuetos, habere incipiunt mores pompaticos ; quarto incompassionem, quia magnates et principes sæpe sunt ad pauperes modicum compassivi (unde de his duobus scriptum est in
B Amos : Optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Domini, nil compatiebantur super contritione Joseph): Amos vi, 1, 6.
sed Christus in resurrectione glorificatus, non est oblitus pauperum discipulorum suorum, nec eos contempsit, sed pie visitavit, et fratres vocavit; humiliter quoque comedit cum eis, et compassivus fuit eisdem, mœstos ac timidos consolando ac roborando.

Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus es tu, o Jesu Chri-
C ste. In quibus verbis Christi divinitatem fatetur. Tanta namque evidentia veritatis convictus, corde credidit et ore confessus est, quod Jesus cujus humanitatem vidit, verus consisteret Deus, quemadmodum ante passionem ab eo audivit : Ego et Pater Joann. x, 30.
unum sumus. Præterea, an Thomas tetigerit latus et manus Christi, an ex reverentia id omisit, ex textu non potest determinari, nec certum videtur : idcirco diversi de hoc diversimode opinantur. Gregorius tamen videtur sentire, quod tetigit : ait
D equidem, quod Thomas videndo et palpando ad fidem perductus est; itemque, quod tetigit vulnerum cicatrices, et de cordibus nostris per hoc tulit vulnera dubitationis.

Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, oculis corporalibus, quantum ad naturam humanam, in qua modo me conspicis, *credidisti* quod corporaliter non vidisti, utpote quod sim Deus. Aliud itaque vidit, aliud credidit. Vidit hominem, et credidit Deum. *Beati* sunt jam in spe *qui non viderunt* me corporali intuitu, *et credide-*

runt in me fide formata. Hoc aliqui asse- A runt dictum de aliis discipulis. Sed non apparet : nam discipuli qui aderant, omnes jam viderant Christum. Hinc Augustinus et Gregorius adstruunt hoc dictum esse de nobis ac ceteris qui crediderunt, credunt aut credent in Christum fide formata, quem non viderunt oculo corporali, quemadmodum in prima Petri epistola habetur:
I *Petr.* I, 8. In quem nunc non videntes creditis. Unde
Is. LII, 15. et Isaias prædixit : Quibus non est annuntiatum de eo, credent. Actus quippe fidei meritorius est, eo quod ex naturali ratione B non habet certitudinem, sed divinæ auctoritati innititur, cui intellectus se subjicit propter Deum et reverentiam veritatis divinæ. Qui autem Jesum corporali oculo non viderunt, et nihilo minus credunt, magis innituntur auctoritati divinæ atque Scripturis, quam qui oculo carnis eum intuiti sunt. Ideo beatiores jam sunt in spe, ceteris paribus : quod addo, quoniam non est arbitrandum quod aliquis qui Christum non vidit, et credidit, sit simpliciter beatior Thoma aposto- C lo, quamvis ei quantum ad aliquid præferatur.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, scilicet in evangelio S. Joannis. Quod intelligi potest, tam de signis quibus Christus se resurrexisse probavit, quorum multa omisit Joannes, et aliqua illorum alii Evangelistæ scripserunt, quam de ceteris miraculis quæ operatus est ante passionem suam coram discipulis suis, quorum pauca scri- D bit Joannes; alii vero Evangelistæ multa illorum descripserunt signorum. Singuli tamen et omnes aliqua omiserunt, tam de doctrinis quam de miraculis Salvatoris. In quo patet insufficientia Scripturæ Evangelistarum per comparationem ad eminentiam operum documentorumque Christi, quæ a nullo mortalium plene queunt describi. Attamen tanta scripta sunt, quanta ad informationem Ecclesiæ, ad fidei roborationem et ad hominum salutem sufficiunt.

Hæc autem scripta sunt per me Joannem, dirigente ac instruente me Spiritu Sancto, *ut credatis* fide per dilectionem operante, *quia Jesus est Christus Filius Dei* unigenitus et naturalis, non adoptivus. Per supernaturalia etenim opera sua probavit Jesus se esse Filium Dei : ideo talia scripta sunt, ut qui ea non vidimus, audiendo seu legendo ea credamus quod Jesus sit Filius Dei. Potius quoque ait Evangelista, « ut credatis quia Jesus est Filius Dei », quam, Filius Virginis aut hominis, quoniam principalis sua intentio in descriptione evangelii hujus, fuit ostendere Christi divinitatem ac generationem divinam, quia de Christi humanitate et generatione ejus materna, alii Evangelistæ satis scripserunt. *Et ut credentes, vitam* gratiæ *habeatis* in sæculo isto, et vitam gloriæ in futuro. Cognitio enim fidei ordinatur finaliter ad vitam æternam, quæ est visio Dei per speciem. Unde in prima Petri epistola asseritur : Videntes Christum exsul- I *Petr.* I, 8, 9.
tabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Itaque, Habeatis vitam *in nomine ejus,* hoc est virtute et gratia seu merito Christi, vel in ipso Christo, tanquam in causa et objecto beatitudinis vestræ, quoniam non est aliud no- *Act.* IV, 12.
men datum hominibus sub cælo, in quo oporteat salvos nos fieri, ut beatissimus Archiapostolus protestatur.

SERMO SECUNDUS

DE VARIIS BENEFICIIS QUÆ CHRISTUS SUIS DISCIPULIS POST RESURRECTIONEM SUAM DONAVIT, QUÆ ET NUNC QUOQUE QUOTIDIE FIDELIBUS SUIS SPIRITUALITER EXHIBET.

B*ENEDIC, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Ps. CII, 2.

A Multa beneficia Christi in hodierno evangelio describuntur, quæ ipse discipulis suis hoc die impendit. Primum est, quod eos personaliter ac corporaliter visitavit : et hoc, quia amore ipsius simul sedebant, et timore Judæorum infidelium clausi manebant. Sic et Christus quotidie visitat suos per suam personalem ac corporalem præsentiam, non tamen corporaliter sensibiliterque exhibitam, sed in Sacramento B altaris invisibiliter, imo et incomprehensibiliter, impertitam : nam in sacramento Eucharistiæ Christus personaliter atque realiter continetur, et ex ineffabili dilectione sua ad homines, taliter eos visitare dignatur. Et quamvis illa Christi visitatio personalis clare et visibiliter facta, fuerat discipulis magis consolatoria et gaudiosa, ista tamen visitatio sacramentalis est fidelibus amplius fructuosa, firmiterque credentibus magis meritoria, ita ut magis meritorium sit Christi visitationem sive C præsentiam in Sacramento suscipere, quam fuit eum visibiliter apparentem adspicere, quoniam istud majoris est fidei, et plus rationem transcendit. Quam fructuosa quoque sit susceptio visitationis ac præsentiæ Christi in Sacramento, ipse testatur apud Joannem, dicens : Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo; itemque, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. (*Joann.* VI, 57. *Ibid.* 59.) Quod enim corporeus cibus et potus corporaliter agunt in corpore, quod utique D confortant, oblectant, conservant et ad debitum incrementum perducunt, hoc Sacramentum altaris fideliter sumptum, spiritualiter facit in anima, quam in virtutibus roborat, spirituali dulcedine recreat, in spirituali vita conservat, multiplici virtute ac gratia replet, et ad virtuosæ vitæ perfectionem, imo et ad cœlestis patriæ felicitatem, perducit. Ideo sæpe celebrare ac communicare, ineffabiliter salubre ac fructuosum consistit, nisi homo per propriam negligentiam et indignitatem, tot fructibus totque gratiarum effectibus obicem ponat.

Secundo visitat Christus suos fideles sua spirituali præsentia per cœlestium gratiarum infusionem, per internæ consolationis collationem, per gratiosam instructionem ac caritativam inflammationem. Hinc orat Propheta : Visita nos, Domine, in salutari tuo; et rursus, Respice de cœlo et vide, et visita vineam istam, hoc est Ecclesiam seu animam vere fidelem. (*Ps.* CV, 4. *Ps.* LXXIX, 15.) De hac visitatione multa loquitur Deus per Ezechielem. Unde et sanctus Job loquitur Deo : Visitatio tua custodivit spiritum meum. (*Ezech.* XXXIV. *Job* X, 12.) — Tertio visitat Christus suos fideles per paternam et piam castigationem, dum peccant, quemadmodum in Apocalypsi contestatur : Ego quos amo, arguo et castigo. (*Apoc.* III, 19.)

Si ergo desideramus præfatis modis misericordialiter visitari a Christo, debemus primo cum Apostolis simul sedere, id est per fidem et caritatem esse conjuncti, non per invidiam aut discordiam separati, ut unusquisque spirituali amore diligat proximum suum sicut se ipsum, et aliis faciat prout sibi vult fieri. Hinc ipsemet Christus post Cœnam novissimam, secundum quod homo, oravit Patrem æternum, apud Joannem dicens : Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint (*Joann.* XVII, 11.)

unum, id est per caritatem uniti. Caritas A namque est spirituale bitumen, vinculum atque coagulum, quo couniuntur qui Deo placent, et sine quo nullus Deo placere potest. Propter quod dixit Salvator : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Spiritualis autem dilectio est, proximorum salutem desiderare et eam pro viribus procurare, de eorum peccatis sicut de propriis culpis dolere, eosque pro posse, orando, corripiendo, B hortando, a peccatis retrahere et ad virtutes inducere, de eorum quoque spirituali profectu tanquam de proprio gratulari ac Deo cordialiter regratiari. Qui ista exercet, caritatem veram se habere confidat.

Joann. XIII, 34, 35.

Secundo debemus cum Apostolis timore Judæorum clausi manere. Per infideles namque Judæos, qui ut Joannes ait apostolus, Synagoga sunt Satanæ, spiritualiter intelliguntur invisibiles hostes animarum nostrarum diaboli, qui a Christo nos separare conantur per carnalem amorem, per C avaritiam, per delectationes impuras, ac cetera vitia. Hos invisibiles hostes timere debemus, ne vincamur ab eis, et ne cum ipsis æternaliter condemnemur.

Apoc. II, 9.

Timendi sunt equidem, primo, propter eorum maximam crudelitatem atque malitiam. Sunt namque obstinati in malo, nec aliud quærunt nisi ut æterna felicitate nos privent, et insuper ad infernalem calamitatem nunquam terminandam nos pertrahant; nec aliquid minus sufficit eis de nobis. Crudelissimi ergo sunt et inimicissimi D vehementer, qui tam incomparabile nocumentum, tam ineffabile damnum nobis infligere moliuntur. In hoc quoque patet eorum crudelitas maxima, quoniam quanto quis amplius eis servit, tanto pœnalius ab eis punitur.

Secundo metuendi sunt nobis propter eorum fortitudinem, quia nobis plurimum fortiores esse noscuntur. Unde et Christus in Evangelio diabolum nominat fortem armatum. Quocirca sanctus scribit Hieronymus : Non debemus esse securi, quoniam adversarius noster diabolus, victoris (videlicet Christi) voce fortis vocatur. Unde in Job libro, de diabolo scriptum est : Non est super terram potestas quæ comparetur ei. Nempe, ut S. Dionysius docet, naturalia in dæmonibus integra permanserunt. Quum ergo diabolus sit tam sublimis naturæ, certum est quod sit magnæ potentiæ. Verumtamen, quamvis sit fortior nobis quoad id quod per naturam exsistimus, tamen quantum ad id quod per Dei opem ac gratiam sumus, ei reluctamur ac prævalemus, sicut ait Apostolus : Omnia possum in eo qui me confortat. Propterea sanctus Job loquitur Deo : Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Hinc ergo necessarium est Dei auxilium jugiter implorare, et angelos sanctos animarum nostrarum custodes, præcipue advocatam et dominam generis humani Virginem gloriosam.

Luc. XI, 21. — *Job* XLI, 24. — De Divin. nom. c. IV. — *Philipp.* IV, 13. — *Job* XVII, 3.

Tertio metuendi sunt nobis propter eorum calliditatem, naturalem prudentiam atque longissimam experientiam, qua mille artes nocendi noverunt, et sub specie boni multa mala proponunt. Unde, secundum Apostolum, in angelos lucis se transfigurant. Hinc eis sine speciali ac magno Dei adjutorio resistere non possemus, potissimum si permitterentur nos tentare et circumvenire quantum possent : quod nullatenus permittuntur, imo a sanctis angelis prohibentur ac reprimuntur. Hinc nobis necesse est ut pro gratiosa directione et illuminatione Spiritus Sancti quotidie deprecemur, præcipue tempore tentationis.

II Cor. XI, 14.

Quarto metuendi sunt nobis propter propriam nostram fragilitatem, defectuositatem, ignorantiam, et pronitatem ad omne malum. Facillime namque decipimur, nimiumque proclives sumus ad mala.

Metuendi ergo sunt nobis invisibiles hostes, a quibus videmur, et quos videre non possumus; metuendi (inquam) sunt nobis, non ut eorum timore cessemus a bonis aut mali aliquid operemur, sed ut contra eos fortiter nos armemus, et custo-

diti ac timorati jugiter simus, sicut Habacuc propheta effatur : Super custodiam meam stabo, et figam gradum meum super munitionem; et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. Diabolus enim qui nunc suggerit nobis mala, de eisdem malis nos arguet in die judicii nostri, tam particularis quam universalis, si consenserimus ei.

Habac. II, 1.

Itaque timore invisibilium hostium horum debemus clausi sedere, id est interiores et exteriores sensus nostros custodire, mentem ab evagationibus refrenare, a vanis cogitationibus et vitiosis desideriis emundare, voluntatem sub divinæ legis præceptis captivam tenere. Habitaculum namque et quasi castrum animæ nostræ est corpus nostrum, cujus janua est os, et cujus fenestræ sunt sensus. Quemadmodum ergo obsessi ab hostibus visibilibus ostia et fenestras fortiter claudunt, ne adversariis introitus pateat; et si unum foramen inobstructum reliquerint, per illud sæpe introeunt hostes, ac prævalent et occidunt : ita quum ab invisibilibus hostibus simus obsessi, qui animas nostras impugnant per corpus, per corporis sensus sensuumque objecta ; hinc corpora nostra et membra ipsius ac sensus custodire ac refrenare debemus, ne per ea ad vitia inducamur, et a dæmonibus superemur.

Primo ergo et valde præcipue custodiendi atque claudendi sunt oculi, ne per mulierum aut aliarum rerum incautum seu morosum adspectum inducatur anima ad illicitum appetitum, ad libidinosam concupiscentiam, ad desiderium rerum alienarum. Hinc in Ecclesiastico habetur : Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus; noli circumspicere in vicis civitatis ; averte oculos tuos a muliere compta; propter speciem mulieris multi perierunt. Similiter claudendi sunt oculi ab intuitu chorearum, spectaculorum, atque similium vanitatum, quoniam per solam complacentiam et consensum homo fit particeps talium vitiorum. Propter quod orat Propheta ad Dominum : Averte oculos meos ne videant vanitatem. Quanta etenim vitia oriantur ex incauto adspectu, quam prava desideria iniquaque opera, patet ex hoc quod David rex ex tali intuitu in adulterium ac homicidium est prolapsus. Quum ergo tantus vir ex inordinato adspectu tam enormiter lapsus sit, nonne stultissime agunt homines adhuc imperfecti qui oculos undique discurrere sinunt, qui intimorate adspiciunt quod eis desiderare non licet? Et sicut viris custodiendus est visus ab indecenti feminarum adspectu, ita et feminis ab adspectu juvenum ac virorum, præsertim quoniam feminæ debent singulariter esse custoditæ ac verecundæ, non audaces neque procaces, quum sint fragiles valde. Secundo custodiendus est auditus a verbis atque carminibus illicitis, ne verba detractoria, pungitiva, lasciva, mendosa, vana aut inutilia libenter audiat : imo detestetur, et se inde avertat. Sic et tactus ab amplexibus, osculis, contrectationibus libidinosis est refrenandus; gustus quoque, a delectationibus immoderatis in cibis ac potibus.

Eccli. IX, 5, 7-9.

Ps. CXVIII, 37.

II *Reg.* XI.

Si itaque taliter cum Apostolis fuerimus per fidem et caritatem conjuncti, atque per indesinentem cordis custodiam ac sensuum refrenationem et Dei timorem clausi, libenter ac sæpe, gratiose ac dulciter visitabit nos Dominus noster Jesus Christus, ingrediens januis clausis, id est, quando ab exterioribus corda nostra abstrahimus, cogitando de Deo et de pertinentibus ad salutem. Sicque fortiores efficiemur adversariis nostræ salutis dæmonibus.

Legitur de S. Bernardo, quod dum adhuc juvenis esset, videlicet ante suam plenariam conversionem, quadam vice aliquamdiu oculos fixit in vultum cujusdam mulieris. Deo autem miserante ac inspirante, in se ipsum reversus, dire se reprehendit, et maxime doluit : quumque per pontem transiret super aquam, descendit sponte in eam, atque tamdiu mansit in ea quousque corpus ejus congelaretur in aqua illa; oravitque Deum ut sibi ignosceret, et a tali excessu se de cetero custodiret.

Viriliter igitur resistamus hostibus nostræ salutis, pensando profunde brevitatem ac incertitudinem vitæ præsentis, indesinentem appropinquationem mortis, et quod nec diem scimus nec horam, acerbitatem æternalis ac infernalis supplicii, quamque miserrimum atque stultissimum A sit, propter hujus vilissimæ carnis delicias temporales, ac hujus brevissimæ vitæ vanitates ac commoditates, æternam beatitudinem perdere, perpetuamque damnationem incurrere. A qua nos præservare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre, etc.

SERMO TERTIUS

DE QUINQUE BENEFICIIS QUÆ IN SUA RESURRECTIONE CHRISTUS SUIS APOSTOLIS ET FIDELIBUS EXHIBUIT.

G*AVISI sunt discipuli, viso Domino.* B Joann. xx, 20.

Christus ante passionem prædixit Apostolis ac promisit, dicendo post Cœnam illud
Joann. xvi, 20. Joannis : Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.
Ibid. 22. Itemque : Vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Hanc itaque promissionem Christus hoc die implevit, quia gavisi sunt discipuli, viso Domino, id est Christo eis C apparente in conclavi seu domo ubi et Cœnam cum eis fecit novissimam, et ubi metu infidelium Judæorum clausi sedebant.

Subinde in hac apparitione Christus multa et pretiosa beneficia eis largitus est. Primum, quoniam eos corporaliter ac visibiliter visitavit : de quo præcedenti sermone tactum est. Secundum est, quod eos proprio ore salutavit, dicendo : Pax vobis. Similiter Dominus Jesus dum devotos suos quotidie invisibiliter gratioseque visitat, pacem mentis eis infundit, tan- D quam per internam allocutionem dicendo: Pax vobis. Quemadmodum enim sole nascente generatur in aere quædam luminosa serenitas, ita dum Christus sol sapientiæ solque justitiæ, misericorditer visitat mentem, ex ejus gratiosa præsentia ingignitur menti dulcis valde tranquillitas, quæ est quies et pax ejus in Deo. Præterea, sicut in civitate est pax temporalis atque exterior, dum inferiores superioribus suis obediunt, et superiores inferioribus secundum justitiæ leges ac regulas præsunt, ac juste se habent; ita dum corpus subjicitur animæ, sensualitas rationi, et ratio ac voluntas obediunt Deo, nec passionibus seducuntur, tunc est pax vera atque interna in anima. Ad hoc autem præcipue dare se debet et toto posse cum adjutorio gratiæ Dei conari quilibet Christianus, ut in omni eventu, in omni adversitate et tribulatione habeat et conservet in se pacem mentis, ut sit imperturbatus ac tranquillus in Deo, omnesque motus et affectiones sensuales regat ac reprimat, ut non sit in eo immoderata tristitia, nec vana lætitia, nec ira perturbans, nec timor dejiciens, aut concupiscentia mala, sed omnes hujusmodi motus rationi subdantur. Ad hoc namque hortatur universos Christifideles Apostolus : Renovamini (inquiens) spiritu mentis *Ephes.* iv,
vestræ, et induite novum hominem, qui 23, 24, 31.
secundum Deum creatus est; omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. Qui ita se habet, recte vocatur homo, quia rationabiliter vivit : homo quippe a rationali, perfectionem, nomen speciemque sortitur. Qui vero ita non ha-

bet se, sed passionibus, hoc est præfatis A sensualibus et irrationabilibus motibus, acquiescit ac vincitur, potius bestia est dicendus quam homo : imo incomparabiliter et ineffabiliter pejor ac vilior bestiis est censendus.

Tertium beneficium quod Christus in hac apparitione impendit Apostolis, fuit, quod ostendit eis manus, latus et pedes. Totum equidem se ostendit eis; sed hæc membra eis specialiter ostendisse asseritur, quia in eis cicatrices quinque vulnerum permanserunt, quas eis monstravit. B Simili modo dum Christus suis devotis ministris gratiam suæ visitationis ac pacis mentalis communicat, ita quod eum sinceriter contemplantur tanquam Filium Dei, et in ipso suaviter conquiescunt, protinus eis ostendere solet latus suum, manus ac pedes, hoc est passionis suæ memoriam, vulnerum considerationem, et quanta ipse pro humani generis redemptione fecit ac pertulit, ut beneficia Dei intueantur, et grati esse nitantur. Ut ergo Christianus vere gratus sit Christo, debet ipsius totam C ac amarissimam passionem cordi suo affectuose inscribere, ac frequenter valde revolvere, ut Christi intuitu ac amore, in adversitatibus glorietur, corpusque suum cum vitiis et concupiscentiis crucifigere indesinenter conetur, quemadmodum in Canticis hortatur Salvator : Pone me ut signaculum super cor tuum. (Cant. VIII, 6.) Hoc fecit Apostolus : Ego (inquiens) stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. (Galat. VI, 17.) Hinc in persona Christi ait quidam devotus (Philippus Cancellarius Parisiensis) : O homo, vide quæ pro te patior. Non est dolor sicut D dolor quo crucior. Ad te clamo qui pro te morior : vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior. Et quum tantus sit dolor exterior, major tamen est dolor interior, quum te tam ingratum experior.

Quartum beneficium fuit, quod discipulos suos spiritualiter valde lætificavit : gavisi enim sunt discipuli, viso Christo. Similiter Christus fideles suos intus lætificat et dulciter consolatur, qui ejus passionem gerunt in animo, eique cordialiter compatiuntur, atque cum ipso salubri tristitia afficiuntur, sua ac proximorum deflendo peccata. Hinc ait Apostolus : Sicut passiones Christi abundant in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra; (II Cor. I, 5.) et rursus, Scitote quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. (Ibid. 7.) Verum his spiritualibus consolationibus atque lætitiis indignos se statuunt, qui jocis, ludis, scurrilitatibus, loquacitatibus aut vanitatibus vacant, qui extra Deum quærunt delectari aut recreari. Ideo in libro Job dicitur : Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent. (Job XV, 11.) Contemnamus igitur consolationes carnales, dissolutiones ac vanitates, ut mereamur divinitus consolari, et gustare quam dulcis est Deus, sicque cum gaudio servire Altissimo, bonaque opera delectabiliter agere.

Quintum beneficium fuit, quod post omnia jam prædicta rursus dixit Apostolis : Pax vobis. Similiter Christus suis fidelibus non solum largitur pacem pectoris in præsenti, sed insuper eis promittit pacem æternitatis in cœlis. De qua pace potest accipi illud Apostoli : Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. (Philipp. IV, 7.) Pax enim æternitatis, est suavissima quies et imperturbabile gaudium quo omnes Beati in cœlo conquiescunt æternaliter inavertibiliterque in Deo. Pax enim realiter idem est quod gaudium, sed superaddit gaudio imperturbationem. Ideo in hac vita non potest esse pax plena ac stabilis, quoniam gaudiis spiritualibus devotorum variæ tristitiæ ac turbationes quædam miscentur, quum et Apostolus dicat : Supra modum gravati sumus; (II Cor. I, 8.) et denuo, Foris pugnæ, intus timores. (Ibid. VII, 5.) Porro in cœlo est pura, plena atque æterna pax : quæ qualis et quanta sit, nullus in vita hac plene comprehendere valet. Ex contemplatione equidem Dei oritur ejus dilectio, et ex utraque procedit pax tanquam beatitudinis complementum : ideo, sicut beatificæ contemplationis Sanctorum clari-

tatem ac subtilitatem, et dilectionis eorum magnitudinem ac fervorem comprehendere nemo jam potest, ita nec suavitatem pacis illius. Unde ad cœlestem Jerusalem *Ps.* cxlvii, 14. ait Propheta : Qui posuit fines tuos pacem. *Is.* lx, 17. Cui et per Isaiam loquitur Deus : Ponam visitationem tuam pacem.

Præterea, quum Christus dixisset Apostolis secundo, Pax vobis, adjunxit : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc quoque universis fidelibus loquitur Christus. Quemadmodum enim Pater misit unigenitum Filium suum in mundum, ut aerias potestates ac vitia debellaret, verbis et factis viam salutis ostenderet, atque in hoc mundo tanquam in quodam exsilio esset, in quo ad paradisum properaret cœlestem; sic Christus omnes sibi credentes mittit in mundum hunc tanquam in locum peregrinationis et exsilii, imo et belli, ut contra dæmones et contra vitiorum aciem pugnent, verbis et factis proximos suos ædificent, jugiterque ad patriam festinent supernam, sicut ait Apostolus : *Hebr.* xiii, 14. Quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Non ergo faciamus nobis de loco peregrinationis patriam, neque de exsilio paradisum, ut faciunt filii sæculi hujus, qui ita quærunt, amant et congregant sibi bona terrena, aut sic delectari quærunt vel exaltari in terris, quasi non esset vita post hanc vitam, et quasi non essent judicandi a Deo. Ideo actibus pœnitentiæ et exercitiis virtuosis viriliter ac perseveranter nunc insistamus.

Legitur in historia ecclesiastica, quod Antipater Idumæus, pater Herodis qui occidit infantes, in quodam prælio in imperatoris obsequio vulnera multa accepit. Postea ab æmulis suis apud imperatorem est accusatus. Tunc vestes suas deponens, dixit imperatori : Ego, o Cæsar, nolo me verbis apud te excusare, sed vulnera ista loquantur pro me utrum te diligam. Tunc, visis vulneribus, imperator eum in gratiam suam recepit. Sic ergo et Christus vulnerum quinque in corpore suo retinuit cicatrices, ut eas pro nobis Patri æterno ostendat, atque per hoc, quantum nos dilexit, et quanta pro nobis sustinuit, monstret. Hinc ait Bernardus : Securum habes, o homo, accessum ad Patrem, quoniam Mater ostendit Filio suo pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera; nullaque potest esse repulsa, ubi tot concurrunt caritatis indicia.

SERMO QUARTUS

QUAM SIT NECESSARIA ACCEPTIO ET GRATIA SPIRITUS SANCTI BONA OPERANTI.

ACCIPITE *Spiritum Sanctum*. Joann. xx, 22.

Quum Christus in octava Paschæ discipulis suis apparens, eos salutasset dicendo, *Joann.* xx, 19 et seq. Pax vobis, deinde manus, latus ac pedes suos, ac quinque vulnerum cicatrices in ipsis ostendisset eisdem, atque per hoc eos spiritualiter exhilarasset, dixissetque eis, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; protinus insufflavit in eos, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum. Similiter dum Salvator fideles suos mittit in mundum hunc, infundit eis Spiritum Sanctum, qui dirigat, juvet ac protegat eos. Primo etiam infundit eis Spiritum Sanctum in Baptismo, qui est primum sacramentum et spiritualis regeneratio : propter quod janua sacramentorum vocatur. In Baptismo quippe purgatur homo ab omni quod in se habet peccato : nec talis purgatio fit absque infusione gratiæ ac virtutum. Imo in Baptismo reducitur homo ad quamdam

originalis justitiæ innocentiam atque mun- A ditiam; et in eo desponsatur anima suo creatori Deo per fidem, spem et caritatem. Deinde in sacramento Confirmationis datur fidelibus Spiritus Sanctus ad robur, ut ejus auxilio contra adversarios suæ salutis viriliter prælientur, efficaciterque prævaleant. Insuper, quotiescumque accipit homo incrementum gratiæ, caritatis augmentum et spiritualem profectum virtutum a Deo, toties accipit Spiritum Sanctum: nam illis Spiritus Sanctus infundi ac tribui perhibetur, quibus dona suæ gratiæ, præ- B sertim gratiæ gratum facientis, præstantur ac infunduntur. O quam incomprehensibiliter magna est bonitas, munificentia atque dignatio Dei, qui tam summum infinitumque bonum, videlicet Spiritum Sanctum, donat hominibus! Quam magna est etiam dignitas hominis, cui tantum a Deo bonum confertur!

Hæc ergo acceptio sive infusio Spiritus Sancti necessaria est hominibus. Primo, ratione finis conditionis humanæ. Creatus est namque homo a Deo propter supernatura- C lem beatitudinem, quæ est visio Dei clara et fruitiva per speciem. Propter quod ait
I *Cor.* XIII, 12. Apostolus : Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.
I *Joann.* III, 2. Joannes quoque apostolus : Videbimus Deum sicuti est, id est clare et immediate, quia divinam essentiam in se ipsa conspiciemus. Quæ quum sit pulchritudinis infinitæ, ejus clarus adspectus vere deliciosissimus est. Quum itaque beatitudo ista ad quam creatus est homo, sit supernaturalis, non potest homo ad eam pertin- D gere per naturalia dona, sed supernaturalibus gratiæ charismatibus indiget, utpote, fide, spe, caritate, aliisque infusis virtutibus : nam media fini proportionari necesse est. Sed cui hæc supernaturalia dona præstantur, Spiritus Sanctus infunditur et confertur.

Secundo, necessaria est homini ista Spiritus Sancti infusio, ratione infirmitatis et imperfectionis humanæ : quia ut ait Apo-
II *Cor.* III, 5. stolus, Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Unde et Christus dixit Apostolis : Sine me nihil potestis facere. *Joann* XV, 5. Et per Osee prophetam Dominus unicuique homini loquitur : Perditio tua ex te; in me tantummodo auxilium tuum. *Osee* XIII, 9. Quum ergo tantæ dignitatis et altitudinis sit beatitudo illa supernaturalis ad quam conditi sumus, non potest homo agere aliquid meritorium ejus ex naturalibus suis, seu per solas naturales et acquisitas virtutes; sed indiget poni in quodam esse supernaturali ac deiformi, et per virtutes theologicas ac infusas præfatas corroborari ac dignificari ad promerendum beatitudinem tantam. Imo sicut ex nihilo facti sumus, ita a nobis ipsis non habemus nisi deficere et peccare, excæcari ac indurari.

Tertio, necessaria est nobis ista acceptio, infusio et subventio Spiritus Sancti, ratione hostium nostræ salutis. Qui, sicut in primo circa evangelium istud sermone *Cf.* p. 555 B et s. ostensum recordor, tantæ crudelitatis, tantæ potestatis ac multitudinis, tantæ calliditatis et experientiæ sunt, quod homo propriis viribus eis nequaquam prævalere potest nec diu resistere; sed supernaturali atque continuo Spiritus Sancti eget auxilio, sicut ait Propheta : Auxilium meum a *Ps.* CXX, 2. Domino, qui fecit cœlum et terram. Et rursus loquitur Deo : Spiritus tuus bonus *Ps.* CXLII, 10. deducet me in terram rectam. Hinc sanctus Jeremias propheta loquitur Deo: Scio, *Jer.* X, 23. Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos; hoc est, Scio, o Domine Deus, quia in naturali hominis potestate et sagacitate non est ut viam salutis incedat, et gressus seu actus suos secundum tenorem divinæ dirigat legis ac tuæ beneplacitum voluntatis, sed tua ope et directione præcipua incessabiliter eget. Hinc sancti viri pro indesinenti Dei auxilio affectuosissime atque uberrime oraverunt, ut quum Psalmista ait : Adjuva nos, Deus salutaris noster, et *Ps.* LXXVIII, 9. propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.

Quarto, necessaria nobis est adsistentia

et subventio ista Spiritus Sancti, propter A difficultatem consequendi salutem in hoc *Matth.* VII, 14. sæculo nequam, sicut ait Salvator : Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam. Unde, secundum Augustinum, in medio laqueorum deambulamus, et innumerabilibus circumvallamur periculis. Deinceps sancti Patres comparant mundum istum magno ac turbulentissimo mari, tempestatibus pleno, in quo plurimi demerguntur : cujus signum est, secundum Hieronymum, pereuntium multitudo et evadentium paucitas. Quædam etenim B maria tam turbulenta et periculosa feruntur, ut de quatuor aut quinque pereat unus : sic mundus iste tam periculosissimus est, ut de quatuor vel quinque, aut valde quampluribus, salvetur vix unus. *Ibid.* XX, 16. Nam Christo testante, Multi sunt vocati, pauci electi. Hinc Hugo in libro de Vanitate mundi sic dicit : Considera mundum hunc universum, propter mutabilitatem suam, tanquam diluvium quoddam discurrentium aquarum, et amatores mundi quasi naufragos quosdam, qui mersi in pelagi C hujus profundo, deorsum rapiuntur et feruntur in præceps. Deum quoque considera quasi sursum in summo, mundum vero quasi deorsum in imo. Deinde considera animum hominis quasi in medio collocatum, qui sua naturali dignitate eminet mutabilitati humanæ. Si ergo his quæ deorsum transeunt, hoc est terrenis et sensibilibus rebus, se per amorem vel cupiditatem immerserit, statim per infinitas distractiones evagatur et rapitur, desideriorum inquietudinibus agitatur; nullibi D stabilitur, sed passionibus et peccatis hinc inde impellitur; nunc inordinate tristatur, nunc vane lætatur, nunc carnaliter timet, nunc stulte præsumit et periculosa securitate torpescit, et raro aut nunquam pro sua occupatur salute, nec ad Deum se erigit, multoque minus in ipso quiescit.

Secundo, sancti Patres comparant mundum istum latissimo campo, crudelissimis ac innumerabilibus hostibus pleno, in quo plurimi jugulantur, paucissimi vero evadunt, et hoc non absque grandi labore atque vulneribus multis. Quodque deterius est, campi hujus ambulatores, qui se invicem deberent juvare ad evadendum alliciendo se invicem ad virtutes, se mutuo tradunt in manus latronum, dum unus alium pertrahit ad peccata.

Quum ergo tam difficillimum sit evadere mundi pericula et salvari in mari hoc magno, valde necessaria nobis est jugis et gratiosa adsistentia Spiritus Sancti, qui adjuvet infirmitatem nostram, et doceat ignorantiam nostram, tueaturque nos ab universis adversariis nostræ salutis, imo et a telis domestici inimici, hoc est a carnalibus desideriis et peccatis. Nam caro *Galat.* V, 17. concupiscit adversus spiritum, et ad multa saluti contraria nos inclinat. Propter quod dixit Apostolus : Infelix ego homo! quis *Rom.* VII, 24. me liberabit de corpore mortis hujus, id est de carne ista mortali?

Postremo non solum nobis necessaria est infusio et auxiliatio Spiritus Sancti, quantum ad hoc ut gratiam et virtutes infusas ac supernaturalia habitualia dona concedat, sed ut mentes nostras ad bene agendum jugiter excitet, moveat seu inducat, quoniam in omni actu meritorio necessaria est nobis actualis motio Spiritus Sancti. Propter quod protestatur Apostolus : Deus est qui operatur in nobis velle *Philipp.* II, 13. et perficere. Isaias quoque propheta fatetur : Omnia opera nostra, Domine, opera- *Is.* XXVI, 12. tus es in nobis.

Hinc igitur Spiritus Sancti clementiam, gratiam et confortationem incessabiliter invocemus; et unus alteri cooperetur ad bonum, et sua ac proximorum peccata deploret, sicut de S. Ambrosio doctore et episcopo legitur, quod dum aliquis ei confitebatur aliqua magna peccata, ex totis præcordiis confitenti condoluit, et amarissime ejus peccata deflevit. Et hoc idem de S. Thoma de Aquino multisque aliis legitur. Sic et in Vitaspatrum narratur, quod quum quidam sanctus eremita audisset quemdam Fratrem peccasse, uberrime flevit, dicens : Ille hodie, et ego cras.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUALITER VINCENDUS SIT MUNDUS, ET DEO PERFECTE COR JUNGENDUM.

OMNE quod natum est ex Deo, vincit mundum. I Joann. v, 4.

Quamvis ex Deo sint omnia, fideles tamen ex aqua et Spiritu Sancto renati, specialiter ex Deo nati dicuntur. Nec solum in Baptismo, sed et in Pœnitentiæ sacramento nascitur homo ex Deo, ita quod qui per mortale peccatum fuit membrum, servus filiusque diaboli, per caritatem et gratiam fit membrum Christi, minister ac filius Dei. Imo quicumque iniquus ad Deum vere convertitur, ex Deo spiritualiter nascitur, quoniam esse spirituale, gratuitum, deiforme sortitur. Hinc Jacobus
Jacob. I, 18. ait apostolus : Voluntarie genuit nos verbo veritatis. Hæc est christianæ innocentiæ sancta infantia. Unde princeps hortatur
I *Petr.* II, 2. Apostolorum : Quasi modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite. Quidquid ergo ex Deo sic natum est, superat mundum : superat, inquam, mundum, in quantum hujusmodi. Juxta quem sensum idem evangelista Joannes affir-
I *Joann.* V, 18. mat : Omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Itaque omnis qui natus est ex Deo, non solum per regenerationem præfatam, sed et per prædestinationem æternam, vincit mundum finaliter : quia et si ad tempus vincatur a mundo, quemadmodum Petrus Christum ex timore negando, et David adulterium homicidiumque patrando, non tamen recedit a sæculo isto, nisi per fidem et caritatem mundo a se devicto.

Sed quæri potest, quid sit vincere mundum, præsertim quum juxta Salvatoris doctrinam, non sit malo resistendum, sed unam cædenti maxillam præbenda sit altera. *Matth.* V, 39. Homines quoque mundani et adversarii spiritualiter sunt amandi. Denique martyres sancti ab impiis interfecti, videntur a mundo victi. — Et respondendum, quod vincere mundum, est mundanas vanitates, impietates, sæcularia desideria, carnalia oblectamenta transitoriosque honores contemnere, vitiis dominari, nec adulationibus nec comminationibus a Deo averti, pro justitia mori. Et hoc modo beatissimi martyres mundum vicerunt, sicut et Christus de se ipso contestatur, loquens Apostolis : In mundo pressuram *Joann.* XVI, 33.
habebitis ; sed confidite, ego vici mundum. Paulus quoque ait : Sancti per fidem *Hebr.* XI, 33.
vicerunt regna. Denique in rebus creatis est aliquid appetibilitatis, deliciositatis, formositatis et utilitatis. Quicumque ergo creaturarum appetibilitate, pulchritudine, delectabilitate in tantum allicitur, quod ad eas magis quam ad Creatorem afficitur, et contra Dei præceptum ipsis adhæret, talis superatur a mundo. Qui autem Creatori in infinitum amabiliori, suaviori, pulchriori et perfectiori super omnia, magis afficitur et cohæret, hic vincit mundum. Et hæc mundi victoria est de necessitate salutis.

Est autem et alia mundi victoria altior, qua parentes et omnes homines sæculares, terrena substantia, honor et dignitas, voluptas et gloria sæculi, contemnuntur ac deseruntur : non solum in quantum directe mentem a Deo impediunt et aver-

tunt per hoc quod plus quam summum (A) et incommutabile bonum amantur, sed item in quantum occasionaliter faciunt hoc, et mentem a divina unione ac spirituali profectu retardant, a perfectione contemplationeque retrahunt. Sicque mundum contemnere, consilii est, non præcepti. Et hoc modo religiosi mundum vincunt, universa quæ mundi sunt corporaliter ac spiritualiter relinquendo, et religionem intrando, regulariterque vivendo.

Hoc itaque modo mundum vincere nos oportet, ut ad nullam sæculi vanitatem (B) afficiamur, nullius rei creatæ inordinato affectu commaculemur, nullo sensuali aut carnali amore alicui inclinemur ; de temporalibus et terrenis non sollicitetur nec occupetur cor nostrum, nec ad necessaria corpori, scilicet cibum, potum, vestem, cellam aut cameram, somnum aut quodcumque humanum solatium, alliciatur mens nostra, nisi penitus ordinate, prout videlicet necessaria sunt sive accommoda ad gratiarum charismata, ad virtutum ac gratiæ incrementa. Sed, proh dolor ! multi (C) sunt religiosi solo corpore de mundanorum hominum habitatione consortioque egressi. Quorum conversatio non est in cœlis, sed mentis distractione discurrunt per vasta terrarum, et vanis affectionibus detinentur in terris ; corporaliter sedent in cœnobio, et mentis occupatione versantur in mundo : imo per cogitationes inutiles, per varias passiones, per terrenas cupiditates, curiositates, evagationes, mundum in se tenent inclusum. Hi sunt qui sæcularibus delectantur rumoribus, mun- (D) danorum hominum confabulationibus ; qui non amant nesciri : imo per scripta, per munuscula, per salutationes, per varios modos, extraneorum sibi mercantur notitias, reputationes, favores ac munera : qui mentis suæ expurgationi ac vero ornatui non insistunt, divinorum meditationibus inhærendo, in solo Deo, cum solo Deo se occupando ; sed per stulta phantasmata, per desideria vana ac studia frivola, interiora præcordiorum suorum coram Deo depingere ac fœdare non erubescunt. Hi igitur se emendent.

Præterea, quum teste Philosopho, contingat plura simul scire, sed unum dumtaxat intelligere, constat quod mens nostra tanto minus Deo actualiter vacat, intendit, unitur, quanto plus impertinentium phantasmatum strepitu et occursu inquietatur, potissimum tempore orationis, psalmodiæ, celebrationis, meditationis ac divinorum. Tota sollicitudo, universum studium animæ nostræ sit, mundo excluso ac penitus victo, soli Deo vacare, placere, et indesinenter, in quantum fieri potest, actualiter esse unitum, nec aliquod temporis punctum infructuose transire : quod est vere sine intermissione orare. [I *Thess.* v, 17.] Nihilo minus pro communi bono, pro reformatione Ecclesiæ, pro mundi hominibus, præcipue pro propinquis, commissis et benefactoribus, incessanter ac ferventissime deprecemur, ut Deus in omnibus atque ab omnibus honoretur.

Præterea, juxta Joannem apostolum in hodierna epistola, hæc est victoria quæ [I *Joann.* v, 4.] vincit mundum, id est victorialis virtus qua vincimus mundum, fides nostra. Justus namque ex fide vivit ; [*Hebr.* x, 38.] et adversario nostro diabolo jubet nos princeps Apostolorum resistere fortes in fide. [I *Petr.* v, 9.] Unde et apostolus Paulus inquit : In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis [*Ephes.* vi, 16.] omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Verumtamen non qualicumque fide fit istud, quoniam fides sine operibus mortua perhibetur, [*Jacob.* ii, 20, 26.] et multi fidem habentes plus infidelibus condemnantur. Est ergo fides viva, formata caritate et actibus bonis ornata, qua vincimus mundum, quia per fidem hanc credimus, consideramus, inspicimus quid post vitam hanc momentaneam sequetur, quam rigorosum Dei judicium, quam intolerabile inferni supplicium.

Actuemus ergo nos semper in fide, rogemusque Deum ut præstare nobis dignetur fidem rationibus credendorum illuminatam, ac limpidam veritatem, fidei

intelligentiam, quatenus clarissima mentis acie contemplemur quam vile et contemnendum ac nihil sit omne transitorium et caducum, omne carnale et fœdum, omnis mundana prosperitas, comparatione æternorum, cœlestium spiritualiumque bonorum. In mundo supra mundum simus, juxta Jeremiæ eloquium, levando nos supra nos ipsos. Intueamur quam difficile sit in mundo salvari, quam pauci ibi evadant; quam etiam immoderanter lignum, fœnum, stipulam sibi accumulent, secumque deferant morientes, hi ipsi qui forte in mundo cum mundo non pereunt. Sicque infinitas et præcordialissimas Altissimo gratias referamus quod de mundo nos sequestravit, atque in cœnobio constituit, in quo tam copiosissima et aptissima media proficiendi habemus, imo ab innumerabilibus peccandi occasionibus, causis, laqueis et periculis eruti sumus. Propter quod nullum prorsus locum demus negligentiæ, sed cum omni vigilantia ac fervore coram Creatore æterno nos incessabiliter intuente, conversari, proficere, perfici enitamur. Quum Deus cœperit nobis dulcescere, mundus mox amarescet. Quum orando, psallendo, meditando cœperimus delectari, vana fastidiemus colloquia. Quanto profundius summæ et increatæ bonitatis æternæque veritatis contemplationi infigemur, tanto intensius cuncta carnalia et mundana in tædium nobis vertentur.

Thren. III, 28. — I *Cor.* III, 12.

Ideo ei qui essentialiter bonus, amabilis desiderabilisque consistit, cujus pulchritudinis nullus est finis, cujus dulcedinis non est mensura, cujus sapientia, deliciositas, eminentia termino caret, cor nostrum plenarie conjungamus, cum Propheta dicentes : In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sed quia ad hæc nullus nisi veraciter humilis, mitis, patiens, timoratus ac reformatus pertingit, in humilitate, mansuetudine, patientia, timore ac reformatione assidue crescere ac firmari conemur. *Ps.* LXI, 8.

SERMO SEXTUS

DE VITA COMMUNI COENOBITICA, ET SOLITARIA, AC DE UTILITATE ET EMINENTIA EARUMDEM.

Quum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis. Joann. XX, 19.

Non solum Christi, sed et Apostolorum et reliquorum operatio conversatioque Sanctorum, nostra est instructio ac institutio morum. Itaque, per hoc quod dilectissimi discipuli post ipsius resurrectionem simul manserunt, et congregati sederunt, vita socialis monastica commendatur, et quam salubre ac tutum sit fratres simul concorditer habitare, docetur : præsertim quoniam Evangelista testante, Apostolis sic congregatis Dominus Jesus apparuit, Spiritum Sanctum insufflavit, salutavitque eos, et potestatem dimittendi peccata largitus est. Unde, quamvis, absolute loquendo, vita omnino solitaria anachoretica vitæ monasticali sociali anteponatur, utpote magis divina ac libera, exoccupata et superhumana; nihilo minus vita socialis cœnobitica in multis præfertur, atque a sanctis et expertissimis Patribus specialiter collaudatur.

De hoc in Regula sua sanctus scribit Hieronymus : Naturæ relativæ est caritas, et ad unum non potest proprie fraterna dici dilectio : idcirco necesse est ut plures sint qui ex caritate se mutuo diligant, ut dicatur juxta Prophetam, Bonum et jucundum est habitare fratres in unum. Quod *Ps.* CXXXII, 1.

Prov. XVIII, 19. satis approbat Sapientia, dicens : Frater qui adjuvatur a fratre, est quasi civitas firma. Et item : Si fuerint simul duo, fovebuntur mutuo; sed si unus gradiatur et cadat, væ soli, quia sublevatorem non habet. Propterea solitariorum vita, quam satis expertus sum, periculosissima est et ardua; et quamvis bona ac Deo vicina, non tamen æque secura ut simul habitantium in uno vinculo dilectionis et caritatis affectu, qui sibi invicem deficientibus per tentamenta, auxiliantur, sibi invicem caritatis ac pietatis obsequia administrant. (Eccle. IV, 11, 10.)

Subinde S. Basilio in Regula sua quæstio ista proponitur : Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata Dei contemnunt ducere vitam, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujusmodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an fratribus ejusdem propositi ac animi vitam suam associare. Ad hoc respondet Basilius, in multis utile esse communem ducere vitam cum his qui ejusdem sunt voluntatis atque propositi. Primum, quod etiam ad usus corporales victusque ministerium unusquisque nostrum solus sibi non sufficit, sed ope mutua indigemus. Deinde nec culpas suas ac vitia facile quis solus manens dignoscit, quum qui arguat eum non adsit; et faciliter hujusmodi homini accidere potest quod scriptum est : Væ soli, quia si ceciderit, non est alius qui erigat eum. (Ibid. 10.) Mandata quoque a pluribus facilius adimplentur; ab uno vero dum aliud impleri videtur, aliud impeditur. Si vero omnes sumus corpus Christi, et singuli alterutrum membra, per consonantiam velut in unius corporis compage, in Spiritu Sancto aptari et conjungi debemus ad invicem. (Rom. XII, 5.) Denique necesse est gratiam uniuscujusque quam accepit a Spiritu Sancto, in communi prodesse. Accedit ergo ut solitarius gratiam sibi collatam non communicet aliis; sed defodit eam in semetipso. Sed et adversus inimici insidias quæ deforis inferuntur, multo cautior est et utilior societas plurimorum, ut qui obdormierit, facilius suscitetur a somno, et delinquenti suum peccatum facilius innotescat, quum a pluribus arguitur vel notatur, prout ait Apostolus : Sufficit ei qui hujusmodi est, objurgatio quæ fit a pluribus. (II Cor. II, 6.) In oratione quoque non parvum emolumentum a pluribus nascitur cum consensu et unanimitate orantibus, ut ex multorum personis, per gratiam quæ in nobis est, Deo gratiæ referantur. (Ibid. I, 11.) Interdum etiam illi periculo proxima est vita solitaria, quod sibimet placet; et neminem habens qui possit probare opus ipsius, videbitur sibi ad summam perfectionem venisse; et sine exercitio degens, neque quid vitii sibi abundet, neque quid virtutis sibi desit, agnoscit. In quo enim humilitatem suam probabit, neminem habens cui se humilem præbeat? In quo misericordiam demonstrabit, totius consortii alienus? Ad patientiam vero quomodo se exercebit, nullum habens qui voluntatibus ejus contraire videtur? Multa alia de hoc dicit Basilius.

Climacus quoque : Movi, inquit, quandoque sermonem de quiete solitariorum aliquibus seniorum sanctorum cœnobii in quo eram. Qui facie et ore hilari subridentes, dixerunt ad me : Nos, o pater Joannes, materiales quum simus, magis materialem institutionem exsequimur, illud malentes subire prælium quod est secundum nostræ possibilitatis mensuram, utilius æstimantes certare cum hominibus aliquando quidem sævientibus, aliquando pœnitentibus, quam cum dæmonibus semper contra nos furentibus et armatis. Quidam vero eorum multam ad me habens caritatem atque fiduciam, dixit mihi : Si inest tibi sensus dicentis, Omnia possum in eo qui me confortat; si Spiritus Sanctus rore castitatis secundum Virginem supervenit in te; si virtus altissimæ patientiæ obumbravit tibi : præcinge, sicut vir Christus Deus, obedientiæ linteo lumbos tuos, et surgens a cœna solitariæ tuæ quietis, pedes Fratrum in contribulato spiritu lava; magis vero pedibus congrega- (Philipp. IV, 13.)

tionis provolvere in subjecta et dejecta A prudentia. Invincibiliter contine mentem difficulter contineri valentem in occupato corpore circumquaque; in membris motis et concussis intellectualem quietem exerce : quod est universis gloriosissimum. Esto inconturbabilis, in medio conturbationum atque tumultuum animam pacificam habens; coerce linguam furentem et vesanam in contradictionibus insilire; exspolia te voluntate tua tanquam confusionis amictu; obmutescere fac intellectum curiosum volentem judicare fra- B trem in negligentia operantem, et omnem caritatem et compassionem ad proximum absque errore insinua. Tunc vero in hoc cognoscent omnes, amantissime Pater, quia Christi Jesu discipuli sumus, si in congregatione ad invicem caritatem habemus. Veni, veni, concerta, cum aliis commorare, bibe subsannationes horis singulis sicut aquam vitæ, quoniam universa quæ sub cœlo sunt David scrutans jucunda, ultimo post omnia quærens, dixit : Ecce quid bonum, et quid jucundum? Nihil, C sed habitare fratres in unum. His verbis Climacus addit : Victus ergo boni magistri et virtuosi Patris sermonibus fui. Unde vota indubitanter dare obedientiæ volui.

Joann. XIII, 35.

Ps. CXXXII, 1.

Sanctus quoque Bernardus disseruit, quod congregatio sancta, fortis est ut urbs munita, terribilis ipsis dæmonibus ut castrorum acies ordinata, in qua tot sunt adjutores quot habitatores.

Ex quibus omnibus constat, quam utilis et salubris cohabitatio sit claustralis, in qua se Fratres invicem juvant, caritati- D ve corripiendo, prudenter instruendo, pie consolando, hortando et inflammando, ac exercendo : quæ omnia singulis ipsis a spirituali eorum patre excellentius exhibentur. Ipsa autem exercitatio plurimum valet, quia per eam discit Frater se ipsum cognoscere, frangere, mortificare, humiliare, despicere. Refert equidem Climacus, quemadmodum in cœnobio illo sanctissimo de quo sæpius jam facta est mentio, post abbatem primus in dispensatione cœnobii fuit vir sanctus nomine Menas. Quem abbas quadam vice absque ipsius culpa dure redarguit, et ab oratorio expelli præcepit. Climaco autem eumdem apud abbatem excusante, abbas respondit : Novi, Pater; sed quemadmodum miserabile est et injustum ex ore parvuli esurientis rapere panem, sic animabus præsidens, se ipsum lædit et operarium sibi subjectum, coronas quantas novit eum posse mereri, sive per injurias, sive per ignominias, despectiones et illusiones, eidem non concilians sive procurans. In tribus namque maxime læditur : primo, quoniam ipse increpationis mercede privatur; secundo, quia et aliis prodesse valens ex alterius virtute (illos videlicet ædificando in patientia increpati), non fecit hoc; tertio, quod et gravissimum est, quoniam ipsi qui patientes esse putantur, neglecti sub tempore, et tanquam virtuosi, jam de reliquo a præsidente non reprehensi, frequenter privati sunt pristina mansuetudine ac patientia.

Ecce qualiter in congregatione vivere nos oportet, ut subsannationes, exercitationes, increpationes, etiam sine culpa nostra nobis inflictas, æquanimiter perferamus. Sed heu! quid nos pauperrimi et pusilli ad ista dicemus, qui nec pias et mediocres increpationes pro culpis nostris nobis exhibitas, tranquille sufferimus? Inspiciat unusquisque imperfectum animæ suæ, et doleat. Et si sanctorum Patrum abstinentiam assequi non valemus, eorum saltem humilitatem, patientiam, mititatem, caritatem, ceterasque virtutes sequi tentemus. Pro quo adimplendo auxilium gratiæ Dei jugiter imploremus; et Christi amarissimam passionem, et omnem quam in ea ostendit humilitatem, patientiam, mansuetudinem, caritatem, pietatem, vivaciter perpendamus, ac consequamur. Ad laudem et gloriam Salvatoris.

SERMO SEPTIMUS

QUOMODO DOMINUS JESUS BONIS APPAREAT RELIGIOSIS, NEDUM CORPORALITER, SED SPIRITUALITER QUOQUE IN DIVINO AC FRATERNO CONGREGATIS AMORE.

OSTENDIT *eis manus et latus : gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* Joann. xx, 20.

Quemadmodum beatissimus evangelista Joannes in evangelio nos instruit hodierno, discipulis congregatis apparuit Dominus januis clausis, in medio stans eorum, salutavitque eos, dicendo : Pax vobis. Deinde ostendit eis manus et latus; prædicationis quoque commisit officium, ad quod idonee prosequendum, insufflavit eis Spiritum Sanctum, et supernaturalem potestatem dimittendi peccata ipsis concessit. Ecce hæc omnia spiritualiter Dominus Jesus in veris operatur religiosis, qui sequestrati a sæculo, devote sedent in cœnobio, mente et corpore adunati.

Illis itaque Dominus Jesus, sapientia Dei Patris, apparet, id est, corda eorum illuminat, ad suæ deitatis limpidiorem contemplationem, ad suæ quoque humanitatis salubrem speculationem deducit. Anima namque quiescendo fit prudens ac divinarum capax illuminationum; et quanto a rebus mundanis, terrenis, carnalibus, vanis et inutilibus magis se abstrahit, tanto fit Deo propinquior, complacentior, carior, abundantiusque illustratur, fortius inflammatur, frequentius visitatur, copiosius consolatur. Unde de talibus devotissime ac subtilissime ait Propheta Deo :
Ps. xxx, 21. Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum, hoc est ab humanis inquietudinibus, contentionibus atque tumultibus.

Quemadmodum autem Salvator apparuit suis discipulis ostiis clausis, sic religiosis per lumen contemplationis se pandit, qui
A exteriorum sensuum suorum claudunt fenestras ab incautis adspectibus, auditionibus, attactibus, gustationibus, odorationibus, ne per eas mors culpæ ingrediatur ad animam, atque ad interiora sunt recollecti, ut audiant quid in eis per secretum instinctum sive angelicam inspirationem Dominus Deus loquatur. Præcipue autem in choro et circa altaria refrenandus est visus, maxime coram plebe, ne scandalizetur incustodia visus religiosorum. Simus itaque non corporaliter tantum, sed spi-
B ritualiter quoque jugiter congregati divino ac fraterno amore, morum conformitate, vera concordia, conversatione pacifica.

Stetit autem Jesus in medio discipulorum. Nam et ipse promisit : Ubi fuerint Matth.
duo vel tres congregati in nomine meo, ibi xviii, 20.
in medio sum eorum. Idcirco dum unus Frater cum alio est, aut visitat eum, aut operatur cum ipso, non nisi de Deo et animarum salute inter eos sit sermo, quatenus in medio eorum Christus esse dignetur, et sancti angeli ipsis congratulentur :
C quemadmodum in Vitaspatrum narratur, quod Fratribus de Deo conferentibus, vidit quidam Fratrum angelos eis adstare ac arridere; quum vero de inutilibus fabularentur, vidit dæmones in forma porcorum inter ipsos se volutare, et angelos se cum indignatione avertere.

Deinceps, sicut Salvator discipulis apparendo salutavit eosdem, sic dum spiritualiter se demonstrat (juxta illud orantis in Psalmo : Illustra faciem tuam super Ps. xxx, 17.
servum tuum), internam diffundit tran-
D quillitatem in anima. Etenim, sicut sole oriente, tenebræ noctis, vapores ac nebulæ disperguntur, serenitas oritur : sic Sole

justitiæ Domino Jesu Christo in mentem A hominis spiritualiter descendente, fulgente ac radios sapientiæ diffundente, omnis ab anima fugit turbatio; vitiorum caligo, passionum commotio, tædium, pigritia expelluntur, et jucunda atque serena sunt omnia; ratio splendet, fervet voluntas, memoria stabilitur, et cum ingenti alacritate curritur via salutis.

Amplius, ex hoc quod Dominus suos salutando discipulos, communiter usus est verbis his, Pax vobis, constat quam appetenda ac necessaria sit cunctis fidelibus B interna pax cordis, quæ est tranquillitas et quies ejus in Deo. Potissimum vero necessaria est et summe expetenda ac diligentissime conservanda religiosis, quorum corda Spiritus Sancti habitacula esse oportet. Quibus quo amplius exteriora, carnalia et humana desunt atque deesse debent solatia, eo plus opportuna est eis pax ista interior, sine qua divinæ consolationis capaces non sunt, imo indigni sunt ea: siquidem super quietum, pacificum humilem, non super turbulentum, ama- C rum, superbum, descendit Spiritus Sanctus cum suæ consolationis adspergine. Nonne monachus perturbatus cellam suam ingrediens, et in ea corde amaricato, turbulento, irato ac mœsto sedens, pauperrima res est? Quid prodest, ait Eusebius, si exteriora nostra teneat serenitas, et interiora tempestas; si in habitaculo quies sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus ac strepitus passionum? Teneat ergo religiosus cum cunctis domesticis, præsertim cum superioribus suis, firmam con- D cordiam, stabilem pacem. Quidquid sibi ab illis dicitur aut fit, ex caritate et recta intentione procedere arbitretur, suscipiatque gratanter, nequaquam temere judicans aut indignans. Si pro culpa sua corripitur, gratias agat pro justa ac saluberrima reprehensione; si autem de culpa ei objecta conscius sibi non est, exercitari et probari se opinetur, et patientissime ferat, præcipue quum in multis tam se ipsum quam alios prorsus latentibus, exstet culpabilis. Beati pacifici, quoniam *Matth.* v, 9. Dei sunt filii; infelices vero sunt turbatores ac turbulenti, quia diaboli filii perhibentur.

Insuper, sicut Christus discipulis a se visitatis ac salutatis ostendit manus suas ac latus, sic viros devotos, quos per supernæ illuminationis atque internæ pacis infusionem visitat, ad suæ passionis affectuosam et compassivam inducit memoriam, ut qualiter redempti sunt contemplantes, gratias agant Redemptori, et magnitudinem causæ suæ salutis advertant. Non enim pro parva aut mediocri causa Filius Dei voluit fieri homo, conversari in mundo, affigi ac mori in ligno. Unde in Christi persona quidam devote locutus est: O homo, vide quæ pro te Philippus Cancellarius Parisiensis. patior. Non est dolor sicut dolor quo crucior. Et quum tantus sit dolor exterior, major tamen est dolor interior, dum te tam ingratum experior. Si autem passionis dominicæ tam intente fuerimus memores, tunc sicut Salvator per insufflationem dedit Apostolis Spiritum Sanctum, ita per suam piissimam operationem augebit in nobis gratiarum fluenta atque charismatum affluentiam divinorum.

Negligentibus vero et pigris, ingratis et dissolutis dicit Salvator quod adhuc incredulo dixit Thomæ: Infer digitum tuum *Joann.* xx, 27. huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum. Tanquam dicat: Quum ego tanta et talia pro te sim passus, cur tu ipse tuæ salutis consistis tam negligens, et mihi ita ingratus, tam immemor eorum quæ feci et tuli pro te, quasi non credas? Excute igitur et repelle omnem ignaviam, omnem ingratitudinem, omnem carnalitatem et pravitatem, dissolutionem, vanitatem et delectationem illicitam, omnem iram, aversionem, turbationem, vindictam; et meam assidue inspice passionem, humilitatem, patientiam, caritatem qua et crucifixoribus non solum ignovi, sed et pro ipsis cordialiter intercessi; imo, ut oratio quam fudi pro eis, exaudibilior videretur, eosdem ut potui

Luc. xxiii, 34. excusavi, dicendo : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Si ergo hæc credis et pensas, cur tam cito irasceris, indignaris, turbaris, et ad varias passiones moveris ? Non tibi sufficit meæ passionis acerbitatem recolere, nisi et caritatis, mansuetudinis, patientiæ, fortitudinis, pietatis A ac æquitatis meæ virtutem ac veritatem studeas imitari, et per semitas meas incedere.

Hoc itaque modo Christi corpus et animam, et singula ejus membra ac vires propter nos specialibus ac amarissimis pœnis affectas, intueamur.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CHRISTUS PASSUS EST PRO NOBIS, VOBIS RELINQUENS EXEMPLUM, UT SEQUAMINI VESTIGIA EJUS, ETC. I Petr. II, 21-25.

BEATISSIMUS princeps Apostolorum A
Petrus in præsenti epistola beneficia
varia Christi commemorat, et ejus exem-
plo ad perfectam patientiam nos invitat;
passionis quoque dominicæ fructum tan-
git ac finem, ut scilicet peccatis mortui,
vivamus virtutibus. Itaque ait :

Christus passus est pro nobis, id est pro
nostris peccatis tollendis (juxta quod dixit
Joann. I, 29. Joannes Baptista : Ecce Agnus Dei, ecce
qui tollit peccata mundi), item pro nobis
Deo Patri reconciliandis, per gratiam ju-
stificandis, et per gloriam in æternum B
salvandis. *Vobis relinquens exemplum,* id
est imitationis formam. Quare non ait, No-
bis relinquens exemplum, sicut præmisit,
Christus passus est pro nobis? Dicendum
quod ideo, quoniam statim ante hæc ver-
ba quosdam specialiter ad patientiam hor-
tabatur, idcirco ad illos dirigit verbum.
Ait hoc loco venerabilis Beda : Audis,
Christus passus est pro nobis; et gaudes,
quia pro tua salute passus est Filius Dei.
Attende quod sequitur, Relinquens vobis
exemplum, ut sequamini vestigia ejus : C
exemplum tribulationum, non deliciarum;
contumeliarum, flagellorum, dolorum, op-
probriorum, spinarum, crucis, vulnerum,
Ps. XVI, 4. mortis. In Psalmo scriptum est : Propter
verba labiorum tuorum, Domine, ego cu-
stodivi vias duras. Propter quæ verba la-
biorum, nisi quibus promittit vitam æter-
nam? *Ut sequamini vestigia ejus,* id est
opera virtuosa, patientiam et tribulationes,
quibus præcessit nos et viam salutis mon-
stravit. Qui enim se dicit in Christo ma- I *Joann.* II,
nere, debet sicut ille ambulavit, et ipse 6.
ambulare, quoniam omnis Christi actio,
nostra est instructio. Propter quod in Jo-
anne loquitur : Ego sum via, veritas et *Joann.* XIV,
vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. 6.

Qui peccatum non fecit, nec facere po-
tuit : quia in quantum Deus, impeccabi-
lis fuit; secundum naturam quoque suam
humanam, fuit excellentissime confirma-
tus in bono, et ab incarnationis exordio
comprehensor. Deinceps, qui alios debuit
Deo reconciliare, liberare, salvare, debuit
esse absque omni peccato originali, actua-
li, personali, mortali et veniali. Hinc ipse-
met contestatur : Venit enim princeps hu- *Ibid.* 30.
jus mundi, et in me non habet quidquam.
Nec inventus est dolus in ore ejus, quia
nunquam mentitus est, neminemque de-
cepit, sicut et adversarii ejus fatebantur,
dicentes : Magister, scimus quia verax es, *Matth.*
et viam Dei in veritate doces. Ideo men- XXII, 16.
tiebantur, coram Pilato clamantes : Hunc *Luc.* XXIII, 2.
invenimus subvertentem gentem nostram.
Hinc in Isaia de Christo habetur : Iniqui- *Is.* LIII, 9.
tatem non fecit, nec inventus est dolus
in ore ejus.

Qui quum malediceretur a Judæis ob-
stinatis ac perfidis ante passionem sæpis- *Joann.* X,
sime, et in ipsa etiam passione : nam ante 20; *Luc.* XI,
passionem dixerunt, Dæmonium habet et 15; *Matth.* XI, 19.

insanit, In principe dæmoniorum ejicit A dæmonia, Homo vorax, potator vini, et multa similia; *non maledicebat* eis : sed docuit eos, et reddidit bona pro malis, et tanquam agnus coram tondente, in passione obmutuit. *Quum pateretur, non comminabatur* occisoribus suis; sed oravit *Is.* LIII, 12. pro eis, juxta illud Isaiæ : Pro transgres- *Luc.* XXIII, 34. soribus rogavit. Nam dixit : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Tradebat autem judicanti se injuste,* quia Pilato, qui ipsum ex timore humano injustissime morti adjudicavit, a Judæis se tradi B permisit. Imo et ipse sponte ad Pilatum processit, atque ex summa caritate ad nos, et ex obedientia ad Patrem æternum, se voluntarie exposuit morti, quemadmodum *Is.* LIII, 12. sacratissimus Isaias prædixit : Tradidit in mortem animam suam.

Qui peccata nostra, hoc est pœnam pro peccatis nostris, *ipse pertulit in corpore suo* posito et appenso *super lignum,* id est crucis patibulum. Propter quod ait in Psal- *Ps.* LXVIII, 5. mo : Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste; quæ non rapui, C tunc exsolvebam. Unde apud Isaiam scri- *Is.* LIII, 6. ptum est : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Nec solum in corpore suo passus est Christus, sed in anima quoque et viribus ejus : nam dixit, *Matth.* XXVI, 38. Tristis est anima mea usque ad mortem. *Ut peccatis mortui,* id est a vitiis alienati ac emundati, ac de cetero non peccantes, sicut mortui cessant ab opere, *justitiæ vivamus,* id est, virtutibus insistamus, et Christo, qui est vera ac summa justitia, obsequamur. Hoc est quod ad Romanos D *Rom.* VI, 19. hortatur Apostolus : Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Cujus livore, quem ex percussionibus flagellorum et aliis ictibus in corpore suo sustinuit, *sanati sumus* * ab animarum vulneribus, quantum ad sufficientiam ex parte Christi passionisque ejus. Non tamen consequimur fructum dominicæ passionis, nisi Christo per fidem et caritatem jungamur, et virtus ac meritum suæ passionis nobis applicetur : quod primo fit per sacramentum Baptismi, in quo merito passionis Christi purgamur a vitiis, virtutibusque ornamur.

* *estis*

Quod autem per Christi passionem simus sanati, declarat subdendo : *Eratis enim,* antequam crederetis in Christum, *sicut oves errantes* per vitiorum abrupta et ignorantiæ tenebras, juxta illud Isaiæ : Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit. *Is.* LIII, 6. Et quamvis homines non sint oves, sed potius hœdi, quamdiu errant, secundum præsentem justitiam, tamen secundum prædestinationem æternam, multi hujusmodi oves sunt : quos Deus permittit errare, sed quia electi sunt, reducit eos, nec permittit perire. Unde per Ezechielem negligentes objurgans pastores : Errantem (inquit) *Ezech.* XXXIV, 6. ovem non revocastis. *Sed conversi estis nunc,* per fidem, caritatem et pœnitentiam, *ad pastorem et episcopum animarum vestrarum,* id est ad Christum. Qui est pastor fidelium animarum, quia per dona gratiæ, per verba sacræ Scripturæ, per sacramentum Eucharistiæ pascit eas. Unde ipse ait : Ego sum pastor bonus. *Joann.* X, 11, 14. Est quoque episcopus animarum, id est superintendens saluti earum per providentiam singularem, quoniam ipsi cura est de nobis. Ideo ait Psalmista : Dominus sollicitus *Ps.* XXXIX, 18. est mei. Itemque hortatur : Jacta super *Ps.* LIV, 23. Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Episcopus autem dicitur ἐπί, quod est supra, σκοπός, intentio, quasi superintendens. Unde locò episcopi alia littera habet visitatorem. Christus enim animarum est visitator, juxta quod scriptum est : Benedictus Dominus Deus Israel, quia vi- *Luc.* I, 68. sitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Spiritualiter etiam visitat corda fidelium quotidie per dona gratiæ suæ, imo et per flagella suæ caritatis ac pietatis paternæ, secundum illud : Ego quos amo, arguo et *Apoc.* III, 19. castigo. Postremo Christus est sacerdos et pontifex, sicut ad Hebræos plenissime docet Apostolus. Recteque dicitur animarum epi-

scopus, quoniam pro illarum salute in cruce se obtulit; estque advocatus earum, et propitiatio pro peccatis ipsarum, ut in Joanne habetur. Imo Paulo testante, interpellat pro nobis. Ostendit enim Patri latus et vulnera, ut devotissimus scribit Bernardus.

I Joann. II, 1, 2. — Rom. VIII, 34.

SERMO PRIMUS

QUOMODO CHRISTI VESTIGIA BONI CHRISTIANI IN TRIPLICI PATIENTIA ET EXEMPLARI VITA SEQUI DEBEANT

CHRISTUS *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* I Petr. II, 21.

Ad hoc Pater æternus unigenitum Filium suum misit in mundum, ut verbis et operibus demonstraret hominibus viam salutis, et iter pertingendi ad Deum, ad felicitatem æternam, ad omnium virtutum perfectionem. Quemadmodum itaque Christus in sua nativitate ex Virgine dedit hominibus exemplum perfectæ paupertatis, quoniam natus est et nasci elegit ac voluit ex paupere matre, in aliena domo, in vili stabulo, in medio quoque noctis, et tempore hiemis, quando molestior est paupertas, et natus protinus in præsepio reclinari panniculisque involvi; ita in sua benedicta ac salutifera passione monstravit nobis exemplum patientiæ perfectissimæ atque sanctissimæ.

Est equidem triplex patientia : una qua quis adversitates, increpationes et pœnas pro suis tolerat culpis, utpote reum et juste punitum se esse cognoscens, nec murmurans, sed illud Job dicens : Peccavi, et vere deliqui; et ut eram dignus, non recepi. Et ista patientia est salubris, quia ut ait Nahum propheta, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Unde qui in præsenti pro suis peccatis æquanimiter sustinent pœnas condignas, a Deo indulgentiam sortiuntur. Alia est patientia qua quis adversa duraque sustinet absque propria culpa, quum tamen nil boni contrarium malo quod sibi imputatur commiserit : ut si morti quis adjudicetur quia occiderit aliquem, quum tamen tempore quo ille occidebatur dormierit. Sic obstinati Judæi projecerunt Jeremiam prophetam in carcerem, imputantes ei quod ad inimicos eorum Chaldæos confugeret, quum tamen in locum nativitatis suæ, puta in Anathoth, ire intenderet. Tertia est patientia qua quis pœnas patitur directe propter justitiam, seu absque propria culpa, quum tamen operatus sit bonum contrarium malo quod sibi imputatur : ut si quis puniatur pro fide, pro æquitate, vel quasi cooperatus sit ad alicujus occisionem, quum tamen totum suum effecerit posse ad ejus liberationem. De hac patientia ait Salvator : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Job XXXIII, 27. — Nahum I, 9, juxta LXX. — Jer. XXXVII, 11-14. — Matth. V, 10.

Prima patientia quodammodo magna est et bona; secunda, major et melior; tertia, maxima et optima. Istamque tertiam patientiam perfectissime habuit Christus in passione, quoniam innocentissimus fuit; et ideo est occisus, quoniam veritatem edocuit atque justitiam conservavit. Et quamvis prima patientia bona et meritoria sit, tamen comparatione patientiæ tertiæ, parvæ est reputationis, nec in se habet excellentiam supererogationemve aliquam. Hinc beatissimus princeps Apostolorum in prima sua scribit Canonica : Hæc erit gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati

I Petr. II, 19-21.

suffertis? Si autem bene facientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis.

Deinceps, Christus hujus triplicis patientiæ nobis dedit ac dereliquit exemplum. Nam directe ac proprie reliquit nobis exemplum tertiæ patientiæ, patiendo amarissimam mortem absque omni propria culpa, pro mera justitia. Primæ vero et secundæ patientiæ nobis reliquit exemplum per locum a majori : quia quum ipse tot dura pertulerit pro justitia absque propria culpa, multo plus Christiani servi ipsius pati debent dura et aspera libenter pro propria culpa; et item quamvis culpam non habeant, quum nec oppositum culpæ quæ eis imputatur egerint bonum.

Verumtamen in qualibet patientia ista obligatur tempore opportuno quilibet Christianus aliquo modo assequi Christum, videlicet quantum ad hoc, ut quantumcumque bonus et innocens sit, propter illata tamen mala pœnalia non moveatur ad impatientiam prædominantem, quæ rationem omnino excæcat, caritatem exstinguit, et mortale peccatum est. Quantumcumque enim quis patiatur injuste ab alio, semper tamen tenetur diligere illum, et illatam injuriam ei dimittere quantum ad culpam; sed pœnam seu satisfactionem interdum exigere potest secundum tenorem et ordinem juris. Nunquam ergo propter illatam injuriam admittenda est prorsus immoderata prædominansque tristitia, perturbatio seu impatientia, sed intuitu et amore Christi est evitanda, et patientia observanda. Propter quod ad Hebræos dicit Apostolus : Patientia vobis necessaria (*Hebr.* x, 36.) est, ut bene facientes, reportetis promissionem. Christus quoque in Evangelio : In (*Luc.* xxi, 19.) patientia (inquit) vestra possidebitis animas vestras. Unde sicut in ipsa patientia anima possidetur, ita in impatientia perditur, sicut et Salomon protestatur : Qui (*Prov.* xiv, 29.) impatiens est, exaltat stultitiam suam. Itaque, propter Deum, propter Christi passionem et imitationem, propter proprium spiritualem profectum, simus in omni adversitate et tribulatione jugiter patientes. Et si quis adhuc ita imperfectus est, ut absque suo demerito illatam pœnam non æquanimiter ferat, saltem pro suis reprehensus aut punitus peccatis, patienter sustineat. Verum sunt aliqui qui se ipsos nimis excusant : quod ex superbia quadam solet procedere. Quumque redarguuntur, excusant se, et quasi consolantur se ipsos, dicendo, Beati qui persecutionem (*Matth.* v, 10.) patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; quum ipsi non propter justitiam, sed propter injustitiam suam patiantur.

Præterea, quoniam Jacobo contestante apostolo, In multis offendimus omnes, et (*Jacob.* iii, 2.) in innumerabilibus culpis, saltem venialibus, sumus rei, magis quam determinate cognoscimus (propter quod oravit Psalmista : Ab occultis meis munda me, Domine); (*Ps.* xviii, 13.) hinc in adversitatibus patientes esse debemus, quamvis conscii nobis non sumus de malo quod nobis objicitur. Imo quanto quis innocentior fuerit, tanto patientia sua est magis meritoria sibi.

Præterea, ut exemplo Christi patientes simus, docet Apostolus quam innocentissimus fuerat Christus, patientissimus in verbis et factis, et quam amarissimas nihilo minus pertulerit pœnas : quæ omnia reddunt patientiam Christi magis laudabilem, imitabilem et perfectam. Hinc si Christi passio cum circumstantiis suis ad memoriam sagaciter revocetur, omnis tribulatio æquanimiter toleratur. Ideo passionem Christi plenarie consideremus quotidie, et eam imitemur condigne. Imo et gloriemur in Domino, dum propter Christum possumus pati adversa, sicque conformari eidem : quia ut sanctus loquitur Cyprianus, nequaquam dignus est christianus vocari, qui in virtutibus non satagit Christo assimilari. Propter quod ipsemet ait : Quid vocatis me, Domine, Domine, (*Luc.* vi, 46.) et non facitis quod dico?

Insuper, non solum debemus Christi exemplo adversa æquanimiter ferre, sed

etiam simul cum Christo aliis exemplum A patientiæ et aliarum virtutum præbere, *Matth.* v, 16. quemadmodum ipse ait : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nullum igitur scandalizemus, quia qui alium scandalizat, crudelis est, quoniam animam ejus lædit. Unde, secundum Gregorium, Qui in conspectu populi male agit, tot (quantum in se est) perimit, a quot male agens conspicitur.

Amplius, quia apostolus Petrus speci- B *I Petr.* II, 22. aliter exprimit quod in ore Christi non fuerit dolus, oportet quemlibet Christianum ab omni dolo et fraude specialiter abstinere, ut nec verbo nec facto, nec per se neque per alium, quempiam fallat, sed sic faciat alteri prout vult sibi ab altero fieri. Hoc namque caritas atque justitia exigunt. Christi autem lex est lex totius caritatis et æquitatis. Hinc ait Propheta : *Ps.* v, 7. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Et Malachias propheta affir- *Malach.* I, 14. mat : Maledictus dolosus. Et in Proverbiis C *Prov.* XIV, 17. scribitur : Vir versutus odiosus est. Imo ut alibi ait Scriptura, *Job* XXXVI, 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei. Frequenter etiam accidit ut fraudulentis male succedat in exterioribus et terrenis, quemadmodum Petrus Ravennensis effatur : Quidam simpliciter vivunt, et in omnibus prosperantur; quidam versantur in dolis, et eis quælibet adversantur.

I Petr. II, 25. Postremo circa id, Eratis aliquando sicut oves errantes, pensandum quod in ovibus considerantur aliquæ proprietates lau- D dabiles. Et propter eas, electi et boni ovibus comparantur, juxta illud Psalmi : *Ps.* XCIX, 3. Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. *Joann.* X, 27. Et Christus loquitur : Oves meæ vocem meam audiunt. Hæ autem proprietates laudabiles, sunt innocentia, dirigibilitas, utilitas : ovis namque est animal valde utile carne, vellere, lacte, fimo, lana et fetu.

Considerantur item in ovibus proprietates quædam vituperabiles, utpote, stoliditas, instabilitas, nimiaque timiditas. Et ob has, iniqui ovibus comparantur, secundum illud in Psalmo : Sicut oves in inferno positi sunt. *Ps.* XLVIII, 15. Est itaque ovis stolidum obtusumque animal : nam una se projiciente in aquam aut currente in ignem, ceteræ currunt post eam. Sic unus iniquus sequitur alium in peccatis, in concupiscentiæ aquis, in igne libidinis. Propter quod scriptum est : Qui se jungit fornicariis, erit nequam; *Eccli.* XIX, 3. et, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Ibid.* XIII, 1. Rursus, ovis est animal mobile sive instabile. Sic peccatores per passiones et vitia fluctuant, neque in Deo neque in ratione figuntur. Unde ait Psalmista : Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. *Ps.* I, 4. Salomon quoque : Impius (inquit) quasi tempestas transiens; *Prov.* X, 25. justus autem quasi fundamentum æternum. Populares etiam, propter ignorantiam intellectus eorum, sunt faciliter in diversa trahibiles atque instabiles : nam uno eorum aliquid affirmante sive negante, omnes affirmant aut negant, sive sit bonum sive malum. Iterum, ovis est animal nimis timidum : quia etsi mille sint simul, non se uni lupo opponunt. Sic peccatores sunt molles et pusillanimes ad resistendum tentationibus et peccatis, et ab infernalibus lupis se spiritualiter devorari permittunt; metuunt demum aggredi viam virtutum, et bonum inchoare verentur, non attendentes quam bonus sit Deus sperantibus in se, animæ eum quærenti. *Thren.* III, 25.

Vitemus ergo vituperabiles ovium proprietates jam tactas, videlicet, stultitiam mentis, instabilitatem voluntatis, mollitiem atque formidinem cordis contra impedimenta salutis; et bonas ovium proprietates sequamur, ut simus innocentes, et ad bona dirigibiles, exemplaresque aliis et fructuosi. Talis fuit beatissimus ac patientissimus Jacob patriarcha, qui sicut in Genesi patet, fuit vir simplex et ovium custos, et humilis valde; et multas injurias ab avunculo suo Laban sustinuit : nam quidquid ex pecoribus furto periit, Laban requirebat a Jacob; et nihilo minus ipse

beatus Jacob pecora sui avunculi fidelissime pavit, in tantum quod somnus fugit ab oculis ejus. Quumque in terra esset Mesopotamiæ, ubi omnes idolis serviebant et pessimæ vitæ fuerunt, ipse constantissimus mansit in fide et cultu veri Dei, nec recessit a semitis æquitatis, sed filios suos ac conjuges traxit ad Dei obsequium, et in virtutibus erudivit. Quumque timeret fratrem suum Esau, non se disposuit ad pugnandum adversus illum, sed orationibus et lacrimis se armavit, invocans Deum ut se ab illo erueret; deinde obviam ivit fratri suo Esau cum omni humilitate, et successive prostravit se septies appropinquando ad illum. Tanti ergo Patriarchæ fidem, stabilitatem, justitiam, pacem, patientiam, humilitatem sequi debent fideles, et specialiter conjugati, et a contentionibus abstinere ac pugnis.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EGO SUM PASTOR BONUS, ETC. Joann. X, 11-16.

DOMINUS noster Jesus Christus in evangelio docet præsenti, quid ad bonum ac verum pastorem pertineat, et in quo verus bonusque pastor a falso et pravo pastore distinguatur, quid etiam ad bonos pertineat subditos. Et primo proponit se ipsum in exemplum.

Ego sum pastor bonus, hoc est, pastorale officium virtuose et plene adimplens. Christus namque sanctissimæ vitæ exemplo, evangelicæ sapientiæ documento, oratione, fama laudabili atque miraculis pavit et pascit fideles, eorum animas reficiendo et confortando. Cur etiam Christus sit bonus pastor, ipse mox clarius edocebit.

Deinceps Christus secundum utramque suam naturam est pastor : quia secundum divinitatem, pascit omnes angelicas mentes et universos Beatos suæ increatæ veritatis beatifica visione et suæ æternæ superdulcissimæ bonitatis immediata fruitione. Unde in Luca ait [*Luc.* xxii, 29, 30.] : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam. De hac refectione scriptum est in Apocalypsi [*Apoc.* xix, 9.] : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; atque in Psalmo [*Ps.* xxxv, 9.], Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; alibi quoque [*Luc.* xiv, 15.], Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Iste est panis supersubstantialis, ipsa Divinitas, summaque Trinitas. Nam et in Ecclesiastico æterna Sapientia protestatur [*Eccli.* xxiv, 29.] : Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Ipsa ergo est cibus et potus omnium Beatorum. Insuper omnia animata hæc inferiora pascit Christus ut Deus, seu quælibet Persona divina, quum opera superbeatissimæ Trinitatis ad extra sint indivisa. Propterea dicit Psalmista [*Ps.* cxliv, 15, 16.] : Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Hinc etiam in Matthæo legitur [*Matth.* vi, 26.] : Respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit ea. Sic quoque Christus ut Deus, est hominum viatorum fidelium pastor in spiritualibus alimentis, animas per dona gratiæ suæ reficiendo, consolando, corroborando, juxta illud Ezechielis [*Ezech.* xxxiv, 14.] : Ego ipse pascam oves meas. Et ita Christus est pastor essentialiter bonus, et pura infinitaque bonitas.

Insuper, secundum naturam humanam, est pastor instrumentalis, per excellentissimam divinæ bonitatis participationem summamque gratiam bonus, qui ut tactum

est, docendo, conversando, orando, miracula faciendo, pavit fideles. Imo tam affectuosus liberalisque exstitit pastor, quod corpus suum dedit in cibum sanguinemque in potum, in novissima Cœna : quod et quotidie agit in Ecclesia. Pascit demum Christus quotidie suos electos pane lacrimarum, pane Eucharistiæ, pane bonæ operationis, pane contemplationis. De hoc pastore ad Hebræos scribitur (*Hebr.* XIII, 20, 21) : Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. In Ezechiele quoque Dominus pollicetur (*Ezech.* XXXIV, 23) : Suscitabo super gregem meum pastorem unum, qui pascat eum, David servum meum, id est Christum, ut etiam Hebræorum doctores exponunt.

Deinceps Christus distinguit inter bonum et malum pastorem. *Bonus pastor,* qui suum digne implet officium, *animam suam,* id est corporalem vitam, *dat,* id est, morti exponit, *pro ovibus suis,* id est pro defensione et salute gregis sibi commissi, imo et uniuscujusque eorum in certo casu, dum scilicet rationabilis causa hoc exigit, ut dum gregi imminet salutis periculum : ut si hæretici, vel pagani, sive tyranni irrumpant Ecclesiam, ut avertant plebem christianam a fide sive justitia, nec sit qui populum tunc confirmet in fide et justitia, si pastor abierit. Plus enim tenetur diligere sibi commissos et animam cujuslibet eorum, quam proprium corpus corporalemque vitam : idcirco prælatus, qui animarum est pastor, debet pro gregis sibi crediti salute ad mortem esse paratus. (Si autem sola temporalia subditorum quærantur ab adversariis, non oportet ut exponat se morti.) Talis pastor fuit Paulus, qui dixit (*II Cor.* XII, 15) : Ego ipse libenter impendam et superimpendar pro animabus vestris. Nec solum pastor, sed et quilibet Christianus tenetur in casu animam suam pro quocumque proximo ponere, puta si proximus aliter nequeat mortale peccatum evadere. Unusquisque namque tenetur plus diligere proximi animam quam propriam

A pellem. Hinc prima Joannis scriptum est (*I Joann.* III, 16) : In hoc apparuit caritas Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Quum itaque ista sit ratio atque proprietas boni pastoris, nullus pastorale officium cupiat aut adipisci conetur, nisi se tantæ perfectionis inveniat.

Mercenarius autem, et (pro id est) *qui non est pastor* per pastoralis officii executionem, quamvis sit pastor per auctoritatem et commissionem, seu investitio-
B nem. Mercenarius etenim pastor est, qui proprium quærit commodum et honorem, non subditorum salutem; et ea quæ in pastorali agit officio, non agit intentione sincera, ad gloriam Dei salutemque populi, sed proprii lucri aut honoris respectu. *Cujus non sunt oves propriæ,* id est, ad quem non pertinent per spiritualem dilectionem et debitam curam ac gubernationem, quoniam magis quærit propria emolumenta, carnalia commoda, vitam lautam, quietam et mollem, quam animarum
C sibi commissarum spiritualem profectum atque salutem; *videt* visu corporali, seu interiori dumtaxat, *lupum venientem,* id est persecutorem aut seductorem, qui quærit animas falsa doctrina inficere et ad peccata inducere. De quibus lupis alibi loquitur Christus (*Matth.* VII, 15) : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Persecutores autem et tyranni, sunt lupi aperti. *Et dimittit oves,* id est, plebi sibi commissæ debitum auxilium non im-
D pendit, nec adversariis debito ordine se opponit, eorum erroribus resistendo; *et fugit,* vel locum mutando, vel solatium subtrahendo : quod prorsus absurdum est. Si enim non valet oves a corporali læsione seu damni illatione protegere, debet tamen eas ad patientiam animare, et ab interiori læsione ac morte pro posse fortiter custodire.

Et lupus jam dictus *rapit,* id est, sibi subjicit, *et dispergit,* id est, ab ecclesiastica unitate, caritate atque justitia sepa-

rat, et per vitia detrahit, *oves*. Si tamen A sint oves per prædestinationem, tandem revertuntur ad fidem ac æquitatem, nec pereunt. Unde de talibus ovibus loquitur Joann. x, 28. Christus : Non rapiet eas quisquam de manu mea. Itaque causa dispersionis perditionisque ovium, est negligentia pravitasque pastorum, sicut per Ezechielem loquitur Ezech. xxxiv, 5. Deus : Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. Et Salomon ait : Prov. xi, 14. Ubi non est gubernator, corruet populus.

Mercenarius autem, id est falsus, carnalis et negligens pastor, *fugit* (modis præ- B fatis), *quia mercenarius est,* id est, quoniam propria et carnalia commoda quærit; *et non pertinet ad eum de ovibus.* De jure utique pertinent ad eum ovium cura ac gubernatio, instructio atque tuitio, quoniam ratione assumpti officii ad ista tenetur, et ratio de ovibus de eo exigetur a Christo; sed de facto non pertinet ad eum de ovibus, quoniam veram caritatem debitamque diligentiam non habet ad eas.

His itaque verbis docet Salvator, quod pastor habere debet fidelem ac stabilem C mansionem cum subditis suis, ut protegat eos contra insidias dæmonum, contra vulnera animarum, eosque debito modo informet, dirigat, et ad profectum virtutum inducat, et metuat ne eo absente, subditi ab infernalibus lupis spiritualiter devorentur, male agendo aut vitam in vitiis finiendo. Hinc contra indignos mercenariosque pastores, contra negligentes, carnales et scandalosos prælatos, scribit Isaias : Is. lvi, 10. Speculatores cæci, canes muti non valentes latrare, videntes vana et dormien- D tes; et Zacharias, Zach. xi, 17. O pastor et idolum derelinquens gregem ! Tales namque sunt pastores nomine, non effectu, et instar idoli abominabiles sunt atque inutiles. Oportet ergo prælatum esse vehementer Luc. xii, 42. sollicitum et ferventem, ut sit servus fidelis et prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Est enim custos eorum pro quorum salute unigenitus Dei Filius verus Deus, incarnatus et crucifixus est : idcirco non minus solerter, affectuose atque sollicite custodire debet animas sibi commissas, quam sanguinem Christi, si illum in propria specie haberet aliquo vase inclusum. Unde in Actibus Paulus hortatur prælatos : Act. xx, 28. Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Non ergo intumescat prælatus superbia, sed humilitate ornetur, et roboretur justitia : imo tanto exsistat humilior, quanto ampliori indiget misericordia Dei ac gratia; et tanto sit justior, quanto expressius Dei similitudinem gerit in terra ejusque locum supplet in Ecclesia. Idcirco in Deuteronomio Moyses ait : Deut. xvii, 20. Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram.

Præterea qualis debeat esse pastor, docet Gregorius in Pastorali, dicendo : Oportet ut sollicite metiri se studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo prælatus cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per justitiæ zelum erectus, internorum et spiritualium curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. De indigno quoque pastore ait in homilia : Mercenarius est, qui locum prælationis in Ecclesia tenet, sed lucrum animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur.

Postremo, prælatus sic debet esse mitis, non iracundus, ut tamen in subditorum correptione et correctione non sit remissus, sed strenuus, pensans illud Apostoli ad Ephesios : Eph. vi, 4. Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina et correptione Domini.

Sciendum præterea, quod secundum Augustinum, tunc ministri Ecclesiæ seu pa-

A stores fugere possunt, quando eorum personæ tantum quæruntur, vel eorum locum ac ministerium alii possunt supplere qui non habent causam rationabilem fugiendi. Quum autem omnium commune exstat periculum seu generalis persecutio, tam clericorum quam laicorum, vel singulariter laicorum ac subditorum, nec est qui plebi remanenti sufficienter præsit atque ministret, nullo modo debent ministri Ecclesiæ fugere, nec se indigentes deserere.

Deinde Christus ostendit proprietates boni pastoris sibi inesse. *Ego sum pastor* B *bonus,* sicut expositum est : et ratio subditur. *Et cognosco meas,* id est, oves electas ac obedientes, quarum nomina scripta habeo in libro vitæ, scio per approbationem. Hinc Deus dixit ad Moysen : Novi te ex nomine. (*Exod.* xxxiii, 12) *Et cognoscunt me meæ,* id est, oves electæ ac bonæ sciunt me, non informi sed formata notitia, quia per caritatem et observantiam præceptorum me sequuntur et mihi adhærent. Aliqui tamen sunt oves secundum prædestinationem æternam : et istæ antequam morian- C tur, convertuntur atque obediunt, quamvis quædam earum diu rebelles sint. Præterea palam est, quod secundum utramque naturam Christus cognoscit oves suas duplici cognitione, utpote : contemplativa (de qua dicit Apostolus, Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus; (*Hebr.* iv, 13) de qua etiam in Ecclesiastico legitur, Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita); (*Eccli.* xxiii, 29) et item, cognitione approbativa et practica, qua providet suis electis de omnibus necessariis ad salu- D tem : de qua cognitione Paulus fatetur, Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab illo. (I *Cor.* viii, 3) Unde apud Matthæum Christus perhibet se dicturum quibusdam in die judicii : Non novi vos ; discedite a me, operarii iniquitatis. (*Matth.* vii, 23)

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. Verba hæc dupliciter exponuntur. Primo, ut in eis determinetur modus quo Christus cognoscit oves suas et ab eis cognoscitur, ut sit sensus : « Sicut novit me Pater » notitia amorosa ac approbativa, « et » sicut « ego agnosco Patrem » eodem modo, imo eadem notitia numero, secundum quod Deus sum (nam trium Personarum est una notitia sicut et una essentia), subaudiendum est : Sic cognosco oves meas per amorem et approbationem, et cognoscor ab eis, quoniam gratæ et subjectæ sunt mihi. Sicque dictio, Sicut, dicit similitudinem aliqualem, non æqualitatem. Filius quippe ut Deus, cognoscit Patrem, et a Patre cognoscitur, notitia plene comprehensiva, æterna et infinita, quæ nulli creaturæ est communicabilis, juxta illud Matthæi : Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius. (*Matth.* xi, 27) Filius quoque ut homo, novit Patrem notitia beatificæ fruitionis, quæ non competit viatoribus. Amor etiam electorum ad Christum, non est æqualis amori Christi ad eos, nec mutuæ dilectioni Patris ac Filii. Designat ergo similitudinem quamdam. Juxta quem modum ait Joannes in prima sua Canonica : Sicut Pater est, et nos sumus in hoc mundo; (I *Joann.* iv, 17) Paulus quoque, Tunc cognoscam sicut et cognitus sum ; (I *Cor.* xiii, 12) atque Salvator, Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. (*Matth.* v, 48)

Secundo exponitur sic : « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem », scilicet plene et comprehensive, secundum quod Deus sum : et hoc ideo dicit Christus, ut pateat ex quo fonte procedit, quod oves suas cognoscit ac diligit. Ex mutuo namque amore Patris et Filii, factum est ut Filius pro hominibus moreretur. Ideo subditur : *et animam meam pono,* id est, pœnis mortis expono, et vitam meam corporalem in ara crucis offero, *pro ovibus meis,* id est hominibus, ut a morte peccati atque inferni eripiantur, et beatitudinem consequantur. Unde per Jeremiam loquitur Christus : Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum meorum. (*Jer.* xii, 7) Denique Christus non ait, Animam meam pono pro omnibus ; sed, « pro ovibus meis », id est electis : quoniam licet pro omnibus passus sit et satisfecerit sufficienter, non ta-

men efficienter, quia in solis electis passio A Christi suum finalem sortitur effectum, qui est salus æterna. Hinc in Cœna dixit (Matth. xxvi, 28.) discipulis : Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et in Isaia scri- (Is. liii, 12.) ptum est : Ipse peccata multorum tulit. Ait ergo Filius Dei, Sicut novit me Pater, etc., hoc est, moriendo pro ovibus ostendo quantum Patrem ovesque diligo, quia pro Patris honore et gloria homines redi- (Joann. xv, 13.) mo, et majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Et alias oves habeo, id est, multi gentilium sunt de numero ovium mearum secundum prædestinationem æternam, quamvis secundum præsentem justitiam necdum sint oves, sed hœdi ac lupi. De quibus (Matth. viii, 11.) alibi loquitur Christus : Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham in regno cœlorum. Unde Isaias (Is. lv, 5.) prædixit : Ecce gentem quam nesciebas, vocabis. *Quæ non sunt ex hoc ovili,* id est de synagoga et numero Judæorum. *Et illas oportet me,* non per coactionem aut absolutam necessitatem, sed per immobile beneplacitum et necessitatem conditionatam, seu ex hypothesi, utpote si salvabuntur, et quia sic prophetatum consistit, *adducere,* id est per Apostolorum prædicationem et Spiritus Sancti illustrationem ad fidem colligere, atque de multis eorum erroribus ad catholicam veritatem et ecclesiasticam unitatem reducere. Unde talibus jam conversis scripsit beatissimus (I Petr. ii, 25.) princeps Apostolorum : Eratis aliquando D sicut oves errantes, sed conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. *Et vocem meam,* id est evangelicam legem et allocutionem meam internam, *audient,* credendo et obediendo, secun- (Ps. xvii, 45.) dum illud in Psalmo : Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Unde et in Actibus Paulus lo- (Act. xxviii, 28.) quens induratis Judæis : Notum (inquit) sit vobis quia gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. Hoc adjecit Salvator, ne pro solis Judæis crederetur venisse et passus esse.

Et fiet unum ovile, id est una Ecclesia, hoc est una fidelium congregatio, ex electis Judæis ac conversis gentilibus constans : quæ dicitur una, propter unitatem fidei, spei et caritatis. Ipsa namque est unum mysticum corpus Christi, quod ab uno capite principali, videlicet Christo, gubernatur, uno Spiritu Sancto vivificatur, una lege dirigitur, uno Baptismi fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno B Patre regeneratur, ad unam patriam graditur ; atque in terra habet unum caput vicariale, dominum Papam, in quo ecclesiasticæ plenitudo potestatis vere consistit, et qui universali toti Ecclesiæ præsidet, tanquam summus, plenus et generalis vicarius Christi. Christus itaque ex duobus populis fecit unam Ecclesiam. Propter quod dicitur lapis angularis, quoniam sic- (Is. xxviii, 16.) ut in lapide angulari uniuntur duo parietes, ita in Christo tanquam in capite, conjuncti sunt duo populi. Unde et Pau- C lus : Ipse est, inquit, pax nostra, qui fecit (Ephes. ii, 14.) utraque unum. Quod et per Zachariam ita prædictum est : Ipse ædificabit templum (Zach. vi, 13.) Domino, et consilium pacis erit inter duos illos, puta Judæos et gentes.

Fiet ergo unum ovile, *et unus pastor,* id est, Christus totius Ecclesiæ et omnium gentium conversarum erit pastor, et non Judæorum duntaxat. De quo in Michæa habetur : Ipse stabit, et pascet in fortitu- (Mich. v, 4.) dine Domini. Verumtamen in fine sæculi, quando juxta Apostolum ad Romanos, (Rom. xi, 26.) Israeliticus populus convertetur, detecta Antichristi perfidia per Eliam et Enoch, istud implebitur magis perfecte, quia tunc mundus, paucissimis Antichristi satellitibus demptis, convertetur ad Christum, et idololatria penitus destruetur. Quemadmodum etiam unus est totius Ecclesiæ pastor principalis, scilicet Christus, ita et unus est universalis Ecclesiæ pastor vicarialis, videlicet Pontifex summus, a quo unitas Ecclesiæ secundario est dependens. Quod qui negant, enormiter errant.

SERMO SECUNDUS

DE ACTIBUS ET PROPRIETATIBUS BONI PASTORIS.

D*ABO vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Jer. III, 15.

Inter præcipua dona Dei est habere bonum pastorem, id est sapientem et virtuosum. Quod patet ex hoc, quoniam salus subditorum dependet præcipue ex bonitate et diligentia pastoris; ex negligentia vero et pravitate pastoris potissimum procedit subditorum mala conversatio atque æterna damnatio. Propter quod scriptum
Eccli. x, 2. est in Ecclesiastico : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales sunt habitantes in ea. Apud Jeremiam quoque loquitur sacra
Jer. x, 21. Scriptura : Quoniam stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Inferiores namque sequuntur voluntatem et exempla superiorum suorum. Nil itaque plus nocet populo christiano, quam mala et scandalosa pastorum vita. Hinc pastores et universi prælati ac præsidentes tanto diligentius dare se debent ad virtuosam exemplaremque vitam, quanto ex bona eorum conversatione major oritur fructus in populo, quanto etiam ex prava conversatione ipsorum major dissolutio ac ruina in populo nascitur. Hinc timorati, custoditi et virtuosi in omnibus esse debent : alioqui supergravissima erit eorum damnatio, et subditorum vitia atque perditio redundabunt in eos. Quum ergo tam fructuosissima sit boni pastoris præsidentia, Deus populo suo pro maximo beneficio promisit per Jeremiam, quod daturus esset eis pastores secundum cor suum, id est sibi placentes, videlicet dignos et fructuosos : quales in novo Testamento fuerunt in primis sancti Apostoli et alii discipuli Christi, deinde successores illorum. Et usque in præsens sunt aliqui tales, quorum officium est pascere populum, id est corda eorum reficere scientia et doctrina, ut scilicet sciant quid credere et quid agere debeant.

Denique, qualiter pastor habere se debet circa populum sibi commissum, potest attendi ex his quæ pastores pecorum seu ovium exhibent ovibus suis. Primo enim educunt eas de ovili ad campos seu pascua. Sic pastor hominum, populum sibi creditum debet educere de propriis domibus ad ecclesiam, in qua sunt spirituales pascuæ fidelium, utpote sacramenta, divina Officia, sermocinationes et informationes salubres, quibus animæ nutriuntur ac spiritualiter impinguantur, secundum
illud in Psalmo : Replebimur, Domine, in *Ps. LXIV, 5.*
bonis domus tuæ, id est ecclesiæ. De qua
per Isaiam Dominus loquitur : Domus mea, *Is. LVI, 7.*
domus orationis vocabitur. Sic autem debet pastor populum suum educere, hoc est, eum hortari ut diligenter ac frequenter visitet ecclesiam quantum potest, præsertim diebus festivis et in profestis, nec solum veniant ad Missam, sed ad Matutinas quoque ac Vesperas, et sermoni intersint, et fabulationes ibi devitent; eos quoque qui ita non agunt, diligenter corripiat et emendet.

Secundo, pastor pecorum seu ovium ante eas pergit. Sic pastor hominum debet eos in omni operatione virtutum præcedere, et quæ verbis dicit ac docet, operibus demonstrare : alias gregem sibi commissum enormiter scandalizat, et parum nihilve proficit, quoniam teste Gregorio, cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Quemadmodum

Act. I, 1. ergo de Christo ait Scriptura, quod cœpit facere et docere, ita prælati et prædicatores verbi Dei primo incipiant facere quæ pertinent ad salutem, deinde doceant.

Tertio, pastor ovium quum venerit cum eisdem ad pascua bona, ibi subsistit ad tempus, quousque oves competenter sumpserint inde. Sic pastor hominum, dum subditos suos ad spiritualia perduxerit alimenta, utpote ad considerationem vitæ sanctorum Patrum, ad auditionem sermonum salubrium, ad divinum Officium, ad orationes, meditationesque sanctas, ad sacram communionem, debet cum eis in talibus actibus immorari, ne nimis cito desistant a talibus. Sed, proh dolor! multi sunt qui fatigantur si Orationem dominicam decies aut vicies legant, nec tamen lassantur si per tres aut quatuor horas inutilia, vana et frivola verba loquantur. Quidam etiam ante finem sermonis ac divini Officii, de ecclesia absque rationabili causa egrediuntur : quod reprehensibile est omnino. Unde B. Gregorius scribit, quod dum quidam de monachis S. Benedicti esset instabilis in choro tempore divinorum, S. Benedictus vidit quod diabolus in specie Æthiopis traxit monachum illum de choro. Deinde B. Benedictus corripuit et correxit atque instruxit monachum illum : sicque deinceps mansit stabilis in divinis.

Quarto, pastor ovium manet cum eis, et a feris ac lupis protegit eas pro posse, custoditque eas, ne errent, et errando in dentes ruant luporum. Ita et pastor hominum cum populo sibi commisso debet manere, nec se absque causa rationabili absentare, nec insufficientem vicarium ponere, sed ab infernalium luporum, videlicet dæmonum, tentationibus eum præservare, instruendo eum qualiter tentationibus ac peccatis resistere debeat ac prævalere. Debet et diligenter populum suum custodire, ne a via virtutum recedat, ambulando per devia vitiorum, sicut hortatur Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. (*I Cor.* X, 12.) Unde in Ecclesiastico scriptum est : (*Eccli.* XXXII, 25.) In viam ruinæ non eas. Via quippe ruinæ est operatio vitiosa, quæ ducit et ruere facit peccantem in foveam infernalem. Hanc viam incedit, qui divina præcepta transgreditur. Quod quantum vitandum sit, testatur Propheta, qui loquitur Deo : Maledicti qui declinant a mandatis tuis. (*Ps.* CXVIII, 21.)

Quinto, pastor ovium oves errantes revocat et reducit : imo currit post eas, si opus est, quousque redeant. Sic pastor hominum, quemcumque ex sibi commissis male viventem cognoverit, eum mox revocare atque reducere debet, corripiendo, hortando, docendo, rogando, castigando, sed et publice ac privatim contra vitia ejus sermocinando. Et juxta Christi doctrinam, debet eum, si opus fuerit, corripere primo inter se et illum solum; quod si ita non emendaverit se, adhibere debet unum vel duos testes; si vero nec ita emendaverit se, arguendus est publice, et debite corrigendus. (*Matth.* XVIII, 15-17.) Istud omnino facere debet omnis prælatus : quia ut sanctus ait Gregorius, pastor tot perimit, quot corripere negligit; et illorum damnatio sibi imputatur, quos corripere et castigare cum debita diligentia ac perseverantia non conatur. Idcirco ad Timotheum scribit Apostolus : Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia. (*II Tim.* IV, 2.)

Sexto, pastor ovium signat eas, ut eas agnoscat, et si amissæ fuerint, eas valeat invenire. Ita et pastor hominum sibi commissos debet signare, id est eorum mores et opera considerare; et si viderit quempiam a bono defecisse atque a dæmone victum esse, debet eum diligentissime quærere, quousque ad viam salutis ipsum reducat.

Septimo, pastor ovium eas considerat, si aliquam forsan inveniat morbidam, et illi pro posse succurrit. Sic hominum pastor singulos debet attendere : et in quocumque peccato deprehenderit aliquem esse, statim cum omni conatu debet insistere ut illum reformet et curet; et quanto quis defectuosior fuerit, tanto circa il-

lius salutem debet sollicitior agiliorque exsistere.

Octavo, pastor ovium reducit eas ad proprium ovile, et inibi claudit eas ac nutrit, quousque rursus eas educat. Sic pastor hominum subditos suos debet instruere, ut deforis ad propria redeuntes, intrent, sicut ait Salvator, cubiculum suum, et ibi, clauso ostio, orent Patrem cœlestem in abscondito. *Matth.* VI, 6.

Ecce ista sunt opera boni pastoris, qui populi sibi commissi salutem præponit A propriis commodis. Talis pastor fuit sanctus rex David, qui quum videret angelum Dei percutientem populum suum, se ipsum obtulit percutiendum, ut populus suus non perceuteretur : nam dixit, Domine Deus Israel, vertatur, obsecro, manus tua in me et in domum patris mei, et populus tuus non percutiatur. Et propter tantam sancti David caritatem, humilitatem ac pœnitentiam, Deus præcepit angelo ut cessaret a populi percussione, ut secundo Regum habetur. II *Reg.* XXIV, 17, 25; I *Par.* XXI, 17, 27.

SERMO TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS ET ACTIBUS BONORUM SUBDITORUM.

OVES *meæ vocem meam audiunt.* Joann. x, 27.

In præcedenti sermone ostensum est quales esse debeant omnes animarum curam habentes; nunc declarandum est quales esse oporteat subditos ut salventur. Quemadmodum autem proprietates et actiones boni prælati considerantur ex hoc quod pastor vocatur, sic proprietates et actiones bonorum subditorum pensantur ex hoc quod in Scripturis sanctis oves sæpissime appellantur. Ideo bonæ ovium proprietates et actiones eis debent competere, ut boni sint subditi. Considerandæ sunt itaque laudabiles ovium proprietates, ex quibus unusquisque possit perpendere an vere sit christianus, et vere atque salubriter subditus, Christique ovis.

Primo itaque ovis est animal valde simplex. Sic omnes Christiani et subditi debent ovina simplicitate esse ornati, hoc est absque vitio duplicitatis et dolositatis, absque calliditate vulpina, simulatione, ut sint mente sinceri et simplices animo, rectam intentionem semper habendo, neminemque injuste fallendo. Hinc Jacobus apostolus in sua ait Canonica : Vir duplex B animo inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob.* I, 8. Et rursus hortatur : Purificate corda, duplices animo. *Jacob.* IV, 8. Atque ad Philippenses scribit Apostolus : Omnia facite sine murmurationibus, ut sitis simplices filii Dei. *Philipp.* II, 14, 15. Debent etiam simplices esse in verbis, quia ut in Ecclesiastico scribitur : Qui sophistice loquitur, odibilis est; in omni re defraudabitur. Non est illi data a Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est. *Eccli.* XXXVII, 23, 24. Verumtamen ista Christianorum et subditorum simplicitas non debet esse asinina, quia non debet carere vera prudentia; sed columbina, quia carere debet vulpina astutia. Propter quod loquitur Christus : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* x, 16. Hanc sanctam simplicitatem non habent maligni, qui pacem et dilectionem habere se cum alio fingunt, et verbis ac signis ostendunt, et tamen intrinsecus odiunt, insidiantur, nocent ac obloquuntur. De quibus ait Psalmista : Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. *Ps.* XXVII, 3. Hi non sequuntur Dominum Jesum Christum, sed Judam proditorem, qui osculando ac salutando prodidit Christum.

Secundo, ovis est animal dirigibile et obediens, pergens quo pastor dirigit baculum; nec repugnat, nec instar canis mordet in baculum. Sic omnes Christiani et subditi debent superioribus suis in licitis et honestis, ac pertinentibus ad salutem, prompte atque hilariter obedire, et dirigibiles esse, non rebelles, nec pertinaces in proposito suo, sed rationabili informationi acquiescentes. Hinc ad Hebræos dicit Apostolus : Obedite præpositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Inobedientia namque seu rebellio est diabolicum vitium. Hac dirigibilitate et obedientia carent, qui festa et jejunia Ecclesiæ non observant, nec cetera quæ jussit Ecclesia, et qui superiores suos de facili spernunt, judicant et diffamant, non attendentes quod Christus ait vicariis suis prælatis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Imo, si pastores ac præsidentes sint manifeste reprehensibiles, adhuc tamen sunt honorandi, in quantum sunt vicarii Christi, et prælatica potestate seu præsidentia sublimati; obediendum quoque est eis in his quæ eorum concernunt officium. Et quamvis non vivant ut docent, nihilo minus boni prudentesque subditi sequi et implere debent salubrem eorum doctrinam, nec sequi nec adspicere reprehensibilem eorum vitam. Hinc in Evangelio ait Salvator : Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi : quæcumque ergo dicunt vobis, facite; secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt.

Hebr. XIII, 17. — *Luc.* X, 16. — *Matth.* XXIII, 2, 3.

Tertio, ovis est animal utile et fecundum. Sic quilibet Christianus et subditus debet esse utilis proximis suis pro posse, consilium atque auxilium impendendo, et exemplariter conversando. Unde ait Apostolus : Per caritatem servite invicem; et rursus, Quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. Hinc in Apocalypsi ait Joannes : Qui audit dicat, Veni; hoc est, qui verbum Dei audit intus ab instinctu angelico vel divino, aut foris ab homine aliquo, dicat proximo suo, Veni, id est, invitet ac trahat eum ad faciendum bona quæ ipse audivit esse agenda, ut habeat eum in bonis operibus socium. Hoc est quod princeps Apostolorum hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Porro his contrarium faciunt, qui alios trahunt ad vanitates, ad iniquitates, ad jocos, ludos, choreas, spectacula, comessationes, potationes, loquacitates, lascivias. Quibus non sufficit damnatio propria, sed in se transfundunt aliorum peccata : ideo non sunt oves Christi, sed hœdi, et instrumenta, cooperatores satellitesque diaboli, ac adversarii Dei, et multum odibiles ei. Qui utinam adverterent quod apud Matthæum ait Unigenitus Patris æterni : Væ homini per quem scandalum venit.

Galat. V, 13. — *Rom.* XIV, 19. — *Apoc.* XXII, 17. — *I Petr.* IV, 10. — *Matth.* XVIII, 7.

Insuper omnis Christianus ac subditus debet esse fecundus, id est virtuosis operibus plenus : ut in mente habeat salubres cogitationes, caritativas affectiones, salubria quoque proposita, in ore, vera, utilia et ædificatoria verba, atque divina exsequatur præcepta toto corpore et anima. Hinc ad Corinthios ait Apostolus : Stabiles estote, abundantes in opere Domini semper. Etenim quam vitandæ sint cogitationes inutiles, constat ex eo quod per Michæam loquitur Deus : Væ qui cogitatis inutile. Et Sapiens ait : Spiritus Sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, hoc est a cogitationibus vanis et fatuis. Propter quod in Proverbiis æterna et increata Sapientia protestatur : Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Si ergo tam vitiosum atque damnabile est inutilia et inania cogitare, quam damnabile ac vitiosum consistit nociva cogitare ac turpia? Quod si ita se habet, quam damnabile prorsus est opere exsequi ea? Verumtamen istud intelligendum est de cogitationibus hujusmodi, dum eis consentitur, aut sine resistentia quis nimium immoratur.

I Cor. XV, 58. — *Mich.* II, 1. — *Sap.* I, 5. — *Prov.* VIII, 12.

Quarto, ovis est animal naturaliter ti-

mens ac fugiens lupum. Sic quilibet Christianus et subditus abhorrere, odire ac fugere debet diabolum et peccata, ac pravorum consortia, ne cum perversis pervertatur, ne associando se luxurioso ad turpitudinem inducatur, ne communicando superbis discat superbiam. Scriptum est enim in Ecclesiastico : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. (*Eccli.* xiii, 1.) Præcipue vero vitanda est luxuriosa societas, quoniam instar serpentis inficit animam et occidit. Idcirco quærenda et conservanda est societas, amicitia et communio sapientium et bonorum, piorum mansuetorumque hominum, cum quibus possit quis in sapientia virtutibusque proficere, juxta illud Ecclesiastici : Cum viro sancto assiduus esto, et quemcumque cognoveris observantem timorem Domini, cujus anima est secundum animam tuam. (*Ibid.* xxxvii, 15. 16.) Et alibi scriptum est : Quum videris sensatum, statim evigila ad illum. (*Ibid.* vi, 36.)

Quinto, ovis est animal innocens et mansuetum. Sic universi Christifideles debent esse innocentes et mites, ut nemini noceant, neminem scandalizent, et impetum iræ refrenent, atque amicabiliter ac dulciter inter proximos conversentur, quoniam in Proverbiis Salomon loquitur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor ; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ? (*Prov.* xxvii, 4.)

Postremo, aliæ multæ proprietates lau- A dabiles, quas nimis prolixum esset nunc prosequi, inveniuntur in ovibus. Est enim ovis animal pacificum et quietum, sobrium et modestum. Sic fideles ac subditi debent simul pacifice conversari, morigerati ac sobrii esse, ut in cibo ac potu, non voluptatem sed necessitatem requirant, nec immoderate se repleant, quia natura paucis contenta est. Et Christus : Videte (inquit) ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. (*Luc.* xxi, 34.)

Itaque præinductas ovium laudabiles B proprietates habere omnes conemur, atque opposita mala vitemus, ut veraciter oves Christi jugiter simus, quatenus in die judicii ad ejus dexteram collocemur.

Legitur de S. Francisco, quod sicut ipse valde simplex et innocentissimus fuit, sic oves multum dilexit. Unde quum quadam nocte fuisset in quodam hospitio, contigit nocte illa quod ovis quædam peperit ibi agniculum, quem porca crudelis de mane occidit. Quo cognito, S. Franciscus vehementer condoluit et fortiter flevit, male- C dixitque porcæ illi. Quæ statim cœpit acriter infirmari, febricitare ac tremere, et vexabatur quousque decessit. Si ergo sanctus vir ille in tantum condoluit agno a porca occiso, quantum condolendum est piis, pauperibus innocentibusque hominibus, dum a crudelibus ac potentioribus opprimuntur? Propter hoc sanctus Job dixit: Flebam quondam super eo qui afflictus erat; et compatiebatur anima mea pauperi. (*Job* xxx, 25.)

SERMO QUARTUS

DE DOCUMENTIS ALIQUIBUS QUÆ PASTORES AC PRÆDICATORES IN CUNCTIS SERMONIBUS SUIS PLERUMQUE POSSUNT ET DEBENT MISCERE.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. xii, 3.

D In his verbis quæ sanctus Gabriel angelus dixit Danieli prophetæ, duo tanguntur. Primum est, quod magna erit beatitudo eorum qui docti sunt ; secundum, quod

specialiter magna erit eorum felicitas qui multos instruunt viam justitiæ ac salutis. Denique per doctos hoc loco intelligendi sunt non illi qui solam scholasticam, acquisitam et informem scientiam habent, quum tales sæpe sint tanto superbiores quo doctiores, quia impletur in eis illud Apostoli : Scientia inflat. *I Cor.* VIII, 1. Nam sua scientia male utuntur. Per doctos ergo intelliguntur qui sapientiam et scientiam habent infusam, prout sapientia et scientia sunt dona Spiritus Sancti; et ultra hoc, intellectum habent sacræ Scripturæ, et formatam notitiam eorum quæ pertinent ad salutem, ita quod eorum scientia caritate ornatur, et vita laudabili decoratur. Per eos quoque « qui ad justitiam erudiunt multos », intelligendi sunt qui prædicationes suas moribus atque virtutibus ornant ac roborant, qui cum Christo incipiunt facere et docere.

Pastores igitur et prædicatores debent infatigabiliter ac ferventer instruere populum suum, præsertim de his quæ viciniora sunt et magis necessaria ad salutem, et quoniam caritas Dei et proximi est prima summaque virtus, sine qua nulla alia virtus, nulla operatio sufficit ad salutem nec grata est Deo aut meritoria vitæ æternæ, quum dicat Apostolus : *Ibid.* XIII, 1, 2. Si linguis angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, nihil sum. Hinc in omni sermone et collatione instruendi sunt auditores ad caritatem, ut Deum super omnia diligant, atque se invicem spiritualiter ament, nec aliquem in toto mundo odiant hominem, quum odium sit mortale peccatum veram auferens caritatem, ita quod qui unum hominem odit, nec Deum, neque se ipsum, nec aliquem hominem vere ac spiritualiter amat.

Itaque auctoritates sacræ Scripturæ quæ ad dilectionem hortantur, sciat et habeat pastor ac prædicator in promptu, ut sunt istæ : *Deut.* VI, 5. *Matth.* XXII, 37, 39. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni fortitudine tua, et proximum tuum sicut te ipsum; et item, *Matth.* XXII, 40. In duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ. Et ista sunt verba Christi. Ad idem pertinet quod Petrus apostolus in prima sua scribit epistola : *I Petr.* IV, 8. Ante omnia mutuam caritatem in vobis continuam habete, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Hinc iterum ait Salvator : *Joann.* XIII, 34, 35. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Ibid.* XV, 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. De hoc multa in suis epistolis scribit S. Paulus : *Coloss.* III, 14. Super omnia (inquit) caritatem habete, quod est vinculum perfectionis; et rursus, *I Tim.* I, 5. Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Itemque : *Rom.* XIII, 8, 10. Qui diligit proximum, legem implevit; plenitudo legis est dilectio. De hoc Joannes quoque apostolus plenissime scribit in prima sua Canonica : *I Joann.* III, 11, 14, 15, 18. Hæc est (inquiens) annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum; qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem suum, id est proximum, homicida est; nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Has atque consimiles auctoritates alleget pastor seu prædicator, dum audientes hortatur ad caritatem.

Insuper hortandi sunt ad Dei timorem, quoniam timor retrahit hominem a peccato : et ita timor servilis disponit peccatorem ad caritatem et gratiam, ceterasque virtutes. Propter quod dictum est : *Ps.* CX, 10. Initium sapientiæ timor Domini. Timor vero initialis, et maxime timor filialis, conservat et perficit hominem in caritate et gratia : imo crescere facit eum in omni virtute.

Ideo sacra Scriptura valde commendat timorem Domini. Unde in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* I, 12, 13, 20. Timor Domini delectabit cor, et dabit gaudium et lætitiam in longitudinem dierum; timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis benedicetur; plenitudo sapientiæ, timere Deum. Ideo sanctus Job ait : *Job* XXVIII, 28. Ecce timor Dei, ipsa

est sapientia; et recedere a malo, scientia. A Hinc in Proverbiis Salomon exhortatur : *Prov.* XXIII, 17, 18; XIV, 27. In timore Domini esto tota die, et habebis spem in novissimo; timor Domini, fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Isaias *Is.* VIII, 13. quoque propheta : Dominum (inquit) exercituum sanctificate; ipse pavor vester et terror vester. Unde quam fatuum sit Deum justum, omnipotentem et omnia intuentem, non formidare, ipsemet pandit apud *Jer.* V, 21, 22. Jeremiam, dicendo : Audi, popule stulte, qui non habes cor : me non timebis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit? Deinceps, quam necessarius sit timor Dei, in Ecclesiastico edocetur, quo legi- *Eccli.* XXVII, 4. tur : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est mens seu conscientia tua; et rursus, *Ibid.* I, 28. Qui sine timore est, justificari non potest. *Prov.* XV, 27. Nam ut Salomon loquitur, Per timorem Dei declinat homo a malo. Propter quod *Ibid.* XXVIII, 14. iterum asserit : Beatus homo qui semper *Eccle.* VII, 19. est pavidus; et, Qui timet Deum, nihil negligit. Ecce quantum Scriptura exaltat timorem Dei. Nam et Christus in Evangelio: *Matth.* X, 28. Nolite (ait) timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed eum timete qui potestatem habet corpus et animam perdere in gehennam.

Præterea, quoniam amorem atque timorem Dei expellunt ab anima irrefrenatæ passiones animæ, utpote, ira, indignatio, impatientia, superbia, concupiscentia, ac similes motus sensualitatis; idcirco ad horum malorum devitationem, et ad virtutum eis oppositarum adeptionem ac conservationem, uberrime nos hortatur Scriptura, et potissimum Paulus apostolus in *Ephes.* IV, 1-3, 31, 29. suis epistolis, ut quum ait : Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum omni patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis, cum omni malitia; omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Hinc denuo cohortatur : Nihil *Philipp.* II, 3. agatis per contentionem neque per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes. Et iterum : Non *Galat.* V, 26. efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Induite *Coloss.* III, 12, 13, 17. vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit vobis; omne quodcumque facitis B in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. Iterum ait : Estote *Ephes.* V, 1, 2. imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Et rursus : Nolite esse prudentes *Rom.* XII, 16-18, 21. apud vosmetipsos : nulli malum pro malo reddentes; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Noli vinci a malo, sed vince in bono ma- C lum. Ista et consimilia documenta sunt in omni miscenda sermone.

Amplius, pastor et prædicator in suis sermonibus frequenter faciat mentionem de vanitate, brevitate et incertitudine vitæ præsentis, de incerta et horribili hora mortis, et de horrore ac districtione divini judicii, et quam horrendum sit incidere in *Hebr.* X, 31. manus Dei viventis, de æternis quoque inferni suppliciis, et de gloria Beatorum, de felicitate et gaudiis civium supernorum; item, quam reverenter serviendum sit Deo D omnia inspicienti ac judicanti, qui de omni etiam otioso verbo exiget rationem. Itaque pastor et prædicator magis proponat utilia et ædificatoria, quam subtilia et curiosa; et ea quæ compunctionem excitant, devotionem inflammant, pœnitentiam provocant, ad mundi contemptum inducunt, diligenter ac ferventer sermocinetur; nec aliquo modo jactet se ipsum, nec hominibus quærat inaniter complacere. Unde legitur in vita S. Pelagiæ, quod dum archiepiscopus Antiochenus multos convocasset

episcopos, fuit inter illos quidam sanctus episcopus nomine Nonnus. Qui ad instantiam præfati archiepiscopi fecit in ecclesia sermonem ad populum : in quo sermone nil erat rhetoricum, nil litteraturæ humanæ, nil ostentationis vanissimæ. Sed plenus vir ille Spiritu Sancto, contra vitia prædicavit, et futurum commemoravit judicium; atque ad tantam compunctionem lacrimarumque abundantiam provocavit A populum, quod pavimentum ecclesiæ lacrimis rigabatur. Tales quoque consueverunt esse sermones S. Bernardi, S. Francisci, et aliorum Sanctorum, in tantum quod sæpe illi qui non intellexerunt idioma sermocinationis Bernardi, nihilo minus movebantur ad fletum. In omnibus igitur aliud nil quæramus, nil aliud intendamus, nisi Dei honorem et animarum salutem.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE INTENTA MEDITATIONE ET CRUCIFORMI IMITATIONE PASSIONIS DOMINICÆ.

I *Petr.* II, 25. CONVERSI *estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* In hodierna epistola.

In præsenti epistola beatissimus princeps Apostolorum ad condignam et cruciformem nos admonet imitationem Domini nostri Jesu Christi propter nos crucifixi, qui non solum tam ignominiosissimum ac pœnalissimum mortis genus elegit, ut pro nostris satisfaceret culpis, et beatitudinem nobis recuperaret amissam, sed etiam ut cunctarum nobis ostenderet virtutum perfectionem, et ad earum adeptionem nos invitaret ac animaret. Siquidem tam pœnosissimum turpissimumque mortis supplicium tam patientissime, mansuetissime, fortissime, humillime, amorosissime, innocentissime sustinendo, ad perfectam nos provocavit patientiam, mansuetudinem summam, fortitudinem mentis invictam, profundissimam humilitatem, ardentissimam caritatem, innocentiæ reparationem, et incessabilem gratiarum actionem. Hinc in præsenti epistola sacratissimus asserit *Ibid.* 21. Petrus apostolus : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut se- B quamini vestigia ejus. Ejus quippe vestigia sequimur, si in prætactis eum virtutibus imitemur, et ad vitandum omne peccatum simus solliciti. Unde subdit de Christo : Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (I *Petr.* II, 22.) Quo constat quam vehementer ac specialiter omnem dolum, hoc est omne mendacium, perjurium, falsum testimonium, omnem calliditatem, simulationem, hypocrisim, detestari ac fugere debeamus, ut simus mutuo et coram Deo sinceri, veraces, virtuosi et C simplices. Simulatores namque et callidi provocant iram Dei; et vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis; virumque sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. (*Job* XXXVI, 13. *Jacob.* I, 8. *Ps.* V, 7.)

Itaque, sicut Christus quum malediceretur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur : ita et nos maledicentibus et injuriantibus nobis nequaquam mala rependamus similia. (I *Petr.* II, 23.) Imo illud ad Romanos studeamus implere : Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledice- D re. Nulli malum pro malo reddamus; non vincamur a malo, sed vincamus in bono (*Rom.* XII, 14, 17, 21.)

malum. Quid est non vinci a malo? Nonne martyres sancti ab impiis interfecti, a malis sunt victi? Dicendum, quod ille a malo non vincitur, qui alterius improbitate, injuria, detractione, malitia, negligentia, tarditate, non provocatur, non scandalizatur, non perturbatur. Qui vero tanta serenitate, patientia, stabilitate, mansuetudine, caritate, pietate et alacritate solidatur in Deo, roboratur in animo, decoratur in cœnobio, quod aliorum contra se aut reliquos conceptam indignationem, displicentiam, impatientiam, iram, turbationem, invidiam mitigat, sopit, confundit, exstirpat, is vincit in bono malum. Ad quod nos hortans princeps Apostolorum : Conversationem (inquit) vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vestris vos considerantes, glorificent Deum. *I Petr.* II, 12.

O quam amabilis est Deo, quam venerabilis angelis, quam utilis proximis, qui sua humilitate alterius sanat elationem, sua alacritate accendit alterius tarditatem, sua mansuetudine in alio curat iram, sua caritativa benevolentia confratris exstinguit rancorem, sua serenitate aliorum turbulentiam sedat, et morum suorum splendida venustate, aliorum dissolutionem, incompositionem, inquietudinem tacitus increpat et reformat! Verum sunt quidam horum tam expertes bonorum, tam infirmi et imperfecti, quod si ab aliquo proclamentur, exerceantur, accusentur, corripiantur, molestentur sive irrideantur, mox intra se commoventur, et vultu indisponuntur, cogitantque vicem rependere, ac sæpe protinus reaccusant, invehunt, redarguunt, replicant vetera et diu præterita, aut etiam dudum indulta, petunt sibi justitiam fieri, et vix a præsidente queunt compesci. Ubi est patientia, reformatio aut profectus istorum? Qualiter Salvatorem sequuntur dicentem, Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me? Et ubi est quod Joannes ait apostolus, Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare? Utinam isti rite advertant quod asserit Judex : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; et in quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. Videant ergo atque provideant ne quemadmodum ipsi injuriunculas sibi factas replicant, ponderant, punirique expetunt usque ad unguem, sic Judex summus universas sibi ab eis irrogatas injurias replicet et opponat eis, quum suo fuerint tribunali oblati, et secundum eorum demerita eis rependat. *Joann.* XIV, 6. *I Joann.* II, 6. *Matth.* VII, 2.

A

Præterea, Christi passionem in duobus specialiter sequi et ei nos conformare debemus : primo, eam distincte, attente atque assidue recolendo; secundo, in omni tribulatione patientiam firmam habendo. Itaque frequenter pensemus quam vehementissimum Christus in suo delicatissimo, tenerrimo, nobilissimo corpore sensit dolorem, dum sacratissimum caput ipsius spinis longis, multis et acutissimis perforabatur, manus et pedes sui sanctissimi clavis obtusis, spissis et magnis transverberabantur, corpusque totum tam crudelissime flagellabatur, quod alias inter tot vulnera exspirasset. Sicque de ceteris membrorum ejus meditemur tormentis. Conformiter suæ benedictissimæ animæ interiores attendamus dolores, quorum vis atque acerbitas, exteriorum suorum vicit acerbitatem dolorum.

B C

Insuper patientiam in omnibus solidam habeamus. Est autem triplex patientiæ gradus. Primus, ut tribulationes et adversa sine passione prædominante, quamvis non sine interiori aliquali renisione, commotione, et primis impatientiæ motibus, tolerentur. Et hic gradus spectat ad incipientes, estque necessarius ad salutem. Secundus est, ut adversa sine hujusmodi renisione et inquietudine perferantur, attamen cum labore et pugna contra se ipsum, motus pravos reprimendo, Christique passionem adspiciendo, et Dei auxilium invocando. Quod spectat ad proficientes. Tertius gradus est, ut etiam cum alacritate et gaudio, absque renisu et la-

D

bore sustineantur adversa, Christi intuitu et amore: sicut Apostoli flagellati abierunt cum gaudio a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et ista est patientia perfectorum. (*Act.* v, 41.)

Deinceps triplex est patientia ipsa: una et infima, qua homo increpationes et tribulationes pro suis peccatis sibi inflictas sive a Deo, sive ab ejus vicariis, aut a ceteris, æquanimiter suffert, reum et juste correptum se recognoscens, ac illud Job cordialiter dicens: Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi; illud quoque Judith, Non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus. Est autem patientia ista salubris, quoniam juxta Prophetam, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Secunda est patientia altior, qua æquanimiter sustinet quis adversa absque propria culpa, quamvis non fecerit opus virtutis contrarium culpæ quæ sibi imponitur: ut si quis corripiatur quasi detraxerit fratri, cui nec detraxit, nec commendationem detractioni contrariantem impendit. Tertia est patientia optima, qua sustinentur adversa absque propria culpa pro justitia: quam Christus commendans, Beati (inquit) qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hujus sanctæ patientiæ tanta est excellentia respectu primæ, ut princeps dicat Apostolorum: Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem bene facientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis. (*Job* xxxiii, 27. — *Judith* viii, 26, 27. — *Nahum* i, 9, juxta LXX. — *Matth.* v, 10. — I *Petr.* ii, 19-21.)

Nunc igitur quilibet penset ad quem horum patientiæ graduum et ad quam patientiæ devenerit speciem; et si ad primum patientiæ gradum primamque ejus speciem necdum pervenit, doleat vehementer, et de suo formidolosus periculo, protinus se emendet. Potissimum vero nos religiosi, ad supremum patientiæ gradum et ad tertiam ejus speciem properemus, ut sic vere et digne Christi imitemur vestigia, atque plenarie inveniamur conversi ad ipsum, animarum nostrarum pastorem, itemque episcopum, quia pro animarum salute obtulit semetipsum, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus æternus, omnipotens, adorandus, super omnia benedictus. Amen.

SERMO SEXTUS

DE SPIRITUALIBUS ALIMONIIS QUIBUS NOS PASCIT CHRISTUS.

EGO *sum pastor bonus*. Joann. x, 11. Optimus et amorosissimus pastor est Christus, qui se ipsum dat ovibus suis in pabulum. Denique multiplici alimonia a Deo pascimur in hac vita. Est enim panis sacramentalis, panis bonæ operationis, panis lacrimarum, panis cœlestium gratiarum, panis verbi Dei, panis contemplationis.

Sed sicut nonnulli in sæculo pinguissimis, delicatissimis, pretiosissimis, abundantissimis ferculis reficiuntur assidue, et quasi continue sedent ad mensam edendo sive bibendo, colloquendo et solatiando; ita nos religiosi, tanquam carissimi et electissimi filii patrisfamilias summi ad ejus mensam vocati, indesinenter die ac nocte prælectis et pretiosissimis, exuberantissimis atque lautissimis alimentis ab ipso

nutrimur. Si enim de sacramentali pabulo A sermo sit, nonne pane illo supersubstantiali, quo sæculares semel aluntur in anno, nos qualibet reficimur die ? Si autem de pane verbi cœlestis agatur, nonne divinis Scripturis et verbis cœlestibus, quibus sæculares certis horis in die dominica aut in festo aliqualiter nutriuntur, nos die ac nocte in abundantia magna nutrimur in cella, in choro, in cœnobio, in capitulo, et sanctos libros habemus ad manum in copia, et in divinis Scripturis sumus instructi, ita quod alterius clave seu adminiculo B non egemus ad ingrediendum pascua Scripturarum, sed propria eruditione ea intrare valemus, et spiritualiter ibi refici ac deliciari ad libitum et usque ad plenum ?

Rursus, si de pane bonæ operationis loquamur, nonne singulas horas diei ac noctis deputatas habemus ex Regula aut Statutis ad certa opera virtuosa, aut ad ea quæ directe referuntur ad talia opera? Sæculares autem si Missæ intersint, aliquid se egisse confidunt, deinde tota die in exterioribus et temporalibus occupati. Nos C vero maximam temporis nostri partem in divino expendimus cultu, videlicet septem horas canonicas persolvendo et horas de Domina, ac celebrando, orationibus ac meditationibus insistendo, scribendo, studendo, privatim psallendo.

Insuper, si de pane contemplationis sit mentio, hic panis et sapor ipsius sæcularibus ignotus est et inexpertus, nec tam præstantissimi ac delicatissimi cibi inveniuntur capaces. Nos vero hoc pane angelico ubertim reficimur, si non nos ipsos D negligimus, si vere religiosi consistimus, si exercitia nostra ad debitum finem rite referimus. Ideo equidem benignissimus ille Pater cœlestis de sæculo tanquam de Ægypto nos eduxit, in desertum pœnitentiæ nos adduxit, ad cœnobium tanquam ad quietissimum sinum, quasi ad quemdam paradisum promissionisque terram, perduxit, et in abscondito vultus sui constituit, in tabernaculo suo defendit, ut vacemus et videamus, contemplemur et experiamur quam dulcis sit Dominus, quam magna et infinita sit multitudo dulcedinis ejus, quam inæstimabilis sit pietas, dignatio et munificentia Dei circa devotos suos ministros.

At vero si de pane lacrimarum agatur, ex quotidiana dominicæ passionis memoria, omni die ad pias lacrimas resolvimur, aut certe resolvi debemus : ad quas vix semel in anno, dum Passio prædicatur, sæculares moventur. Sed et propria peccata quotidie incumbit nobis deflere ac confiteri : quæ illi semel aut bis confitentur in anno, forsitan sine planctu. Desiderio quoque cœlestis patriæ, nostrum est quotidie lacrimari, quorum est universa quæ mundi sunt aspernari, carnalia fastidire, justitiam esurire, spiritualibus desideriis æstuare, divitias, delicias et honores ut stercora reputare, ut Christum lucremur. Quomodo autem hæc facient sæculares, qui circa opes terrenas, transitorias provisiones jugiter sunt intenti ? Postremo, si de pane cœlestium gratiarum sit sermo, nonne liberalissimus Pater cœlestis omni hora nobis offert divinorum charismatum incrementa, caritatis et ceterarum virtutum augmenta, spirituales profectus, dicendo, Petite, et accipietis, quum sæcularibus magnum sit a mortalibus vitiis abstinere, gratiam impertitam non perdere ? *Joann.* XVI, 24.

Hæc ideo dixerim, primo, ut consideremus quanta, quam specialia et eminentia beneficia contulit nobis Deus, ad religionis ingressum nos incitando ac perducendo : per quod et ab innumerabilibus gravissimisque præservavit nos vitiis. Secundo, ut Deo altissimo super hoc grati esse totis laboremus præcordiis, et gratias ei assidue ardenti ac devotissima mente agere non cessemus. Tertio, ne negligamus nos ipsos, ne ignavia torpeamus, ne fatua resolvamur securitate, ne intimorati reddamur, ne aliquorum tepiditate aut pravitate frangamur, sed quotidie satagamus proficere, hoc est timoratiores, humiliores, custoditiores, patientiores, alacriores devotioresque esse ; et in his non proficere, non aliud

arbitremur quam miserabiliter inexcusabiliterque deficere. Quarto, ut sollicite discutiamus quotidie nosmetipsos : an scilicet vocatione qua vocavit nos Deus, digne jam ambulemus, an beneficiis ejus utamur legitime ; an tam ferventes et indefessi nunc simus in Deitatis obsequio, quam fervidi et infatigabiles fuimus olim in dæmonum famulatu ; an modo sic abundemus in humilitate, patientia, mansuetudine, exemplaritate, diligentia, sobrietate, obedientia, caritate, sapientia et fervore, sicut in sæculo in omni elatione, impatientia, ira, scandalositate, negligentia, fatuitate, aversione, acedia, crapula et inobedientia damnabilissime fuimus abundantes. Alioqui non est in nobis sincera morum conversio, nec reformatio satis idonea.

Præterea, nos negligentiores et pusilli, ex præinductorum consideratione humiliemus et despiciamus nos ipsos humiliatione extrema et despectione immensa : quia quum tamdiu in prætactis uberrimis, pinguissimis, pretiosissimis Dei pascuis fuerimus demorati, nihilo minus adhuc spiritualiter sumus tam macri, tam imperfecti et vacui, in tantum ut sæcularium quidam nobis devotiores, humiliores, patientiores, fractiores et ferventiores comperiantur. Quo constat, quam ingrati et negligentes exstitimus, quomodo cœlestia alimenta nobis desipuerunt, quomodo angelicum manna nauseavit anima nostra. Ex nunc ergo A in reliquum tanto jugiter simus ferventiores ac magis proficientes, quanto hactenus negligentiores, carnaliores et remissiores exstitimus.

Postremo, bonum nostrum pastorem Dominum Jesum Christum, cujus tam ineffabilis ad nos exstat dilectio, tam summa dignatio, liberalitas tam immensa, indesinenter rogemus, ut præfatis pabulis animas nostras exuberanter delicioseque pascat, ita ut carnalia vilipendamus. Pascit nos Dominus, dum gratiam et virtutes, do- B na et fructus Spiritus Sancti infundit, vel auget perficitque in nobis, dum Sacramento altaris non sacramentaliter tantum, sed spiritualiter quoque nos reficit, dum divino instinctu ad meliora nos dirigit, dum angelica inspiratione ac gubernatione nos erudit, roborat, accendit, tuetur, dum per suos vicarios superiores nostros nos edocet et hortatur, corripit, protegit, suffragatur. Mutuo quoque reficiamus animas nostras, docendo, hortando, increpando, accendendo, exemplariter conversando, C per caritatem invicem serviendo, atque honore præveniendo : quatenus sicut adipe et pinguedine repleatur anima nostra, et sit sicut hortus irriguus, ut paradisus Dei, ut cœlicus locus, in quo delectetur Dominus facere mansionem, multiplicare charismata, opus facere consummatum ; sicque unusquisque gratiam quam accepit, in alterutrum administret.

SERMO SEPTIMUS

QUOD OMNEM BENE RELIGIOSUM HUMILITER OPORTET ESSE SUBJECTUM, OBEDIENTEM, DIRIGIBILEM ET DOCILEM.

Joann. x, 15. ANIMAM *meam pono pro ovibus meis.* In evangelio hodierno.

Qualis debeat esse omnis Christifidelis, præsertim religiosus, docet Scriptura, quæ eos uberrime oves appellat, ad insinuan- D dum quod bonas ovium habere debeant proprietates : quas qui non habet, non ovem Christi, sed hœdum diaboli esse se recognoscat.

Primo itaque ovis est animal valde utile

et fecundum ac fructuosum, utpote pelle, lana, lacte, fimo, fetu et carnibus. Sic religiosus debet esse suis conventualibus utilis, exemplaris, obsequiosus, in se ipso fecundus per sanctas cogitationes, divinas affectiones, intentiones sinceras, et juges occupationes internas, ut usque ad mortem laudet anima sua Deum, nec a Dei allocutione desistat, etiam manducando, hominibus colloquendo, exteriora agendo, sed semper oret secrete, meditetur, psallat, suspiret, et ferveat mente. In regularibus quoque observantiis diligens strenuusque consistat, et universa quæ Ordinis sunt, currendo sive volando magis quam ambulando adimpleat. Sit etiam Deo fructuosus, eum per opera sancta honorans, verbo, exemplo, oratione, merito vitæ ac bonæ famæ odore alios ad ipsum convertens, ut sit tanquam oliva fructifera in domo Dei, a quo rore cœlesti continue perfundatur, fructuosiorque reddatur, sicut

Joann. xv, 2. in Joanne evangelista ait Salvator : Omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Unde nos Apostolus

I Cor. xv, 58. hortatur : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. Hinc

Osee xiv, 6. in Osee loquitur Deus : Ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium. Ad hoc singulariter nos studere oportet, ut unusquisque sua bonitate, patientia, exemplaritate, discretione, oratione, consilio et auxilio fratrem suum lucretur, nec eum pro quo Christus mortuus est, perdat. Itaque, qui in observatione silentii est remissus, in surgendo piger et tardus, in psalmodia somnolentus, in divinis acediosus, in Horis distractus, in celebrando insipidus, in cibo et potu superfluus, videat sibi an vere ovis sit Christi. Si autem, quod absit, quisquam tam infructuosus consisteret, quod ad detractionem et seminationem discordiæ laberetur, is, teste Bernardo, traditor esset castri dominici, utpote claustri, introducendo in illud adversarios ejus spiritus nequam.

Secundo, ovis est animal valde dirigibile atque obtemperans, et quocumque

A pastor tetenderit baculum pergens, quo etiam pastor duxerit sive vocaverit, eum sequens. Sic plane omnem religiosum oportet esse obedientem, dirigibilem, docilem, et quod præsidens ei injunxerit, protinus exsequentem caritative et libenter, et non murmuranter implentem : quippe qui propriam voluntatem voto abnegavit solenni; quam contra votum resumere, furtum enorme sacrilegiumque censetur : contrectatio etenim rei alienæ est furtum.

Præterea, sicut affirmant doctores, quemB admodum per virtutes morales efficitur homo bene mobilis a ratione, ita per septem dona Spiritus Sancti efficitur bene mobilis prompteque dirigibilis a Spiritu Sancto, qui per suos vicarios superiores nostros jubet, injungit ac loquitur nobis. Idcirco unusquisque religiosus agnoscat et fateatur se tanto a donis Spiritus Sancti inaniorem, quanto se invenit a suis superioribus indirigibiliorem; tanto autem se donis Spiritus Sancti pleniorem confidat, quanto dirigibilior, docilior, obedientior C exstat.

Imo, quum docilitas prima esse prudentiæ pars dicatur, ad omnem informationem sapientiamque disponens, qui indocilem se et indirigibilem exhibet, ab omni vera prudentia ac salutari sapientia se vacuum esse pandit, stoliditate et stultitia plenum, ac informationi, reductioni et saluti aditum obstruentem. Hinc ad Hebræos jubet Apostolus : Obedite præpositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris *Hebr.* xiii, 17.

D reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Quocirca pensemus, quod si juxta apostolica documenta, temporalibus dominis, non solum bonis, sed etiam dyscolis, teneantur sæculares Christiani parere, *I Petr.* ii, 18. quanti facinoris est, si religiosus spirituali patri, bono pastori, renuat obedire? Hinc rursus saluberrime Apostolus ait : Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illo- *I Thess.* v, 12, 13.

rum; pacem habete cum illis. Quo beatissimo documento patescit, quanta sit illorum ingratitudo atque perversitas Fratrum qui superioribus suis molesti sunt, impatienter, discorditer, animose se habendo ad illos, aut ipsos ex passione vitando, seu officialibus resistendo : quod quidam ambitiosi et prudentes in oculis propriis, facere consueverunt.

Tertio, ovis animal est gregale, mansuetum, pacificum, non gulosum, nec delicatum, sed sobrium ac modestum. Quod totum ad omnem spectat religiosum, ne singularitate sua turbet conventum, nec partialitate dividat illum, nec suam deserat collectionem, sed consoletur, habensque simplicem victum ac necessaria, contentetur, ne inter eos annumeretur de quibus in sua Canonica Judas apostolus loquitur : Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superbiam; et iterum, Hi (inquit) sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. (*Judæ* 16. *Ibid.* 19.)

Quarto, ovis est animal valde simplex, pium, patiens ac innocens. Sic religiosum columbina simplicitate esse oportet ornatum, non vulpina versutia coopertum; sincerum, non fraudulentum; apertum, non sophistice fantem; nulli nocentem, sed omnibus pro posse proficientem, et pium, misericordem, compassivum, non crudelem, tenacem et durum. Verumtamen ista simplicitas discretione regatur, circumspectione valletur, diligentia sapientiæ custodiatur, ne periculose fallatur. Simplex equidem non circumspectus credit omni verbo, et cito decipitur, quum tamen juxta Scripturam, non omni spiritui sit credendum. (*I Joann.* IV, 1.) Imo sæpe boni et simplices Fratres a callidis et perversis male alliciuntur, inficiuntur ac subvertuntur. Ideo loquitur Augustinus : Habeto simplicitatem columbinam, ne malum alicui machineris, et serpentinam astutiam, ne alicujus supplanteris insidiis, quia non multum distat in vitio decipi sive decipere.

Quinto, ovis est animal naturaliter pavidum ac fugiens lupum. Sic religiosus sit timoratus, ne infernalium incurrat dentes luporum, ne tentationibus superetur, ne a primo cadat fervore, ne prava societate aut periculosa familiaritate lædatur : prava namque societas plurimum obest, sed incauta familiaritas gravius nocet. Idcirco religiosus felix qui semper est pavidus, undique circumspectus, et instar Cherubim oculatus, ne cadat in Dei offensam, in vitii foveam, in animi relaxationem. Pro quorum evitatione malorum, oculos interiores jugiter levet ad Regem cœlorum, illius implorando directionem, confortationem, custodiam, certus quia nisi Dominus ædificaverit domum, et custodierit civitatem, inanis est labor noster. (*Ps.* CXXVI, 1.) — Sunt autem et aliæ variæ ovium proprietates laudabiles quas imitari debemus; sed prolixitatem vitans, dimitto.

Postremo, quia tam bonum ac fidelissimum amorosissimumque habemus pastorem, Dominum Jesum Christum, qui animam suam posuit pro nobis, nosque præcessit, et nos incessabiliter ad se vocat: propterea eum indefesse sequamur, ei obtemperemus; per viam mandatorum et semitam consiliorum, per humilitatis, sobrietatis, caritatis itinera proficiscamur ad ipsum. Contemplemur et modo per fidem humiliter, per donum sapientiæ, infinitam pulchritudinem, immensam dulcedinem, interminabilem excellentiam, opulentiam, munificentiam Domini Dei nostri, omnem beatitudinem ejus, et supergloriosissimæ Trinitatis gloriam prorsus immensam, mutuam intuitionem superclarissimam, mutuam dilectionem superardentissimam penitus infinitam, mutuam complacentiam superdeliciosissimam, fruitionem superfelicissimam : sicque futuræ felicitatis et gloriæ delicias prælibemus. Ad laudem et reverentiam Omnipotentis. Amen.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CARISSIMI, OBSECRO VOS, TANQUAM ADVENAS ET PEREGRINOS, ETC. I Petr. II, 11-18.

BEATISSIMUS princeps Apostolorum, in prima sua Canonica, excellentiam dignitatis et gratiæ christiano populo per Christum collatæ, multipliciter ac diffuse commendat atque describit, inter cetera dicens : Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, etc. Quoniam itaque tanta est Christianorum per gratiam Christi nobilitas, merito hortatur eos summus Apostolus, ne per vitam ignobilem et carnalem a tantæ dignitatis degenerent prærogativa et gloria. Itaque ait : (I Petr. II, 9.)

Carissimi, cari propter conformitatem naturæ, cariores propter religionem et fidem, carissimi propter caritatem et sanctam vitam vestram, *obsecro vos.* Quid sit obsecratio, et de differentia ejus ab aliis speciebus orationis, atque de valore et præeminentia ejus, et qualiter diversimode fiat, dictum est in expositione epistolæ in dominica quarta Adventus. Potius quoque ait apostolus Petrus, Obsecro, quam, Præcipio, quia ut Seneca protestatur, generosus est animus hominis, facilius ducitur quam trahatur; et multi magis alliciuntur humili prece quam rigorosa jussione, faciliusque flectuntur humilitate et pietate quam rigore atque duritia. *Tanquam advenas,* hoc est in aliena terra degentes, quia in hoc mundo tanquam in exsilio constituti sunt homines, expulsi de paradiso pro originali peccato; *et peregrinos,* id est ad patriam cœlestem tendentes. (Cf. p. 90 D'.)

A Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, ut ad Hebræos scribitur. Hinc ait Psalmista ad Dominum : Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei. Primo quoque Paralipomenon David rex loquitur Deo : Peregrini sumus coram te et advenæ sicut omnes patres nostri. (Hebr. XIII, 14. — Ps. XXXVIII, 13. — I Par. XXIX, 15.)

Sed obviare videtur quod ad Ephesios scribit Apostolus : Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei. Et respondendum, quod fi-

B deles sunt peregrini et advenæ quantum ad mundum istum, in quo peregrinantur a Domino, gementes et flentes in valle hac lacrimarum. Non autem sunt hospites, peregrini et advenæ quoad regnum militantis Ecclesiæ, sed cives ejus ac domestici Dei, quia per fidem et caritatem ad militantem Ecclesiam pertinent, in ea persistunt, et Deo conjuncti sunt. Sunt etiam peregrini per respectum ad triumphantem Ecclesiam, ad quam tanquam ad patriam tendunt. Unde in Genesi Jacob patriarcha

C fatetur : Dies peregrinationis meæ super terram, centum et triginta annorum sunt, parvi et mali. De sanctis quoque veteris Testamenti dicit Apostolus ad Hebræos : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed de longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram : qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. (Ephes. II, 19. — Gen. XLVII, 9. — Hebr. XI, 13, 14.)

Itaque, « obsecro vos, tanquam advenas », A ut dictio, Tanquam, veritatem, non similitudinem tantum, designet, *abstinere vos a carnalibus desideriis,* hoc est, ea de cordibus vestris abjicere, et statim dum oriuntur refrenare, et eis nullatenus consentire, nec ex eis in opus pravum procedere, quia caro subjicienda est animæ, et
I *Cor.* IX, 27. sensualitas rationi, dicente Apostolo : Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Peregrini etenim non quærunt in deliciis carnalibus repausare, sed velociter ad patriam proficisci. Desideria quoque B carnalia mentem hominis vehementer ob-
Osee IV, 11. tenebrant, juxta illud Osee : Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor. Daniel
Dan. XIII, 56. quoque ait : Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. Idcirco, jux-
Galat. V, 24. ta assertionem Apostoli, Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Quæ militant adversus animam, quia eam dejicere et superare conantur. Tuncque prævalent, quum ad consensum aut actum illicitum animam pertrahunt. Unde C
Ibid. 16, 17. ad Galatas habetur : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Hinc Beda hic scribit : Dum concupiscentiis blandientibus caro enerviter subjugatur, tunc vitiorum exercitus firmiter contra animam armatur; dum enim concupiscentiis consentitur, diversis gravibusque peccatis anima protinus subditur. Iterum Beda hic ait : Competenter D Petrus vocat hos advenas et peregrinos, ut eo minus terrenis rebus animum subdant, quo se patriam habere in cœlis meminerint. Hoc quippe distare in vita hac inter electos et reprobos solet, quod electi tanquam peregrini et exsules, patriam exspectant et expetunt in futuro, tantoque minus in præsenti gaudiis delectantur caducis, quanto futura sine fine gaudia sperant acquirere. Reprobi vero habent hic patriam, quoniam præsentis vitæ desideriis solummodo inhiant. Ideo post hanc vitam in exsilium relegantur perpetuum, ubi cunctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patiantur adversa.

Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, utpote non carnalem et scandalosam, sed spiritualem et exemplarem. Debemus etenim Deo bonam conscientiam, proximis bonum exemplum, sicut ait Salvator : Luceat lux vestra coram *Matth.* V, 16.
hominibus. Et in Ecclesiastico scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo *Eccli.* XVII, 12.
suo, ut scilicet eum diligat atque ædificet. Hinc ad Philippenses hortatur Apostolus : Sitis sine querela, simplices filii Dei, in *Philipp.* II, 15.
medio nationis pravæ atque perversæ.

Ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, id est, quod vobis multoties obloquuntur tanquam inique viventibus. Pravi enim facile detrahunt bonis. Nam, ut sanctus Job loquitur, De- *Job* XII, 4.
ridetur justi simplicitas. In Proverbiis quoque scribitur : Ambulans recto itinere et *Prov.* XIV, 2.
timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Quemadmodum enim similitudo est causa amoris et unionis, ita dissimilitudo est causa aversionis, separationis atque rancoris. Unde, sicut contraria non compatiuntur se invicem, sic vita bonorum cum impiorum vita non convenit. Hinc in prima Canonica Joannis dicitur : Nolite mirari si odit vos mundus. I *Joann.* III, 13.
Et in Joanne ait Salvator discipulis : Si *Joann.* XV, 19.
de mundo essetis, mundus utique quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Ex bonis operibus vos considerantes, hoc est vestra opera virtuosa pensando, *glorificent Deum,* id est, eum collaudent in servis suis, *in die visitationis,* hoc est in die retributionis atque judicii, quum viderint electos exaltari a Deo, quando, velint nolint, fatebuntur se deviasse, vosque justos fuisse. Tunc etenim stabunt *Sap.* V, 1, 4.
justi in magna constantia adversus iniquos; et tunc dicturi sunt impii : Nos insensati vitam illorum æstimabamus in-

saniam, et finem sine honore : quomodo ergo computati sunt inter filios Dei? Vel, «in die visitationis», id est divinæ illustrationis et gratiosæ præsentiæ Dei, qua Deus mentes vestras illuminat, confortat ac dirigit ad conversandum tam laudabiliter inter gentes, ut opera vestra intuendo, glorificent Deum; vel, « in die visitationis », id est, quum Deus corda illorum detractorum gratiose visitare dignatur, ita ut vestras considerando virtutes, convertantur ad fidem sive justitiam, vos sequendo. Frequenter equidem contigit in primitiva Ecclesia et postea, quod infideles sanctissimam Christianorum vitam considerando, conversi fuerunt ad fidem. Unde de optimo imperatore Theodosio legitur, quod multi gentilium populi virtuosam ejus conversationem considerando, Christiani effecti fuerunt. Quotidie quoque contingit quod quidam perversi, dum evidentissime cernunt Dei ministros multum pie et caritative ac irreprehensibiliter conversari, compunguntur ac convertuntur, eosque laudant quos vituperabant : quod maxime fit dum justi retribuunt eis bona pro malis.
Rom. xii, 21. Propter quod dixit Apostolus : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.
Tit. ii, 7, 8. Hinc ad Titum scribit Apostolus : In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil mali habens loqui de nobis.

Denique omnia in ista epistola hucusque inducta, potissimum ad prælatos, doctores et religiosos pertinent, qui præ ceteris obligantur carnalia desideria amputare, spiritualiter vivere, exemplariter ac irreprehensibiliter se habere, sicut in caritate Dei et proximi debent perfectiores exsistere : nam et eorum conversatio mala alios gravius scandalizat, et magis nocte Ecclesiæ.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Hoc primo sic potest exponi, ut intuitu et amore Dei, fideles ex humilitate subdant se loco et tempore opportuno omni homini, in quantum ad Dei imaginem factus est vel gratia Dei

A in eo relucet. Juxta quem modum docet et Paulus : Per humilitatem sibi invicem *Philipp.* ii, 3.
superiores arbitrantes; et, Per caritatem *Galat.* v, 13.
servite in invicem. Hujus subjectionis perfectissimum dedit Christus exemplum in Cœna novissima, pedes discipulorum lavando. Quo facto, adjecit, dicendo : Vos *Joann.* xiii, 13, 14.
vocatis me magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, magister et Dominus vester, et vos debetis alter alterius lavare pedes, id est mutuo obsequi. Secundo, et magis B ad litteram exponitur sic : « Subjecti estote », ex debito justitiæ, per virtutem obedientiæ, « omni humanæ creaturæ », id est omni hominum dignitati seu principatui, cui dispositio divina subdi vos voluit. Unde subjungitur :

Sive regi quasi præcellenti, quia regia dignitas celsa est valde; *sive ducibus,* id est officiatis regis, *tanquam ab eo missis,* id est substitutis (quoniam per se ipsum non potest omnia expedire, sed diversos sibi subordinat officiales), *ad vindictam* C *malefactorum,* id est, ut impios secundum juris ordinem puniant, *laudem vero bonorum,* id est, ut justos commendent, honorent, exaltent : quia ad hoc substituendi sunt atque mittendi, quamvis frequenter aliter fiat. Itaque obediendum est principibus etiam malis ac perfidis, in quantum eorum prælatio et potestas a Deo est, nec ea abutuntur, hoc est quamdiu nil jubent Deo aut æquitati contrarium, nec plus exigunt quam eorum auctoritas se extendit. Ideo Christus dixit : Reddite quæ sunt *Matth.* xxii, 21.
D Cæsaris, Cæsari. De hac re plenissime scribit apostolus Paulus ad Romanos : Omnis *Rom.* xiii, 1, 2.
(inquiens) anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Unde et sacratissima legio Thebæorum, ad imperium Maximiani venit servire Romano imperio, sed maluit martyrio coronari quam idola venerari. Hinc demum patienter sunt tolerandi principes et prælati iniqui, in quantum occulto ac justo Dei judicio permittuntur

præesse, vel ad graviorem eorum damnationem, vel propter populi transgressionem ac debitam punitionem aut salubrem correctionem (juxta illud Job : Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi; qui et in Osee protestatur : Dabo tibi regem in furore meo), vel propter justorum exercitationem et coronam gloriosiorem : sic enim martyribus sanctis profuit præsidentia tyrannorum. Propterea asserit Augustinus, quod omnis malus aut ideo vivit, ut per eum impius corrigatur, aut ideo ut per eum bonus exerceatur. Hinc subditur :

Job xxxiv, 30. *Osee* xiii, 11.

Quia sic est voluntas Dei, id est præceptum ipsius, seu placitum ejus, secundum quod duplex ponitur Dei voluntas, utpote signi et beneplaciti, *ut benefacientes,* id est, præfato modo obedientes superioribus omnibus, *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam,* id est, imperitam oblocutionem atque loquacitatem ex imperitia venientem : quia nisi sic obediretis, detraherent legi et Evangelio Christi et vobis, quasi Christus perturbet ordinationem vitæ humanæ, inferiores a superiorum obeditione avertens (quod et Judæi objecerunt Christo coram Pilato, dicentes : Hunc invenimus prohibentem tributa dari Cæsari); vos quoque judicarent rebelles. Potest autem hic locus generaliter explanari : « Sic est voluntas Dei, ut benefacientes », id est, virtuose viventes « obmutescere faciatis », quantum in vobis est, « imprudentium hominum ignorantiam », quoniam bene vivendo, subtrahitis eis materiam detrahendi, quatenus ipsa veritatis evidentia coacti et victi, cessent detrahere, incipiantque laudare. Ideo dicit Paulus apostolus : Nemini (inquiens) dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.

Luc. xxiii, 2. II *Cor.* vi, 3.

Quasi liberi, id est, vera libertate sitis ornati, ut non serviatis peccato, nec subjecti sitis diaboli jugo. Unde in secunda beatissimi Petri epistola legitur : Iniqui sunt servi corruptionis; a quo enim quis victus est, hujus et servus est. Christus A quoque fatetur : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem :* id est, libertatem hanc vobis a Christo collatam, qui vos a servitute peccati ac dæmonum liberavit. Unde in Joanne ait : Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Hanc (inquam) spiritualem libertatem non assumatis pro velamine et palliatione malitiæ, asserendo quod ideo non debeatis esse subjecti principibus terræ, quia per Christi passionem gratiamque Baptismi liberi B estis effecti : siquidem illa libertas ab hac servitute et subjectione non eripit. Hinc loquitur Paulus : Vos in libertatem vocati estis, fratres : tantum, ne libertatem in occasionem carnis detis.

II *Petr.* ii, 19. *Joann.* viii, 34. *Ibid.* 36. *Galat.* v, 13.

Deinceps sua libertate male utuntur, qui quanto minus subjiciuntur hominibus, eo intimoratius et irrefrenatius peccant : ut sunt vitiosi prælati, principes mali judicesque iniqui. Idem faciunt Christiani qui ideo coram Deo sunt incustoditi, quia ab observantiis legis Mosaicæ sunt erepti, qui- C bus subjici fuit gravissimum jugum. Unde nonnulli obtenebrati, idcirco rationabiles suorum superiorum ordinationes contemnunt, quia lex Christi, lex libertatis vocatur. Verumtamen ordinationes hujusmodi non sunt immoderate nec sine causa rationabili multiplicandæ, ut asserit Augustinus, et Thomas allegat.

Porro, quasi vere liberi bene agunt, qui quanto majori apud homines libertate utuntur, tanto diligentius serviunt Deo, scientes quod tanto districtius a Deo sint D judicandi, quanto nunc plus humana evadunt judicia. Tales sunt prælati ac principes timorati, pensantes quod scriptum est : Quia judicium gravissimum in his qui præsunt, fiet. Rursus, quasi liberi bene agunt, qui etsi cum patriarcha Joseph servitio deprimantur humano, vitiis tamen servire nullatenus compelluntur, malentes mori quam Deum offendere et a Creatore averti. Ideo subditur : *Sed sicut servi Dei,* id est, ita agatis et obediatis, ac vestra libertate utamini, ut decet Dei ministros.

Sap. vi, 6.

Qui quum sint justi, reddunt unicuique quod ei tenentur, secundum illud ad Romanos : Reddite omnibus debita : cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal. [Rom. XIII, 7.]

Omnes honorate, in quantum summæ sunt Trinitatis imagine insigniti, ad æternam felicitatem creati, gratia Dei actu vel potentia decorati, et potissimum quoniam propter homines Deus factus est homo, et suspensus in ligno. Nihilo minus transgressores in quantum hujusmodi, sunt puniendi et redarguendi. *Fraternitatem diligite,* hoc est omnes proximos, potissimum Christianos, qui fide et religione sunt fratres, ex Christo et Ecclesia in Baptismo regenerati. *Deum timete* filiali et casto timore, qui oritur ex amore. Quo timore timet quis Deum, ne separetur ab eo, quem maxime diligit : sicque timet Dei offensam magis quam propriam pœnam. Qui autem timet Deum servili timore, timet Deum ne puniatur ac condemnetur ab eo; et si ob hoc solum aut principaliter timeat Deum, nihil meretur, nec vere diligit eum, sed in mortali est vitio. Talis etenim timor oritur ex privato et improbo sui ipsius amore, quo quis plus appetit proprium commodum quam Dei honorem : unde et magis veretur supplicium proprium quam Dei contemptum, et malum pœnæ plus horret quam malum culpæ, atque se ipsum Deo præponit. Quæ omnia sunt perversa, et contra ordinem caritatis ac legem justitiæ. Qui autem timet Deum initiali timore, timet eum partim pœnæ formidine, [A] partim amore justitiæ, principalius tamen amore justitiæ. *Regem honorificate,* in quantum est Dei minister, et publica fungens auctoritate, ac præsidens. Sic enim honorandi sunt principes et prælati, quamvis aliunde sint vitiosi. De hoc ad Romanos diffuse habetur. [Rom. XIII.]

Postremo, Archiapostolus specialiter instruit servos : quod etiam referendum est ad ancillas. *Servi, subditi estote in omni timore,* id est filiali et perfecto timore, *dominis* temporalibus, *non tantum bonis* [B] in conversando, *et modestis,* id est discretis in præcipiendo, *sed etiam dyscolis,* hoc est indisciplinatis et vitiosis. Quibus omnibus serviendum est non solum ex timore humano atque servili, et temporalis mercedis intuitu, sed ex caritate et zelo justitiæ, propter Deum et veram salutem : alias non esset meritorium, sed demeritorium magis, quoniam Christianus omnia opera sua referre debet ad debitum ac ultimum finem, atque sub ordine caritatis eadem ponere, ut omne quod agit, prin- [C] cipaliter agat ex Dei amore ad ejus honorem, prout vera exigit caritas. Serviendum vero et obediendum est dominis « etiam dyscolis » in his quæ ad eorum dominium pertinent, quoniam juxta ordinem potestatum est ordo subjectorum, nec alicui contra Deum et justitiam est obediendum. De hac re multa in epistolis Pauli habentur, ut est illud ad Timotheum : Qui sub [I Tim. VI, 1.] jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Sed de his in sermone plenius mox, Deo præstante, dicetur.

SERMO PRIMUS

DE HIS QUI TANQUAM ADVENÆ ET PEREGRINI OMNIA MUNDANA CALCANT, ET COMPENDIO AD PATRIAM COELESTEM PERGUNT.

PEREGRINI *sumus coram te,* Domine, *et advenæ, sicut omnes patres nostri.* I Par. XXIX, 15.

[D] Perfectio evangelicæ legis consistit in hoc, ut omnia carnalia et terrena vilipendamus, et toto mentis affectu ad æter-

nam beatitudinem festinemus, ac Dominum Deum super omnia pure ac fervide diligamus. In cujus amore purissimo tanto plus crescit ac proficit rationalis creatura, quanto amplius a carnalium temporaliumque amore sensuali se subtrahit, et omnem cupiditatem devitat. Hinc electi virtuosique homines se peregrinos ac advenas in hoc sæculo esse professi sunt, quoniam ad cœlestis patriæ beatificam mansionem atque æternam jucunditatem integro cordis festinabant affectu, cum Psalmista dicentes : Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. (*Ps.* LXXII, 25, 26.)

Præterea alia ratio assignatur cur in hoc sæculo nequam peregrini ac advenæ dicimur : quia ut sacra docet Scriptura, propter primorum parentum transgressionem seu originale peccatum, universum genus humanum habitatione et amœnitate paradisi terrestris est privatum, atque in mundum hunc, in terram hanc quæ spinas et tribulos germinat, tanquam in vallem miseriæ, in locum exsilii, in regionem longinquam, projectum, quatenus in hoc loco pœnitentiam peragendo, suamque calamitatem deflendo, mereatur post vitæ hujus curriculum cœlestis beatitudinis introire palatium. Idcirco exordium prædicationis Christi hoc fuit : Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum. (*Matth.* III, 2.) Hinc ait Gregorius : A regione nostra, videlicet paradiso terrestri, superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum degustando, discessimus; sed ad eam, hoc est ad paradisum cœlestem, cujus figura fuit et est paradisus terrestris, necesse est ut pœnitendo, flendo, obediendo, visibilia contemnendo, carnalia desideria refrenando, redeamus. Hinc in vita hac viatores, seu peregrini et advenæ nuncupamur.

Sed advertendum, quod horum viatorum triplex est species : nam quidam vocantur peregrini, alii mortui, alii crucifixi. Ad viatorem etenim pertinet ut itineri suo necessaria habens, aliis se non gravet oneribus, præsertim si per longam et difficilem viam iturus sit, neque in via sine rationabili causa subsistat, nec de impertinentibus ad se intromittat se; sed regia via incedens, et neque ad dexteram nec ad sinistram declinans, moderatoque victu ac vestitu contentus, ad patriam indesinenter properet et suspiret. Simili modo Christifideles qui avaritiam calcant, et habendo victum ac tegumentum contentantur (*I Tim.* VI, 8), ac ita per opera virtuosa conantur promereri regnum cœlorum, per viam mandatorum eundo, et cuncta mortalia fugiendo peccata, recte peregrini vocantur. Qui vero volunt divites fieri in hoc mundo, et carnaliter delectari, atque in propriis desideriis conversari, non sunt ambulatores fideles ac providi, sed perversi et fatui : quia ad patriam cœlestem non solum non properant nec accedunt, sed ad cancri similitudinem retrocedunt, et terrenorum oneribus se gravando, quotidie magis ac magis inepti fiunt ad proficiscendum viam salutis. Ideo dicit Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. (*Ibid.* 9.) At vero qui in ludis, jocis, choreis, spectaculis et rebus carnalibus quærunt deliciari, similes sunt viatoribus stolidis qui visis aliquibus sæcularibus oblectamentis exterioribusque objectis, ita in illis delectantur ac immorantur quod sui obliviscuntur itineris, advesperascenteque die volunt suum damnum recuperare, et tunc ambulando in nocte, incidunt in hostium manus. Sic multi in die, id est tempore juventutis ac sanitatis, Deo nolunt servire, sed in exterioribus oblectari; atque appropinquante jam morte volunt se emendare, sed, ut vereor, magis ex timore servili quam caritate : ideo animabus eorum non prodest, si solo servili moventur timore.

Secunda species viatorum, est eorum qui non solum juxta modum prætactum tendunt ad regnum cœleste, sed universa insuper sui itineris impeditiva, videlicet mundi oblectamenta, solatia, vanitates, honores, divitias, nec attendunt nec curant,

sed omnia hæc tanquam non pertinentia A ad se pertranseunt et contemnunt. Tales sunt qui non magis cupiunt laudari quam vituperari, prosperari quam adversitatibus exerceri, ditari quam penuriam pati, et nihil eorum in quibus carnales homines delectantur libenter, attendunt ; sed ut mortui talibus, vana omnia parvi pendunt. Tales fuerunt quibus scripsit Apostolus :
Coloss. III, 3. Mortui estis, scilicet sæculo huic, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Talis fuit venerabilis illa Sara uxor Tobiæ
Tob. III, 17. junioris, quæ dixit : Nunquam cum lu- B dentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui. Isti vocantur mortui mundo; et differunt a primis, scilicet peregrinis, quia sæpe contingit ut peregrini visis his quæ fiunt in via, delectentur in eis ac immorentur, et nova inquirant ac recitent, per quæ omnia a suo retardantur processu, et patriæ aliqualiter obliviscuntur : ideo omnia ista abjiciunt qui de secunda sunt specie viatorum.

Tertia species viatorum, est eorum qui C non solum cum peregrinis vitant obstacula viæ suæ ad Deum, nec solum cum mortuis mundo non attendunt sæculi blandimenta ac prospera : sed omnia quibus mundus inhæret ac delectatur, ut divitias, delicias et honores, tanquam tormenta ac venena pestifera detestantur ac refugiunt; nec solum ea non quærunt, sed etiam tota mente abhorrent, quoniam cursum suum ad Deum et iter suum ad regnum cœlorum potius impedire possunt quam adjuvare. Ea quoque quæ mundani carnales- D que homines dura et aspera arbitrantur, ut sunt abstinentiæ, disciplinæ, vigiliæ, et cetera exercitia virtuosa, isti cordialiter amant, delectabiliter amplectuntur, stabiliterque exercent : amant nesciri, optant contemni, increpari, et pro suis quotidianis defectibus castigari. Tales enim privatum exstinxerunt amorem, et in solo Deo sincere se diligunt. Isti cum Apostolo
Galat. VI, 14. dicere possunt : Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, et ego mundo.

Tales fuerunt beatissimi patres, magistri ac principes nostri, sancti Apostoli, qui quum a principibus sacerdotum increpati, reprobati ac flagellati fuissent, recesserunt Act. V, 41.
cum gaudio, eo quod digni habiti erant pro nomine Christi contumeliam pati. Talis quoque fuit illa pulcherrima ac devotissima Esther regina, quæ quum conjux esset maximi imperatoris nomine Assueri, omnes tamen divitias, delicias et honores mundi ac carnis contempsit, quemadmodum ipsa dixit in oratione sua ad Deum : Domine (inquiens), mi rex, adjuva me so- Esther XIV, 3, 16, 15, 18.
litariam, cujus præter te nullus alius auxiliator est : tu scis quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, scilicet regium diadema, quod est super caput meum, quasi pannum menstruatæ, et non portem illud in diebus silentii mei; nec amem cubile regis ; et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo adducta sum ad regis palatium, nisi in te, Domine, Deus Israel. Talis quoque fuit sanctissima Elisabeth vidua, filia regis Hungariæ. Unde patet quod ad perfectionem hanc etiam conjugati possunt pertingere.

Itaque, juxta documenta principis Apostolorum, simus in hoc mundo peregrini I Petr. II, 11.
et advenæ, nec exsilium istud diligamus pro patria, nec præsentia atque carnalia præferamus bonis cœlestibus ac futuris, sed carnalia desideria fugiamus; et inter proximos exemplariter conversemur, superioribus quoque nostris propter Deum prompte atque humiliter obediamus.

Deinceps servi et ancillæ dominis et dominabus suis fideliter serviant, non ad Ephes. VI, 6.
oculum tantum, sed in absentia sicut in præsentia, ex Dei amore, pro æterna felicitate : alias essent fraudis rei, et tenerentur ad restitutionem mercedis pro quanto eam accepissent injuste.

Postremo epistola ista beatissimi Archiapostoli plena est saluberrimis documentis, quæ ex præinducta expositione arbitror competenter patere prædicarique posse.

Carnalia equidem desideria cum suis ef- A fectibus, qui sunt comessationes, potationes, incontinentiæ, atque similia, in primis exstirpare necesse est, sicut de hoc supra in multis sermonibus plurima sunt inducta.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MODICUM, ET JAM NON VIDEBITIS ME, ETC. Joann. XVI, 16-22.

QUAMVIS sancta mater Ecclesia, a festo B Paschæ usque ad Ascensionem, jucundam agat memoriam de Christi resurrectione; verumtamen quia passio Christi nunquam est oblivioni tradenda, idcirco in evangelio hujus dominicæ fit memoria tam de Christi resurrectione et consolatione Apostolorum in ea, quam de ejus passione et contristatione Apostolorum in illa. Porro evangelium istud difficultatem non habet magnam : ideo expositioni ejus non est superflue immorandum. Itaque, sicut evangelista Joannes scribit, Christus C in sermone illo pulcherrimo atque sanctissimo quem post Cœnam fecit Apostolis, inter cetera dixit ad eos :

Modicum, et jam non videbitis me, hoc est, prope nunc est quod non videbitis me oculo corporali ad tempus. Eadem enim nocte qua Christus hæc protulit, fuit a Judæis et ministris Pilati captus; et tunc Apostoli ab eo fugerunt. Joannes tamen usque ad mortem et sepulturam adstitit Salvatori. *Et iterum modicum,* id est, breve tempus decurret, *et videbitis me :* quia D tertia die resurrexit, ac eis frequenter apparuit. *Quia vado ad Patrem.* Hoc potest referri ad utramque particulam jam prætactam. Potest namque referri ad verbum quo ait : Modicum, et jam non videbitis me. Cujus ratio subditur, quum dicitur : Quia vado ad Patrem, id est, per passionem pergo ad plenam glorificationem et ascensionem usque ad dexteram Patris : idcirco in triduo mortis non videbitis me, loquendo de triduo illo per synecdochen, sumendo partem pro toto, quia pro aliqua parte tertiæ diei non viderunt Christum. Potest item referri ad verbum illud : Iterum modicum, et videbitis me. Cujus ratio subditur per hæc verba : Quia vado ad Patrem, hoc est, ideo cito me iterum estis visuri, quia per resurrectionem et ascensionem vado ad Patrem cœlestem : ideo inter resurrectionem et ascensionem vobis aliquoties apparebo.

Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem, id est, aliqui Apostolorum inter se conferebant, et mutuo interrogabant : *Quid est hoc,* id est, quid significat, *quod dicit nobis, Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, et, Quia vado ad Patrem? Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum?* id est, quid intelligit dicendo bis, Modicum, cum additione oppositorum? quasi dicant : Videtur esse contrarietas in verbis ipsius. *Nescimus quid loquitur,* id est, verba ista intelligere non valemus. Cujus una fuit causa, quoniam videbatur esse contrarietas quædam in verbis his. Secunda causa fuit, quia excessiva tristitia in qua fuerunt, impedivit quodammodo usum rationis seu considerationem in eis : passiones enim quando per rationem non moderantur nec refrenantur, ipsam rationem excæcant. Tertia causa fuit, quia forsan putabant Christum more solito parabolice loqui : ideo inter se conquirebant de intellectu horum verborum, si forte unus eorum posset alium informare. Et forsan ex reverentia Christi aut timore, non au-

debant eum prima facie interrogare. Sed A quum unus eorum non posset satisfacere alteri, proposuerunt interrogare Magistrum: qui intuens secreta cordis eorum, prævenit eos, quemadmodum subditur. *Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare.* Christus, non solum ut Deus, scientia increata, sed item ut homo, per scientiam inditam ac beatificæ visionis notitiam, cognovit universorum cordium abdita, et quidquid in tota unquam fuit, est eritve creatura. *Et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me :* id est, horum intellectum verborum investigatis. Ad quod Christus respondit :

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, id est, intus ac foris plangetis illo modico tempore quo non videbor a vobis. Quasi dicat : Per hoc quod dixi, Modicum, et non videbitis me, designo tempus passionis meæ ac sepulturæ. *Mundus autem gaudebit,* id est, mundani impiique pontifices Judæorum, sacerdotes, Scribæ, cum suis fautoribus, gloriabuntur de mea occisione et sepelitione, ac militum appositione pro sepulcri mei custodia, quasi certi quod resurrecturus non sim, tanto lapide in sepulcro opertus, militibusque vallatus. Hinc Christus ait in
Ps. xxxiv, 15. Psalmo : Adversum me lætati sunt et convenerunt. *Vos autem contristabimini* ab hora captionis meæ jam imminentis, usque ad punctum horæ in qua vobis post resurrectionem apparebo. Contristati sunt quippe Apostoli ob Christi occisionem, et suam ab eo separationem, desolationem inhonestamque fugam. Et ista tristitia non fuit illicita, imo partim bona ac licita; sed quantum ad aliquid fuit imperfecta, quoniam passionem Christi non considerabant quasi salutem mundi atque introitum vitæ æternæ. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium,* id est, præfatæ vestræ tristitiæ succedet consolatio magna in die resurrectionis et deinceps, quum apparuero vobis. Gaudium quoque infelicium Judæorum cito versum est in mœrorem, quoniam vehementer tristati sunt, quando in die sancto Pentecostes et postea cœperunt Apostoli resurrectionem et gloriam Christi tam insuperabiliter prædicare, et tot millia Judæorum convertere, tot et tanta in Christi virtute operari miracula. Deinde a Romanis dejecti sunt penitus, et postremo in æternam pœnam prolapsi.

Denique, non solum Apostoli, sed cuncti demum electi et virtuosi, in mundo isto, tanquam in valle lacrimarum, jam lugent sua et aliorum peccata, ac præsentis mise- B rias incolatus, dilationem futuræ felicitatis, ex desiderio ejus, atque ex pia passionis dominicæ compassione, aut compatiendo afflictionibus proximorum. Sicque sunt eis lacrimæ panes die ac nocte; et lavant cum rege David per singulas noctes lectum suum. Mali autem ac reprobi gloriantur modo quum malefecerint; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt. Electorum quoque bona tristitia cito convertetur in gaudium, Christo dicente : Beati qui lugent, quoniam ipsi con- *Matth.* v, 5.
C solabuntur. Propter quod dicunt in Psalmo : Transivimus per ignem et aquam, et *Ps.* lxv, 12.
eduxisti nos in refrigerium. Magis igitur affectemus nunc cum electis et virtuosis utiliter contristari ac plangere, ut postea æternaliter gloriemur, quam cum mundo inaniter jucundari, et postmodum sine fine affligi : quia ut Salomon loquitur, Me- *Eccle.* vii, 3.
lius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.

Deinceps Salvator per similitudinem quamdam declarat qualiter Apostoli fue- D rant contristandi, et cito post hoc lætificandi. *Mulier quum parit, tristitiam habet* ex præsenti dolore, *quia venit hora ejus,* id est tempus pariendi cum pœna ingenti; *quum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ,* id est pœnæ atque tristitiæ præcedentis, *propter gaudium,* id est præ gaudio concepto ex hoc, *quia natus est homo,* id est filius, *in mundum* ex ea. Magis etenim gaudet mater filio nato, quam filia, quum masculus sit perfectior quam femella. *Et vos igitur*

nunc quidem tristitiam habetis de meo recessu et passione instantibus; *iterum autem videbo vos,* ita quod simul corporaliter a vobis videbor, videlicet statim post resurrectionem, *et gaudebit cor vestrum* de mea resurrectione et de sua consolatione.

Moraliter, mulier ista est Ecclesia, fidelisque anima : quæ quum parit, id est, opera pœnitentiæ facit, vel aliorum conversioni intenta est, tristitiam habet de suis et alienis peccatis, et propter labores et afflictiones vitæ præsentis, sicut fatetur Apostolus : Nullam (inquiens) requiem habuit caro nostra, sed super modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Quum autem pepererit puerum, id est, aliquem ad Christum converterit vel ad regnum cœlorum præmiserit, aut bonum propositum perduxerit ad effectum, seu opus bonum inchoatum ad consummationem, jam non meminit pressuræ, id est laboris præteriti, propter gaudium fructus adepti, quoniam

II *Cor.* VII, 5; I, 8.

A natus est homo, id est spiritualiter reformatus, vel esse gloriæ consecutus.

Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, id est, spirituale gaudium quod vobis præstabo, in vita ista incipiet, et in futura vita perficietur æternaliterque manebit in vobis. Vel ideo non aufertur gaudium electorum quod habent in mundo hoc, quia non solum in prosperis, sed in adversis etiam gaudent; et quamvis frequenter interrumpatur, mœrorique admisceatur, non tamen omnino aufertur, sed tempore op-
B portuno redit, resumitur, renovatur. Propter quod ait Apostolus : Gaudete in Domino semper; et iterum, Quasi tristes, semper autem gaudentes. Vel ideo dicit hoc Christus, quoniam ipse fuit gaudium, id est materia et causa gaudii discipulorum suorum, et nemo tulit eum ab ipsis post resurrectionem; quin per gratiam mansit cum ipsis, prout Paulus asseruit : Quis nos separabit a caritate Christi ?

Philipp. IV, 4. II *Cor.* VI, 10. *Rom.* VIII, 35.

SERMO SECUNDUS

DE MULTIPLICI TRISTITIA ATQUE LÆTITIA.

TRISTITIA *vestra vertetur in gaudium.* Joann. XVI, 20.

Sicut in evangelio hodierno docet Salvator, reprobi et perversi in vita hac vane ac fatue gloriantur; electi vero et virtuosi in hoc sæculo salubriter contristantur, seque affligunt, et vitia sua in se ipsis quotidie puniunt. Hinc tristitia electorum et bonorum ordinata et temporalis, cito vertetur in gaudium spirituale, beatificum et æternum. Gloriatio quoque impiorum vana, brevis et stulta, celeriter, scilicet statim post hanc vitam, convertetur in tristitiam infernalem, amarissimam atque perpetuam, juxta illud Job : Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti; si ascenderit usque ad cœ-

Job XX, 5-8.

C los superbia impii, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna. Dum ergo homines impios et carnales in hoc mundo lætari ac prosperari conspicimus, non reputemus eos quasi beatos et bene stantes, sed condoleamus eis tanquam excæcatis ac miseris et periculose se habentibus, et oremus pro eis. Hinc namque ait Propheta : Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quo-
D niam tanquam fœnum velociter arescent, et tanquam olera herbarum cito decident.

Ps. XXXVI, 1, 2.

Sed quoniam sacra Scriptura interdum laudat tristitiam, et quandoque eam vituperat; aliquando etiam commendat læti-

tiam, et frequenter vituperat eam : jam in A primis considerare oportet quæ sit bona tristitia, et quæ mala; deinde quæ sit bona et ordinata seu virtuosa lætitia, et quæ mala.

Est itaque triplex tristitia : prima, qua de propriis vel proximorum peccatis tristamur, et de divinæ majestatis injuria et offensa, vel de conculcatione justitiæ, de ruina Ecclesiæ, de vulnerationibus animarum. Ista tristitia est de malo culpæ; estque valde bona, salubris et virtuosa. De
II Cor. vii, 10. qua ait Apostolus : Quæ secundum Deum B est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ex tali quippe tristitia procedit peccatorum confessio, et satisfactio pro eisdem. De qua in Ecclesiaste
Eccle. vii, 5. scribitur : Cor sapientium, ubi tristitia est. Unde et Jacobus hortatur apostolus :
Jacob. iv, 9. Risus vester convertatur in luctum, et gaudium in mœrorem. Hanc ergo quotidie habeamus et amplectamur tristitiam, tam pro propriis quam pro aliorum peccatis. Quemadmodum enim proximos nostros tenemur diligere sicut nos ipsos, ita deflere C debemus eorum peccata ut propria, et orare pro ipsis. Specialiter vero prælati ac præsidentes deplorare debent suorum flagitia subditorum; parentes quoque, peccata filiorum suorum ac filiarum. Unde, quum S. Joannes apostolus audisset quemdam a se conversum redisse ad pristina vitia, amarissime flevit, pectus percussit, et præ dolore capillos suos traxit ac par-
Job i, 5. tim extraxit. Sic et sanctus Job quotidie pro filiis suis ac filiabus oravit, atque pro singulis sacrificium obtulit Deo ut igno- D sceret illis; et quando filii sui ac filiæ pariter epulabantur, sollicitus fuit pro eis ne in aliquo Deum offenderent, misitque ad eos, et hortabatur ne se intimorate haberent. Sic omnes parentes deberent sobolem suam spiritualiter adamare, et pro eorum sollicitari salute.

Hic posset quæri, an ista pro peccatis tristitia valeat esse excessiva seu nimia. Et videtur quod non, quia peccatum, quo Deus immensæ majestatis offenditur, est tam grave, quod illud satis deplorare ac detestari non possumus. Respondendum, quod ista tristitia in se bona est, tantoque melior quo major, loquendo de ea secundum se et per se; tamen per accidens potest esse excessiva et nimia, quia per redundantiam ejus in partem animæ sensitivam, sequeretur ex ea debilitatio naturæ et capitis ac sensuum. Hinc etiam scriptum est, Noli esse justus nimis : non Eccle. vii, 17.
quod justitia in se possit nimia esse, quia quo major, eo et melior atque perfectior; sed quia exercitatio seu conatus pro adipiscenda, conservanda seu perficienda justitia, potest immoderata et naturæ ac capitis debilitativa consistere. Idcirco in Jeremia habetur : Quia plus fecit quam Jer. xlviii, 36.
potuit, idcirco periit.

Secunda est tristitia prava et inordinata seu excessiva, qua de malis pœnæ, hoc est de adversitatibus, infirmitatibus, persecutionibus, damnis et miseriis vitæ præsentis, dolemus plus quam ratio recta docet. Hæc enim adversa non sunt in se et per se mala, et animæ nociva, seu impeditiva salutis : imo si æquanimiter tolerentur, multipliciter prosunt, et ad salutem proficiunt.

Deinceps bona terrena et exteriora sunt aliquo modo utilia ac necessaria ad Dei obsequium, ad profectum virtutum, ad veram salutem : si enim vivere et Deo servire debemus, cibo ac potu, ac aliis corpori necessariis indigemus. Hinc de temporalium rerum amissione et infirmitatibus ac adversitatibus moderate tristari, in quantum necessaria aut utilia sunt bona exteriora et sanitas roburque corporis ad Dei obsequium et salutem, atque per consequens eorum amissio aliquo modo impedit a Dei servitio ac salute : sic (inquam) de malis his pœnæ tristari secundum rationis dictamen, bonum et virtuosum censetur. Virtuosius tamen perfectiusque consistit nequaquam inde tristari, et gratias agere Domino Deo, etiam si omnino perdantur, in quantum hoc ex divinæ providentiæ ordinatione procedit. Unde Apostolus commendat conversos He- Hebr. x, 34.

bræos, quia rapinam bonorum suorum A cum gaudio pertulerunt. — Si autem de horum temporalium amissione quis contristetur, quia non potest laute vivere, et more solito abundare, ornari, deliciari, honorari, aut suos ditare ac sublimare in sæculo isto, inordinata ac vitiosa est ista tristitia. Idcirco Apostolus vocat eam tri-
II Cor. vii, 10. stitiam sæculi, affirmans quod mortem operatur : nunc enim inducit animæ mortem culpæ, et post hanc vitam propter eam infligitur animæ mors infernalis miseriæ. Ideo omnino vitanda ac abhorrenda B est ista tristitia. Est enim passio valde prava et afflictiva, et vitæ naturalis ac corporalis abbreviativa. Propter quod in Pro-
Prov. xxv, 20. verbiis Salomon contestatur : Sicut tinea vestimento, ita tristitia nocet cordi viri ;
Ibid. xvii, 22. et denuo, Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Hæc namque tristitia immoderata, naturalem et congruam corporis complexionem et harmoniam vehementer perturbat ac impedit. Propterea in Ecclesiastico legi-
Eccli. xxx, 24, 25. tur : Tristitiam longe expelle a te ; multos C enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Hæc nempe tristitia rationem absorbet, gravat ac deprimit, facitque hominem tædiosum, pigrum, obtusum, pusillanimem, et tandem Deo ingratum ac indignantem.

Tertia est tristitia naturalis, quæ in se nec virtuosa nec vitiosa consistit, qua de naturali imperfectione vel propinquorum morte, ac ceteris malis pœnalibus tristamur, habendo primos tristitiæ motus secundum quod pure naturales sunt. Quemadmodum enim naturale est de naturali D perfectione et amicorum vita lætari, ita naturale est de naturali imperfectione et amicorum ac propinquorum morte tristari. Sed nisi tristitia ista per rationem frenetur ac moderetur, fit excessiva.

Præterea, sicut est triplex tristitia, ita est et triplex lætitia : quoniam quædam est lætitia spiritualis et virtuosa, qua homo gaudet in Deo, et in actibus virtuosis, imo etiam in adversis, propter Deum, atque in rebus creatis, secundum quod utiles aut necessariæ sunt ad Dei cognitionem, dilectionem ac cultum, sicut ait Propheta: Delectasti me, Domine, in factura tua, et Ps. xci, 5.
in operibus manuum tuarum exsultabo. Alia est lætitia carnalis et vitiosa, qua homines mali delectantur in sensibilibus rebus, in ludis, jocis, vanitatibus, immunditiis atque spurcitiis suis, juxta illud Proverbiorum : Relinquunt iter rectum, et Prov. ii, 13, 14.
ambulant per vias tenebrosas ; lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Tertia est lætitia naturalis et indifferens, qua de propria et naturali perfectione seu bono convenienti gaudemus, habendo de eis primos motus delectationis, sicut de sanitate, fortitudine corporali, sustentaculo vitæ, atque similibus.

Nunc ergo considerandum cui tristitiæ Christus promittat lætitiam, asserendo : Tristitia vestra vertetur in gaudium. Et respondendum, quod bonæ et virtuosæ tristitiæ jam præfatæ promittit Salvator gaudium cœleste ac sempiternum, imo etiam consolationem piam, frequentem, gratiosam atque multiplicem in præsenti. Ait namque in Matthæo : Venite ad me, omnes Matth. xi, 28.
qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Unde Apostolus asserit : Sicut II Cor. i, 5.
passiones Christi abundant in nobis, ita per Christum abundat consolatio. Hinc Propheta loquitur Deo : Secundum multitudi- Ps. xciii, 19.
nem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. De promissione vero æternæ lætitiæ pro temporali bono mœrore et afflictione, scribit Apostolus secunda ad Corinthios : Id quod II Cor. iv, 17.
in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Porro vitiosæ tristitiæ temporali non promittitur nec debetur consolatio spiritualis, neque lætitia æternalis, sed afflictio major ac infernalis.

Ideo nunc salubriter cum sanctis et electis Dei temporaliter contristemur, atque carnales et vanas consolatiunculas aspernemur, ut in præsenti vita mereamur desuper consolari, et post hujus curriculum

vitæ æternaliter jucundari, secundum illud A *Is.* LI, 11. Isaiæ : Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. O quam excæcati, vani et stolidi sunt qui Deo altissimo derelicto, istis caducis et sensibilibus rebus finaliter nunc inhærent, et pro hujus incertissimæ vitæ ac vilissimæ carnis delectationibus tanta felicitate se privant, et tantis calamitatibus se involvunt, tam infinitis et irremediabilibus se exponunt periculis !

Gradiamur ergo per arctam viam salu- B tis, et nostra ac proximorum intime deplangamus peccata. Unde de sancto illo doctore Ecclesiæ B. Hieronymo legitur, quod suas quotidianas et veniales culpas quotidie ita deflevit ac si gravissima commisisset facinora, seque quotidie usque ad sanguinis effusionem ter flagellavit. Hujus ergo beati viri vestigia saltem aliqualiter imitemur, et cum tremore ac timore nostram operemur salutem, sicut et Salomon cohortatur : Quidquid potest manus *Eccle.* IX, 10. tua, instanter operare. Ad laudem Omnipotentis.

SERMO TERTIUS

QUOD NIHIL SIT PERICULOSIUS QUAM IN HAC VITA AD LIBITUM TEMPORALITER PROSPERARI, PECCARE, ET NON CASTIGARI A DOMINO DEO.

B*EATUS homo qui corripitur a Domino.* Job V, 17.

Quum nil separet hominem a Deo et vera salute, atque a donis ac gratiis Spiritus Sancti, nisi peccatum, hinc præcipuum beneficium misericordiæ Dei est, ut hominem in vita hac a suis purget peccatis, præsertim quoniam id agendo, caritatem et gratiam ceterasque infundit ei virtutes. *Is.* XXVII, 9. Ideo loquitur Isaias : Iste omnis est fructus, ut auferatur iniquitas. Porro tam infinita est divina justitia, quod sicut nullum bonum deserit irremuneratum, sic nullum malum impunitum relinquit, juxta *Job* XXIV, 12. illud Job : Deus inultum abire non patitur. Unde in Psalmo Deus loquitur pec- *Ps.* XLIX, 21. catori : Existimasti inique quod ero tui similis ; arguam te, et statuam te contra faciem tuam. Culpæ namque debetur pœna. Quemadmodum ergo maximum ac piissimum beneficium Dei est, quod hominem in hoc sæculo pro suis punit peccatis, et ita eum emundat et sibi conciliat ; ita gravissima Dei ira est et metuendissima ultio, dum hominem prosperari ac peccare permittit, nec tamen eum pater- C ne castigat. Idcirco ipse de reprobis ait in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria *Ps.* LXXX, 13. cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Per Ezechielem quoque prophetam ait de populo indurato : Zelus meus reces- *Ezech.* XVI, 42. sit a te, non irascar tibi amplius. Hujus quoque exemplum est in homine patrefamilias, qui filio peccanti ad tempus increpationes castigationesque adhibet, quousque spem habet de emendatione illius; sed dum conspicit eum omnino ingratum, rebellem et obstinatum, cessat a correptione D ipsius, et repellit eum omnino a se.

Porro multæ sunt causæ quare tam horrendum ac periculosum est non castigari a Deo. Prima est, quoniam hoc est probabile signum reprobationis divinæ, eo quod odiat transgressorem hujusmodi ; sicut econtrario a Deo in vita hac argui et castigari, est signum prædestinationis divinæ et dilectionis Dei ad hominem, juxta illud in Apocalypsi : Ego quos amo, arguo *Apoc.* III, 19. et castigo. Hinc in Proverbiis dicitur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et *Prov.* III, 11, 12.

ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.

Secunda causa est, quoniam castigari a Deo et per adversa retrahi a peccatis, est probabile signum filiationis divinæ, hoc est, quod homo talis sit adoptivus filius Dei; quemadmodum non castigari in vita hac, est signum alienationis a filiatione ista et degenerationis damnandæ. Hinc ad
Hebr. XII, 5, 7, 8. Hebræos scribitur : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini : quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Si ergo desideramus esse filii regis summi omnipotentisque Dei, optemus pro nostris excessibus protinus castigari et per pœnas purgari, Deo reconciliari, gratia adimpleri. Qui autem non cupit hoc, sed impune optat peccare, et sanitate prosperitateque fungi ut possit carnaliter deliciari atque in propriis desideriis ambulare, iste vult filius esse diaboli, et jam filius ejus est; nec anima ejus Christi est sponsa, sed dæmonum fœda adultera.

Tertia causa est, quoniam castigatio et refrenatio ista est grande beneficium Dei, et medicina peccati ac via ad gratiam ac virtutes, juxta illud secundi Machabæorum :
II *Mach.* VI, 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

Quarta ratio est, quoniam castigatio ista instruit hominem ad considerandum suos defectus atque excessus : siquidem Isaia
Is. XXVIII, 19. testante, Vexatio dat intellectum. Et Jere-
Jer. XXX, 11. miæ Dominus loquitur : Castigo te, ne tibi videaris innoxius. Unde qui non castigantur a Deo, sed prosperari et transgredi permittuntur, sic excæcantur, quod scelera sua non attendunt nec reputant. Ideo perseverant in eis ac pereunt, quemadmo-
Prov. XVIII, 3. dum Salomon ait : Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

Quinta causa est, quoniam castigatio facit hominem cautum ac timoratum (qui enim virgam expertus est, plus formidat), et sic facit vitare peccata virtutibusque

A insistere, cor de cetero custodire, Deo vacare. Ideo castigatio ista est plurimum fructuosa, potissime quia per eam homo evadit futura supplicia, et ad æterna propinquat solatia. Idcirco ait Apostolus : Om- *Hebr.* XII, 11.
nis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.

Considera ergo, o homo, an de numero sis filiorum Patris æterni, an de numero perversorum. De electis etenim ait Scri-
B ptura : Multæ tribulationes justorum; et *Ps.* XXXIII, 20.
rursus, Omnes qui placuerunt Deo, per *Judith* VIII, 23.
multas tribulationes transierunt fideles. De reprobis quoque Scriptura testatur : Impii *Job* XXI, 7, 9.
vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis; et non est super eos virga Dei. De quibus etiam loquitur Jeremias propheta: Via impiorum prosperatur, et bene est *Jer.* XII, 1.
omnibus qui prævaricantur.

Præterea Deus castigat hominem pro suis peccatis variis modis, videlicet : per infirmitates, juxta illud Job, Increpat per *Job* XXXIII, 19.
C dolorem in lectulo, et omnia ossa hominis marcescere facit; item per persecutiones humanas quibus electi infestantur a malis, et per damna rerum, per afflictiones quoque et tentationes diaboli, et per increpationes ac correctiones prælatorum et principum; imo et sæpe per ipsummet hominem qui peccavit, dando ei gratiam puniendi peccata sua in se et satisfaciendi pro eis. Ideo omnia mala ista pœnalia, sunt æquanimiter toleranda, tanquam disciplinæ medicinæque Dei. Unde et hoc adver-
D tendum, quod non omnes qui pro suis peccatis puniuntur, a Deo in vita hac purgantur et electi sunt, sed qui castigationes hujusmodi patienter accipiunt, seque emendant. Ideo dicit Gregorius : Pœna præsens quæ injusti animum a desideriis pravis non mutat, a suppliciis æternis non liberat; solos pœna temporalis ab illo supplicio liberat quos in melius mutat. Quem enim præsentes pœnæ non corrigunt, ad æternas perducunt.

Postremo, ex hoc quod Deus electos et

virtuosos in vita ista sic visitat et castigat, impios vero et reprobos frequenter impunitos modo dimittit ac prosperari permittit, elicitur quam horribiliter eos puniet in futuro. Ideo ad Romanos terribiliter scribit Apostolus : Existimas, o homo qui impie agis, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis Dei, et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Hinc quoque ait Gregorius : Electos Dei cernimus et pia agere et multa crudelia tolerare. Unde colligitur quanta districtus Judex post hanc vitam feriat districtione quos reprobat, qui sic cruciat hic quos amat. Itaque pro tanto plus vereatur unusquisque inter reprobos computari, quanto se conspicit amplius prosperari, impune peccare, adversa non perpeti, corporalibus commodis abundare, et ab hominibus commendari ac honorari, quum dicat Propheta : Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Rom. II, 3-5.

Ps. LII, 6.

Legitur in tertio libro Vitaspatrum, quod fuerunt septem viri sanctissimi habitantes in eremo Sarracenis contigua, qui semel in hebdomada, scilicet sabbato, hora nona, convenerunt : qui ex solis herbis et pomis eremi alebantur, nec pane, nec oleo, neque potu vescentes, nisi rore quem colligebant per herbas. Quumque convenissent, non fuit inter eos nisi spiritualis collatio, cœlestis regni commemoratio, sermo de gloria Beatorum et de suppliciis impiorum : de quibus omnibus conferendo, ex intimo pectore suspirabant et flebant uberrime. Quumque per totam noctem vigiles permansissent Deum laudantes, die dominica, hora nona, unusquisque ad propriam rediit cellam, ac tota deinceps hebdomada soli Deo purissima ac devotissima mente vacavit. Hos tandem Sarraceni per eremum discurrentes invenerunt, atque ligantes eos, pedibus suspenderunt, ac multis affecerunt injuriis. Ad extremum, focum subter eos de herbis amarissimis congesserunt, ubi incredibiliter cruciati, visum ex fumi amaritudine amiserunt. Et postquam eos multis afflixerunt tormentis, semivivos dimiserunt.

Ecce Deus etiam electissimos suos permittit in sæculo isto adversitatibus exerceri, et hoc utique pro maxima eorum salute et gloria. Non ergo in adversis tristemur, sed Deo gratias referamus, atque pro gratia patientiæ eum jugiter deprecemur.

Intendebam circa unumquodque evangelium tres sermones annectere; sed multis videtur quod duo sufficiant, præsertim quum textum exponam, ex cujus expositione multa ad prædicandum utilia sumi queunt, ut illis apparet. Illorum ergo acquiescens consilio, et ut vitetur prolixitas, intendo duobus contentari sermonibus, nisi interdum fecunditas evangelii aliud poscat.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

PERFECTIONEM MONASTICAM IN HUMILI OBEDIENTIA POTISSIMUM ESSE SITAM.

S*UBJECTI estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* I Petr. II, 13.

Gloriosissimus princeps Apostolorum in hodierna epistola totam vitam Christianorum plenissime instruit, saluberrime instituit, optime ordinavit. Et quoniam post-

quam Deus factus est homo, homines A potissimum deificati sunt, id est, divinis charismatibus, supernaturalibus dignitatibus, gratiarum excellentiis perfectionibusque virtutum mirabiliter decorati, impleti ac sublimati, præsertim vero religiosi, sacerdotes, et aliorum prælati atque doctores
I Petr. II, 9. (quod beatissimus Petrus insinuans, Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta : quod quamvis secundum unam expositionem de toto possit intelligi populo christiano, de prælatis tamen et religiosis ac clericis evidentius ac eminentius dictum accipitur); hinc in hodierna epistola primo hortatur nos sacratissimus
Ibid. 11. Petrus, ut desideria abjiciamus et exstirpemus carnalia, quatenus præfatis dignitatibus vitæ nostræ nobilitas correspondeat ac proportionetur. Quum enim homo ex anima intellectuali et carne constet mortali, vilitas ejus consistit in hoc, quod ad carnalia se convertit, terrenis transitoriisque inhæret, et carnalibus desideriis superatur : quia per hoc bestialis efficitur, et
Ps. XLVIII, 13, 21. de ipso verissime fertur : Homo quum in C honore esset, non intellexit; comparatus
Ps. XXXI, 9. est jumentis insipientibus. Fit enim sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; atque ut Aristoteles loquitur, decies millies brutis vilior ac deterior redditur. Nobilitas autem hominis in hoc consistit, quod carnalibus desideriis victis, ad intellectualia et æterna, ad cœlestia, spiritualia ac divina, præcipue ad omnium creatorem, incomparabilis excellentiæ Deum, se erigit et convertit. Denique nos religiosi, qui maxime spirituales esse tenemur, et D in quibus christianæ fidei veritas, evangelicæ quoque legis perfectio apparere debet ac resplendere, a carnalium vilitate ac fœditate desideriorum esse debemus alieni ac puri, spiritualibus affectibus inflammati, ad divina et cœlestia elevati, tanquam peregrini et advenæ in hoc mundo, nihil hic reputantes quod caducum est et impeditivum spiritualis profectus, sed ad futura cœlestia et æterna totis properantes præcordiis incessanter.

Præterea cognoscendum, quod carnalia desideria non solum sunt sensuales affectus ad delectationes gustus et tactus inclinantes, sed ceterorum quoque sensuum appetitus inordinati, et universæ appetitiones circa terrenas divitias, carnales delicias, sæculares honores, circa ludos, jocos, solatiaque sensualia, mundana ac vana versantes. Quæ omnia desideria cum delectationibus suis pravis detestari et eradicare ac vincere nos oportet, ut sic ad contemplationis gratiam elevemur : quia ut B asserit Cassianus, nunquam affectus noster ad desiderium æternorum perfecte accenditur, nec intellectus noster ad cœlestium contemplationem plene acuitur, nisi cura carnis etiam in licitis et necessariis frequenter ac fortiter reprimatur. Hinc sanctus ait Bernardus : Maximum sane delictum concupiscentia est, quæ interiorem et exteriorem hominem occupat universum. A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in nobis, totum inficit concupiscentia. Lex peccati in membris omnibus invenitur; undique per fenestras sensuum mors intrare contendit; et intus fomes totius nequitiæ periculosius sævit, mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus est aurium, petulantia oculorum, olfaciendi et gustandi voluptas, atque in corpore universo mollities sensus et libido perniciosa tangendi. Hinc enim de carne sic infecta beatus ait Gregorius : Laqueum nostrum gestamus nobiscum, circumferimus inimicum, carnem scilicet de peccato natam, in peccato nutritam, ipsa origine valde corruptam, sed prava consuetudine multo plus vitiatam. Cui si plus quam debemus tribuimus, inimicum nutrimus ; si necessitati ejus quæ debemus subtrahimus, civem necamus.

Itaque in cibo et potu sobrietatem servare, voluptatem contemnere nos oportet, quum S. Benedictus dicat in Regula : Removeatur præ omnibus crapula, ut nunquam monacho subrepat indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano quo-

modo crapula, sicut ait Dominus noster : A
Luc. xxi, 34. Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate. Ceteros quoque sensus, et tactum præcipue, ab omni inordinato reprimamus oblectamento; nec sub specie spiritualis amoris carnalem admittamus affectum aut familiaritatem nocivam : sicque tam exemplaris et irreprehensibilis sit conversatio nostra, ut Deus glorificetur in servulis suis, et omnes ædificentur in nobis.

Insuper princeps apostolici ordinis nos hortatur ut « omni humanæ creaturæ » sub- B diti simus, ita ut non solum superioribus, sed æqualibus quoque et inferioribus, propter Deum ex caritate et humilitate obtemperemus, quos et secundum aliquas considerationes nobis majores melioresve possumus reputare. Et istud ad religiosos maxime pertinet. Unde in Regula S. Basilii quæritur : Quomodo invicem obedire debemus ? Ad quod respondet magnus pater Basilius : Sicut servi dominis; secundum
Matth. xx, 26-28. quod præcepit Dominus, quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissi- C mus et omnium servus. Qui ut magis nos inclinaret ad humilitatem hanc, addidit : Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Hinc et per Apostolum no-
Galat. v, 13. bis præcipitur ut per caritatem spiritus invicem serviamus. Hæc Basilius.

Denique sanctus pater Benedictus ait in Regula : Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est, sed etiam sibi invicem obediant Fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ad Deum ituros. Præmisso ergo abbatis aut præpositorum D qui ab eo constituuntur imperio, cui non permittimus imperia privata præponi, de cetero omnes juniores prioribus, hoc est senioribus suis, omni caritate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Et iterum ait : Bonum zelum ferventissimo amore exerceant monachi, hoc est, ut honore se invicem præveniant, obedientiam sibi certatim impendant. Hinc et in præsenti epistola ait
I Petr. ii, 17. apostolus Petrus : Omnes honorate. Honorandus est equidem omnis homo, in quantum ad Dei imaginem factus, sanguine Christi redemptus, æternæ beatitudinis susceptivus, et ultra hoc si ex potestate præsidentiali aut perfectione virtutum sit venerandus. Quod quum ita se habeat, et dyscolis quoque dominis in licitis obedire necesse sit ; quantus excessus est, si religiosus etiam spirituali patri sibi præsidenti ac Christum repræsentanti obedire non curet ? Putemus omnem beatitudinem nostram in obedientia esse sitam. Bernardus quoque præallegatis Sanctis concordans : Acquiesce (inquit) Deo, et sit voluntas tua subdita veritati. At parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum, sive abbati tanquam præcellenti, sive prioribus tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico : Subde te paribus, subde te et minoribus ; et si vis in justitia esse perfectus, vade ad minorem, defer inferiori, teque juniori inclina.

Postremo, quam præclarissimum et salubre sit sub spiritualis patris obedientia fideliter conversari, constat ex eo quod quinto libro Vitaspatrum habetur. Quo legitur, quod venerunt quatuor Fratres de Scythi ad abbatem Pambo, et indicavit unusquisque virtutem alterius eo absente. Unus eorum plurimum jejunavit; alter nihil possedit; tertius multam habuit caritatem ; de quarto dicebant quod viginti duos haberet annos in obedientia permanens senioris. Respondit abbas Pambo : Dico vobis, major est virtus istius quarti quam ceterorum, quoniam unusquisque eorum virtutem quam possidet, propria voluntate servavit, quartus vero voluntatem suam abscindens, alienæ voluntatis se servum fecit. Tales namque viri confessores sunt, si usque in finem ita permanserint. — Eodem quinto Vitaspatrum sic legitur : Quidam senex dixit, Frater qui ad obedientiam patris spiritualis animum dederit, majorem mercedem habet quam ille qui in eremum solus recesserit. Dicebat autem, quod narravit quidam Patrum vidisse se quatuor ordines in cœlo. Pri-

mus fuit ordo infirmantium et gratias Deo agentium; secundus, hospitalitatem sectantium et instanter ministrantium; tertius, solitariorum non videntium homines; quartus, eorum qui ad obediendum se subjiciunt spiritualibus patribus propter Deum : qui ordo utebatur torque aurea et corona, et majorem quam alii habuit gloriam. Dixi autem ei qui hæc mihi ostendit : Unde ordo iste ampliorem gloriam habet? Respondit : Quia alii secundum suam faciunt voluntatem quod faciunt, sed hic ordo omnes suas voluntates abjiciens, pendet ad Deum et ad spiritualis patris jussionem. Quapropter, o filii, bona est obedientia quæ fit propter Deum. Intendite ergo, o filii, et obtinere studete virtutis hujus aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est universorum fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni cœlorum inventrix est. Obedientia regnum cœlorum aperiens, homines levat de terra. Obedientia cohabitatrix est angelorum. Obedientia omnium est cibus sanctorum : ex hac enim nutriti sunt et ad perfectionem venerunt.

SERMO QUINTUS

QUOMODO GAUDIUM EXISTIMARI DEBEANT PII, SI IN LACRIMARUM HAC VALLE VARIIS EXERCEANTUR ADVERSITATIBUS.

Joann. XVI, 20. *MUNDUS gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* In evangelio hodierno.

Hoc inter justos distat ac impios, quod justi hoc mundo utuntur ut Deo fruantur, cui et nunc per fidem et caritatem tanquam summo bono finaliter adhærent ac uniuntur ; impii vero mundo fruuntur quia in rebus creatis sibi constituunt finem : nam illis magis quam Creatori afficiuntur, adhærent, junguntur. Hinc justi utuntur hoc mundo tanquam exsilio, et degunt in eo tanquam in valle lacrimarum peregrinationisque terra, pensantes et confitentes quia peregrini et advenæ sunt in ea; patriamque requirunt cœlestem, suam ab ea elongationem deplorant et sua peccata, quibus se inde elongaverunt et Dominum offenderunt, Christoque propter eos crucifixo se conformare conantur; et quoniam proximos diligunt ut se ipsos, pro illorum quoque excessibus lacrimantur. (*Hebr.* XI, 13, 14.)

Denique justi, electi, prædestinati, quia in vita præsenti quotidie, ad minus venialiter, sunt peccantes frequenter, et gratia a vitiis præservante maxime ac incessabiliter indigent; ideo bonus ac supersapiens Deus assidue mittit eis diversa flagella, infirmitates, tentationes, persecutiones, quibus a præteritis purgentur peccatis, et a futuris præserventur excessibus, Domino Christo ut suo capiti aliqualiter conformentur, ad majora quoque gratiarum disponantur charismata, et a futuris post vitam hanc eruantur suppliciis. Ecce quam misericorditer et superpiissime agit Pater cœlestis, Dominus majestatis, omnium sapientissimus moderator, cum electis misericordiæ suæ vasis, quos in præsenti paterne visitat et castigat; atque in temporalibus modicisque adversis, tot ac tantas eis elicit, providet ac procurat commoditates. Hinc, sicut Salvator prædixit, electi et justi in vita hac contristantur, affliguntur, plorant, tribulationibus variis exercentur. Porro reprobi et injusti, qui sunt filii sæculi hujus, quia hoc mundo fruuntur, et in eo tanquam in suo paradiso ac patria demorantur, præsentis vitæ prospe-

ritates magis quam futuri sæculi beatitu- A
dinem exquirentes; ideo modo gaudent
inaniter, consolantur inique, carnaliter de-
lectantur, deliciari, ditari, honorari nitun-
tur; et in omnibus his non est virga Dei
Prov. II, 14. super ipsos, sed lætantur dum male ege-
runt, et exsultant in rebus pessimis. De
Ps. LXXX, 13. quibus Deus fatetur: Dimisi eos secundum
desideria cordis eorum, ibunt in adinven-
tionibus suis.

Sed intueamur quid restet, quid sit inter
justum et impium, qualiter electos repro-
bosque Deus discernat. Ecce tam gloriatio B
vana impiorum, quam contristatio bona
justorum, temporalis est, imo momenta-
nea et modicissima respectu æternitatis
vitæ sequentis, et gaudiorum cœlestium,
ac infernalium tormentorum. Sed quid in-
ter hæc facturus est Judex altissimus? Cer-
te temporalem, vanam ac brevem repro-
borum delectationem protinus post hanc
vitam convertet in æternam, infernalem
amarissimamque tristitiam; temporalem
vero justorum tristitiam, mox decurso vi-
tæ hujus curriculo, in cœlestem, æternam C
ac plenam convertet lætitiam. Nec sufficit
bono justoque Deo taliter inter bonos ac
malos post hanc vitam dividere; verum
etiam in præsenti, tribulationibus, tristitiis
lacrimisque justorum, multas et magnas,
nobiles ac divinas permiscet, adjungit, in-
nectit consolationes, suavitates, lætitias.
Quod expertus vir sanctus, Deo grata ac
Ps. XCIII, 19. hilari mente fatetur: Secundum multitu-
dinem dolorum meorum in corde meo,
consolationes tuæ lætificaverunt animam
II Cor. I, 3, 4. meam; et alter: Benedictus Deus, Pater D
misericordiarum et Deus totius consola-
tionis, qui consolatur nos in omni tri-
bulatione nostra, ita ut possimus et ipsi
consolari eos qui in omni pressura sunt;
Ibid. 5. itemque, Sicut abundant (inquit) passiones
Christi in nobis, ita abundat per Christum
consolatio nostra. Deus ergo, secundum
Tob. III, 22. quod scriptum est, post tempestatem tran-
quillum facit, et post fletum exsultatio-
nem infundit. Propter quod ait Salvator:
Matth. V, 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consola-
buntur; et denuo, Venite ad me, omnes *Matth.* XI, 28.
qui laboratis et onerati estis, et ego refi-
ciam vos. Præterea vanis delectationibus
ac periculosis prosperitatibus impiorum,
omnipotens Deus diversas ac graves mi-
scet afflictiones, adversitates, miserias, ti-
mores, dolores, desolationes, in tantum ut
Salomon protestetur: Peccatori dedit Deus *Eccle.* II, 26.
afflictionem et curam superfluam. Et de
conjugatis ait Apostolus: Tribulationem *I Cor.* VII, 28.
carnis habebunt hujusmodi.

Quum ergo tam utile et salubre sit a
Deo in vita præsenti paterne castigari,
multipliciter exerceri, tribulari, tentari; in
talibus patientiam habere, gratias agere et
lætari debemus, quemadmodum Jacobus
monet apostolus: Omne gaudium existi- *Jacob.* I, 2.
mate, quum in varias tentationes incide-
ritis. Unde aptissime loquitur Augustinus:
Intelligat homo medicum esse Deum, et
tribulationem medicamentum esse ad sa-
lutem, non pœnam ad damnationem. Sub
medicamento positus, ureris, secaris, cla-
mas; non te audit medicus ad tuam vo-
luntatem, sed ad tuam commoditatem, vi-
delicet sanitatem. Amplius, quam salubres
in nobis effectus operetur paterna flagel-
latio Conditoris, pandit Augustinus, dicen-
do: Flagellum internum sive externum
glorificat Creatorem, compellit nolentem,
erudit ignorantem, custodit virtutem, pro-
tegit infirmitatem, excitat torpentem, hu-
miliat superbientem, purgat pœnitentem,
coronat innocentem, gratiam auget, a pec-
catis præservat, a futuris suppliciis eripit.
Merito itaque dixit Gregorius: Quisquis
adversitate tribulationeque frangitur, a quo
factus sit minime contemplatur. Qui enim
quod non erat fecit, factum sine guber-
natione non deserit; et qui benigne ho-
minem condidit, nequaquam eum injuste
cruciari permittit. Ideo quisquis in cœlo
æternitatis desiderio figitur, nec prospe-
ritate extollitur, nec adversitate dejicitur;
et dum nihil habet in mundo quod appe-
tat, nihil est quod de mundo amittere
pertimescat.

Sed quum omnia ista ita se habeant, quæ

est ista excæcatio atque insania nostra, A quod in vita hac pati nil volumus, nullam inopiam, nullam irrisionem, nullam injuriam, nullam exercitationem aut tribulationem, sed ne unum quidem verbum adversum? Et qui in minimis tam miserabiliter damnabiliterque deficimus, quid in magnis persecutionibus ac adversitatibus faceremus? Pensemus quid multi sæcularium patiantur, protinusque cernemus quam parum aut nihil sit quod in cœnobio toleramus. Nonne quotidie quorumdam filii occiduntur in bellis, et domus eorum B ac possessiones traduntur incendio, pecora dirumpuntur, imo multarum feminarum mariti ac filii simul in præliis pereunt? Et tamen hæc omnia eos ferre oportet. Quid horum respectu est nostra adversitas aut persecutio nostra? Erubescat cor nostrum de imperfectione sua immensa, et patientiam discat, imo precibus, lacrimis, vigiliis a Deo adipisci conetur perfectam.

Præterea, non inaniter gloriemur cum mundo, non risibus, jocis, dissolutionibus præbeat locum cor nostrum; sed gemiti- C bus et compunctionibus, lacrimis insistamus, præsertim quum Climaco edocente, monachus sit mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria. Qui etiam loquitur : Imitare, tu qui ad dispergendum pondus peccatorum tuorum de mundo egressus es, eos qui extra civitatem ante sepulcrum sedent; et non cesses a calidis et ignitis lacrimarum guttis, et cordis ejulatibus absque voce, quousque Jesum Christum spiritualiter videas ac sentias venientem, et lapidem cæcitatis cordis tui a D tua anima revolventem, eamque a vitiis ac passionibus liberantem : si vero ita non egeris, nihil proficies. Hinc abbas Ammon disseruit : Talem fac cogitationem tuam, sicut faciunt clausi in carcere. Illi namque interrogant : Ubi est judex? quando venturus est? Et ipsa pœnarum suarum exspectatione ubertim plorant. Sic monachus debet semper esse suspectus ac pavidus, et animam suam objurgare, dicendo : Væ mihi, quomodo habeo stare ante tribunal Christi, et ei actuum meorum reddere rationem?

Legitur quoque, quod sanctissimus abbas Pastor videns mulierem se ipsam nimis cædentem et amarissime flentem, intendit in eam; deinde causam fletuum ejus interrogans, audito quod ideo fleret, quoniam obierunt maritus ejus et filius suus ac frater, dixit abbati Anub : Nisi homo omnes voluptates suæ carnis mortificaverit, atque hunc luctum possederit, non potest fieri monachus.

Ista, o fratres carissimi, non parvi pendamus, quia authentica sunt; et sanctorum Patrum compunctionem et luctum saltem aliqualiter imitari conemur. Ab incustodia sensuum, a levibus verbis, a puerili resolutione ad vana et fatua abstineamus, potissime in divinis. Assiduis meditationibus dominicæ passionis, et districtionis divini judicii ac futuri supplicii, atque cœlestium gaudiorum, repleatur et actuetur mens nostra. Frequenter reminiscamur quid hæc nostra requirat vocatio, ad quid nostra nos obliget et adstringat professio; quousque venerimus, an satisfecerimus voto nostro, an digne ambulemus coram Altissimo : sicque discutiendo nos ipsos, culpas et negligentias nostras quotidie deploremus; mores corrigere, maturitatem, honestatem, stabilitatem assumere, et vitam in omnibus emendare non differamus neque cessemus. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

SERMO SEXTUS

QUOD SOLUM PROPTER EA QUÆ DEUM OFFENDUNT, AUT AB IPSO IMPEDIUNT, TRISTANDUM SIT.

Joann. XVI, 22. *Vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* In evangelio hodierno.

De multiplici tristitia loquitur sacra Scriptura. Est enim tristitia carnalis, sæcularis, inordinata, quæ est immoderatus mœror sive afflictio cordis de malis pœnæ, ut de temporalium rerum amissione, de incommodis corporis, de illatis injuriis, aut etiam de hoc quod quis conceptum sive propositum suum nequivit mancipare effectui, adipiscendo optatas delicias aut ultionem exercendo cupitam. Hæc tristitia, non animæ tantum, sed corpori quoque nociva est, Salomone dicente : Sicut tinea vestimento, ita tristitia nocet cordi. (Prov. XXV, 20.) De qua in Ecclesiastico legitur : Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas te ipsum in tuo consilio; tristitiam longe expelle a te : multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. (Eccli. XXX, 22, 24, 25.)

Hæc tristitia etiam quosdam interdum affligit insipientes religiosos. Qui si aliqualiter durius increpentur a præsidente aut Fratre, aut modice irrideantur, aut desideratam cellam seu cameram habere non valeant, aut vestis secundum eorum appetitum non fiat, aut aliquid eis ad quod afficiuntur a spirituali patre aliisve negetur, mox instar sæcularium et insipientium hominum contristantur, tentantur, et sæpissime non solum contra confratrem, sed et contra superiorem incitantur, obloquuntur sive contendunt. Quod totum magnæ imperfectionis et pravæ cupiditatis exstat indicium, præsertim quum sæpe ex curiositate et inordinata moveantur affectione ad ea quæ petunt.

De his ergo quæ nos a Deo non impediunt nec elongant, non contristemur; sed potius gloriemur quod talia nobis negantur ad quæ non recte afficimur, aut quibus patienter carendo, multum apud Dominum promeremur. Religiosus quippe desiderium suum suo debet superiori humiliter ac pie suggerere, non armatam petitionem proponere aut per allegationes quasi extorquere aliquid velle, sed esse quasi indifferens, et stare contentus ac manere tranquillus, sive negativam, sive affirmativam recipiat. Quod si magnum aliquod voluerit petere, oret Deum ut mentem præsidentis inclinare dignetur ad id quod utilius salubriusque consistit, et magis pro Dei honore ac sua salute. Id quoque quod disponit ac loquitur præsidens, ex divina eum pie confidamus inspiratione loqui atque disponere : quia ut Salomon contestatur, Cor regis (id est cujuslibet præsidentis) in manu Dei est, et quocumque voluerit, vertet illud; (Prov. XXI, 1.) et sicut in libro Job fertur, Deus immutat cor principum terræ, (Job XII, 24.) quia pro omni libitu suo id afficit et inspirat.

Porro alia est tristitia virtuosa, salubris ac spiritualis, qua de propriis ac proximorum dolemus peccatis, de Dei injuriis, de gloriæ dilatione, de pauperum injusta oppressione, aut aliis causis, de quibus vere dolendum est. Unde, secundum Apostolum, Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. (II Cor. VII, 10.) Salomon quoque : Cor (inquit) stultorum, ubi lætitia, et cor sapientium, ubi tristitia. (Eccle. VII, 5.) De qua Paulus : Tristitia (ait) mihi magna est, et dolor continuus cordi meo pro fratribus meis Judæis, etc. (Rom. IX, 2, 3.) Sed et Jeremias civitatis ac templi plebisque suæ demolitionem quantum deplanxerit,

Luc. XIX, 41. patet in Threnis. Imo Christus videns civitatem Jerusalem, deflevit eamdem. Hac afficiamur tristitia, præsertim mundi deplorando peccata, et pro errantium conversione, pro communi reformatione, pro emendatione in omnibus, affectuosissime, lacrimose jugiterque rogemus ; atque ut exaudiri simus idonei, nos ipsos in primis defleamus ac debite emendemus, et divino conspectui dignos ac placitos exhibeamus.

Exigit autem caritas ut sicut de proximorum profectu gaudemus, sic de eorum culpis tristemur ; et sicut in be- B ne agentibus complacentiam, ita de male agentibus displicentiam habeamus : quæ displicentia in superiori animæ parte consistit, et ratione regenda est. Non ergo omnis displicentia mala est, quum quædam sit displicentia caritatis, sapientiæ, pœnitentiæ ac zeli justitiæ. Displicentia autem ex indiscreto oriens zelo, recte vituperatur. Dum ergo inter aliquos discordiam cernimus, aut aliquem esse culpabilem constat, nullatenus super hoc complacentiam habeamus aut risum, sed C salutarem tristitiam, et pro illis precem fundamus. Conformiter si quis durius increpatur, aut inordinate et insipienter respondet, non moveamur ad risum, sed compassionem. Nec de Fratris reprehensione aut castigatione lætandum est ex prava radice, videlicet aversione, ira, aut simili passione ; tamen ex caritate et zelo justitiæ, in quantum est pro Dei honore, Fratris salute, Ordinis conservatione, aliorum avisatione, potest quis de tali reprehensione aut castigatione lætari in Domi- D no, sed non alte aut coram Fratre ridere, quia hoc provocativum est Fratris, et speciem habet mali.

Nunc itaque cum sanctis Apostolis salubrem habeamus tristitiam, et in præsenti pro nostris piaculis castigari optemus ; corripi, et purgari electorumque tribulationibus affici non vitemus, quum et *Jer.* x, 24. Jeremias precetur : Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Qui A denuo ait : Castigasti me, Domine, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus. *Jer.* XXXI, 18. Tribulatio namque seu vexatio tribuit intellectum, quemadmodum per Prophetam *Is.* XXVIII, 19. loquitur Deus : Castigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius. *Jer.* XXX, 11. Quum ergo multæ sint tribulationes justorum, et per multas tribulationes oporteat nos intrare regnum cœlorum, tribulationes tanquam medicamenta vitiorum, tanquam flagella filiorum, tanquam procuramenta charismatum meliorum, et tanquam viam salutis, amemus et amplectamur ; nec in eis impatientes efficiamur, sive a Deo, sive ab homine, sive a dæmonibus, sive ab interioribus nostris nobis videantur infligi. Hinc loquitur Augustinus : Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si persecutionem non habes, nondum christianus esse cœpisti, quum scriptum sit : Omnes *II Tim.* III, 12. qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Quod te Deus permisit aut voluit pati flagellum, est corrigentis, non pœna damnantis. Ad hereditatem perpetuam erudimur, et flagellari ac corrigi dedignamur. Denique quis filius quem *Hebr.* XII, 7, 8. non corripit pater ? Quod si extra disciplinam vis esse, non filius Dei esse vis, sed adulter, id est alienus ab eo, ita quod anima tua diaboli erit adultera.

Insuper de tribulationum salubritate ait Bernardus : Tribulatio præsens hæc est via vitæ, semita gloriæ, iter civitatis habitaculi, via regni superni. Utilis tribulatio quæ probationem operatur ac ducit ad gloriam. Omne gaudium æstimemus, quum *Jacob.* I, 2. tribulationes varias inciderimus. Res namque necessaria est tribulatio quæ in gloriam vertitur ; bona tristitia quæ in gaudium permutatur : gaudium sane longum quia æternum, quod nemo tollet a nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Melior ergo tribulatio quam voluptas, quia quum utraque cito pertranseat, voluptas pœnam habet perpetuam, tribulatio coronam æternam. Gloriemur in tribulatione : in ea namque spes gloriæ. Imo ipsa gloria continetur in tribulatione, sicut spes fru-

ctus in semine, sicut in semine fructus. A In hunc modum, regnum Dei nunc intra nos est, thesaurus ingens in fictili vase, in
Ps. xc, 15. agro vili. Cum ipso sum (ait Dominus) in tribulatione : et ego interim aliud quam
Ps. LXXII, 28. tribulationem requiram ? Mihi adhærere Deo bonum est, qui descendit ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione. Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, quam epulari sine te, quam sine te gloriari.

Ecce ex verbis his, veri religiosi, qui B communiter in tribulationibus sunt, multam possunt consolationem sortiri, quum et Hieronymus dicat : Quanto in hoc sæculo paupertate, aut aliorum potentia, aut improbitate, aut morborum crudelitate, vel tentationibus fuerimus magis afflicti, tanto in futuro majora præmia consequemur.

Verumtamen tribulationi patientiam veram oportet esse conjunctam, atque adversa ex caritate sponte pro Dei honore æquanimiter ferre : alioqui præsens tri- C bulatio non aliud esset quam infernalium tormentorum inceptio. Itaque patientissimi simus, quia non sunt condignæ pas- *Rom.* VIII, 18.
siones hujus temporis ad gloriam futuram patientibus præparatam. Imo modicum et *II Cor.* IV, 17.
leve tribulationis præsentis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Interim ergo doloribus pœnitentiæ afficiamur, viles consolatiunculas, dissolutiones, detestabiles securitates, animositates, audacias, odiamus ac devitemus; atque sanctorum Patrum exemplo, compunctioni et sancto timori ac lacrimis insistamus, quemadmodum abbas Pastor, visa muliere in monumento sedente ac acerbissime flente, dixit : Si omnia mundi delectabilia venerint, non poterunt animum feminæ hujus a suo fletu avertere; ita et monachus semper debet hunc fletum habere. Et alius Patrum, viso Fratre ridente, suspirans dixit : Coram cœlo et terra rationem Deo reddemus, et tu rides ? Hinc pater Arsenius pannum habebat in gremio propter lacrimas ex oculis ejus ubertim cadentes desiderio regni cœlestis. Quod nobis præstare dignetur Deus æternus, solus adorandus et super omnia benedictus. Amen.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

PSALMORUM.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

D

E

F

J

L

M

N

O

P

Q

R

S

INDEX GENERALIS

DOMINICA QUARTA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Ad religiosos.

DOMINICA QUINTA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Ad religiosos.

DOMINICA SEXTA POST NATIVITATEM CHRISTI.

Ad religiosos.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

AD CLERUM

QUI ROMANO UTITUR KALENDARIO

In utroque ritu, Romano scilicet ac Cartusiano, epistolæ et evangelia a Dionysio enarrata concordant, dominicis quibusdam exceptis :

1° Require enarrationes
In dominicæ tertiæ Adventus epistolam, pag. 89.
In dominicæ quartæ Adventus epistolam, pag. 67.
In dominicæ infra octavam Epiphaniæ epistolam et evangelium, pag. 142, 153.
In dominicæ secundæ post Epiphaniam epistolam et evangelium, pag. 176, 182.
In dominicæ tertiæ post Epiphaniam epistolam et evangelium, pag. 203, 208.
In dominicæ quartæ post Epiphaniam epistolam et evangelium, pag. 230, 234.
In dominicæ quintæ post Epiphaniam epistolam et evangelium, pag. 251, 257.

2° Ritui Romano sunt propria, ideoque a Dionysio non enarrata :
Dominicæ sextæ post Epiphaniam epistola et evangelium ;
Dominicæ secundæ Quadragesimæ evangelium.

3° Enarrationes in evangelium : *Confiteor tibi, Pater... quia revelasti ea parvulis*, etc., et in evangelium dominicæ secundæ Quadragesimæ : *Egressus Jesus... ecce mulier Chananæa*, etc., ritui Cartusiano propria, reperies pag. 263 et pag. 403.

EMENDANDA. Pag. 81 C', lin. 3 : unum, *lege* una ; — 296 C', lin. 4 : affectatio,... affectio.

DUBIA. Pag. 117 A, lin. 4, 5 : servantiam, *forsan* observantiam ; — 136 B', lin. 3 : Constantini,... Constantii.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.